


GRATIANI CANONES

GENUINI AB APOCRYPHIS DISCRETI,

CORRUPTI AD EMENDATIORUM
codicum fidem exacti, difficiliores commodâ
interpretatione illustrati

OPERA ET STUDIO

CAROLI SEBASTIANI BERARDI
Presbyteri Uneliensis,
In Regio Athenæo Sacrorum Canonum Antecessoris.

PARS III. TOMUS IV.



BIBLIOTECA PROVINCIAL
SORIA

SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI, MDCCLXXXIII.

EX TYPOGRAPHIA MICHAËLIS ESCRIBANO.

Se hallará en la Librería de Don Bernardo Alberá.



INDEX CAPITUM,

Quæ in hoc Quarto Volumine continentur.

De Canonibus, Sanctorum Patrum, aut Scriptorum Ecclesiasticorum nomine à Gratiano relatis. ..... *Pag.* 1.

Cap. 1. *De Canonibus, ex Sacris Literis, seu veteris, seu novi Testamenti depromptis* ..... 5.

Cap. 2. *De Herme* ..... 10.

Cap. 3. *De Appollonio* ..... 12.

Cap. 4. *De Origene Adamantio* ..... 16.

Cap. 5. *De Cypriano* ..... 21.

Appendix de epistola Romani Cleri ad Cyprianum .... 35.

Cap. 6. *De Athanasio* ..... 36.

Cap. 7. *De Eusebio Emeseno* ..... 39.

Cap. 8. *De Hilario Pictaviensi* ..... 40.

Cap. 9. *De Basilio* ..... 43.

Cap. 10. *De Gregorio Nazianzeno* ..... 54.

Cap. 11. *De Ruffino* ..... 56.

Cap. 12. *De Ambrosio* ..... 60.

Appendix de canone 3. *dist.* 63 ..... 122.

Cap. 13. *De Hieronymo* ..... 123.

Cap. 14. *De Didimo* ..... 204.

Cap. 15. *De Felice Selemselitano* ..... 205.

Cap. 16. *De Joanne Chrisostomo* ..... 205.

Cap. 17. *De Chromatio* ..... 219.

Cap. 18. *De Attico* ..... 221.

Cap. 19. *De Augustino* ..... 224.

Cap. 20. *De Paulino Nolano* ..... 401.

Cap. 21. *De Prospero* ..... 402.

Cap. 22. *De Cyrillo Alexandrino* ..... 407.

Cap. 23. *De Cassiodoro* ..... 413.

Cap. 24. *De Benedicto Abbate* ..... 415.

Cap. 25. *De Canonibus ex jure Justinianeo depromptis* ..... 416.

Cap. 26. *De Hesychio, seu Isychio* ..... 433.

Cap. 27. *De Isidoro Hispalensi* ..... 464.

Cap. 28. *De Fructuoso* ..... 464.

Cap. 29. *De Diurno Libro* ..... 465.

Cap. 30. *De Theodoro Cantuariensi* ..... 467.

Appendix de Pœnitentiali Romano ..... 478.

Cap. 31. *De Beda* ..... 479.

Cap.

Cap. 32. *De Petro Nicomediensi*. . . . . 485.
Cap. 33. *De Albino, seu Alcuino*. . . . . 486.
Cap. 34. *De Haymone*. . . . . 488.
Cap. 35. *De Rhabano*. . . . . 488.
Cap. 36. *De Hincmaro Rhemensi*. . . . . 494.
Cap. 37. *De Paschasio*. . . . . 495.
Cap. 38. *De Anastasio Bibliothecario*. . . . . 498.
Cap. 39. *De Fulberto*. . . . . 502.
Cap. 40. *De Ordine Romano*. . . . . 502.
Cap. ult. De ceteris, qui supersunt, Canonibus, iis potissimum, quorum apùd Gratianum nemo auctor inscribitur. . . . . 505.

PARS TERTIA.

De Canonibus Sanctorum Patrum, aut Scriptorum Ecclesiasticorum nomine à Gratiano relatis.

QUousque difficile admodum fuit, Ecclesiasticorum veterum Patrum, aut Scriptorum libros præ oculis habere integros, atque expurgatos; seu quando, nondum inventa typographica arte, vel planè inferendus erat labor in exarandis, vel gravissimis erat opus impensis in comparandis plerorumque exemplaribus; seu quando per Typographos sine delectu sub clarissimorum Virorum nomine multò plura congesta sunt, quàm congeri debuissent; dandam veniam, puto, viris, rerum sacrarum studiosis, si non in ipsis Patrum, Scriptorumque priscorum libris pervolutandis universam operam collocaverint ad sinceram sapientiam addiscendam, sed sententiarum quà breviariis in aliam formam eductis, quà fragmentis discerptis, sine lege transpositis, ut plurimùm etiam ab orationis contextu detortis, qua apocryphis monumentis, quæ germanis junxerat vulgaris opinio, & credulitas, uti debuerint. Nunc verò, cum opera eruditissimorum hominum nihil ferè supersit, quod palam editum non exhibeatur, unde nemo est, cui magna saltem in parte non commoda sit illorum voluminum tractatio; imo cum omnia ferè adeò sint in luce clarissima collocata, ut vel rudiores ipsi à veris falsa, incertave sint nullo negotio distincturi; dolendum est quàm maximè, quòd pauci admodum reperiantur adhuc, qui illorum lectione potissimùm delectentur, & tempus in ea suum cum jucunditate traducant: plurimi è converso sint, qui contentos se, & meritum veteribus honorem detulisse profiteantur, dum exiguas quasdam excerptas codicum eorundem lacinias, in recentiorum libros derivatas, atque ibidem explicatas, legerunt, perpenderunt, suis etiam aut operibus inseruerunt, aut institutis adcommodarunt, sine sollicitudine authographorum, è quibus puriorem æque ac uberiorem sine dubitatione doctrinam haurirent. Quodque magis dolendum est, intuemur passim in horum numero non paucos ex illis, qui haberi se doctissimos volunt, dico in sacra Theologia Magistros, Divini Evangelii Præcones, Canonum Interpretes, Pragmaticos caussarum in foro Ecclesiastico tractandarum oratores, ceterosque, his non absimiles, quorum alii, quòd se minoris ingenii existimandos credant, si res non suas in medium ad-

ferant; alii, quòd ad antiqua respicere, eademque nostris temporibus accommodare incongruum putent; alii, quòd solidiores rerum caussas jamdiu traditas quasi notas compertasque omnibus fastidiant studio novitatis; alii demum, quòd eos tædeat longioris veterum lectionis cum notitia temporum necessario conjungendæ, Sanctorum Patrum documenta rimari, &, prout res incidit, utiliter ex proposito singulorum palam exhibere negligunt, ne dixerim aversari. Nemo profectò non videt, quanta cura, diligentiaque incumbendum esset universis in eam studiorum rationem: quis enim ignorat, Verbum Dei, ex quo uno humana mens lucem sibi, identidem hærenti, adferri posse perspicuam sperare potest, per illos Patres, veluti divinæ traditionis custodes, à primis ad nostra, imo ad postrema usque sæcula & fuisse, & iri traductum? Quod, etiamsi in sacris literis scriptum magna in parte contineatur, altera tamen in parte traditum nobis quasi per longas sanctorum hominum successiones accipimus, ita ut, quod Apostoli à Christo audierunt, audivisse ab Apostolis credamus illos, qui Apostolicam ætatem attigerunt; ab istis deinde recentiores alios perennibus, & constantissimis per ætates omnes datis simul, & acceptis, creditis, & redditis institutionibus, una semper quandocumque resonante Christi Domini primi Institutoris venerabili voce. In istis traditionibus, ubi de fidei, morumque doctrina agendum sit, regula figitur, à qua nemini recedendum sit, imo & qua veluti firmissima, Ecclesia nostra, quæ nec fallere, nec falli potest, in suis definitionibus sanciendis usa perpetuò fuit; dum aut in Conciliis, aut extra Concilia propositis quæstionibus illud semper admisit, & credendum fidelibus proposuit, quod majores admisisse perpetuò probati fuerunt, ac credidisse. Quod si de disciplinæ capitibus sermo sit, quamquam ista varia esse possint pro varietate locorum, temporum, atque caussarum, quicumque tamen in eam animum intenderit, quam à Patribus vetustissimis noverit institutam, & custoditam, statimque intellexerit, eam in caussa esse potuisse, quod aurea tunc propemodum, & beatissima essent Ecclesiæ sæcula, facilè etiam addiscet, curandum esse maximè, ut eadem qua in parte, atque ubi adhuc integra perseverat, firma voluntate retineatur; ubi & qua in parte vel periisse, vel lapsa fuisse videtur, restituatur; nisi gravissima quædam, quibus indulgendum prudentissimè sit, adjuncta aliud postulent ob necessitatem Ecclesiæ, vel utilitatem.

Non ignoro, quandoque accidisse, ut inter Patres ipsos motæ, & diutiùs agitatæ controversiæ fuerint; Augustinum cum Hieronymo, Leonem Romanum cum Hilario Arelatensi, Chrisostomum cum Theophilo, cui jungebatur Epiphanius, aliosque invicem contendisse. Tantùm verò abest, ut ex eo deduci posse videatur, minoris faciendam Patrum auctoritatem; quin potiùs ex eo de eorum libentiùs sequenda doctrina, ubi concors adpareat, nobis sit gloriandum. Siquidem, si dubiis in quibusdam rebus acriter disputavisse distractis animis deprehenduntur, agnoscimus in primis, eosdem maximè sollicitos fuisse de veritate investiganda; deinde colligimus, in aliis caussis, in quibus unanimes unam protulere sententiam, veritatem ipsam non cæcorum more, sed excutientium, atque intuentium, consecutos fuisse patentem, & prodidisse palàm universis; eadem fere ratione, qua apud veteres Romanorum Jureconsultos, illos potissimùm, quorum varias sectas curiosa disputatio effecerat, firmissimas editarum legum sanctiones custoditas credimus, ubi concordi sententia apud universos aliqua tradita intelligimus. Id facilè percipit, quicumque res humanas apprimè considerat; in quibus ea graviora testimonia habentur, quæ proferuntur con-

concordi voluntate ab iis, qui aliàs disputant inter se; quos propterea in unum conciliavisse videtur non animus invicem obsequendi, sed intuitus veritatis, medias inter disputationes perspicue coruscantis. Quòd si istis adjiciatur, aliquos ex eisdem Patribus post disputationes, ut ut fervidas, ac diuturnas, tandem aliquando adquievisse suadenti alteri disputantium parti, ecquis non colligit, luculentius adhùc lumen rebus disputatis, atque unanimiter deinde traditis affulsisse ad seræ posteritatis utilitatem; dum novimus tandem nil traditum ab illis suscipere nos, nisi quod ex sedula rerum divinarum investigatione olim emerserit? hoc enim est, quod bellè observabat Gregorius Magnus, dum in homiliis in Evangelia, Thomam Apostolum de resurrectione Domini dubitantem primùm, deinde certiorem factum, mirum in modum posterorum fidem, omni dubitatione postposita, solidavisse, adfirmavit.

Hæc ut clariùs explanentur, secernendæ erunt sententiæ à sententiis; quarum aliæ privatas exhibent Patrum opiniones, in quibus sanè inter se illi aliquando disputaverunt; aliæ vero explicant, non tam quid opinarentur iidem Patres, quam quid testificarentur, singulis temporibus Ecclesiam sentire, in quas propterea tanquam in rem facti perspicui communi consensione convenerunt. Prioris generis sententiæ gravissimæ quidem sunt, quibus sine ulla formidine sapientissimus quisque adhærebit, quousque nulla intercesserit ad dirimendam controversiam definitio Ecclesiæ, ad quam unam pertinet, dogma fidei in rebus dubiis indicare, & velut latens educere. At sententiæ posterioris generis adeo validæ sunt, ut vel ipsa Ecclesia in proponendis fidei dogmatibus ab ipsis recedere neque unquam, neque ulla ratione potuerit, eodem jure, quo in Ecclesia perpetuò fuit unitas doctrinæ invariata, & constantissima. Quod si curiosiùs de regulis quæras, quibus dignoscantur, distinguanturque utriusque generis sententiæ; ego generaliter dixero, rem istam certis, determinatisque confici non posse præceptis, quæ omnibus, quæ incidant, speciebus sine discrimine adcommodentur: sed ex diversis caussarum adjunctis omnino pendere; aliter enim vox divina sonat in scriptis Patrum, ubi ipsi adversus hæreticos homines pugnaverunt; aliter ubi sacras literas interpretando explicaverunt; aliter ubi nonnulla ad ornatum orationis extra præcipuum scribendi scopum adjecerunt; aliter ubi, publicè coram rudioribus disserentes, arcana quædam mysteria certis temporibus quasi sub ænigmate de industria tradiderunt; aliis demum, variisque modis, prout optima rerum agendarum, & moderandarum prudentia pro diversitate locorum, ac temporum postulavit: unde argumentum solidissimum est, hanc rem universam, ubi opus sit ad finiendas omnes, quæ emergere possent, disputationes, sapientissimo, prudentissimoque Ecclesiæ judicio reservari, quemadmodum reservatur eidem germana, & certa verbi Dei scripti interpretatio.

Sanctorum Patrum nomine eos intelligo, quos tanquam integerrimos sacræ doctrinæ testes Ecclesia agnovit, morum æquè sanctitate, ac doctrina clarissimos, nec non antiquitate maximè venerabiles: ex quò enim sanctitate morum claruerunt, deducitur, eos noluisse fallere; ex quò excelluere doctrina, intelligimus, nec falli ipsos facilè potuisse; ex quò demum antiquitate præstant, eo puriorem traditionem ex ipsis haurire nos posse censemus, quo propiùs ex purissimis fontibus suas sententias derivarunt. Isti sunt, quorum libris Ecclesia in celebrandis Conciliis passim usa fuit, quorum dogmata in publicis fidelium conventibus legenda proposuit, quorum mentem investigare, prout res incidit, atque interpretari consuevit. Quamquam verò nemo exinde non videat, Patrum eorundem diversos posse constitui

gradus, quorum alii aliis nonnihil præcellere intelligantur, prout excellentior quædam alicui morum integritas, aut sapientia illustrior fuit, aut provectior demum antiquitas; ab omnibus tamen hujusmodi gradibus plurimùm adhuc dignitate distant ceteri Scriptores Ecclesiastici, qui decoro Patrum nomine apud Ecclesiam non donantur, vel quòd, ut ut eruditissimi, atque antiquissimi sint, moribus non omnino integerrimi extiterint; vel quòd, ut ut antiquissimi, ac sanctissimi, rudes tamen & minùs periti videntur; vel quòd, ut ut sanctissimi, atque eruditissimi, recentioribus demum sæculis floruerunt. Horum profectò, qualescumque iidem sint, excipiemus traditiones, quasi gravissimorum hominum, qui, ubi consonare deprehendentur sententiis Patrum, non dubitabimus, quin ad dogmata fidei, vel morum magis magisque firmanda idonei admodum habeantur; ubi explanant dubias Patrum formulas, necdum publico Ecclesiæ judicio explicatas, præbito lumine facilè utemur: tantum ab illis recedemus, in quibus ab illis vel expressè recesserunt Patres Ecclesiastici, vel recedendum esse dignis de caussis Ecclesia definivit. Paucis dicam: Habent istorum testimonia cum Patrum auctoritate communia plura, licet Patrum auctoritati in pluribus istorum testimonia cedant.

Dicta hæc generaliter initio volui, ut intelligat unusquisque, qua prudentia ad subjectorum Gratianeorum canonum lectionem, & interpretationem sit deveniendum. Junxi ego, juxta propositam methodum, Scriptores Ecclesiasticos Ecclesiasticis Patribus, quòd ut plurimùm ad illustrandas Patrum sententias aliorum Scriptorum sententiæ famulentur: interea verò persuasum omnibus volui, non æqua lance æstimanda, parilique honore excolenda esse utrorumque monumenta, sed suum singulis honorem, suam singulis dignitatem debere servari.

CA-

CAPUT PRIMUM.

De Canonibus, ex Sacris Literis, seu veteris, seu novi Testamenti depromptis.

Præcipuum in hac parte locum dandum esse, duxi, monumentis Sacrarum Literarum, quæ apud Gratianum recensentur, ut antequam Sanctorum Patrum, qui de Verbo Dei tradito testimonium ferunt, capita adferrentur, illa commodo ordine præponerentur, in quibus Verbum Dei scriptum continetur. Sunt autem sequentia.

Ex Levitico.	*Can.* 15. *caus.* 22. *q.* 4. *adjecta interpretis explicatione illustratus.*	
Ex Numeris.	*Can.* 21. *caus.* 2. *q.* 5. *ad vulgatam Numerorum editionem exigendus.*	
	Can. 14. *caus.* 32. *q.* 2. *ex vulgata editione emendandus.*	
Ex Psalmis.	*Can.* 3. *de pœn. dist.* 1.	*quæstioni, à Gratiano propositæ, minùs accommodati.*
	Can. 4. *de pœn. dist.* 1.	
Ex Proverbiis.	*Can.* 5. *caus.* 5. *q.* 5. *consonat cum Proverbiorum capitibus.*	
Ex Ecclesiastico.	*Can.* 2. *caus.* 14. *quæs.* 5. *ex integro capite supplendus, atque emendandus.*	
Ex Isaia.	*Can.* 59. *caus.* 11. *q.* 3. *ex integro capite ordinatiùs describendus.*	
Ex Ezechiele.	*Can.* 15. *de pœn. dist.* 4. *ex integro Ezechielis capite emendandus.*	
Ex Osee.	*Can.* 20. *de pœn. dist.* 4.	*Gratiani proposito parùm accommodati.*
	Can. 21. *de pœn. dist.* 4.	
Ex Joele, & Zacharia.	*Can.* 33. *de pœn. dist.* 1.	*ex integris Prophetarum capitibus emendandi, & quæstioni, à Gratiano propositæ, minùs accommodati.*
	Can. 34. *de pœn. dist.* 1.	
Ex Epistolis Pauli. Ad Timotheum 1.	*Can.* 5. *caus.* 1. *q.* 2. *ex integro Pauli capite emendandus, atque explicandus.*	
Ad Corinth. 1.	*Can.* 7. *de pœn. dist.* 2. *prava interpretatione à Gratiano explicatus.*	
Ad Galatas.	*Can.* 28. *de pœn. dist.* 2. *ex integra Pauli Epistola emendandus.*	
Ad Hebræos.	*Can.* 29. *de pœn. dist.* 2. *ex integra Pauli Epistola emendandus.*	
	Can. 19. *de pœn. dist.* 4. *ex integra Pauli sententia explicandus.*	
Ad Ephesios.	*Can.* 9. *de pœn. dist.* 4. *ad integram Pauli Epistolam exigendus.*	
Ex Epist. 2. Petri.	*Can.* 18. *de pœn. dist.* 4. *consonat cum vulgatis Epistolæ exemplaribus.*	
Ex Epist. 1. Joannis.	*Can.* 36. *de pœn. dist.* 1.	*perperam à Gratiano explicati.*
	Can. 37. *de pœn. dist.* 1.	

GRatianeorum monumentorum, quæ ex sacris literis, seu veteris, seu novi testamenti decerpta intuemur, explicatio eum desideraret interpretem, cujus studium diuturnum fuisset in addiscendis veterum orientalium linguis, imo in evolvendis variis sacrarum earundem literarum versionibus; si monumenta illa, quæ apud Gratianum legimus, ex iis essent, quæ gravissimam difficultatem viris etiam eruditissimis ingesserunt. Verùm plana illa sunt, & in vulgari prudentia posita, in quibus propterea expendendis parùm immorabor, contentus Gratianeos canones ad vulgatam Sacræ Scripturæ editionem referre, atque exigere universos; quod tantum meæ susceptæ provinciæ esse vide-

detur, præsertim quod vulgata ipsa editio ea est, quam sequi debuit Gratianus, cujus ætate præ omnium Christianorum manibus habebatur tanquam omnium purissima, atque à mendis præ versionibus ceteris magis expurgata. Qui plura exquirere adamabit, habebit interpretes numero plurimos, doctrina clarissimos, sanctitate venerabiles, quos facilè consulet.

Can. 15. caus. 22. q. 4.

Exhibetur in primis canon 15. cau. 22. quæst. 4. ex vers. 12. cap. 19. libri Levitici, in quo Moyses, Deo docente, moralis doctrinæ præcepta tradebat. Non tamen singula Gratiani verba ibidem leguntur, sed ista tantum: *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus*; nam cetera, quæ sequuntur à vers. *malum tamen* usque in finem, pertinent potius ad glossema quoddam, à recentiore interprete adjectum, quod cum Bedæ sententiis consonare, præsertim cum can. 6. caus. 22. quæst. 4. animadverterunt Romani Correctores.

Can. 21. caus. 2. q. 5.

Quod ex libro Numerorum cap. 5. habetur in can. 21. caus. 2. quæst. 5. testantur Correctores Romani olim sub nomine Paleæ descriptum fuisse, & Gratiano esse restituendum auctoritate codicum MSS. Verba Numerorum hæc sunt: *Locutusque est Dominus ad Moysem dicens: Loquere ad filios Israel, & dices ad eos: Vir, cujus uxor erraverit, maritumque contemnens, dormierit cum altero viro, & hoc maritus deprehendere non quiverit, sed latet adulterium, & testibus argui non potest, quia non est inventa in stupro: si spiritus zelotypiæ concitaverit virum contra uxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur, adducet eam ad Sacerdotem, & offeret oblationem pro illa, decimam partem sati farinæ hordeaceæ: non fundet super eam oleum, nec imponet thus: quia sacrificium zelotypiæ est, & oblatio investigans adulterium. Offeret igitur eam Sacerdos, & statuet coram Domino, assumetque aquam sanctam in vase fictili, & pauxillum terræ de pavimento tabernaculi mittet in eam. Cumque steterit mulier in conspectu Domini, discooperiet caput ejus, & ponet super manus illius sacrificium recordationis, & oblationem zelotypiæ: ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta congessit. Adjurabitque eam, & dicet: Si non dormivit vir alienus tecum, & si non polluta es deserto mariti toro, non te nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congessi. Sin autem declinasti à viro tuo, atque polluta es, & concubuisti cum altero viro, his maledictionibus subjacebis: Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo: putrescere faciat femur tuum, & tumens uterus tuus disrumpatur. Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & utero tumescente putrescat femur. Et respondebit mulier: Amen, amen. Scribetque Sacerdos in libello ista maledicta, & delebit ea aquis amarissimis, in quas maledicta congessit, & dabit ei bibere. Quas cum exhauserit, tollet Sacerdos de manu ejus sacrificium zelotypiæ, & elevabit illud coram Domino, imponetque illud super altare: ita dumtaxat, ut prius pugillum sacrificii tollat de eo, quod offertur, & incendat super altare: & sic potum det mulieri aquas amarissimas. Quas cum biberit, si polluta est, & contemto viro adulterii rea, pertransibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computrescet femur: eritque mulier in maledictionem, & in exemplum omni populo. Quod si polluta non fuerit, erit innoxia, & faciet liberos. Ista est lex zelotypiæ. Si declinaverit mulier à viro suo, & si polluta fuerit, maritusque zelotypiæ spiritu concitatus adduxerit eam in conspectu Domini, & fecerit ei Sacerdos juxta omnia quæ scripta sunt: maritus absque culpa erit, & illa recipiet iniquitatem suam.* Sic ad puriora sacrarum literarum exemplaria exactus est Gratianeus canon, cujus disciplinam jure optimo scripsit Gratianus non ampliùs observari, neque enim præcepta illa, singulari veterum Judæorum conditioni divinitus adcommodata, in nova Evangelii lege perseverarunt.

Can. 14. caus. 32. q. 2.

Ex eodem Numerorum libro cap. 30. vers. 4. & seq. depromptus est canon 14.

caus.

caus. 32. quæst. 2. his verbis legendus: *Mulier si quippiam noverit, & se constrinxerit juramento, quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari, si cognoverit Pater votum, quod pollicita est, & juramentum, quo obligavit animam suam, & tacuerit, voti rea erit: quidquid pollicita est, & juravit, opere complebit. Sin autem statim, ut audierit, contradixerit Pater, & vota, & juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quod contradixerit Pater.* Hæc si conferantur cum canone Gratianeo, adparebit eum esse emendandum, quemadmodum, jam animadverterunt Correctores Romani. Ceterum huic sententiæ lumen quoddam adferetur ex iis, quæ inferiùs erunt observanda ad canonem 15. eadem causa, & quæstione.

Can. 3. & 4. de pœn. dist. 1. Duo sunt ex libris Psalmorum deprompti canones, id est 3. & 4. de pœn. dist. 1. Prior ex Psalm. 50. vers. 19. ibi: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Posterior ex Psalm. 31. vers. 5. *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Mihi sanè optandum fuit in hac re, ut Gratianus non abusus fuisset sanctissimis istis Davidicis documentis. Proposuerat sibi Collector dirimendam quæstionem, *an sola contritione cordis, & secreta satisfactione absque oris confessione quisque possit Deo satisfacere.* Ad eam planè discutiendam frustrà provocabatur ad veteris testamenti institutiones, cum veteribusSacramentum illud pœnitentiæ non fuerit datum, quale ex Christi institutione nos Christiani habuimus; quo dum potestati clavium, quæ penes Ecclesiam est, peccata nostra confessione subjicimus, delictorum veniam, & Sacramenti gratiam impetramus.

Can. 5. caus. 5. q. 5. In libro Proverbiorum cap. 11. v. 13. hæc leguntur: *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana, qui autem fidelis est amici, celat amici commissum.* Et in cap. 25. v. 8. *Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in judicio cito, ne postea emendare non possis, cum dehonestaveris amicum tuum.* Duo hæc fragmenta junxit Gratianus in can. 5. caus. 5. quæst. 5.

Ex cap. 34. Ecclesiastici vers. 21. & seq. emendanda sunt, supplendaque verba canonis 2. caus. 14. q. 5. ita: *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata, & non sunt beneplacitæ subsannationes injustorum. Dominus solus sustinentibus se in via veritatis, & justitiæ. Dona iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu Patris sui. Panis egentium vita pauperum est, qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.* Can. 2. caus. 14. q. 5.

Isaiæ verba, quæ Gratianus describere voluit in can. 59. caus. 11. q. 3. alio ordine describuntur in cap. 5. Isaiæ vers. 12. & sequentibus. Postquam enim conquestus est Propheta de populo, quod opus Domini non respicerent, nec opera manuum ejus considerarent, ita prosequitur: *Propterea captivus ductus est populus meus*, & cetera, quæ habentur in dicto can. 59. vers. *propterea* usque in finem: deinde pergit Isaias: *Et pascentur agni juxta ordinem suum, & deserta in ubertatem versa advenæ comedent. Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum. Qui dicitis, festinet, & cito veniat opus ejus, ut videamus; & appropiet, & veniat consilium sancti Israel, & sciemus illud. Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum* Posteriorem hanc sententiam perperam, uti liquet, Gratianus priori præposuit. Can. 59. caus. 11. q. 3.

Quæ leguntur in can. 15. de pœn. dist. 4. habentur quidem apud Ezechielem cap. 18. vers. 24. & sequentibus, non tamen ita integra, ut nihil sit apud Gratianum emendandum. Verba Ezechie- Can. 15. de pœn. dist. 4.

chielis hæc sunt: *Si autem averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur in prævaricatione, qua prævaricatus est, & in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur. Et dixistis: non est æqua via Domini. Audite ergo domus Israel: numquid via mea non est æqua, & non magis viæ vestræ pravæ sunt? Cum enim averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis: in injustitia, quam operatus est, morietur, &c.* His verbis usus est Gratianus ad dirimendam controversiam, suis temporibus acriter agitatam, num peccata semel dimissa redeant post alia admissa peccata. At verò non video, quid in hoc ipso monumento Ezechielis rei propositæ adcommodatum Gratianus invenire potuerit; aliud enim est peccantium vetera opera etiam bona Deum quodammodo oblivisci, uti Ezechiel scribit, aliud peccata semel dimissa redire; bonorum enim operum ideo oblivisci quodammodo dicitur Deus, quòd illorum intuitu peccata recens admissa ulcisci non desinat; est autem quid amplius peccata jam dimissa redire.

Can. 20. & 21. de pœn. dist. 4.

Ad eandem controversiam dirimendam adfert quoque Gratianus in can. 20. & 21. de pœn. dist. 4. duo Osee monumenta, quæ leguntur in ipsius Prophetæ libro cap. 7.: imo ait Gratianus eadem exhibere diversam disciplinam, qua Deus Judaicum populum persecutus est; quasi in uno monumento dicatur, Deum veteris idolatriæ recordari, in altero præsentia tantum ulcisci peccata. Sed quisquis integrum Prophetæ caput vel solertissimè legerit, nihil tale ibi reperiet, quo Gratiani animadversio confirmetur.

Can. 33. & 34. de pœn. dist. 1.

Ex canone 33. & 34. de pœn. dist. 1. conatus est Gratianus quasi ex sacris veteris testamenti literis demonstrare, peccata dimitti non oris confessione, sed sola contritione cordis; & primò quidem ante laudatum canonem 33. recensuit quasi prophetica verba: *In quacumque die peccator fuerit conversus, & ingemuerit, vita vivet, & non morietur*; ubi animadvertit, non dici *ore confessus fuerit, sed tantum, conversus fuerit, & ingemuerit*; deinde in can. 33. & 34. retulit verba illa Joelis cap. 2. vers. 12. & 13. *Convertimini ad me in toto corde vestro in jejunio, & in fletu, & in planctu. Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus, & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia*; quibus videtur jungere voluisse, quasi uno orationis spiritu contexta, verba Malachiæ cap. 3. vers. 7. *Revertimini ad me, & revertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* Nemo non videt, in his omnibus Gratianum Prophetarum verba paulisper depravavisse, dum cum vulgata Scripturæ Sacræ editione non consonant; quod perspicuè liquebit conferenti Gratianeos canones cum descriptis verbis Joelis, & Malachiæ, licet eadem utrobique retenta sententia videatur. In iis autem verbis: *in quacumque die &c.* verosimile est, Gratianum describere voluisse, quod habetur apud Ezechielem cap. 33. vers. 12. ibi: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua. . . . Si autem dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque judicium, & justitiam.... vita vivet, & non morietur.* Eadem propemodum verba describuntur in cap. 18. vers. 21. Ezechielis. Porrò, quæcumque lectio retineatur, perperam Gratianus ea monumenta adduxit, quasi cuiquam ex illis demonstrare liceret, per solam cordis contritionem sine confessione peccatorum remissionem eorumdem peccatorum posse in nova Evangelii lege obtineri; neque enim Ecclesia, cum definivit, necessariam esse confessionem, provocavit ad disciplinam veteris testamenti, sed ad disciplinam, à Christo Domino in Evangelio institutam.

Lon-

Can. 5. caus. 1. q. 2. Longè à proposito suo vagatus etiam est Gratianus in proponendo canone 5. caus. 1. quæst. 2.; cum enim probavisset, ingressum in Ecclesiam non esse alicui Simoniaco concedendum, adjecit verba Apostoli Pauli ad Timotheum 1. cap. 5. quæ more suo paulisper corrupit. Etenim ita legimus apud Paulum: *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt. Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet, discat primùm domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo. Quæ autem verè vidua est, & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus, & orationibus nocte, ac die.* Et infra: *Vidua eligatur non minùs sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor.* Item infra: *Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, & non gravetur Ecclesia: ut iis, quæ verè viduæ sunt, sufficiat.* Ex hac Pauli disciplina adparet, duplicem temporibus Apostolorum fuisse viduarum conditionem, quarum aliæ privatæ rei, ac familiari regendæ ad utilitatem filiorum, ac nepotum præerant; aliæ à rebus familiaribus liberæ, quæ propterea facilè in Ecclesiam recipiebantur, quasi Diaconissarum officio functuræ, resque ad ministeria sacra necessarias instructuræ decoro cultu, ac nitore, dummodo ætate essent, ac prudentia graves, juxta morem veterum, quem insinuavit Lucas in cap. 2. Evangelii de Anna Prophetissa ita scribens: *Et hæc vidua usque ad annos* 84., *quæ non discedebat de templo, jejuniis, & obsecrationibus serviens nocte, ac die.* Viduas autem universas tum demum voluit ex Ecclesiæ obventionibus sustentari, cum verè viduæ essent, id est, aliàs necessaria vitæ subsidia non haberent. Quid verò ista Pauli sententia commune exhibet cum proposita Gratiani disputatione?

Can. 7. de pœn. dist. 2. Detorsit præterea Gratianus in alienam sententiam verba canonis 7. de pœn. dist. 2. excerpta ex epistola 1. Pauli ad Corinthios cap. 13. ibi: *Charitas nunquam excidit*; quibus, cum sanctus Apostolus significaret, tandem aliquando Prophetias omnes evacuatum iri, item cessatura dona linguarum, aperiendaque manifestissimè obscuriora fidei mysteria, præsertim in altera vita, cum prophetiarum nulla necessitas erit, aut doni linguarum, quoniam apertissima futura erunt, quæ nunc in ænigmate tractamus; affirmavit, charitatem perpetuò esse mansuram, tanquam virtutem illam, quæ etiam in altera vita beatorum animos sit expletura. Verumtamen Gratianus eadem verba ita refert, ut probet charitatem, statim ac homini adhæsit semel, nunquam ab ejusdem animo excidere posse, quasi qui charitate ornantur, peccare ampliùs nequeant, quemadmodum concludere visus est ad calcem canonum 12. & 13. eadem dist. 2. de pœn., quæ sanè interpretatio longè aberrat ab Apostoli Pauli doctrina.

Quid inferre voluerit Gratianus ex Pauli Apostoli monumento, relato in can. 28. de pœn. dist. 2., ut verum fatear, prorsus ignoro. Nimirùm Gratianus in ea distinctione tanta, & tam varia coacervat indigesta methodo, ut rebus sibi propositis crassissimas tenebras offundat. Ceterum & ipsa Apostoli verba ad integra epistolæ exemplaria, à quibus dissonant, sunt exigenda: Etenim in epist. ad Galatas cap. 5. v. 6. ita legitur: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides, quæ per charitatem operatur. Currebatis bene; quis vos impedivit veritati non obedire?* Similiter parùm facit ad rem Gratiani, ut cuiquam consideranti liquidum esse potest, canon 29. de pœn. dist. 2., cujus verba ita erunt emendanda ex epistola Pauli ad Hebræos c. 6. vers. 10. *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis.*

Can. 28. de pœn. dist. 2. Can. 29. de pœn. dist. 2.

Ex eodem capite 6. epistolæ ad Hebræos in principio depromptus est can. 19. de pœn. dist. 4.; cujus verba ita legen-

Can. 19. de pœn. dist. 4.

da sunt: *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum.* Perpendit Gratianus, quid nomine mortuorum operum intellexerit Paulus, atque concludit: *Dicens opera mortua, priora bona significat Apostolus, quæ per sequens peccatum erant mortua, quia hi peccando priora bona irrita fecerunt. Hæc sicut peccando fiunt irrita, ita per pœnitentiam reviviscunt, & ad meritum æternæ beatitudinis singula prodesse incipiunt.* An mentem Pauli Gratianus attigerit interpretando, curioso rerum sacrarum investigatori considerandum relinquo.

Cans 9. de pæn. dist. 4. Quod legitur in can. 9. de pœn. dist. 4. referendum est ad Epistolam Pauli ad Ephesios cap. 1. vers. 3. & sequentibus, ibi: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu-Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate; qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ.*

Can. 18. de pœn. dist. 4. De canone 18. de pœn. dist. 4. nihil est singulare, quod animadvertatur. Legitur eisdem verbis in Epistola 2. Petri Apostoli cap. 2. vers. 20. & 21.

Can. 36. & 37. de pœn. dist. 1. Jam superiùs animadvertendum fuit, Gratianum abusum fuisse pluribus sacrarum literarum monumentis, cum de confessione peccatorum in dist. 1. de pœn. disputaret. Graviter autem abusus videtur testimoniis Joannis Apostoli in Epist. 1. cap. 3. ibi: *Omnis qui in eo* (scilicet in Deo) *manet, non peccat. . . . Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit. . . . Qui non diligit manet in morte,* quæ describuntur in canone 36. & 37. de pœn. dist. 1. verbis paulisper immutatis, aut transpositis; non enim video, quomodo his Apostoli sententiis disputationem suam collector conficere potuerit; cum ne verbum quidem de sacramentali peccatorum confessione ibidem occurrat. Quamobrem mirum unicuique videri debet, quod perperàm exinde Gratianus concludit his verbis post canonem 37. *Non ergo in confessione peccatum remittitur, quod jam remissum esse probatur. Fit itaque confessio ad ostensionem pœnitentiæ, non ad impetrationem veniæ; & sicut circumcisio data est Abrahæ in signum justitiæ, non in causam justificationis, sic confessio sacerdoti offertur in signum veniæ acceptæ, non in causam remissionis accipiendæ.* Nemo exinde non colliget, quam cautè legendæ sint Gratiani animadversiones, quæ sanè in hac parte à germana & sacrarum literarum interpretatione, & Ecclesiæ traditione penitùs deflexerunt, dignæ propterea, quas censura sua gravissima notaverint Romani Correctores, quemadmodum videre est ad calcem canonis 89. eadem dist. 1. de pœn.

CAPUT II.

De Herme.

Sub Hermis nomine unus tantùm Gratiani canon laudatur; cui tamen jungendus est alter. Utrumque subjicio.

Ex Libro Pastoris.
- *Can. 6. caus. 28. quæst. 1. perperàm Augustino tributus, & nullius omnino auctoritatis.*
- *Can. 7. caus. 34. quæst. 1. nullius omnino auctoritatis.*

QUem Gratianus Hermem, aut Hermetem appellavisse videtur, alii Hermam nominaverunt. Imò si demonstrandus sit Herma ille, seu Hermes, facti lis est intricata, quam nemo facilè definiet, cum tres ejus nominis aut

aut Apostolicis temporibus vixisse, aut Apostolicam ætatem attigisse, probentur. Duos indicat Paulus in Epist. ad Romanos cap. ult. ibi: *Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermem, & qui cum eis sunt, fratres.* Atque alterutri ex his duobus complures ex veteribus adscripserunt Librum *Pastoris*; quem tanquam rebus Ecclesiasticis valdè utilem etiam prædicarunt. Hinc Origenes in lib. 10. Commentariorum in dictum caput ultimum Pauli ait: *Puto, quòd Hermes iste sit scriptor libelli illius, qui Pastor appellatur, quæ scriptura valde utilis videtur mihi. . . . ut puto, divinitus inspirata &c.* Idem arbitratus est Eusebius in lib. 3. Histor. Eccles. & Hieronymus in lib. de Scriptor. Ecclesiasticis. Hermetem alium memorat Libri Pontificalis auctor in vita Pii Papæ I., cujus frater ibidem esse dicitur, quod confirmare posset Epistola, Pio Papæ tributa, cujus fragmentum est in can. 21. de cons. dist. 3., si germanum esset Pii Pontificis monumentum; ibidem enim dicitur, vixisse tum *Hermes doctor fidei, & scripturarum, cui Angelus Domini adparuit in habitu Pastoris*, causa divinæ tradendæ doctrinæ. Mereretur quidem ista disquisitio studia cultorum Ecclesiasticæ disciplinæ, quoties liber *Pastoris*, qui Hermæ tribuitur, firmam haberet, quasi opus viri Apostolici, auctoritatem. Verùm, quoniam ab eruditissimis viris passim improbatur liber, tempus inani labore tereretur in ea controversia dirimenda. Fateor, nonnullos ex vetustis libellum illum plurimi æstimavisse, quasi dignum, qui canoni sacrorum librorum insereretur, quales fuerunt Origenes memoratus, & Irenæus in lib. 4. cap. 37. Fateor, alios libellum laudavisse tanquam opportunum ad conficiendas hæreses, uti Clemens Alexandrinus lib. 1. & 6. Stromatum, & Athanasius in lib. de Incarnatione Verbi. Verùm non est concors aliorum Patrum traditio; etenim eundem librum rejecerunt Tertullianus in lib. de pudicitia cap. 10. & Prosper Aquitanus in lib. contra Cassianum c. 3. quorum sententiam nemo ferè est, qui hodie non sequatur, postquam de hac controversia definitionem tulisse videtur Gelasius Papa, qui in famigerato Concilii Romani decreto librum illum apocryphum pronunciavit, can. 3. dist. 15.; in cujus conspectu concludendum necessariò est, vel librum *Pastoris* falsò Hermæ fuisse adscriptum, vel si fortè adhuc quisquam rectè tributum velit, illum recentiore ætate depravatum fuisse, & à pristina doctrinæ puritate longè alienum, ut propterea sit jure optimo rejiciendus, atque damnandus. Reverà libelli ejus corruptio hodie facilè patet; etenim constat ex superiùs laudata Epistola Pseudo Pii, seu ex can. 21. de cons. dist. 3., olim in libro *Pastoris* definitum fuisse diem Dominicum, quo sanctum Pascha celebraretur; cujus tamen rei nulla, ne levissima quidem, mentio habetur in libro *Pastoris*, prout nostris temporibus editus est. Quid verò memorem inania plurima, & anilibus fabellis ferè simillima, quæ in eodem libro exhibentur? Quid alia benè multa Christianæ Religioni, & fidei penitus adversantia? Inter cetera ibidem firmari videtur Hæresis Novatianorum, qui, semel suscepta peccatorum remissione, alterius remissionis spem secundò peccantibus denegabant: neque probari posse ullo modo videtur, quod in eo legitur de duobus Angelis, singulis hominibus à Deo datis, qui Genii appellantur, & quorum unus bonus sit bonorum omnium, alter malus malorum omnium auctor; nec quod legitur in lib. 3. similitudine 6., ubi determinantur pœnæ à Deo infligendæ peccatoribus pro delictis singulis ibi: *Audi, quanta sit vis utriusque, dulcedinis, ac potestatis* (*dulcedinem* vocat voluptatem, quam sentit homo delinquendo, *potestatem* vocat auctoritatem, qua Deus peccata punire solet) *Dulcedinis una hora suo spatio terminatur; pœnæ verò una hora tri-*

ginta dierum vim possidet. Quicumque igitur uno die perceperunt fallacem dulcedinem, ac voluptatem, unoque die cruciatus sit, anni spatium dies cruciatus ejus valebit.

Can. 6. caus. 28. q. 1. & can. 7. caus. 34. q. 1.

Itaque constat ex his, quid sit sentiendum de auctoritate seu canonis 6. caus. 28. q. 1., seu canonis 7. caus. 34. quæst. 1. In primis Gratianus falsò canonem 6. memoratum tribuit Augustino, quasi ex ejus lib. 2. de adulterinis conjugiis. Potiùs ex Herme laudandus erat, jungendusque cum dicto can. 7. cum uterque canon in libro 2. *Pastoris* uno contextu orationis legatur mandato 4. his verbis: *Ego dixi illi* (id est Pastori, quem Hermes alloquebatur) *Domine, si quis habuerit uxorem fidelem in Domino, & invenerit hanc in adulterio, numquid peccat vir, si cum illa convivit?* (legit Gratianus in dicto can. 7. *si cum illa concumbit?*). *Quamdiu nescit peccatum ejus, sine crimine est vir vivens cum illa. Si autem scit vir, uxorem suam deliquisse, & non egerit pœnitentiam mulier, sed permanet in fornicatione sua, & convivit cum illa* (iterum depravavit hìc lectionem Gratianus legens: *& coiverit cum illa*) *reus erit peccati ejus, & particeps mœchationis illius. Et dixi illi: quid ergo, si permanserit in vitio suo mulier? & dixit: dimittat illam vir, & per se maneat. Quòd si dimiserit mulierem suam, & aliam duxerit, ipse mœchatur. Et dixi illi: quid si mulier dimissa pœnitentiam egerit, & voluerit ad virum suum reverti, nonne recipietur à viro suo? Et dixit mihi: imò, si non recipit eam vir suus, peccat, & magnum peccatum sibi admittit, sed debet recipere peccatricem, quæ pœnitentiam egit. Sed non sæpè, servis enim Dei pœnitentia una est.* (Posteriora hæc verba Gratianus omisit, in quibus facilè agnoscitur Novatiani auctoris manus, aut librum scribentis, aut saltem corrumpentis) *Propter pœnitentiam ergo non debet, dimissa conjuge sua, vir aliam ducere. Hic actus similis est in muliere, & viro. Non solùm mœchatio est illis,* (hæc verba sunt canonis 6. caus. 28. quæst. 1. præcedentibus jungenda) *qui carnem suam coinquinant, sed & is, qui simulacrum facit, mœchatur; quòd si in his factis perseverat, & pœnitentiam non agit, recede ab illa, & noli convivere cum illa, alioquin & tu particeps eris peccati ejus.*

CAPUT III.

De Appollonio.

Duos canones, quasi dicta sancti Appollonii, descriptos lego apud Gratianum, videlicet.

Can. 16. de cons. dist. 3. ad Ruffini Aquilejensis libros exigendus.
Can. 26. de cons. dist. 5. ad sententias quorundam sacræ scripturæ Interpretum referendus.

DUos Appollonios, utrumque in Ægipto Monachum, laudatos novi apud veteres Ecclesiasticæ, Monasticæque Historiæ scriptores; quorum quidam nomen *Appollo* pro nomine *Appollonii* scribere maluerunt. Fuit alter Abbas Thebaidæ universæ præpositus, vir castigatæ vitæ, prodigiorum fama clarus, & quod attinebat ad instituendos Eremi cultores non mediocri sapientia, ac prudentia ornatus. Alter Monachus fuit inferioris ordinis, pietate quidem, & morum integritate venerabilis, sed rudis admodum, & indoctus; etenim de eo ita Sozomenus scribit in lib. 6. Eccl. Histor. cap. 29. *Appollonius, quamvis aliquo vitæ tempore mercaturam exercuisset, tamen, ætate jam ingra-*

ves-

vescente, ad Scetim profectus est; at cum secum consideraret, se per ætatem nec scribere posse, nec discere, neque ullam aliam artem, suis ipsius pecuniis omnia cum medicamentorum, tum rerum aliarum ægrotis necessariorum genera coemisse traditur, & quotidie à primo mane usque ad horam nonam per singula Monachorum ostia perrexisse, quà ægrotos inviseret. Quod genus disciplinæ cum necessarium sibi, & accomodatum comperisset, in eo, quod reliquum erat ætatis, transegit. Cum autem jam esset ex vita migraturus, ea, quæ possidebat, alteri tradidit, deditque in mandatis, ut eadem ipse pietatis officia obiret. Ex his posterioris Appollonii notis, ac characteribus, facilè quisque conjiciet, non hunc Monachum fuisse à Gratiano laudatum, quasi auctorem canonum, nisi canonum nomine exhibitas credamus incomptas quasdam, atque minùs pensatas homunculorum, ut ut religiosissimorum, sententias; quod sane nihil aliud esset, quam virorum rudiorum dicta simplicia cum sententiis sapientissimorum Ecclesiæ Patrum una congerere, aut etiam imprudenter comparare. Neque enim ab incultis, & imperitis quibusdam, & infimi gradus Eremi incolis vetustis sacri canones, & regulæ Ecclesiasticæ sunt derivandæ, sed tantum à viris illustribus, quos aut doctrinæ splendor singularis, aut eminentia dignitatis venerabiles in Ecclesia reddidit. Quod quidem non in injuriam laudati Appollonii dictum velim, sed ne videamur doctrinam Ecclesiasticam passim,& sine discrimine etiam à rudioribus quærere, quibus imago rerum, ut ut optimarum, crassior esse consuevit, & illorum minervæ accommodata. Itaque Appollonio alteri Thebaidæ Abbati, viro sanè gravissimo, verosimiliùs tribuemus Gratiani monumenta, Appollonii nomine descripta. Maximam iste sibi penes antiquos venerationem conciliavit circa annum 120., quem propterea cum magna nominis fama celebraverunt Sancti Viri, atque inter ceteros Adehelmus, Scireburnensis apud occidentales Saxones Episcopus, in carmine de laude virginum ita scribens:

Tempore jam prisco fuit Appollonius almus:
Edidit hunc signis clarum Nilotica tellus:
Hic erat in quadrum vulgatus laudibus orbem,
Præbens exemplum quingentis fratribus æquum.

Huic primo tribuemus canonem 16. de cons. dist. 3., quem Romani Correctores adfirmarunt legi apud Palladium in vita ejusdem Appollonii Abbatis. Vixit circa annum 388. tempore Siricii Papæ Palladius Galata, vir rerum Ecclesiasticarum studiosissimus, & Helenopolitanus Episcopus institutus, licet deinde fuerit S. Hieronymo infensus, postquam apud Pelagianos defecit, quemadmodum Hieronymus ipse testatur in procemio dialogi adversus Pelagianos. Is, adhuc adolescens, Alexandriam profectus, Ægiptum ferè universam peragravit, eam præsertim Ægipti partem, quam Monachi, seu Eremitæ incolebant; quamobrem de eorundem Monachorum moribus, disciplina, & clarioribus Abbatibus edoctus, libellum composuit, sub nomine Historiæ Lausiacæ, ubi plurima de Ægiptiis Monachis tradidit. Atque inter cetera de Appollonio scribens, hanc tanquam sententiam ab Apollonio prædicatam exposuit. *Catholica autem, & generalia jejunia non licet solvere sine ingenti necessitate; in quarta enim feria traditur Servator, & in Parasceve crucifigitur. Qui ergo ea solvit, Servatorem una tradit, & una crucifigit.* Hæc illa sunt, quæ apud Palladium sub Appollonii nomine exhibentur, laudato canoni 16. admodum consona, ex quibus propterea arbitrati fuerunt Romani Correctores excerptum fuisse Gratiani monumentum. Ego verò, etsi Romanorum Correctorum industriam, ac sollicitudinem laudatam maximè velim, utpote qui jam quas-

Can. 16. de cons. dist. 3.

quasdam Gratianei fragmenti lacinias demonstraverunt, nolo tamen prætermittere, quòd maximè interesse in hac parte videtur observari, alibi reperiri integrum Gratiani canonem, quemadmodum investiganti mihi tandem aliquando compertum fuit. Nimirùm habetur ille canon in lib. 2. de vitis Patrum Ruffino auctore, vel, uti aliis lubet, Ruffino interprete. Adornavit Ruffinus Presbyter Aquilejensis post peregrinationem diuturnam, quam per Ægiptum susceperat, libros aliquos de Ægiptiis Monachis, & cap. 7. de Sancto Apollonio ita scripsit: *Jejunia sanè legitima, id est, quarta, & sexta feria monebat non esse solvenda, nisi grandis aliqua necessitas fieret, quia quarta feria Judas de traditione Domini cogitaverat, & sexta feria crucifixus est Salvator. Videbitur ergo, qui his diebus sine aliqua necessitate solvit statuta jejunia, vel cum tradente tradere Salvatorem, vel cum crucifigentibus crucifigere.* Hæc porrò si cum Gratianeo canone conferas, facilè arbitraberis, Ruffini librum tanquam primum fontem ejusdem canonis posse jure optimo demonstrari. Quod deinde attinet ad §. ult. ejusdem canonis, ubi de die Dominico sermo fit, notandum est, non benè præcedentibus junctum fuisse, neque enim aut in Palladii, aut in Ruffini libris memoratis reperitur. Potiùs videtur Gratianus ibidem ostendere voluisse, jejunia Dominico diei minimè congruere; atque ad hanc rem facere quodammodo poterant, quæ in laudato Ruffini libro leguntur de eodem Apollonio, ibi: *Aliis quidem diebus unumquemque apud semetipsum exercere abstinentiam, quam posset, sinebat; die verò Dominica gratia charitatis secum omnes cibum sumere hortabatur, cum tamen ipse solitis abstinentiæ observationibus deserviret, herbis solummodo, aut oleribus utens, nec usum, aut ministerium ignis admittens.* Non ignoro tamen, eundem §. *Die autem* apud Ivonem parte 4. cap. 13. laudari *ex Statutis Patrum*: verosimile autem est, ibidem Ivonem paucis voluisse perstringere, quod ex variis vetustorum Patrum Constitutionibus aliis verbis definitum esse, cognoverat.

Nondum tamen ultrà progredior, nisi ubi animadvertero, jam vetustissimam fuisse consuetudinem apud Ægiptios, non tantum Monachos, sed etiam universos Christianos, quà jejunia celebrabantur, quoties dominicæ passionis esset memoria recolenda, quemadmodum deducitur ex Eusebio, qui in lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 17. de Ægiptiis primi sæculi Ecclesiastici ita scribit: *ut vigilias, sicut apud nos fieri moris est, peragant, & maximè diebus illis, cum Passionis Dominicæ solemnitas celebratur, cum jejuniis pernoctare, & lectionibus sanctis auditum præbere consuevimus.* Non est otiosa, & inanis ista observatio; siquidem non defuerunt ex recentioribus hæreticis, qui affirmarunt, reprobandum esse morem Ecclesiæ Romanæ, quòd ipsa dies peculiares jejuniis præfixerit, quod à veteribus nec factum fuerit, imò ab ipsis videatur aliquando improbatum. Hanc ad rem testificati sunt, Sanctum Appollonium exprobrasse Montano hæretico homini, quòd jejuniorum leges primus instituisset. Refertur id apud Eusebium lib. 5. Hist. Ecclesiast. cap. 18. his verbis: *Sed & Appollonius quidam Ecclesiasticus nihilominus scriptor libellum adversus eos edidit, qui satis vigilanter prophetias ipsorum falsas esse convincit, & singula in eis verba coarguit, simul & vitam, moresque eorum, qui auctores hæreseos extiterunt, exponit per hæc verba: Sed videamus, inquit, quis est hic novus magister?* (is erat Montanus) *& primò nobis doctrinam ejus secundum Domini sententiam actus ipsius, & opera commendent. Hic est, qui docuit nuptias solvi, & qui jejuniorum leges primus imposuit, qui Pepuzam, & Thymium oppida Phrygiæ Jerusalem nominavit; atque in hæc omnes congregandos decernit, qui exactores pecuniæ statuit, qui suo nomine oblationum munera artificiosiùs accepit, qui sa-*

la-

laria præstat prædicantibus verbum suum &c. His innixi recentiores ex Centuriatoribus hæretici, præsertim illis verbis *qui jejuniorum leges primus imposuit*, clamare non erubuerunt, fuisse ignotos antiquitati ante Montanum præstitutos jeju iis dies; imò etiam in Montano damnatos. Jam verò falsum id penitùs demonstratur ex iis, quæ tum ex Eusebio eodem, tum quæ ex Appollonio Abbate nuper adnotabam. Porrò Appollonius ille, quem Montano adversantem Eusebius memorat, non est Appollonius Abbas Ægiptius, sed alius Romæ commoratus, qui, eodem Eusebio teste in lib. 5. cap. 21. in urbe Roma Martyr occubuit; qui ideo Montanum redarguebat, non quòd simpliciter certos jejuniis dies dixisset, hoc enim, ut liquet ex dictis, jamdiù receptum in Ecclesia fuerat, sed quòd superstitiosè dixisset, quemadmodum damnatus etiam fuit, quòd oblationes accepisset in Ecclesia; non sanè quia turpe sit oblationes in Ecclesia accipi, quas acceptas ab ipsis etiam Apostolis fuisse nemo ignorat; sed quia fraude, ac dolo acceperat.

Can. 26. de cons. dist. 5. Canonem 26. de cons. dist. 5. non facilè tribuendum puto Appollonio laudato, cum sub ejus nomine neque apud Ruffinum, neque apud Palladium aliquid tale legatur. Et quidem Ruffino, Appollonii gesta recensenti, exhibita fuisset occasio dictum illud proferendi; etenim in lib. 2. cap. 7. refert, Appollonii tempore Ægiptios fame gravissima fuisse pressos, quò sanè pertinere potuisset Appollonii monitum, de quo in dicto canone 26. At verò ab eo prorsus abstinet, atque ita exponit, quid ea occasione Appollonius egerit: *Orta est aliquando fames apud Thebaidam. Scientes autem habitatores terræ illius, quòd Monachi, qui cum Appollonio Domino serviebant, frequenter etiam sine cibo per gratiam Domini pascebantur, omnes simul cum uxoribus, & filiis pergunt ad eum, cibum simul, benedictionemque poscentes. At ille, nihil dubitans, proferre cœpit ex his, quæ ad usum fratrum reposita erant, & dare singulis copiosè. Cum verò tres solæ panum sportæ remansissent, fames autem populos vehementer urgeret, jubet proferri in medium sportas, quæ solæ superfuerant, unius diei victum Monachis præbituræ; & in auditu totius populi, qui famis necessitate confluxerat, elevatis ad Deum manibus, ait: Numquid non valet manus Domini multiplicare hæc? Sic dicit Spiritus sanctus. Non deficiet panis in sportis his, donec satiemur omnes de frugibus novis, & ut plurimi ex his, qui tunc in præsenti fuerunt, confirmabant quatuor continuis mensibus, nec cessatum est unquam erogari panis ex sportis, neque deesse potuit aliquando.* His consideratis, ego verosimilius puto in nomine Appollonii mendum in Gratianeum canonem irrepsisse, atque ejus vice alterius nomen fuisse inscribendum, illius videlicet, qui esset Sacræ Scripturæ interpres, aut auctor operis imperfecti, aut Hieronymus, aut Beda, aut demum Egbertus Eboracensis. Hos divinorum eloquiorum interpretes nominatim memoro, quia apud singulos similem ferè sententiam invenio ad interpretationem vel capitis 23. Deuteronomii in fine ibi: *Si intraveris in segetem amici tui, franges spicas, & manu conteres, falce autem non metes*; vel capitis 12. Matthæi, ubi dicitur, esurientes Christi discipulos cœpisse *vellere spicas, & manducare.* Auctor operis imperfecti in homilia 40., postquam nonnulla tradidit de Discipulis Christi, fame laborantibus, & evulsis manducantibus spicas, hæc de Christo Domino subjicit: *Illorum quidem causam dicere videtur, &, Discipulos innocentes esse, ostendit.* Hieronymus in laudatum caput 12. Matthæi ait: *Opponit ergo Dominus, & dicit: Si & David sanctus est, & Abimelech Pontifex à vobis non reprehenditur, sed legis uterque mandatum probabili excusatione transgressi sunt, & fames in causa est, cur eandem famem non probatis in Apostolis, quam probatis in ceteris?* Et paulò inferiùs: *Calumniamini Discipulos meos,*

meos, cur per segetes transeuntes spicas triverint, & hoc fecerint, famis necessitate cogente &c. Beda in eundem Mathæi locum Christum Dominum his loquentem verbis inducit: *Si typicus David propter necessitatem legis præcepta fecisse legitur, quantò magis verum David suorum necessitati consulere licebit?* Et paulò inferiùs: *Si propter necessitatem victimarum Sabbatum absque culpa violatur à Sacerdotibus, quantò magis in mea præsentia necessitatem patientes mei Discipuli sine culpa Sabbata non custodiunt?* Demum Egbertus Eboracensis in suis excerptionibus n. 102. postquam laudavit verba Deuteronomii, nuper descripta, ita prosequitur: *Hoc & discipuli Salvatoris fecerunt, spicas videlicet manibus fricantes, & manducantes Sabbatis, ut Evangelium dicit.* Quotiescumque hæc cum Gratiani canone conferantur, nemo dubitabit, quin eadem canonis illius sententia facilè Ecclesiasticis istis scriptoribus tribuatur; neque minor meo judicio erit auctoritas canonis scriptoribus illis adtributi, quando scriptores isti cum Abbate Appollonio sint comparandi.

CAPUT IV.

De Origene Adamantio.

Origeni Adamantio sequentia capita tribuuntur apud Gratianum.

Ex homil. in Leviticum.
- *Can.* 3. *caus.* 24. *q.* 3.
- *Can.* 7. *caus.* 24. *q.* 3.

} *simul jungendi, & ad integra Origenis exemplaria exigendi.*

- *Can.* 34. *dist.* 3. *de pœn. partim ad Isychii sententias, partim ad fragmenta, à Ruffino edita, exigendus.*

Ex homil. in Numeros.
- *Can.* 38. *caus.* 24. *q.* 3. *falsò olim S. Augustino tributus.*

Ex homil. in Josue.
- *Can.* 17. *dist.* 45. *paulisper emendandus ex optimis codicibus.*

Ex homil. in Matthæum.
- *Can.* 9. *caus.* 16. *q.* 7. *ex optimis editionibus supplendus.*
- *Can.* 44. *caus.* 27. *q.* 2. *inter apocrypha Origenis monumenta rejiciendus.*

OB invictam in scribendo, legendoque patientiam, ac constantiam Adamantii nomine, quasi ferè adamantinus esset, vocatus à veteribus fuit Origenes, patria Alexandrinus, ex patre christiano, & martyrii corona illustri, natus prope finem secundi Ecclesiæ sæculi, & circa medium tertii vita functus. Fuit ipse insigni doctrina præditus, & Cathecheticæ scholæ in Patria addictus, ubi præsertim in divinarum literarum interpretatione eximiam sibi gloriam comparavit, quamquam quòd allegoricis, & mysticis, à literali sensu ut plurimùm alienis, explicationibus frequentissimè uteretur, imo eam docendi methodum in deliciis haberet, nonnullos habuerit adversarios, à quibus plurima, & quidem gravissima pati debuit. Præterea, quòd acri ingenio ferveret, nova multa produxit in medium, quæ Ecclesiæ judicio damnari debuerunt, & quidem jure, cum veterum traditioni minimè consonarent. Illud etiam scriptis Origenis accidit, ut passim ab Hæreticis hominibus corrupti deinde adparuerint; qui enim errores adversus fidem, ac religionem Christi in medium effundere voluerunt, conabantur illos primùm in Origenis scriptis inserere, ut eisdem quandam ex Origenis nomine auctoritatem conciliarent.

Non

Non moror diutiùs in his exemplo demonstrandis, cum propemodum pateant universis, & vix sit ex iis, qui de veteribus Ecclesiasticis scriptoribus sermonem fecerunt, qui ista de Origene non testetur: neque mea admodum interesse videtur, in hac re diù consistere, cum pauca admodum sint fragmenta ex Origene apud Gratianum derivata. Tantùm dixero generaliter, proposita Origenis monumenta non statim, & facilè recipi apud omnes debere, dum constat, & in multis erravisse Origenem, & Origenis Commentaria fuisse ab Hæreticis depravata.

Can. 3. & 7. cau. 24. q. 3. Ex interpretatione libri Levitici homilia 14. deprompti sunt canon 3. & 7. cau. 24. quæst. 3., quorum prior ceteroquin Hieronymo apud Gratianum tribuitur. Monet Maurinus Monachus in sua editione operum Origenis, eam interpretationem esse Ruffini latinè è græco redditam, ita tamen ut Ruffini opera plura adjecta sint, aliàs autem Græca exemplaria integra desiderentur, atque concludit: *Sed utinam hoc labore* (Ruffinus) *adimplendi, quæ deerant, supersedisset. Ex ejus enim licentia factum est, ut qui legit has homilias, incertus sit, utrùm legat Originem, an Ruffinum.* His adnotatis, nemo non videt, qualis æstimanda sit istorum monumentorum auctoritas, nimirum non alia, nisi quæ Ruffini libris inesse potest. Ceterùm quæcunque illa sit, canones illi spectant ad explicationem capit. 24. Levitici, vers. 10., ubi dicitur, *exivisse filium mulieris Israelitidis, qui erat filius Ægiptii inter filios Israel & litigavisse in castris cum, qui erat ex Israelitide, & hominem Israelitam, & nominantem filium mulieris Israelitidis nomen maledixisse, & adductum fuisse ad Moysen, &c.* Hinc occasionem sumit interpres allegoriam quandam de more suo superextruendi, ita scribens: *Primò omnium sermo dicit, quia exiit filius mulieris Israelitidis, & Ægiptii patris, & undè, vel quo exierit, non refert.... Quid ergo est, quòd cum nondum exiisset de castris, dicit de eo scriptura divina, & exiit filius mulieris Israelitidis? Ego puto, quia docere nos vult sermo divinus, quòd, qui peccat, dupliciter exire dicitur. Primò enim exit à proposito bono, & recta sententia, exit à via justitiæ, exit à lege Dei. Postmodum verò cum confutatus fuerit pro peccato, exit etiam de cœtu, & congregatione Sanctorum. Ut si verbi causa dicamus: peccavit aliquis fidelium, iste etiamsi nondum abjiciatur per Episcopi sententiam, jam tamen per ipsum peccatum, quod admisit, ejectus est: & quamvis intret Ecclesiam, tamen ejectus est, & foris est segregatus à consortio, & unanimitate fidelium.* Deindè post multa, ubi præsertim de maledicto filii mulieris Israelitidis exprobrando, objurgandoque sermonem habuit, ita subjecit: *Hæc nobis dicta sint pro his, qui negligunt* (hùc referendus est laudatus canon. 3.) *oris maledici consuetudinem resecare; qui etiamsi non ex corde maledicant, etiamsi non voto, & animo iniquo proferant maledicta, tamen immunditiam labiorum secundum Esaiæ verbum, & inquinamenta oris incurrunt. Iste tamen, qui, licet matre Israelitide, Ægiptio tamen patre progenitus est, exiit, & nominans nomen maledixit. De quo ego puto, quod nisi exiisset, nec litigasset adversum verum Israelitam, nec nominans maledixisset. Exiit enim à veritate, exiit à timore Dei, à fide, à charitate, sicut superiùs diximus, quomodo per hæc quis exeat de castris Ecclesiæ, etiamsi per Episcopi vocem minimè abjiciatur; sicut è contrario interdum fit, ut aliquis non recto judicio eorum, qui præsunt Ecclesiæ, depellatur, & foras mittatur. Sed ipse non ante exiit, hoc est, si non ita egit, ut mereretur exire, nihil læditur in eo, quòd non recto judicio ab hominibus videtur expulsus. Et ita fit, ut interdum ille, qui foras mittitur, intus sit, & ille foris, qui intus retineri videtur.* Ex istis planè & supplendus erit, & emendandus laudatus canon 7. Interea verò huic sententiæ dixero multa accedere potuisse ex Rufini mente, quæ fortè olim in autographo apud Origenem non ha-

haberentur ; siquidem cum Ruffinus de hæresi insimulatus aliquando Episcoporum judicio damnatus esset, facile tradere potuit sub Origenianæ doctrinæ specie, non omnes Ecclesiasticorum virorum sententia damnatos, & ab Ecclesia ejectos extra Ecclesiam esse, ut quoquomodo persuaderet, se adhuc in Ecclesiæ communione consistere. Neque aliter sentire possum, aut saltem conjicere de homine ad decipiendum nato, qualem Ruffinum fuisse compertum omnibus est.

Can. 34. dist. 3. de pœn.

Nomine Adamantii, sive Origenis, & Isychii laudatur canon 34. de pœn. dist. 3., sed apud Origenem vix quædam habentur, quæ cum sententia ejusdem canonis consonant, non quidem in homiliis in Leviticum, sed in fragmentis, à Ruffino compositis, quæ in Origenis operibus præleguntur : ibidem enim ante homilias in Leviticum legitur hæc interpretatio Levitici cap. 10. vers. 19. *Quare non comeditis illud, quod fuit pro peccato in loco sancto ? Ostendit Sacerdotibus non comedentibus imperfectum esse sacrificium, & peccatum manere. Oportebat enim, ut & de sanguine inferretur, & ipsi comederent. Si hodie obtulerunt*, (sunt hæc ipsa Levitici verba cap. 10. vers. 19.) *quæ pro peccato illorum sunt, quandoquidem, inquit, Nabad, & Abiud, qui Deum offenderant, mortui sunt, quando tempus erat comedere illud, quod fuit pro peccato populi, ut remitterentur ei peccata, quo pacto nos, qui hodie in peccatis esse convincimur, comedendo veniam promerebimur? Oportet enim Sacerdotem priùs pro se ipso placare Dominum.* Quæ ex Isychio derivaverit Gratianus sive in hunc eundem canonem 34., sive in canonem 35. sequentem, suo loco expendemus.

Can. 38 caus. 24. q. 3.

Homiliæ octo supra viginti hodie extant sub Origenis nomine, latinè scriptæ opera memorati Ruffini, quas jure Origeni tribuendas Maurinus editor voluit, contra quam senserit Andreas Rivetus easdem adscribens latino cuidam scriptori. Videatur ejusdem Maurini monitum, homiliis præpositum. Ex homilia 15. depromptus est canon 38. caus. 24. quæst. 3., ubi Origenes interpretabatur cap. 23. Numerorum vers. 8. in illis verbis: *Quid maledicam, quem non maledicit Dominus, &c.*, ad quæ adnotat, neminem alteri maledicere debere juxta præceptum Apostoli ad Rom. 12. *Benedicite, & nolite maledicere*, licet Deus alicui aut maledixisse, aut aliquando maledicturus esse dicatur. Post quæ ita subsequitur : *Quod ergo ab hominibus non vult fieri, hoc ipse facit, qui exemplum vitæ hominibus ponit ? Non ita est. Deus enim quibus maledicit, meritum designat ejus, cui maledicitur, & sententiam promit, utpote quem non fallat neque peccati qualitas, neque peccantis affectus, &c.*, quæ apud Gratianum leguntur, ubi adhuc observandum est pro illis verbis *ne maledictis, & conviciis &c.* apud Maurinum, Origeniani operis editorem, legi, *ne maledictis maledicta, & conviciis &c.* Jure autem Romani Correctores emendaverunt ejus canonis inscriptionem, qui S. Augustino tribuebatur, cum, uti liquet, jure fuerit Origeni tribuendus.

Can. 17. dist. 45.

Magis fidelem se fuisse interpretem testatur Ruffinus in describendis homiliis Origenis in librum Josue, quas profitetur de verbo ad verbum latinè reddidisse in peroratione ad interpretationem Commentariorum Origenis in Epistolam ad Romanos. Ad homiliam 7. pertinet canon 17. dist. 45., dum Origenes interpretaretur caput 6. Josue vers. 25., ubi dicitur, Josue *fecisse vivere Rahab meretricem, & domum patris ejus* ; qua occasione nonnulla Origenes tradidit adversus sacerdotes, qui nimia clementia delinquentes persequuntur. Verba Gratiani consonant cum Origenis monumento ex interpretatione Ruffini, dummodo ista loco Gratianeorum supponas. *Sed & illud non otiosè transcurrendum est, quòd uno peccante ira super omnem populum venit....nolunt implere, quod scriptum est ... ut ceteri metum habeant.....neque illud Evangelicum implere....duobus, vel tribus arbitris. Quòd si contemserit, & post Ecclesiæ correptionem*

non

non fuerit emendatus...quæ ista bonitas?...sic etiam uno vel fornicante, vel aliud quodcumque sceleris committente, plebs universa polluitur. Hæc ita se habent juxta Maurini Monachi editionem, ad quam si quisquam curiosiùs respiciat, nonnulla etiam inveniet, undè quandam codicum varietatem agnoscat, à qua tamen animadvertenda hoc in loco supersedeo, cum levissimi omnino momenti videatur.

Testatur Eusebius Histor. Eccles. lib. 6. cap. 36. quinque supra viginti Tomos elaboratos ab Origene fuisse ad Evangelii Matthæi interpretationem: & totidem se legisse fatetur Hieronymus in procœmio Commentariorum in Matthæum. Ex novem Tomis prioribus vix quædam hodiè fragmenta supersunt. Cetera partim latinè, partim græcè edita magna in parte habentur; inter quæ laudatur quammaximè græca editio facta à Daniele Huetio, & latina interpretatione donata. Hinc ubi agitur de canone 9. caus. 16. quæst. 7., potest canon exigi ad duplicem editionem, quarum prima est vetus, & vulgata ante Huetium, altera est Huetii. Verba Gratiani ferè consonant cum editione vetere, ubi Origenes interpretabatur cap. 21. Matthæi vers. 12. de Christo Domino ejiciente vendentes & ementes de templo, cumque paucis & simpliciter Christi factum enarravisset, mysticam facto subjecit interpretationem. Quæ apud Gratianum paulò aliter ex eadem editione vetere sunt exhibenda, ita describuntur: *Et hæc diximus... intellectum. Secundum moralem....corporales legis...templum Dei existimabatur... & illa existimabatur....ejiciens vendentes & ementes de templo....ut non pro mundi festivitatibus in nomine Dei emptionibus & venditionibus...non debent vendere, nec emere sed...viventes spiritaliter, sed secundum carnem militant, qui...qui arbitrentur.... Item ipse per Michæam tali modo* (in nonnullis Gratiani codicibus legitur *per Osee*, quando tamen id referendum est ad cap. 7. Micheæ) *... cum non sit botrio ad manducandum...& dixit. Etsi rationabiliter speluncam latronum.* Et infra. *Et arbitror...cum decenti ammonitione scripturæ, &c.* Paulò aliter græca Origenis exemplaria interpretatus est Huetius his verbis: *Quidnam sit illud Dei templum dicendum est, quod agnoscens Deus in Propheta dixit: Domus mea, domus orationis vocabitur. Juxta circumcisionem ergo secundum carnem, & corporalia legis festa, ac sacrificia, templum Dei existimabatur esse opificium illud è lapidibus, sensus expertibus, à Salomone primùm constructum, ab Esdra deinde restauratum, ac post Incarnationem Jesu à Romanis demùm dirutum; & hæc domus orationis esse credebatur; quo everso Judæos, utpote domum orationis jam non ampliùs habentes, privilegium itidem visitationis Dei jam ampliùs non habuisse necessariò dicendum est; quo frui credebantur privilegio, propterea quòd in orationis domo orabant, postquam legalis cultus munia obierant. Sospitator verò noster, qui actionum suarum spiritualium symbola edidit, ex eo templo vendentes, & ementes corporaliter deturbarit, nummulariorum mensas, & cathedras vendentium columbas everterit, & quæ scripta extant, dixerit, ad conversionem præsentis tum forte populi, qui cum sanctam festivitatem in nomine Dei celebrare debuisset, venditionibus, emptionibusque non in loco ejusmodi rebus idoneo, sed in templo vacabat; hic ubi coiens tamquam in orationis domo orare debebat; at res orationi contrarias agebat, haùd secùs ac in dicata mercatui domo vendens, ac emens, pecunias permutans, & in cathedris vendendarum columbarum gratia sedens? Judæorum autem facinoris fœditatem tunc Jesus abstulerit, quando negotiantes eos, & in corporeas delicias se effundentes, cum juxta præscriptum legis festum celebrare debuissent, reprehendit. Nunc autem conflatum ex vivis lapidibus templum Ecclesiam esse existimo, in eaque nonnullos esse, qui non quasi in Ecclesia vivant, sed quasi secundum carnem militent; quique orationis ex vivis lapidibus constructam domum per suam nequitiam latronum speluncam*

Can. 9. caus. 16. q. 7.

cam faciant; quis enim postquam peccata in Ecclesiis quibusdam ab iis commissa perspexerit, qui aliorum pietatem quæstum esse existimant, cumque ex Evangelio victum petere oporteat, id quidem non faciunt, sed divitias, ingentesque facultates comparant, tantum illud Ecclesiæ mysterium latronum speluncam esse factum non fateatur? adeo ut de peccatis, in vivo, quod ipse ædificavit, templo admissis, appositè id dicat Christus, quod è Psalmis depromtum est: Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Et quod apud Osee, ni fallor, extat, ubi Jesu anima vita peccatorum. qui in templo nihilominus esse videntur, offensa, ait: Væ mihi, quia factus sum (notanda hic particula, *ni fallor*; fallebatur enim revera Origenes, dum verba Micheæ pro verbis Osee laudabat) *sicut qui congregat stipulam in messe, & sicut racemus in vindemia, cum non sit spica ad comedendum primitiva. Væ mihi anima, quia periit pius de terra, & non est in hominibus, qui corrigat. Si hac porrò Jesu oratione, quodque lapsus nostros dejlens dixerit, væ mihi anima, offenderis, cum his contende, quæ habentur in Evangelio, ubi scriptum est, videntem eum Jerusalem flevisse super illam, & dixisse. Quod si super Jerusalem cum ratione flevit, longè magis etiam consentaneum erit, ut super Ecclesiam fleat, quæ ad id ædificata est, ut sit domus orationis, ac propter turpem nonnullorum quæstum ac luxum; atque utinam non & principum populi, spelunca latronum effecta est.* Et infra. *Ego verò, quod de columbarum venditoribus scriptum est, his convenire existimo, qui Ecclesias avaris, tyrannicis, indoctis, & irreligiosis Episcopis, Presbyteris, vel Diaconis tradunt; quocirca de eorum tantummodo cathedris, qui columbas vendebant, mentionem fecerunt Matthæus & Marcus, quas à Jesu eversas fuisse commemorant. Atque utinam hæc mente divinæ scripturæ accommodata audirent, qui supra cathedram Moysis sedere se gloriantur, & totas columbarum Ecclesias vendunt, easque ejusmodi præfectis tradunt, de quibus id dici potest, quod in Jeremia à Domino profertur: Principes populi mei non me cognoverunt: filii insipientes sunt, & vecordes; sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.* Itaque quod aut deest, aut obscurum est apud Gratianum, facile ex hac Huetii interpretatione supplebitur.

Quod legitur in can. 44. caus. 27. q. 2. habetur in homilia 1. inter homilias in diversos, quæ post commentaria Evangelii in Matthæum in vetustis Origenianorum operum exemplaribus reperiuntur. Verùm ad has homilias respicientes eruditissimi viri, inter quos Huetius laudari potest, animadverterunt, easdem Origeni falsò fuisse adtributas; cujus rei vel illud pro gravissimo argumento esse potest, quòd in homilia 2. mentio fiat Manichæorum, qui Hæretici nondum Origenis tempore in medium prodierant. Qui plura desiderat, adire poterit Huetium memoratum. Ego adhuc consistam in describendis canonis verbis, qualia in vulgatis codicibus exhibentur. Auctor homiliæ ad interpretationem cap 1. Matthæi vers. 18., ubi de B. Maria dicitur: *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto*, ita scribit: *Inventa est in utero habens: Cui inventa, aut à quo inventa est? Primò ab Angelis custodientibus eam, protegentibus eam, conservantibus eam, vel ejus beatissimam animam ad honorem illius, qui ab ipsa generandus erat. Dehinc inventa non incongruè putatur ab ipso B. Joseph sancto, & justo, qui penè licentia maritali, licet eam non contingeret, futuræ tamen, ut putabatur, uxoris omnia noverat.* Paulò inferiùs inducitur Angelus alloquens in somnis Beatum Joseph, inter cetera ita inquiens: *etenim si tibi uxor nominatur, si desponsata tibi esse dicitur, non tamen tibi uxor est, sed Dei unigeniti electa mater est.* Post pauca ita prosequitur Angelus: *Conjugem eam dico propterea, ut Diabolo virginitatem ejus occultem, & ut Judæorum pravitatem excludam, atque dejiciam, & ut legis instituta non destruam. Et in consequentibus demonstrabo, quòd ista nec tua conjux secundum consuetudinem*

Can. 44. caus. 28. q. 2.

con-

conjugii habeatur, nec iste, qui generatur, tuus filius esse credatur. Sufficit pauca hæc perpendere, eademque conferri cum ceteris Origenianis in sacras literas commentariis, ut statim exinde liqueat, stilum Origenis non esse, ac propterea jure optimo ab eodem Gratianeum canonem abjudicari.

CAPUT V.

De Cypriano.

Multa sunt, quæ Cypriani nomine apud Gratianum descripta legimus, quemadmodum in sequentibus unusquisque intuetur.

Ex Epist. ad Antonianum.
- *Can.* 35. *dist.* 50. *ferè consonat cum integris Epistolæ exemplaribus.*
- *Can.* 5. *caus.* 7. *quæst.* 1. *in aliquibus Cyprianeæ Epistolæ exemplaribus desideratur.*
- *Can.* 6. *caus.* 7. *quæst.* 1. *ex integra Epistola supplendus.*
- *Can.* 57. *de pœn. dist.* 1. / *Can.* 5. *de pœn. dist.* 7. — *simul jungendi, ad germanam Cypriani doctrinam dignoscendam.*

Ex Epist. ad Cæcilium.
- *Can.* 9. *dist.* 8. *consonat cum integris Epistolæ exemplaribus.*
- *Can.* 2. *de cons. dist.* 2. *paulò varius in diversis Codicibus.*
- *Can.* 3. *de cons. dist.* 2. *paulò varius in diversis Codicibus.*

Ex Epist. ad Clerum, & Plebem Furnitarum.
- *Can.* 14. *dist.* 88. *paulò varius in diversis Codicibus.*
- *Can.* 4. *caus.* 21. *q.* 3. / *Can.* 5. *caus.* 21. *q.* 3. / *Can.* 6. *caus.* 21. *q.* 3. — *simul jungendi, & ad optimos Epistolæ Codices exigendi.*
- *Can.* 7. *caus.* 21. *q.* 3. *jungendus cum can.* 14. *dist.* 88.

Ex Epist. ad Cornelium Papam.
- *Can.* 10. *dist.* 47. *ex adjunctis Cyprianei temporis explicandus.*

Ex Epist. ad Stephanum Papam.
- *Can.* 1. *caus.* 1. *q.* 7. *ex quibusdam Cypriani Codicibus adhuc emendandus.*

Ex Epist. ad Rogatianum.
- *Can.* 25. *dist.* 93. *à Romanis Correctoribus emendatus.*

Ex Epist. ad Eucratium.
- *Can.* 95. *de cons. dist.* 2. *ex integris Epistolæ exemplaribus emendandus.*

Ex Epist. ad Florentium Puppianum.
- *Can.* 7. *caus.* 7. *q.* 1. *consonat cum integris Epistolæ exemplaribus.*

Ex Epist. ad Jubajanum.
- *Can.* 8. *caus.* 7. *quæst.* 1. *nec receptus, nec Gratianeo proposito accommodatus.*

Ex Epist. ad Magnum.
- *Can.* 9. *caus.* 7. *q.* 1. / *Can.* 31. *caus.* 24. *q.* 1. — *simul jungendi, una etiam cum canone* 70. *caus.* 1. *q.* 1.
- *Can.* 127. *de cons. dist.* 4. *ex integra Epistola supplendus.*

Ex Epist. ad Pompejum.
- *Can.* 8. *dist.* 8. *minùs solidam doctrinam exhibet.*

Ex Epist. ad Pomponium de Virginibus.
- *Can.* 4. *caus.* 27. *q.* 1. / *Can.* 5. *caus.* 27. *q.* 1. — *simul jungendi sunt, & cum integra Epistola consonant.*

Ex

Cano. 3. *diss.* 90. *ex integra Cypriani sententia explicandus.*

Ex libro de Unitate Ecclesiæ.
- *Can.* 3. *dist.* 93.
- *Can.* 18. *caus.* 24. *q.* 1.

} *simul jungendi, & ad varios Epistolæ Codices exigendi.*

- *Can.* 19. *caus.* 24. *q.* 1. *consonat cum integris Epistolæ exemplaribus.*

Ex Ep. contra Hæreticos. *Can.* 70. *caus.* 1. *q.* 1. *ex variis, indigestisque monumentis compositus.*

Ex Libro de Lapsis. *Can.* 27. *dist.* 50. *ex integris Codicibus supplendus.*

Ex libro de mortalitate.
- *Can.* 25. *caus.* 13. *q.* 2.
- *Can.* 26. *de pœn. dist.* 1.

} *simul jungendi, & cum integris libelli exemplaribus consonant.*

Ex Libro de nono genere abusionis. *Can.* 40. *caus.* 23. *q.* 5. *perperam Cypriano tributus.*

Ex Sermone De oratione Dominica. *Can.* 70. *de cons. dist.* 1. *consonat cum optimis Cypriani Codicibus.*

Ex Libro de exhortatione martyrii. *Can.* 32. *caus.* 23. *q.* 5. *consonat cum optimis Cypriani Codicibus.*

MEdio tertio sæculo claruit Cæcilius Cyprianus, Carthaginensis in Africa Episcopus, qui, cum adhuc esset ethnicorum superstitionibus involutus, Rhetorices artis disciplina maximè excelluit: deinde baptizatus, & Episcopus factus, eadem arte res Ecclesiasticas & politè digerere, & stylo excultissimo, ad Tulliani imitationem exacto, ornare perrexit, vir acri ingenio, pro sacra disciplina sollicitus, & nullis laboribus pro Ecclesia toleratis fractus, aut defatigatus. Et quamquam in eo errasse deprehendatur, quòd diù crediderit, baptisma, ab hæreticis collatum, nullo omnino momento valere, nec facilè contra sentientibus adquieverit, quòd rem nondum satis discussam, ac definitam putaret; in ceteris tamen tum literis, tum gestis, præsertim verò martyrii gloria præclaram sui reliquit in universa Ecclesia recordationem. Cujus rei argumento gravissimo vel illud esse potest, quod Gelasius Papa in can. 3. dist. 15. catalogum Sanctorum Patrum recensens, quorum scripta Ecclesiæ venerabilia sunt, ac recepta, à Cypriano exorditur his verbis: *Opuscula B. Cypriani martyris, & Carthaginensis Episcopi.* Hæc sanè præ oculis habenda semper erunt illius, qui apud Gratianum interpretari voluerit sancti hujus Antistitis monumenta; nimirum erunt ista veneratione dignissima, iis tantummodo exceptis, in quibus contra generalem Ecclesiæ traditionem de irrito hæreticorum baptismate disputavit. Non est, cur fusiùs hæc in præsentia tradantur; nemo enim vel hospes in Ecclesiastica Historia ignorat, quales fuerint inter Cyprianum, & Stephanum Papam simultates illius disputationis occasione; quemadmodum & nemo ignorat, Cyprianum, si quid in ea parte defecit, maculam omnem illustri martyrio abstersisse, dignum, sanè, quem Augustinus in suis operibus frequentissimè laudaret, atque ab adversantium conviciis lacessitum pro merito vindicaret.

De epistola ad Antonianum.

Ex editionibus operum Cypriani illam non laudare præ ceteris non possum, quæ facta à Baluzio fuit, viro de nostra prudentia optimè merito; quamo-

mobrem ea ipsa potissimùm usus sum in subjectis Gratiani canonibus ad optima exemplaria exigendis. Arripio in primis epistolam Cypriani ad Antonianum, quem vulgò prædicant Numidiæ Episcopum, estque apud Baluzium epistola 52., ubi idem editor animadvertit, eandem in pluribus MSS. veteribus desiderari, & in quodam MS. Thuano, & in alio MS. Metensi S. Arnulphi non extare integram, cum desint ea, quæ in vulgatis codicibus de electione Cornelii Pontificis Maximi referuntur. Fuit ea ætate gravissimum Romæ dissidium ex electione Cornelii Papæ profectum, utpote adversus quem electus fuerat divisis suffragiis alius, nomine Novatianus. Neque Romanorum tantummodo animi duas in partes discissi fuerant; verum etiam universi propemodum Christiani orbis Episcopi diro schismate dividebantur; quamquam enim plerique eorum Cornelio adhærerent, multi tamen erant adhuc, qui Novatianum tamquam totius Ecclesiæ Principem haberent. Hanc causam Cyprianus in epistola ad Antonianum tractavit. Siquidem cum Antonianus de Cypriano dubitavisset, ne fortè Novatiani partes sequeretur, postquam Novatianus epistolas de more recens electorum Pontificum in universas Ecclesias misisset, sua interesse putavit Cyprianus Antonianum certiorem facere, scribens, se numquàm Novatiano adhæsisse, nec aliquando adhæsurum, imò eundem monens, ne à Cornelii parte dimoveretur; atque interea in eadem epistola nonnulla subjecit de disciplina lapsorum per pœnitentiam restituendorum. Interrogaverat Cyprianum Antonianus, quid statuendum esset in causa lapsorum, qui, cum in hæresim incidissent, ad pœnitentiam divina gratia vocati in Ecclesiam recipi humiliter postulabant. Respondit Cyprianus, se usque ad Concilii celebrationem differre sententiam, dum, pacatis Ecclesiæ rebus, congregata Synodo, quid, & lapsis salubrius, & Ecclesiæ ipsi opportunius fuisset, perspectum facilè habuerint universi; interea vero à lapsorum communione esse abstinendum. Hùc pertinet canon 35. dist. 50. apud Gratianum, qui cum ipsis Epistolæ exemplaribus consonat, dummodo pro verbo illo *abstineret* reponas ex Baluzio *abstineretur*.

Can. 35. dist. 50.

Canon 5. caus. 7. quæst. 1. ex eadem epistola depromptus est, atque cum editis epistolæ codicibus omnino consonat, præsertim postquam Romani Correctores pro voce *consensu* substituerunt vocem *collegio*. Opportunum tamen est, animadvertere hoc in loco, quod superius dictum est ex Baluzii adnotationibus, in MSS. Thuano, & Metensi S. Arnulphi verba hujus canonis in epistola desiderari.

Can. 5. caus. 7. q. 1.

Canon 6. caus. 7. quæst. 1. & in codicibus epistolæ impressis, & in MSS. Baluzianis invenitur, cujus tamen priora verba ita legenda sunt fusiore stylo, ut Gratiani fragmentum suppleatur. *Quod verò ad Novatiani personam pertinet, frater charissime, de quo desiderasti, tibi scribi, quam hæresim introduxisset, scias nos primo in loco nec curiosos esse debere, quid ille doceat, cum foris doceat. Quisquis ille est, & qualiscumque est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est. Jactet se licet, & philosophiam, vel eloquentiam suam superbis vocibus prædicet, qui nec fraternam charitatem, nec Ecclesiasticam unitatem tenuit, etiam quod prius fuerat, amisit, nisi si Episcopus tibi videtur, qui Episcopo, in Ecclesia à sedecim Coepiscopis facto, adulter, atque extraneus &c.* Post postrema Gratianei canonis verba *nec pacem* ista sequuntur apud Cyprianum. *Tum deinde quantus arrogantiæ tumor est, quanta humilitatis & lenitatis oblivio, arrogantiæ suæ quanta jactatio, ut quis aut audeat, aut facere se posse credat, quod nec Apostolis concessit Dominus, ut zizania à frumento putet se posse discernere?* Hæc ideo adnotanda duxi, quod Augustinus eadem ipsa ex Cypriano retulerit, atque eadem ex Augustino descripserit Gratianus in can. 14. caus. 23. quæst. 4.

Can. 6. caus. 7. q. 1.

In

Can. 57. de pœn. dist. 1. In eadem Cypriani epistola legitur canon 57. de pœn. dist. 1., cujus quidem sententia omnino consonat cum vulgatis Cypriani codicibus : notat tamen Baluzius pro illis verbis *non putent lapsis pœnitentiam* , quæ habentur in codice Cypriani à se edito , ita potius legi in Codice Gratianopolitano : *Indulgentiam non putent lapsis.* Ceterùm quæ hic leguntur , pertinere videntur ad sententias Novatiani confodiendas, qui primus cœpit in Ecclesia tradere , lapsos post baptismum non posse ampliùs per pœnitentiam renovari. Duæ erant Cypriani temporibus extremæ opiniones , cum alii cum Novatiano lapsis pœnitentibus denegandam omnino veniam vellent , alii è contrario lapsos reciperent vel levissima pœnitentia indicta, ne dicam vix quandam pœnitentiæ imaginem. Cyprianus inter utramque mediam secutus fuit sententiam ita , ut nec omnino rejiceret pœnitentes , nec statim Ecclesiæ reconciliaret. Hinc est, quòd, quemadmodum in dicto can. 57. intuemur Cyprianum verè pœnitentibus veniam minimè denegavisse , ita in can. 5. dist. 7. de pœn. ex eadem epistola deprompto, indulgentiam denegavisse iis, qui pœnitentiam mentiebantur, ad quam scilicet non devenerant , nisi imminentis periculi metu ; cum vix sincera in iis temporum adjunctis deprehenderetur.

Can. 5. dist. 7. de pœn.

De epistola ad Cæcilium.

Fuit Cæcilius Biltensis Episcopus, qui in Concilio Carthaginensi sub Cypriano interfuit. Eundem Cyprianus data epistola docuit , divino æquè exemplo ac præcepto in sacris Eucharistiæ mysteriis aquam esse vino admiscendam. Quicumque sanè integram hanc epistolam legerit , facilè percipiet , ea , quæ tradidit sanctus Antistes , ex divina traditione originem ducere. Hùc spectat canon 9. dist. 8. , ubi scribit Cyprianus , non humanas consuetudines , sed divinam potiùs præceptionem esse observandam, quoties de ista perspicuè constet. Cum enim quidam ex suæ diœceseos consuetudine aquam in Eucharisticum Calicem minimè infunderent , à sancto Doctore objurgari jure ac merito debuerunt ; neque enim singulares unius populi mores aliquid inducere poterant , quod divinæ institutioni adversaretur.

Can. 9. dist. 8.

Eò etiam pertinet canon 2. de cons. dist. 2., ad quem jam animadverterunt Romani Correctores , aliqua fuisse ex integra epistola adjicienda , à Gratiano olim omissa. Nondum tamen rem confecerunt ; etenim fit adhuc locus duobus Baluzii animadversionibus. In primis pro illis verbis *in sanctificando calice* notat Baluzius legi in quibusdam MSS. codicibus *in sacrificando calice.* Deinde monet idem Baluzius , ea , quæ apud Gratianum sequuntur usque in finem post illa verba , *& cœleste perficitur* , in Beccensi libro desiderari.

Can. 2. de cons. dist. 2.

Demum eò pertinet canon 3. de cons. dist. 2. , cujus verba cum Cypriani epistola consonabunt , quoties pro illis *sed vide* , *frater charissime* , ista substituantur : *Sed viderit* , *frater charissime* : quamquam hac in parte animadverterit Baluzius aliter habere alios codices ; ubi enim scripserunt alii *& viderit*, alii scripserunt *& videris*, alii *sed vide*, alii *sed videris*, alii demùm *sed videamus.* Adnotavit quoque Baluzius aliam scripturæ varietatem, quæ in prioribus Gratianei monumenti verbis occurrit; cum plura Cyprianeæ Epistolæ exemplaria exhibeant ita: *Scriptura enim dicit , ut quotiescumque calicem in commemorationem Domini , & passionis ejus &c.* ; quæ lectio quoties tanquam germana habeatur , facilè demonstrabit , nonnulla fuisse in aliis editionibus adjecta ad pleniorem doctrinæ propositæ explicationem , eò relatis quibusdam sacrarum literarum testimoniis , ad quæ respexisse visus fuerat Cyprianus.

Can. 3. de cons. dist. 2.

De

De epistola ad Clerum, & Plebem Furnitarum.

Africanus genere, & sub Carthaginensi Episcopo tanquam Metropolitano erat Episcopus Furnitarum ; cujus rei argumento esse potest, vel quòd in Concilio Carthaginensi sub Cypriano celebrato præsens adfuerit Florentius Furnitarum Episcopus, vel quòd in famigerata collatione Carthaginensi, habita temporibus S. Augustini, Florentius alter Furnitarum Episcopus intervenerit. Hæc ratio fuit, quare, Sede vacante, Furnitæ Cyprianum velut Archiepiscopum suum consuluerint, ipseque Carthaginensis Antistes eisdem tanquam rerum Provinciæ moderator rescripserit. Obierat tunc Geminius Victor Episcopus Furnitanus condito testamento, in quo tutorem designaverat Geminium Faustinum Presbyterum, repugnantibus Provinciæ statutis, quibus cautum erat, ne Clerici tutores darentur, tutelæque occasione à rerum Ecclesiasticarum studio distraherentur; adjecta pœna, ne pro iis, qui Clericos tutores designassent, orationes in Ecclesia fierent. Itaque hæc pœna Geminio Victori defuncto Sacris Canonibus imminebat: Clerus tamen, & populus Furnitarum, motu quodam pietatis in defunctum Antistitem concitatus, non statim duxerunt Geminium Victorem esse orationum subsidio destituendum, nisi primùm de ea re Cyprianum consuluissent. At Cyprianus, vigilantissimus, atque integerrimus canonum custos, rescripsit, recedendum non esse à constituta, ut ut paulò severiore, canonum disciplina, imo singulari etiam de causa non esse pro Geminio orandum, ut pœna, in Episcopum ipsum inflicta, inferiores alios magis magisque terreret. Integra propemodum Cyprianei rescripti sententia exhibetur in can. 14. dist. 88., cujus verba cum editis epistolæ exemplaribus omnino consonant. Notat tamen Baluzius, pro illis verbis *qui ab altari Sacerdotes, & Ministros voluit avocare*, legi in quodam Fuxensi codice: *qui Sacerdotes, & Dei Ministros ab Altario ejus, & Ecclesia evacuant, ad sæculares molestias devocant.* Cum hoc canone jungendus est canon 7. caus. 21. quæst. 3., scilicet unius postrema verba ad initium alterius pertinent; indicantque omnia simul juncta, quanta animi alacritate polluerit Cyprianus, ubi de custodienda, nec facilè relaxanda canonum disciplina ageretur.

Can. 14. dist. 88. & can. 7. caus. 21. q. 3.

Can. 4. caus. 21. quæst. 3. ex eadem epistola excerptus est, cujus priora verba ad epistolæ initium pertinent, exhibentque salutationem, quæ in exordio epistolarum adjici à scribentibus solet. Post pauca sequuntur, quæ legimus in §. *Jampridem*, ad quem animadvertendum est, Concilii, quod ibidem memoratur, acta nullibi hodiè, quoad noverim, reperiri, sed periisse, & vix illorum fragmentum in hac Cypriani epistola contineri. Posteriora autem ejusdem canonis verba, nemo non videt, eadem esse cum verbis prioribus nuper memorati canonis 14. dist. 88. Can. 5. eadem causa, & quæstione aptiùs adjectus fuisset inter verba canonis 4. laudati, quemadmodum in integra epistola describitur ; nam post illa verba canonis 4. *qui se provabit*, statim legitur apud Cyprianum: *Quod cum de omnibus dictum sit, quantò magis molestiis, & laqueis sæcularibus &c.* Hìc sequuntur, ut conferenti liquet, verba canonis 5., ubi vox illa *mollitiis* est expungenda, quemadmodum jam Romani Correctores adnotaverunt. Post pauca sequuntur ibidem verba canonis 6. eadem causa, & quæstione ibi: *quæ nunc ratio, & forma in Clero tenetur, ut qui in Ecclesia Domini ordinatione clerica promoventur &c.* Laudavi hæc priora canonis verba ita describenda, quòd paulò aliter à Gratiano exarentur. Non desunt, qui pro illis *ordinatione clerica* ex aliquot MSS. fide legendum putent *ad ordinationem* cle-

Can. 4. 5. & 6. caus. 21. q. 3.

clericam, item qui legant juxta alios MSS. codices *ad ordinationem clericalem*, vel etiam *ordinatione clericali*. Verùm ubi dubia, & incerta ob codicum varietatem adparet scriptura, mihi nullo modo recedendum videtur ab ea scribendi formula, qua frequentiùs usus est Cyprianus, qui sacram ordinationem *ordinationem clericam* appellare consuevit. Hinc epistola in editione Baluziana 33. ad Clerum, & plebem de Aurelio ait: *In ordinationibus clericis, Fratres charissimi, solemus vos ante consulere*, & infra: *Merebatur talis clericæ ordinationis ulteriores gradus*. Addi potest epist. 75., quæ est Firmiliani ad Cyprianum ibi: *Potestatem clericæ ordinationis assumentes &c.*

De epistola ad Cornelium Papam.

Can. 10. dist. 47. Infausto schismate Carthaginensium animos exagitaverat Felicissimus quidam, adversus Cyprianum ordinato ex adverso Episcopo quodam nomine Fortunato, qui Carthaginensi Ecclesiæ vice Cypriani præficeretur. Erat Fortunatus nequissimus homo, ac perditissimus, jam ab anno damnatus in Concilio, Presbyter, qui eò libentiùs Episcopatum ad se delatum suscepit, exercendumque curavit, quò commodiùs de Cypriano adversario ulcisceretur: imò & schismatici eò etiam libentiùs Fortunati ordinationem tuendam voluerunt, quò tutiùs in Fortunato ipso schismatis sui præsidium noverant collocari adversus Cyprianum hostem suum accerrimum. Ut res sibi prosperè cederet, sua interesse putavit Fortunatus, conscium reddere ordinationis suæ Cornelium Pontificem Maximum, missis epistolis, quas honoris causa Felicissimo Patrono suo credidit Romam deferendas. Sagax Cornelius nec epistolas, nec Felicissimum hilari animo excepit, sed rejecit potiùs, donec à Cypriano universæ rei gestæ certior fieret, interea maxima cum animi sollicitudine Cypriani literas expectans. At Cyprianus tacitus omnino suam regere pergebat Ecclesiam, parùm sollicitus de causa sua ad Cornelium referenda. Id Felicissimo Romæ adhùc commoranti prodesse videbatur; nam, cum ipse omnem moveret lapidem, quo Cyprianum accusaret, ejusque gesta morderet, plura cœpit apud Cornelium de sancto Antistite jactare, multa congerens, explicansque ab illo perpetrata crimina, adeò ut Cornelius idem morem gerere aliquantisper visus fuerit, hæsitare saltem de bonis Cypriani moribus, ita conjiciens ex diuturno Cypriani ejusdem silentio. In his causarum adjunctis opportunum duxit Pontifex Maximus ad Cyprianum scribere, significans se valdè commoveri ex eo, quòd divisam Ecclesiam Carthaginensem acceperat, postulansque, significari sibi schismatis causam, atque unà commemorans crimina, quorum reus Cyprianus idem à Felicissimo accusabatur. Rescripsit Cyprianus epistola sanè elegantissima, quæ in editione Baluzii est numero 55. in duas partes distributa. In priore Cyprianus fidem suam, & morum integritatem jamdiù à schismaticis exagitatam purgavit; in posteriore de Felicissimo conquestus est gravissimè, quòd Romam eam controversiam detulisset, quandoquidem aliud Africani canones definiverant, quorum canonum causa se excusat, quòd de eadem re nihil omnino eò usque scripsisset. Ex hac epistola decerptus est canon 10. dist. 47., qui cum integerrimis exemplaribus omnino consonat, atque ad eam epistolæ partem pertinet, in qua Cyprianus fidem suam, rectamque agendi rationem purgare adversus schismaticos nitebatur.

De epistola ad Stephanum Papam.

Positæ sunt in vulgari prudentia controversiæ veteres, quæ exortæ fuerunt inter Cyprianum, & Stephanum Romanum Antistitem, de rebaptizandis, vel non rebaptizandis iis, qui ab Hæ- Can. 1. caus. 10 q. 7.

re-

reticis jam baptizati proponerentur. Ad eas commodiùs dirimendas, postulavit Cyprianus à Stephano, ut Episcoporum Synodus celebraretur, quò pertinet Cypriani epistola in Baluziana editione 72., in qua oblata occasione nonnulla sanctus Episcopus adjecit pertinentia ad illos Clericos, qui postquam ab hæresi reversi fuissent, in communionem tantùm laicam recipiendi videbantur. Hùc referendus est canon 1. caus. 1. quæst. 7., quem olim mendis corruptum Romani Correctores ad optimorum exemplarium fidem exegerunt. Cui emendationi illud adhuc adjiciendum superest, quod Baluzius adnotat; videlicet, pro illis verbis *atque divinum* in tribus veteribus codicibus legi *atque individuum*, quæ sanè lectio non est contemnenda, præsertim quòd toti contextui admodum consentanea videatur.

De epistola ad Rogatianum.

Can. 25. dist. 93. Diaconus quidam superba temeritate elatus Rogatianum Episcopum suum acribus conviciis impetierat, atque exacerbaverat, quod factum epistola, ad eundem Rogatianum missa, Cyprianus condoluit. In ea epistola legitur can. 25. dist. 93., ex quo perspicuè deducitur, venerabilem apud omnes, præsertim apud Diaconos esse debere Episcoporum dignitatem. Olim in codicibus Gratiani nonnulla erant ab optimis Cyprianeæ epistolæ exemplaribus dissona, quæ tamen hodie dignoscuntur à Romanis Correctoribus emendata.

De epistola ad Eucratium.

Can. 95. de cons. dist. 2. Quid Cyprianus in epistola ad Eucratium Fratrem (is erat Episcopus à Thenis, qui concilio Carthaginensi, sub Cypriano celebrato, interfuerat) pertractaverit, vel unum Gratiani fragmentum, seu canon 95. de cons. dist. 2. satis perspicuè demonstrat. Erat nimirum in urbe Thenarum Histrio quidam, qui turpissimas, nefariasque artes quæstus causa pueros edocebat; quod cum ægrè ferret Eucratius consilium à Cypriano petiit, ut quænam sibi foret agendi ratio, intelligeret. Corrigendum in primis rescripsit Histrionem Cyprianus, imò & ab ejus communione arcendos ceteros, si corrigi, & in meliorem frugem redigi se noluisset. Quòd si ludricam artem se profiteri alimentorum parandorum causa allegaret, monuit Eucratium, ut eum potiùs ex Ecclesiasticis redditibus aleret, si quid superesset, secus autem Carthaginem mitteret ex redditibus Carthaginensis Ecclesiæ sustentandum. Provida sanè & liberalis optimi Episcopi moderatio. Priora canonis verba paulisper sunt à Gratiano transposita; ubi enim Gratianus legit: *Pro dilectione tua, & verecundia mutua*, legitur in epistola *pro dilectione mutua, & verecundia tua.*

De epistola ad Florentium Puppianum.

Florentius quidam Puppianus plurima adversus Catholicos Episcopos à schismaticis, aliisque flagitiosis hominibus objecta audiverat, & eo jam adductus videbatur, ut malignis obtrectatoribus fidem præstaret. Ad eum Cyprianus scripsit epistolam, qua Catholicorum Antistitum innocentiam tueretur, simulque calumnias adversariorum detegeret: interea verò occasionem arripuit objurgandi illos, qui putarent sibi licere à Catholicorum Episcoporum, communione facto schismate, separari, crederentque nihilominus se in Catholica Ecclesia consistere. Hùc spectat sententia canonis 7. caus. 7. quæst. 1., cujus verba cum editis epistolæ exemplaribus omninò consonant. Can. 7. caus. 7. q. 1.

De epistola ad Jubajanum.

Jubajanum Africanum Episcopum singulari epistola instruxerat Cyprianus, Can. 8. caus. 7. q. 1.

ut sibi facilè persuaderet, collatum ab Episcopis, in hæresim lapsis, Baptisma nullo modo valere, ex eo potissimùm, quòd per hæresim omnia Ecclesiastica jura, & potestates amitterentur, quæ semel amissa recuperari non possent, allato inter cetera exemplo Esau, qui primogeniis semel amissis perpetuò caruit. Est hæc sententia prodita apud Gratianum iisdem verbis, quibus apud Cyprianum, in can. 8. caus. 7. q. 1., cum autem nemo ignoret, ab ea Ecclesiam recessisse, postquam suffragio suo definivit, nihil obesse validitati Baptismatis hæresim administri, imprudenter admodum Gratianus eo monumento usus est: imo duabus de causis de collectore conqueri quis jure posset; primò, quòd hujusmodi monumenta tristis recordationis laudaverit, & palam Glossographis explicanda porrexerit; deinde quòd eisdem abusus fuerit alteri quæstioni accommodando, nimirùm, dum investigaret, an liceret Episcopis suis juribus cedere.

De epistola ad Magnum.

Erat Magnus laicus quidam, quem Cyprianus filium appellavit, dum eundem instrueret de Novatiano schismatico, quem non solùm ab Ecclesia divisum, sed etiam nullam in Ecclesia potestatem habere prædicabat, ex eo Cypriani principio, à quo memorando libentissimè abstinerem, nisi me eo instituti ratio vocaret; nimirum ex eo, quòd crederet S. Antistes, per hæresim ipsam etiam Baptismatis validè conferendi potestatem amitti, quam sanè sententiam, re maturè discussa, damnavit Ecclesia tanquam à divina traditione alienam. Hìc autem iterùm conqueri possumus de Gratiani imprudentia, qui ex hujusmodi monumentis suos canones derivare minimè dubitavit. Is est in primis canon 9. caus. 7. quæst. 1., cujus verba penitus consonant cum integris epistolæ exemplaribus; ubi præterea nonnulla referuntur ex iis, quæ Gratianus idem paucis laudaverat in can. 70. caus. 1. quæst. 1., de quo inferiùs nonnulla dicam. Item ad eandem epistolam pertinent can. 31. caus. 24. quæst. 1., ubi initium epistolæ exhibetur eisdem omnino verbis, si pro verbo *didicimus* substituas *dicimus*. Multa quoque, quæ ad hunc ipsum canonem pertinent, jam descripta fuerant à Gratiano in dicto can. 70. Demùm ex eadem epistola depromptus est can. 127. de cons. dist. 4., qui pertinet ad posteriorem epistolæ partem; cum enim in priore de hæreticorum Baptismate plurima tradita, ac disputata fuissent, deinde Cyprianus aliam controversiam sibi propositam discussit de iis, qui non immersione, sed aut infusione, aut adspersione aquæ fuerant baptizati his verbis: *Quæsisti etiam, fili carissime*, (aliqui codices habent, *frater carissime*,) *quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate, & languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi Christiani, eò quòd aqua salutari non loti sint, sed perfusi; qua in parte nemini verecundia, & modestia nostra præjudicat, quominus unusquisque, quod putat, sentiat, & quod senserit, faciat.* Vides heìc eximiam in re nondum co usque definita laudabilem sancti Antistitis moderationem. Deinde suam opinionem proponit Cyprianus, inquiens, nihil referre, nùm quis per immersionem, àn per infusionem potiùs, adspersionemve baptizatus proponatur, ita subjiciens: *Nec quemquam movere debet &c.* Sequuntur hoc in loco verba Gratiani, quæ à principio ad finem cum epistola consonant, dummodo pro illis verbis *& mundabo vos &c.* usque ad illa *& iterum est locutus &c.* ista substituas: *Emundabo vos, & dabo vobis cor novum, & spiritum novum dabo in vobis. Item in Numeris: & homo, qui fuerit immundus usque ad vesperam, hic purificabitur die tertio, & die septimo non erit mundus, & exterminabitur anima illa de Israel, quoniam aqua adspersionis non est super eum spar-*

Can. 9. caus. 7. quæst. 1. can. 31. caus. 24. q. 1. & can. 127. de cons. dist. 4.

sparsa. Et iterum: & locutus est Dominus &c., item pro illis verbis, *Spiritus verò sanctus non dimensuratur*, ista supponas: *Quinimmo Spiritus sanctus non ad mensuram datur.* Præterea post illa verba Gratiani: *fructu exuberante cumulatur*, hæc sequuntur apud Cyprianum à Gratiano prætermissa: *Adhuc vero cum singuli ad denarium vocentur, quid est, ut quod à Deo æquabiliter distribuitur, humana interpretatione minuatur? Quòd si aliquis in illo movetur, quod quidam ex his, qui ægri baptizantur, spiritibus adhuc immundis tentantur &c.*

De epistola ad Pompejum.

Can. 8. dist. 8. Acerrimus consuetudinum impugnator fuit Cyprianus in iis libellis, in quibus adversus hæreticorum Baptisma disputavit. Cum enim Stephanus Papa, & cum eo plurimi Ecclesiarum Antistites, qui Baptisma ab hæretico collatum validum esse prædicabant, allegarent consuetudinem Ecclesiasticam, quæ sanè traditionem veterem, atque Apostolicam continebat, qua observata liquebat, baptizatos ab hæreticis nunquam rebaptizatos fuisse, nihil Cypriano Hæreticorum Baptismata rejicienti antiquius fuit, quàm adversus consuetudinis vires clamare, eamque ita delere, ut in proposita disputatione totam rem ad divinas definitiones exigeret. Hinc S. Hieronymus ad calcem dialogi adversus Luciferianos ait: *Legat Cypriani epistolas, in quibus apud Stephanum Romanæ urbis Episcopum inveteratæ consuetudinis lacerat errorem.* Id profectò liquet inter cetera in epistola ad Pompejum Episcopum Sabratensem, qui interfuisse legitur Concilio Carthaginensi sub Cypriano. Eum dum Cyprianus monet, ut hæreticorum Baptisma rejiciat, consuetudines quoque scribit reprobandas, quibus adversantium opinio innitebatur. Hanc ipsam Epistolam memorat S. Augustinus in lib. 5. de Baptismo adversus Donatistas cap. 23. & lib. 6. cap. 7., ejusdemque fragmentum habemus apud Gratianum in can. 8. dist. 8., cujus priora verba ita legenda sunt: *nec consuetudo, quæ apud quosdam obrepserat, impedire debet &c.* Similia ferè leguntur in alia Cypriani epistola ad Jubajanum jam superiùs laudata, ubi & idem Episcopus totus est in vi & potestate consuetudinum evertenda: integrum autem fragmentum subjecit Gratianus post dictum canonem 8. vers. *ignosci.* Retulerat quoque Augustinus ipsa Cypriani verba in lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 5., quæ deinde descripsit Gratianus in can. 7. dist. 8., cujus verba sunt apud Cyprianum in epist. ad Jubajanum juncta dicto versiculo *ignosci* hac ratione: *Proinde frustra quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo major sit veritate, aut non sit id in spiritualibus sequendum, quod in melius fuerit à Spiritu sancto revelatum. Ignosci enim potest simpliciter erranti &c.* Interea arbitror ego, prudentiùs illum acturum, qui ab hujusmodi canonibus recensendis abstineat; scilicet cum pertineant ad celebrem disputationem Cypriani adversus Stephanum, in qua Cyprianus palmam cedere debuit, firmum non poterunt adjumentum ad res, quæ incidunt, definiendas suppeditare.

De epistola ad Pomponium, de Virginibus.

Pomponius, Dionysianensis in Provincia Bizacena Episcopus, qui & Concilio Carthaginensi sub Cypriano interfuerat, Cyprianum eundem consuluit, quid sibi agendum esset de Virginibus, quæ virginitatis quidem propositum custodire animo decreverant, gravem tamen incontinentiæ suspicionem concitaverant, præsertim ob familiarem initam cum quodam Diacono consuetudinem, licet ipsæ nihilominus scelere puras se esse adfirmarent. Cyprianus in primis adversus Diaconum zelo correptus, Can. 4. & 5. caus. 27. q. 1.

tus, eundem objurgavit, illarum familiaritate, ac cohabitatione interdicens, ne in pejora eos humana infirmitas truderet; neque profuit ad excusationem, quod virgines de servata pudoris integritate dicerent, quemadmodum facilè colligit unusquisque ex verbis canonum 4. & 5. caus. 27. quæst. 1. ex illa epistola depromptorum.

De libro de Unitate Ecclesiæ.

Quale fuerit Cypriani propositum in edendo libro de unitate Ecclesiæ, vel ipsa operis inscriptio per se apertè demonstrat. Cum enim temporibus Cypriani tùm in Romana, tùm in Carthaginensi Ecclesia acerba schismata concitata fuissent, quemadmodum superiùs dicendum fuit, consentaneum duxit sanctus Episcopus ostendere, quantùm dedeceret dividi Ecclesias, & fidelium animos in contraria distrahi. Atque ea occasione prædicavit, unam semper esse debere Ecclesiam, præsertim unitate fidei, atque doctrinæ. Ex hoc libello depromptus est can. 3. dist. 90., cujus hæc extat sententia. Agens Cyprianus de mutua fidelium charitate, atque concordia, ajebat nullibi sine illa sacrificium Deo offerri posse; quod demonstrabat ex Evangelii sententia apud Matthæum cap. 5., ubi legimus, si quandò contingat, recordari offerentem, se esse à fratre discordem, non priùs offerre munus Deo debere, quàm fratri fuerit reconciliatus, ita concludens: *Et ad sacrificium cum dissensione venientem revocat* (Deus) *ab altari, & jubet potiùs concordare cum fratre, tum cum pace redeuntem Deo munus offerre, quia neque ad Cain munera respexit Deus: neque enim &c.*

Can. 3. dist. 90.

Can. 3. dist. 93. & can. 18. caus. 24. q. 1.

Can. 3. dist. 93. gitur, atque ex Baluziano Cypriani codice hanc sententiam exhibet. Postquam Cyprianus scripsisset, Christum Dominum docuisse, unam esse Ecclesiam suam, id præcipuè colligebat ex Christi facto, ubi Ecclesiæ Primatum Petro Apostolo contulit, atque ita prosecutus est: *Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur, & resistit? qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?* Verba hæc paulò aliter expressa haberi in codice Cyprianeo Romæ impresso indicaverunt in suis adnotationibus Romani Correctores, affirmantes in eo desiderari illa verba: *qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit.* Fusiùs eadem sententia recitatur in can. 18. caus. 24. quæst. 1., ubi Gratianus ea verba, *qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia,* omisit, unde colligitur, jam Gratiani ætate varietatem scripturæ in variis Cypriani codicibus extitisse. Ceterùm & in aliis canon iste à vulgatis epistolæ exemplaribus dissonant; in his enim ita exhibetur Gratianei fragmenti initium: *Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus, & super istam Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non vincent eam. Et tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in Cœlis, & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in Cœlis. Et iterùm eidem post Resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: sicut misit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum S., si cui remiseritis peccata, remittuntur illi; si cui tenueritis, tenebuntur, tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique & ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis. Sed exordium ab unitate proficiscitur, & Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur. Et pastores sunt omnes, & grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur, ut Ecclesia Christi*

una monstretur, quam unam Ecclesiam &c. Hæc si cum Gratianea editione conferantur, illam apparebit corruptam esse, ac depravatam. Cetera consonant, dummodo pro illis, *Episcopatum ipsum unum... fructus germinare non poterit... latiùs pandit &c.* ista substituamus: *Episcopatum quoque ipsum unum... fructus germinare non poterit.... latiùs expandit &c.* Sanè non inficior leviores istas verborum varietates, aut similes bene multas in aliis Cypriani codicibus reperiri, quas ideo omisi, quia ipsarum parum aut nihil interesse potest. Tantùm animadvertam, quod adnotavit Baluzius ad illa verba *Primatus Petro datur*, ex magna codicum varietate Latinium in quærendis conferendisque plurimis Cypriani codicibus valdè sollicitum agnovisse, multa hoc in loco adjecta fuisse ex notis marginalibus, quæ paulatim in textum irrepserunt; atque inter ceteros deduci ex collatione codicis Veronensis, quem Latinius idem jam suis temporibus scripsit, editum fuisse ante annos mille, item septem Vaticanorum codicum, quorum lectio cum Gratianea penitùs consonat.

Can. 19. caus. 24. q. 1. In eodem opusculo paulò inferiùs legitur can. 19. caus. 24. quæst. 1., cujus verba junctis Romanorum Correctorum animadversionibus cum vulgatis Cypriani exemplaribus consonant. Porrò ex his omnibus monumentis potest apertè deduci, quàm temerè de sancto Episcopo quidam adfirmare non dubitaverint, ipsum Ecclesiæ unitatem adversus S. Stephanum Pontificem Maximum disputando voluisse disrumpere, cum idem tam solertèr ac studiosè de servanda in Ecclesia unitate loquatur. Poterat quidem tunc temporis esse dubiæ, intricatæque disputationi locus, quæ tamen disputatio, salva semper animorum in fide conjunctione, haberetur. Atque in hoc secernuntur piorum hominum & sapientum concertationes, à dissensionibus improborum. Improbi nimirùm, ut pacem lædant, seditiones movent; pii & sapientes in diversas distrahi videntur partes, ut solicitè quæsita, probataque veritas firmiorem unitatem, pacemque conciliet.

De epistola contra Hæreticos.

Ex variis Cyprianeorum opusculorum fragmentis compositus est can. 70. caus. 1. quæst. 1., cujus inscriptio hæc exhibetur: *Cyprianus ex epistola contra Hæreticos.* Potissimùm ex epistola, jam superiùs laudata, ad Magnum deprompta sunt, quæ ibidem referuntur, dum sanctus Episcopus Magnum instituere adversus Novatianum schismaticum, quem utpote ab Ecclesia divisum nullam in Ecclesia potestatem habere dicebat. Ad eandam epistolam pertinent priora canonis verba ita describenda: *Quisquis autem de collectis foràs exierit, id est, si quis quamvis in Ecclesia gratiam consecutus recesserit, & ab Ecclesia exierit, reum sibi futurum, id est, ipsum sibi, quod pereat, imputaturum. Quod Apostolus Paulus explanat docens, & præcipiens hæreticum vitandum esse, ut perversum & peccatorem, & à semetipso damnatum. Hic enim reus sibi erit, qui non ab Episcopo ejectus, sed sponte ab Ecclesia profugus hæretica præsumptione à semetipso damnatus.* Et paulò infra. *Denique, quàm sit inseparabile unitatis Sacramentum, & quam sine spe sint, & perditionem sibi maximam de indignatione Dei adquirant, qui schisma faciunt, &, relicto Episcopo, alium sibi foris Pseudoepiscopum constituunt, declarat in libris Regnorum scriptura divina, ubi à Tribu Juda, & Benjamin decem tribus scissæ sunt, & relicto Rege suo alterum sibi foris constituerunt: & indignatus est, inquit, Dominus in omni semine Israel, & dimovit eos, & dedit eos in diremptionem, donec adjiceret eos à facie sua, quia dissipatus est Israel à domo David, & constituerunt sibi Regem Hieroboam filium Nabath. Indignatum esse Dominum dicit, & eos in perditionem dedisse, quòd ab unitate dissipati essent, atque alterum sibi Regem constituissent. Et tanta indignatio Domi-*

Can. 70. caus. 1. q. 1.

mini extitit adversus illos, qui schisma fecerunt, ut etiam cum homo Dei ad Hieroboam missus esset, qui ei peccata sua exprobraret, atque ultionem futuram prædiceret, panem quoque apud illum edere, & aquam bibere vetaretur. Quod cum non custodisset, & contra præceptum Dei prandisset, statim divinæ censuræ majestate percussus est, ut inde regrediens impetu, ac morsu leonis in itinere necaretur. Et audet quispiam dicere, aquam Baptismi salutarem, & gratiam cœlestem communem cum hæreticis esse posse, cum quibus nec terrestris cibus, nec sæcularis potus debet esse communis? Quotiescumque hæc cum prioribus Gratianei fragmenti verbis conferantur, statim adparebit, Gratianum Cypriani sententiam paucis perstringere, non recensere integram voluisse. Si quæratur de §. *Constat autem*, iste aliunde decerptus est, nimirùm ex epistola in Baluziana editione 70. ad Januarium, ceterosque Numidiæ Episcopos, ubi Cyprianus demonstrare conatus fuerat, eos esse rebaptizandos, qui ab hæreticis baptizati proponerentur, his tamen verbis, ad quæ Gratianeus canon erit exigendus. *Qui hæreticos baptizare posse asserunt, aut interrogationem mutent, aut vindicent veritatem, nisi si eis & Ecclesiam tribuunt, quos Baptisma habere contendunt. Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, id est, unctione, esset unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit. Porrò autem Eucharistia est, unde baptizati unguntur oleo in altari sanctificato. Sanctificare autem non potuit olei creaturam, qui nec altare habuit, nec Ecclesiam.* Similia propemodum leguntur in Carthaginensi Concilio sub Cypriano LXXXVII. Episcoporum in causa rebaptizandorum hæreticorum, in quo Cæcilius à Bilta, unus ex Africanis Episcopis, ita dixit: *Ego unum Baptisma in Ecclesia solum scio, & extra Ecclesiam nullum. Hic erit unum, ubi spes vera est, & fides certa. Sic enim scriptum est: una fides, una spes, unum Baptisma; non apud hæreticos, ubi spes nulla est, & fides falsa, ubi omnia per mendacium geruntur, ubi exorcizat Dæmoniacus, Sacramentum interrogat sacrilegus, cujus os & verba cancer emittunt, fidem dat infidelis, veniam delictorum tribuit sceleratus, & in nomine Christi tingit Antichristus, benedicit à Deo maledictus, vitam pollicetur mortuus, Deum invocat blasphæmus, sacerdotium administrat prophanus, ponit altare sacrilegus. Ad hæc omnia accedit & illud malum, ut Antistes Diaboli audeat Eucharistiam facere.* In epistola verò superiùs laudata ad Jubajanum hæc leguntur. *Nam Novatianus similarum more, quæ cum homines non sint, humana tamen imitantur, vult Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem sibi, & veritatem vindicare, quando ipse in Ecclesia non sit, imò adhuc insuper contra Ecclesiam rebellis, & hostis extiterit.* In epistola Cypriani 64. ad Epictetum Episcopum & Plebem Assuritanorum, in qua eadem materies tractatur, ista leguntur: *Quando nec oblatio sanctificari illic* (id est, apud hæreticos) *possit, ubi Spiritus Sanctus non sit, nec cuiquam Dominus per ejus orationes, & preces prosit, qui Dominum ipse violavit.* Ex his omnibus fragmentis in unam orationem congestis, & quasi uno spiritu junctis, constat laudatus §. Gratianeus sub nomine Cypriani descriptus. Sed hìc non constitit Gratianus, qui plura hinc illinc excerpta colligebat. Nam iterum in §. *Si enim* refert fragmentum memoratæ epistolæ ad Magnum, singula tamen ita confundens, ut verborum ordinem omnino subverterit. Verba epistolæ ad Magnum hæc sunt: *Unde adparet, adversarios Domini & Antichristos omnes esse, quos constat à charitate, atque ab unitate Ecclesiæ Catholicæ recessisse. Adhuc quoque Dominus in Evangelio suo ponit, & dicit: si verò & Ecclesiam contemserit, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus. Si autem qui Ecclesiam contemnunt & ethnici & publicani habentur, multò magis utique & rebelles & hostes, falsa altaria, & illicita sacerdotia, & sacrificia sacrilega, & nomina adulterata fingentes inter ethnicos*

& publicanos necesse est computentur. Quæ deinde statim in eodem Gratianeo §. subsequuntur, sunt Nemesiani Episcopi, qui in laudato Concilio Carthaginensi sub Cypriano ita dixit: *Ergo omnes Hæretici, & Schismatici omnia quæcumque faciunt, carnalia sunt.* Junguntur deinde apud Gratianum verba Cypriani in memorata epistola ad Januarium ibi: *Ita fit, ut cum omnia apud illos* (subaudi hæreticos) *inania & falsa sint, nihil eorum, quæ illi gesserint, probari à nobis debeat.* Post hæc, quæ subjicit Gratianus, fragmenta sunt epistolæ Cypriani ad Jubajanum, ità scribentis: *unde apparet, non ea statim suscipienda, & assumenda, quæ jactantur in Christi nomine, sed quæ geruntur in Christi veritate.* Hinc regreditur Gratianus ad epistolam Cypriani ad Magnum, ex qua depromptus est §. *quomodo enim* usque ad illa verba, *quod eis non licet, moliuntur?* In eadem epistola etiam sunt, quæ leguntur in §. *Quare* usque in finem, licet paulò aliter in vulgatis epistolæ exemplaribus exhibeantur, ibi: *Quare qui Novatiano, sive ceteris ejusmodi schismaticis patrocinantur, frustrà contendunt baptizari, & sanctificari illic aliquem salutari Baptismo posse, ubi constet baptizantem baptizandi licentiam non habere. Atque ut magis intelligi posset, contra ejusmodi audaciam quæ sit censura divina, invenimus in tali facinore non solùm duces, & auctores, sed & participes pœnis destinari, nisi se à communione malorum &c.* Hoc in loco desinunt Gratiani involucra, nam cetera cum epistola Cypriani ad Magnum omnino consonant usque in finem. Quibus in rebus semper illud animadvertendum est, quod superiùs crebrò fuit adnotandum, has Cypriani sententias pertinere ad disputationes in causa rebaptizantium agitatas, post quas aliud in Ecclesia definitum est, quam quod à Cypriano traderetur; ac propterea hujusmodi monumentis tutò adhærere neminem posse.

De libro de Lapsis.

Fuit Cyprianus, nemo ignorat, semel præstitutæ, ut ut severioris, canonum disciplinæ studiosissimus vindex, præsertim adversus illos, qui in gravissima vel hæreseos, vel schismatis crimina prolapsi fuissent; ratus, pietatem Episcopi non in eo positam esse, ubi facilè lapsis ignosceretur, sed potiùs ubi non nisi post longos pœnitentiæ labores venia concederetur; expertus aliquando, ob nimiam indulgentiam virtutes, ipsa etiam virtutum fundamenta contemni. Hanc agendi rationem postulare etiam videbatur concors Ecclesiarum omnium illius temporis disciplina, siquidem pœnitentes ad reconciliationem tum demùm admittebantur, cum plures confecissent gradus, & stationes, Deo, & Ecclesiæ satisfacientes: quod ipsis etiam pœnitentibus utilissimum esse agnoscebatur, utpote qui exinde magis ac magis peccatorum detestandorum occasionem arripiebant, omnesque peccandi affectus per diuturnas expiationes radicitùs, ita dixerim, evellebant. Quandoque tamen, quibusdam singularibus urgentibus causis, disciplinæ rigorem relaxari oportebat per Ecclesiasticam potestatem in pœnitentialium operum vicem suffectis & Christi, & Sanctorum meritis, quod hodie *indulgentiarum concessionem* appellamus. Qua in re temporibus Cypriani in usu erat, ut qui in graviora crimina lapsi essent, atque ad Ecclesiam veniæ postulandæ causa regressum meditarentur, non priùs ad Episcopos accederent, quam sanctos Martyres viros, quos in carceribus hæreticorum sævitia detinebat, adivissent, impetraturi literas commendatitias, quibus Martyres iidem pro redeuntibus ad Ecclesiam labores suos Ecclesiæ offerrent, ut ad evadendam satisfactionem lapsis prodessent. Proderant quidem frequentissimè apud Episcopos aliquos, in pietatem, ac clementiam valde pronos; raro

Can. 27. dist. 50.

autem apud Cyprianum, qui non nisi gravissimis de causis Martyrum contemplatione plenam lapsis indulgentiam dabat. Hæc Cypriani disciplina latè adparet in ejus libro de lapsis; ubi ipse demonstrat, pœnitentibus utilissimum esse, exercere se pœnitentiæ operibus ab Ecclesia indictis, neque expedire, passim, & sine discrimine causarum Martyrum libellos suscipere, & precibus morem gerere. Hùc pertinet canon 27. dist. 50. cujus verba cum Cypriani codicibus consonant, quamquam nonnulla à Gratiano omissa adjicienda sint, ut integra sententia dignoscatur. Quod enim spectat ad libellos Martyrum non semper & passim suscipiendos, refert Cyprianus illud Apocalypsis, ubi Joannes Apostolus Martyrum animas viderat clamantes, Deumque rogantes, ut citò de earundem sanguine olim effuso, dum corpori junctæ essent, vindictam sumeret; Dominum verò Deum ita respondisse, ut adhuc modicum expectarent, donec conservorum numerus compleretur, exinde autem concludit, Dei exemplo non esse etiam statim Martyrum preces apud Ecclesiam exaudiendas. Verba Cypriani statim subjicienda post illa verba Gratiani canonis *de sua facilitate præsumere*, hæc sunt. *Sub ara Dei animæ occisorum Martyrum clamant, magna voce dicentes: quousque Domine Sanctus, & verus non judicas, & vindicas sanguinem nostrum de his, qui in terris inhabitant? & requiescere, & patientiam tenere adhuc jubentur. Et, quemquam posse, aliquis existimat, remittendis passim, donandisque peccatis bonum fieri contra judicem velle, aut priusquam vindicetur ipse, alios posse defendere? Mandant Martyres aliquid fieri, sed si justa, si licita &c.*

De libro de Mortalitate.

Can. 25. caus. 13. q. 2. Maxima cum laude meminit S. Augustinus libelli Cypriani de mortalitate in lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 14., scribens eum omnibus, qui Ecclesiasticas literas amant, & notum, & maximi factum perpetuò fuisse. Ibi Cyprianus Christianum philosophum agit, ostendens, neminem aut de eveniente aliorum morte, aut de imminente sua, aut lugere, aut dolere debere, quòd omnes ad meliorem vitam, nemini profectò lugendam, adspiremus, quòdque divinæ voluntati mortem, & vitam hominum providentissimè moderanti humiliter adquiescere debeamus. Exinde satis adparet sententia canonis 25. caus. 13. quæst. 2. ex eodem libro consonantibus omnino verbis decerpta, ex quo integram ferè Cypriani sententiam colligimus. Cum verò non multo post Cyprianus sibi objiceret vota quorundam, qui affirmabant, ideò se mortem proximam horrere, quòd sperarent futurum, ut magis in diuturnius tempus protracta vita mererentur apud Deum, præsertim si occasionem inde obeundi pro Christi fide martyrii caperent, respondit, non ideò ægrè parendum esse Dei voluntati, hominem tempore, ut videtur, immaturo vocanti; quia sufficit apud Deum benè merendi causa votum subeundi martyrii, quo pertinet canon 26. de pœn. dist. 1. ubi demonstratur, quantùm grata sit apud Deum voluntas bona, licet sine effectu desiderium sit, eadem ferè ratione, qua Deus crimina aversatur, licet re admissa non sint, cum tamen humana voluntate præconcepta jam fuerint, & animi deliberatione commissa. Can. 26. de pœn dist. 1.

De libello de nono genere abusionis.

Libellus, inscriptus *de duodecim abusionum gradibus* vulgò tum S. Cypriano, tum S. Augustino tribuitur. Verùm eruditi ferè universi neutrius illum esse concludunt, sed deceptoris cujuspiam, qui opusculum suum voluerit Sancti alicujus veteris Ecclesiæ Patris nomine insignire. Hujus libri argumentum in eo positum est, ut recenseantur abusus, quos in hanc rerum universitatem perversitas homi- Can. 40. caus. 23. q. 5.

minum induxit, & qui ad duodecim summa capita referuntur, videlicet duodecim recensentur improborum hominum notæ: *Sapiens sine operibus, Senex sine religione, Adolescens sine obedientia, Dives sine eleemosyna, Femina sine pudicitia, Dominus sine virtute, Christianus contentiosus, Pauper superbus, Rex iniquus, Episcopus negligens, Plebs sine disciplina, Populus sine lege.* Vocantur hi singuli abusionum gradus, per quos ordinatè ejus operis auctor expatiatur, atque in nono gradu, ubi Regis munera expenduntur, legimus ea, quæ Gratianus recenset in can. 40. caus. 23. quæst. 5., his verbis: *Justitia verò Regis est, neminem injuste per potentiam opprimere... furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos, & histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & pejerantes vivere non sinere... filios suos non sinere impiè agere.* Non ego immoror in recensendis rationum momentis, quibus hic liber sit à memoratis Patribus rejiciendus, ne actum à viris eruditissimis agam. Interea, qui curiosiùs velit illa scrutari, adire poterit & Baluzium, qui à Cypriano, & Maurinos Monachos, qui ab Augustino opus idem abjudicant.

De sermone de Oratione Dominica.

Can. 70. de cons. dist. 1. Jure optimo adscriptus est Cypriano libellus, sive sermo de oratione Dominica, cujus cum eximia auctoris laude mentionem fecit S. Hilarius Pictaviensis in cap. 5. commentarii in Matthæum; cum enim Hilario expendenda occurrisset juxta propositum operis Dominica oratio, ab illius expositione abstinendum censuit, quòd rectè à Cypriano jam novisset expositam, ita scribens: *De orationis autem Sacramento necessitate nos commentandi Cyprianus sanctæ memoriæ liberabit.* Meminit quoque ejusdem libri S. Augustinus in Epistola ad Valerianum his verbis: *Legimus eis etiam librum Beatissimi Martyris Cypriani de oratione Dominica, & ostendimus, quemadmodum docuerit omnia, quæ ad mores nostros pertinent, quibus rectè vivimus, à Patre nostro, qui in Cœlis est, exposcenda, ne de libero præsumentes arbitrio à divina gratia decidamus.* Ex hoc eodem libro depromptus est canon 70. de cons. dist. 1. atque cum optimis codicibus penitùs consonat.

De libro de exhortatione Martyrii.

Can. 32. caus. 23. q. 5. Duo libelli sunt inter opera Cypriani, in quibus de martyrio à sanctis viris inito, vel ineundo tractatur. Primus inscribitur *de laude martyrii*; de quo tamen valdè dubitant viri eruditi, num verè Cypriano fuerit tribuendus, sive quòd ejus stylus characterem Cypriani non habeat, sive quòd ad Mosem, & Maximum directus esse perhibeatur, qui editi hujus libri tempore jam vita functi fuisse probantur. Non ignoro, Baluzium nihilominus conatum fuisse librum illum Cypriano vindicare: sed mihi id tantum indicasse sufficiat; neque enim rei meæ utilis esse potest controversiæ diremptio, cum ex eo libello nullum sit relatum à Gratiano monumentum. Potiùs ad alterum librum devenio, qui directus est ad Fortunatum quendam sub hoc titulo: *De exhortatione martyrii.* Nulla est de isto apud eruditos dubitatio, cum concordi omnium suffragio Cypriano tribuatur. Ibidem autem legitur eisdem omnino verbis canon 32. caus. 23. quæst. 5.

APPENDIX

De epistola Romani Cleri ad Cyprianum.

Can. 26. dist. 50. Opportunum mihi visum est Cypriaeis monumentis adsuere Epistolam Romani Cleri scriptam ad eundem Cyprianum, ex qua depromptus est canon 26. dist. 50., præsertim quòd, quæ ibidem traduntur, perspicuè indicant, in re-

reconciliandis lapsis eandem omnino fuisse, & à Clero Romano, & Cypriano receptam disciplinam, quemadmodum facilè constat conferenti canonem 26. laudatum cum canone 27. ejusdem distinctionis, de quo jam superiùs agendum fuit. Quæsiverat Cyprianus à Clero Romano missa epistola (habetur ista num. 29. in editione Baluzii, fortè ad Clerum, non ad Pontificem Romanum missa, quòd tunc temporis ferveret schisma à Novatiano adversus Cornelium Papam concitatum), quid agendum de illis esset, qui semel in hæresim lapsi ad Ecclesiam revertentes recipi se postulârent cum indulgentia, quin canonicæ disciplinæ pœnitentium subjacerent. Quid responderit Clerus Romanus, exhibetur in ejusdem Cleri rescripto, quod in laudata editione Baluziana legitur, & quo pertinet memoratus canon 26. dist. 50., nimirùm Romanus Clerus rigidæ pœnitentiæ leges voluit à lapsis revertentibus observandas. Romani Correctores eum canonem ad integros Cypriani codices exegerunt, & quod ex Gratiano deerat, adjecerunt. Juvat tamen quædam adhuc adjungere, quæ ad illustrandam Cleri Romani sententiam facere plurimùm possunt. Postquam Romanus Clerus scripsit, non esse profana facilitate rigorem disciplinæ dimittendum, hæc prosecutus est: *Nec hoc nobis nunc nuper consilium cogitatum est, nec hæc apud nos adversus improbos modo supervenerunt repentina subsidia, sed antiqua hæc apud nos severitas, antiqua fides, disciplina legitur antiqua, quoniam nec tantas de nobis laudes Apostolus protulisset, dicendo, quia fides vestra prædicatur in toto mundo, nisi jam exinde vigor iste radices fidei de temporibus illis mutuatus fuisset, quarum laudum, & gloriæ degenerem fuisse maximum crimen est.* His rectè, uti decet, consideratis, duo colliguntur consectaria. Scilicet primum, non esse, cur quidam recentiores Cyprianum accusent, quòd nimiam sæpe in recipiendis pœnitentibus severitatem exhibuerit, ac perrarò canonicarum pœnarum indulgentiam fecerit; non enim privato tantùm suo consilio id præstitit Cyprianus, sed accedente, ut liquet, universi Romani Cleri suffragio. Alterum est, nec esse quidem, cur Cyprianus à nonnullis accusetur, quòd Romanæ Ecclesiæ consuetudines parvi fecisset, quando in re non modici momenti Romani Cleri sententias, & perspectas sibi fore postulavit, atque ut eas haberet pro servandis canonum regulis, expectavit.

CAPUT VI.

De Athanasio.

Athanasii nomine duo capita descripsit Gratianus.

Ex Epist. ad Marc. Papam. } *Can.* 12. *dist.* 16. *perperàm tributus Athanasio.*

Ex Epist. ad Felicem II. } *Can.* 11. *caus.* 9. *q.* 3. *perperàm tributus Athanasio.*

QUicumque compertam habent vulgatissimam sæculi quarti historiam in ea parte, in qua viri Catholici adversus Arianos accerrimis studiis pugnaverunt, ii sanè omnes Athanasii Alexandrini Patriarchæ doctrinam, magnanimitatem, prudentiam, ceterasque dotes Episcopo dignas apprimè agnoverunt. Quid verò de summi viri laboribus, operibusque plurima dicam, quan-

quando quæ apud Gratianum sub illius nomine monumenta laudantur, illius reverà non sunt, sed recentioris cujusdam deceptoris figmenta? Hujusmodi in primis est epistola, quæ apud Isidorum Mercatorem lucem adspexit, cujus hæc est inscriptio: *Domino sancto, & Apostolici culminis venerando Marco, Sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Sedis, atque universalis Ecclesiæ Papæ, Athanasius, & universi Ægiptiorum Episcopi.* Causa scribendæ epistolæ ista proponitur: videlicet narrat Athanasius cum Ægiptiis Episcopis, adeò acrem concitatam fuisse in Ægipto Arianorum seditionem adversus Christianos, ut næretici Nicænos canones numero septuaginta igne combusserint, atque exemplaria omnia exinde interierint; hinc ad Romanam Sedem confugientes postulant, ut Româ mittantur eorundem canonum integra exemplaria. Marci rescriptum effinxit etiam Mercator, cujus similis est inscriptio his verbis expressa: *Dominis venerabilibus Fratribus Athanasio, & universis Ægiptiorum Episcopis Marcus, Sanctæ Romanæ, Apostolicæque Sedis, & universalis Ecclesiæ Episcopus.* Ibidem fingitur Marcus invenisse in scriniis Apostolicæ Sedis septuaginta Nicænæ Synodi capitula, eorundemque exemplaria per fideles Notarios edita ad Athanasium misisse, data epistola 10. *Kalendas Novembris Nepotiano, & Secundo Viris Clariss. Cons.* Nemo est ætate nostra, qui hujusmodi monumentis quoquo modo fidendum putet; etenim primò constat, Arianos in Ægipto omnia incendio consumpsisse, & adversus Christianos arreptis armis dirissime pugnavisse, non Marci, sed Liberii Papæ temporibus circa annum 355., seu 19. annis post Marci obitum. Falsa deinde est nota consularis; nullum enim fuisse liquet Nepotiani consulatum cum Secundo, sed potius cum Facundo; imò & hic consulatus incidit in annum 336. quo die 7. Octobris supremum diem obiit Marcus, nec potuit propterea ad Ægiptios Episcopos scribere 10. Kalendas Novembris. His accedit, quod scribit Baronius ad annum 336. §. 59. ibi: *Quonam pacto, quæso, sub dictis Consulibus potuit Athanasius Alexandria ad Marcum scripsisse, qui jam exul hoc anno agebat in Galliis? Et quænam sub Constantino grassatio Arianorum contigit in Ægipto, cum non Marci tempore, anno Domini 355., sed multò post, quando Constantius Georgium in locum Athanasii subrogavit, passa sit Ecclesia Alexandrina violentam Arianorum vastationem?* Aliam rationem Bellarminus addidit in lib. 2. de Rom. Pont. cap. 25., nimirùm quia si Marcus Papa Nicænorum canonum misisset exemplar ad Alexandrinos, facilè convenissent inter se exemplaria Nicæna Romanum, & Alexandrinum, quando missa fuerunt non multò post tempore ad Africanos; cum tamen aliquot canones, qui erant in exemplari Romano, deessent in Alexandrino. Nihilominùs tamen putavit Gratianus, ex ea ipsa epistola propè invictum se eruere posse argumentum ad firmandum canonum Nicænorum numerum in canone 12. dist. 16. adeò ut, cum novisset alibi pauciores numero esse canones, quàm qui apud Athanasium recenserentur, concludere debuerit septuaginta quidem Nicænos canones editos ab initio fuisse, sed eos, exceptis viginti, in desuetudinem abivisse universos. Maximam meo judicio intulit injuriam Gratianus in recentiores canonum custodes, quasi isti facili negotio passi fuerint, maximam partem canonum Nicæni Concilii, maximè venerabilis, contrariis moribus abrogari. Utinam maturiore deliberatione Collector usus fuisset in perpendenda monumentorum auctoritate; tunc enim ad eas incitas redactus minimè fuisset. Non opus est hoc loco quæstionem instituere de numero canonum Nicænorum, quamquam opportunè institui posset; cum superiùs de hac re disputatum abunde fuerit, cum agerem de Concilio Nicæno. Tantùm hic adjiciam, Gratianum in eo fragmento describendo

Can. 12. dist. 16.

ver-

verborum ordinem invertisse ; siquidem in epistola ea, quæ habentur in vers. *Præterea nobis* usque in finem, descripta sunt ante priora canonis verba à principio usque ad illa *per præsentes legatos mereamur.*

Can. 11. caus. 9. q. 3. Non dissimilis habenda est ratio epistolæ alterius, Athanasio tributæ, ex qua depromptus est canon 11. caus. 9. q. 3. Illam Isidorus Mercator edidit sub hac inscriptione : *Domino Beatissimo, & honorabili Sancto Patri Felici, Sanctæ Sedis Apostolicæ Urbis Romæ Papæ, Athanasius, & universi Ægiptiorum, Thebaidorum, & Lybiorum Episcopi, in Sancta Alexandrina Synodo Dei gratia congregati.* Integra epistolæ sententia hæc est : cum vellent Episcopi Ægiptii, quibus Athanasius præerat, adversus Arrianorum perfidiam, improbosque conatus Synodum, ad quam jam convenerant, perficere, ut tutiùs omnia ad exitum reducerentur, fingebantur à Felice Papa facultatem petiisse celebrandi concilii, profitentes se nihil velle absque Sedis Apostolicæ auctoritate peragere, imò & adfirmantes, fuisse jam in Nicæno Concilio constitutum, *non debere absque Romani Pontificis sententia concilia celebrari*, quamquam fateantur, hoc statutum Nicæni Concilii periisse cum aliis canonibus benemultis, ex hæreticorum facto. Deinde fingebantur conquesti, se à propriis sedibus pelli, petentes Sedis Apostolicæ auctoritate restitui, præsertim cum in Nicæna Synodo statutum etiam adpareret, Episcopos à nemine posse accusari, aut damnari, & si expulsi, damnative fuissent, debere primùm restitui, antequam legitimo judicio accusantium vox audiatur. Quid Felix Papa responderit, aut respondisse eum finxerit Mercator, alio in loco animadvertendum fuit. Interea liquet, propositam sub Athanasii nomine epistolam sapere Mercatoris manum, stylum, & phrasim, cum ibidem eæ ipsæ describantur sententiæ, quæ passim in ceteris Isidorianis epistolis exhibentur. Atque in hac ipsa epistola cautiùs decipere recentiores voluit Mercator, dum sententias suas totas ferè ad Concilii Nicæni sanctiones exegit, quas tamen sanctiones deperditas fuisse commemoravit, ut curiosis rerum veterum investigatoribus viam omnem præcluderet. Ad hanc rem ita scribit Baronius ad annum 357. §. 66. *Quæ fertur Athanasii nomine ad Felicem Romanum Pontificem ex Synodo Alexandrina scripta ab Episcopis Ægipti, Thebaidis, & Lybiæ, haud æquè probatur; quippe quòd qualis fuerit status Ecclesiæ Alexandrinæ, ab eo tempore, quo exulante Liberio Felix sedere cœpit, jam satis superiùs est demonstratum, ut nullus planè locus, vel tempus cogendæ Synodi potuerit esse Athanasio fuga lapso, & in eremo latitante, atque aliis Episcopis pariter exturbatis. Sunt præter hæc multa alia, quæ ibi posita minùs arrident, ut cum de ipsius Felicis ordinatione Athanasius eundem Felicem reddit certiorem. At ipse suas merces Mercator emat. De reliquis autem alii judicent.* Addi potest his, verosimile minimè esse, Athanasium infensissimum Arianorum hostem facilè communicasse Felici, quem fama erat cura Arianorum fuisse suffectum ejecto Liberio ; imò ex germana epistola ejusdem Athanasii, scripta ad solitariam vitam agentes, colligitur, Athanasium Felici Papæ quoquo modo fuisse adversatum. Liquet ex his, quale debeat esse judicium de memorato canone 11. caus. 9. quæst. 3., videlicet inter Isidorianos erit rejiciendus. Ad eam vocem, quæ ibidem occurrit, *potestativè*, adnotandum est, eam, licèt inveniatur & in epistola integra Mercatoris, & in multis codicibus Gratiani, in aliis tamen ejusdem Gratiani editionibus antiquis desiderari, cujus loco ista describuntur : *potestati suæ sua auctoritate restituere.*

CAPUT VII.

De Eusebio Emeseno.

Eusebio Emeseno tribuitur apud Gratianum canon 35. de cons. dist. 2., qui tamen est incerti scriptoris.

NEmo ignorat, medio quarto Ecclesiæ sæculo Catholicorum, Arianorumque partes adeò fuisse commixtas, ut, paucis exceptis Nicænæ fidei vindicibus religiosissimis, de plurimis vix dignosceretur, an Catholicam fidem, an Arianorum perfidiam sectarentur. Cum enim Ariani subdolo, callidoque consilio diversas fidei formulas in indoctum vulgus spargerent, quibus hæreseos suæ notas, & characteres, quoad fieri posset, dissimularent, vulgo ex iis nonnulli credebantur Catholici, imò per illas Catholicorum plures ad se pertrahebant. Hæc ratio est, quare Eusebius Emesenus Episcopus, vir ceteroquin omnium literarum genere eruditissimus, non tantùm apud recentiores, sed etiam apud veteres scriptores variam sui nominis famam retulerit, nimirùm apud quosdam vir sanctus, & clarus miraculis existimatus, apud alios inter Arianos hæreticos damnatus: nec defuerunt, qui eum Arianorum patronum, ac principem vocarent. Fuit ille Athanasio, ab Alexandrina Ecclesia ab Arianis expulso, substitutus, fortè errore facti deceptus, quòd putasset, justè, ac ritè Athanasium ejectum ob gravissima crimina, de quibus accusatus palàm proponebatur, quemadmodum & eodem tempore S. Felix in locum Liberii Papæ ab Arianis ejecti ad Romanam Sedem occupandam vocatus fuit. Ceterùm Emesenus non diù Alexandrinam Ecclesiam tenuit; scilicet cum graviter extimesceret odium civium Alexandrinorum in se concitatum, quòd ægrè ferrent Athanasii exilium, spontè Alexandria aufugit, & postea ritè Emesenæ Civitatis Episcopatum suscepit. Itaque invisus pluribus esse debuit vir præclarus ob suam in Athanasii locum substitutionem, quamobrem apud illos Arianorum signifer audire debuit: neque eam maculæ speciem ab opinione hominum delere potuerunt patrata ab ipso, divina operante virtute, miracula, utpote quæ præstigia ab ejus adversariis judicarentur, quasi dœmonis arte jactata, præsertim quod vulgò diceretur Eusebius in Mathesim solertissimam olim operam contulisse. Hinc Socrates lib. 2. histor. c. 6. ejus viri prodigia *portentosas quasdam præstigias* appellavit. Nolo ego in hac causa judicem agere videri, neque ita facilè remotissimæ ætatis acta dirimere; præsertim quòd quæ apud Gratianum Eusebio tribuuntur, falsò eidem adscripta esse videantur, neque Gratianei laudati canonis auctoritas pendere propterea possit ex semel definita Eusebii virtute, atque doctrina.

Recensuit Gratianus sub Eusebii Emeseni nomine canonem 35. de cons. dist. 2., qui sanè legitur integer post Romanam Correctionem inter ejusdem Episcopi homilias hom. 5. post. Pascha. Plures quidem scripsit Eusebius homilias, quæ hodie collectæ sunt in Bibliotheca Patrum; sed quoniam inter istas multa leguntur ad Gallicanam Ecclesiam pertinentia, scilicet de Martyribus Lugdunensibus, de Gennadio Arelatensi, de S. Maximo Rejensi, de Litania Triduana à S. Mamerte Viennensi instituta, aliisque similibus, facilè est colligere, harum homiliarum non Græcum Episcopum, sed Latinum, & Gallicanum fuisse scriptorem. Hinc alii auctorem prædicant Hilarium Arelatensem, alii Eucherium Lugdunensem, alii Cæsarium Arelatensem, alii demùm etiam Rabanum, aut Bedam. Incertitudinem auget observatio Andreæ Schotti, qui in præfatione

ge-

generali ad easdem homilias animadvertit non in omnibus MSS. veteribus auctoris nomen homiliis illis adscriptum fuisse. Itaque quousque res hisce tenebris offunditur, nec liquet, cujus auctoris homilia sit, nemo sanè judicare poterit, qualis habenda sit canonis memorati apud Gratianum auctoritas.

CAPUT VIII.

De Hilario Pictaviensi.

Hilario Pictaviensi Episcopo tribuuntur apud Gratianum sequentia capita.

Can. 82. *de cons. dist.* 2. *ex integris codicibus supplendus, atque emendandus.*
Can. 15. *de cons. dist.* 2. *est potiùs Augustini.*
Can. 78. *de cons. dist.* 2. *pertinet ad homilias, Eusebio Emeseno tributas.*
Can. 79. *de cons. dist.* 2. *est potiùs Rathberti Corbejensis Abbatis.*

FLoruit medio quarto sæculo Hilarius Pictaviensis Ecclesiæ in Aquitania Episcopus, vir & ob singularem morum integritatem, & ob insignem doctrinam omnibus omnino spectabilis; quo tempore multa pati debuit ab Arianis, Ecclesiam undecumque turbantibus, exilio etiam pulsus, à quo tamen deinde gloriosè reversus est *acerrimus Ecclesiæ Catholicæ adversus hæreticos defensor*, quemadmodum appellatur ab Augustino in lib. 1. adversus Julianum Pelagianum cap. 3. De Hilarii operibus magna cum laude mentionem fecit Hieronymus, quæ in epistola ad Lætam ait *inoffenso pede posse deccurri*, & in epistola ad Paullinam scribit; *S. Hilarius Gallicano cothurno attollitur, & cum Græciæ floribus adornetur, longis interdum periodis involvitur, & à lectione simpliciorum fratrum procul est.* Eminent verò inter cetera ejus opera libri duodecim de Trinitate, in quorum octavo legitur canon 82. de cons. dist. 2., cujus sententiam ut probè explicemus, & scopus sancti Doctoris investigandus est, & verba observanda, quæ Gratianeum fragmentum præcedunt, à quibus commoda pendere videtur interpretatio. Itaque ibidem Hilarius totus est, ut demonstret Divinum Verbum Dei Filium esse unum cum Patre, non quidem tantùm unitate voluntatis, atque concordiæ, verùm etiam unitate naturæ, quod quidem adversus Arianos disputabat. Etenim cum Ariani Sacrarum Literarum testimonia, quibus Verbum unum esse cum Patre tradebatur, interpretarentur de unitate concordiæ, scribebat è contrario Hilarius his verbis: *Eos nunc, qui inter Patrem, & Filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo, utrumne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim verè Verbum Caro factum est, & nos verè Verbum Carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus adsumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub Sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit. Ita enim omnes unum sumus, quia in Christo Pater est, & Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter Patrem in Christo negabit, neget priùs non naturaliter, vel se in Christo, vel Christo sibi inesse, quia in Christo Pater* (hinc exordiatur Gratianus in laudato can. 82.) *& Chris-*

Can. 82. de cons. dist. 2.

Christus in nobis unum in his esse nos faciunt. Si verè &c. Quæ sequuntur apud Gratianum in aliquibus à vulgatis Hilarii codicibus non omnino consonant; nam pro illis Gratiani verbis *dum secundum hoc, quod nos sumus, in Deo est; quod autem &c.* legitur apud Hilarium: *dum secum hoc, quod nos sumus, in Deo est; quam autem &c.*, item pro illis verbis *per carnem ejus vivemus*, legitur *per carnem ejus vivimus.* Deinde post illa Gratiani verba, *cum vivat ipse per Patrem?* ita prosequitur Hilarius: *per Patrem autem vivit, dum nativitas non alienam ei intulit, diversamque naturam, dum quod est, & ab eo est, non tamen ab eo per aliquam incidentem naturæ dissimilitudinem separatur, dum in se habet Patrem per nativitatem in virtute naturæ. Hæc autem idcirco à nobis commemorata sunt, quia &c.* In fine ejusdem canonis vers. *Corpus Christi* adjecit Gratianus, quæ jam retulerat in canone 79. eadem dist. 2. de cons. nescio sanè qua de causa. Certum tamen est, verba ejusdem versiculi apud Hilarium minimè legi. Sed de his agetur inferiùs ad dictum canonem 79. Illud interea addere juvat sententiam canonis 82. ita ab Hilario fuisse compositam, ut ex duplici similitudine, & quòd Christus communem nobiscum humanam verè naturam adsumserit, & quòd, dum Eucharistiam sumimus, verè Christum ipsum Dominum in nobis suscipiamus, non tantum unione affectionis, sed unione substantiæ, deduceretur, eadem ferè ratione, Verbi divini naturam unam eandemque esse cum natura Patris, & Verbum ipsum verè esse in Patre. Sanè quemadmodum Hilarius ingeniosò ex his demonstrabat adversus Arianos, Verbum Divinum verè esse Deum, quis etiam ex iis facilè non demonstraret, aut adversus Euthychianos Verbum Divinum esse verè hominem factum, aut adversus recentiores Etherodoxos Corpus Christi verè esse in Sacramento Eucharistiæ? Si enim Hilarius ex eo, quòd Christus in nobis per Eucharistiam reverà insit, non unione tantum affectus, sed unione rei, probavit Verbum Dei esse in Patre unione substantiæ, viceversa valebit etiam argumentum ex Hilarii mente, ut quemadmodum Verbum Dei verè in Deo est, ita & Corpus Christi verè sit in nobis, ubi Sacrosanctum Eucharistiæ suscipimus Sacramentum.

Refertur etiam sub nomine Hilarii Episcopi can. 15. de cons. dist. 2., verùm apud Hilarium minimè legi, & potiùs exhiberi in epistola Augustini ad Januarium jam Romani Correctores animadverterunt; qui tamen licèt verba descripserint, qualia apud Augustinum habentur, non satis in aperto canonis sententiam collocaverunt. Sanè, si verborum ibidem descriptorum cortici adhærendum esset, fortè quisquam ex eo in laxiora adversus moralem Theologiam opinamenta raperetur, dum conjiceret, posse unumquemque ad Eucharistiæ Sacramentum suscipiendum accedere, statim ac eorum criminum non sit conscius, quibus excommunicatus & separatus ab Ecclesia esse non possit. Referenda res est ad integrum Augustini monumentum, cujus verba uberiùs recitantur in can. 13. dist. 2. de cons. §. *dixerit quispiam.* Scilicet ibidem Augustinus inquirens, nùm optimum sit, frequentiùs ad Eucharistiæ Sacramentum accedere, an perrarò, varias in medium quorumdam oppiniones adducebat. Alii enim, ajebat ipse, suadebant, unumquemque quotidie ad Eucharistiam accedere, nec abstinere, nisi fuerit excommunicatione ab Ecclesia divisus. Alii viceversa monebant, neminem ad illud Sacramentum venire, nisi primùm ab omnibus levissimis etiam peccatorum maculis immunem se esse cognosceret. Has opiniones non probando, sed commemorando recensuit Augustinus; proptereaque quæ in dicto canone 15. legimus, exhibent non Augustini, sed aliorum ab Augustino com-

Can. 15. de cons. dist. 2.

memoratorum sententiam. Quod si curiosiùs quæras, quomodo in Gratianei canonis inscriptionem irrepere potuerit Hilarii nomen, dicam, fortè aliquem ex Collectoribus, qui primus fragmentum illud edidit, tribuisse Augustino scribenti ad Januarium; atque cum Augustinus alienam opinionem proponeret, suspicari quidam deinde potuit eam fuisse opinionem Januarii Episcopi, unde canonem duxerit Januario Episcopo adscribere: Canon ita adscriptus adscribi postea potuit Hilario ab imperito quodam Amanuensi, qui pro nomine Januarii legerit nomen Hilarii ob quamdam syllabarum affinitatem, præsertim si consideremus in veteribus manuscriptis breviari voces consuevisse, & facilè contingere potuisse, ut in hac ex. gr. inscriptione *Jarius Episcopus*, quæ ita legi debuisset *Januarius Episcopus*, potiùs legeretur *Hilarius*, vel *Ilarius Episcopus*.

Can. 78. de cons. dist. 2. Falsò etiam tribuitur Hilario Pictaviensi can. 78. de cons. dist. 2., qui, si fides esset vulgatis codicibus, potiùs Eusebio Emeseno tribuendus videretur. Etenim inter vulgata opera Eusebii in homilia 5. post Pascha, ubi comparatio fit inter Manna Judæorum & Christianorum Eucharistiam, ista leguntur: *De quo pane* (videlicet Eucharistico) *vetus narrat historia, nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus paraverat, reperit minus, eo quòd Eucharistiæ Sacræ perceptio non in quantitate, sed in virtute consistat; quod corpus Sacerdote dispensante tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto; quod cum Ecclesia fidelium sumit, sicut plenum in universis, ita integrum esse probatur in singulis.* Hæc sanè nemo non videt, eadem prorsus esse cum verbis dicti canonis 78., quamquam paulò alitèr disposita. Eam ipsam homiliam Eusebio Emeseno adscribendam Gratianus voluit, dum ex eadem ipsa laudavit canonem 35. de cons. dist. 2. Ceterùm, quemadmodum superiùs ad eundem canonem 35. animadvertendum fuit, nec tutò adfirmari potest, homiliam illam Eusebii esse. Adnotat ad homilias illas Andreas Schottus, non posse esse alicujus Orientalis Scriptoris, sed potiùs Latini, & Gallicani, cum multa in iis legantur ad Gallicanam Ecclesiam singulari jure pertinentia: imò etiam adnotat, in nonnullis codicibus legi easdem sub nomine aut Eucherii Lugdunensis, aut Hilarii Arelatensis. Exindè verò colligimus, quam ob causam contigerit, ut can. 78. sub nomine Hilarii exhiberetur; fortè enim Collector, qui primus canonem edidit, utebatur eo codice homiliarum, qui nomen inscriptum haberet Hilarii Arelatensis, unde non omnino injuria etiam canoni ipsi Hilarii nomen adjecit. Si quis itaque velit canonem Hilario Arelatensi adscribendum, ego minimè repugnabo, cum verosimile esse possit, homilias illas fuisse ab Hilario Arelatensi conscriptas. Attamen nullo modo probare possum veteres aliquot Gratiani editiones, in quibus in inscriptione ejusdem canonis legabatur *ex Hilario Papa*, proindeque magis probandæ sunt recentiores vulgatæ Gratianei codicis editiones, in quibus legimus simpliciter *Item Hilarius*, ut non incommodè Hilarius Arelatensis quasi auctor canonis agnosci possit.

Subsequitur apud Gratianum can. 79. de cons. dist. 2. sub hac inscriptione *Idem*, quæ significat ex Hilario Episcopo esse canonem derivatum. De Hilario non Arelatensi, sed Pictaviensi sensisse Gratianum, colligo ex eo, quòd idem Collector in fine sequentis canonis 82. eadem verba descripserit iterùm sub nomine Hilarii Pictaviensis. Ceterùm neque erant verba illa adscribenda Hilario Pictaviensi, neque Hilario Arelatensi, sed potiùs Rathberto Abbati Corbejensi, sæculi noni Scriptori; hic enim in libro de Corpore, & Sanguine Christi cap. 4. ita scribit: *Sed si veraciter inspicimus, jure simul veritas, & figu-*

Can. 79. de cons. dist. 2.

gura dicitur, ut sit figura, vel character veritatis, quod exterius sentitur: veritas verò est, quidquid de hoc mysterio interiùs rectè intelligitur, aut creditur. Ex quibus verbis Gratiani canon erit emendandus.

Qua verò de causa factum fuerit, ut pro nomine Rathberti nomen Hilarii adscriberetur, mihi satis compertum esse non potest.

CAPUT IX.

De Basilio.

Sequentes Canones ex Basilio Gratianus descripsit.

Ex Libro de Spiritu sancto.
- *Can.* 5. *dist.* 11. *ad varias Græci textus interpretationes exigendus.*

Ex homilia in Lucam.
- *Can.* 8. *dist.* 47. *Basilio æquè atque Ambrosio tribuendus.*

Ex Epistola ad Amphilochium.
- *Can.* 31. *dist.* 50. *ex integris Basilii codicibus emendandus, atque explicandus.*

Ex ceteris libris, præsertim Asceticis, sive institutiones monasticas spectantibus.
- *Can.* 22. *dist.* 54. *perperàm octavæ Synodo adscriptus.*
- *Can.* 4. *dist.* 90. — *Can.* 5. *dist.* 90. — *simul jungendi, & perperàm octavæ Synodo adscripti.*
- *Can.* 9. *caus.* 1. *q.* 1. *perperàm octavæ Synodo adscriptus.*
- *Can.* 7. *caus.* 5. *q.* 6. *perperàm octavæ Synodo adscriptus.*
- *Can.* 28. *caus.* 11. *q.* 3. *referendus ad can.* 18. *caus.* 11. *q.* 3.
- *Can.* 77. *caus.* 11. *q.* 3. *perperàm octavæ Synodo adscriptus.*
- *Can.* 2. *caus.* 20. *q.* 4. *referendus ad librum Pœnitentialem Theodori Cantuariensis.*
- *Can.* 7. *caus.* 26. *q.* 7.
- *Can.* 8. *caus.* 26. *q.* 7.
- *Can.* 9. *caus.* 26. *q.* 7.
- *Can.* 10. *caus.* 26. *q.* 7.
- *Can.* 11. *caus.* 26. *q.* 7.

  perperàm octavæ Synodo adscripti, & ad diversa Basilii monumenta exigendi.
- *Can.* 22. *caus.* 27. *q.* 2. *perperàm octavæ Synodo adscriptus.*
- *Can.* 1. *de pœn. dist.* 2. *perperàm octavæ Synodo adscriptus.*
- *Can.* 25. *de cons. dist.* 2. *perperàm octavæ Synodo adscriptus.*

QUamquam maxima sit, sicut esse debet, apud me Patrum omnium veterum existimatio, neque ausim inter illos comparationem facere, ut meo judicio aliis alios præferam; tamen quotiescumque mihi detur palam facere, in cujus monumentis legendo, meditandoque singularem præ ceteris senserim jucunditatem, non possum non fateri lectionem Basilii Cæsareæ in Cappadocia Episcopi mihi semper fuisse multò dulcissimam, ita ut in ejus operibus evolvendis, perpendendisque summum mihi delicium constituerim. Novi statim in eo eximiam rerum gerendarum prudentiam, sanioris semper consilii gravitatem, in tradendis regulis ad instituendam sinceram inter homines societatem appositis dexteritatem, & mirabilem modum, in orationibus publicis vim sanè, & robur invictissimum, in configendis hæreticis argumentorum

subtilitatem cum soliditate conjunctam, eam demùm sententiarum rationem, in qua non nisi integerrimum vita, & moribus virum deprehenderem; quod tunc etiam percepi maximè, cum in recentiorum Patrum plurimorum monumenta scrutatus, statim nosse potui, multa apud ipsos esse à Basilii operibus derivata, & non tam recentiores vetustiorem imitari conatos fuisse, quam integras vetustioris sententias eosdem recentiores verbo ferè tenus in sua volumina transtulisse. Floruit ille post medium sæculum quartum apud suos veneratissimus, apud ceteros summis laudibus celebratus, posteritati habitum velut exemplar insigne; hinc Cassiodorus in præfatione libri divinarum institutionum recensuit illum in Cathalogo *Studiosissimorum virorum, quos Græca facundia concelebrat*, & Gregorius Theologus, vulgò Nazianzenus, qui ei familiari necessitudine jungebatur, affirmare non dubitavit, tantùm Basilii orationem omnibus hominum sermonibus antecedere, quantùm divina vox præstat humanis. Videatur oratio funebris Gregorii de laude Basilii, in qua singula Basilii opera quàm maximè celebrando persequitur. Ex hujus Sancti Antistitis monumentis, quæ vel ad præsidium veræ fidei, vel ad sacrarum literarum germanam interpretationem pertinent, vix unum aut alterum apud Gratianum relatum est. Plura sunt excerpta ex libris, vel ad disciplinam Ecclesiasticam, vel ad mores monasticos informandos spectantibus. In omnibus sanè existit eximia prudentia æque atque doctrina.

De libro de Spiritu sancto.

Caus 5. dist. 11.

Exordior à libro mirandæ profectò sapientiæ de Spiritu sancto, de quo ita loquebatur laudatus Gregorius in oratione funebri Basilii: *Cum ea, quæ de Spiritu sancto scripsit, evolvo, Deum, quem habeo, nanciscor, veritatem libero, & fidenti animo prædico, illius videlicet Theologiæ & prædicationi insistens.* Reverà ibidem solida quadam, & ad Sacras Literas exacta philosophia enucleatur, ita dixerim, vera de Divina sancti Spiritus natura doctrina, adversus quam, duce Aetio, nonnulli dicere, aut scribere cæperant. Exinde depromptus est can. 5. dist. 11., cujus tamen verba à simplicioribus ad greca exemplaria consonis codicibus nonnihil aberrant, cujus diversitatis causa ex eo profecta est, quòd variæ in lucem prodierint latinæ è græco idiomate versiones. Romani Correctores in notis ad eundem canonem & græcum textum subjecerunt, & alteram græci textus interpretationem; sed etiam hæc paulò distat ab aliis editis, vulgatisque Basiliani codicis exemplaribus. Duas ego adhuc versiones in præsentia exhibebo, ex quibus clariùs intelligi Basilii sententiæ possint. Prior est editionis Antuerpianæ anni 1516. opera Andreæ Schotti vulgata, interprete Desiderio Erasmo, ubi ista leguntur cap. 27. *Dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scriptorum prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus; Quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sanè, vel tenuiter expertus est, quæ sint jura Ecclesiastica. Nam si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tanquam non multum habentes momenti, conemur rejicere, imprudentes & ea damnabimus, quæ in Evangelio necessaria ad salutem habentur, imò potiùs ipsam Fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Quod genus est, ut ejus, quod primum est & vulgatissimum, primo loco commemorem, ut signo Crucis eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis scripto docuit? Ut ad orientem versi precemur, quæ nos docuit scriptura? Invocationis verba, cum ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis quis Sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat Apos-*

to-

tolus, aut Evangelium, verùm alia quoque & ante & post dicimus, tanquam multum habentia momenti ad mysterium, quæ ex traditione citra scriptum accepimus. Consecramus autem aquam Baptismatis, & Oleum unctionis, præterea ipsum, qui Baptismum accipit; ex quibus scriptis? nonne à tacita secretaque traditione? Ipsam porrò Olei inunctionem quis sermo scripto proditus docuit? Jam ter immergi hominem, unde est traditum? Reliqua item, quæ fiunt in Baptismo, veluti renunciare Satanæ, & Angelis ejus, ex qua scriptura habemus? nonne ex privata, & arcana hac traditione? nonne ex doctrina, quam Patres nostri in silentio, quod curiosos, & otiosos submovet, servarunt? Pulchrè quidem illi, nimirùm docti arcanorum venerationem silentio conservari. Altera versio est recentior Maurinæ editionis, qua ita habetur: *Ex adservatis in Ecclesia dogmatibus, & prædicationibus alia quidem habemus è doctrina scripto prodita, alia verò nobis in mysterio tradita recepimus ex traditione Apostolorum, quorum utraque vim eandem habent ad pietatem, nec iis quisquam contradicet; nullus certè, qui vel tenui experientia noverit, quæ sint Ecclesiæ instituta. Nam si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tanquam non multum habentes momenti, adgrediamur rejicere, imprudenter Evangelium in ipsis rebus præcipuis lædemus, imò potiùs prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Verbi gratia, ut ejus, quod primum est, & vulgatissimum primo loco commemorem, ut signo crucis eos, qui spem collocant in Christo, signemus, quis scripto docuit? ut ad orientem versi precemur, quæ nos docuit scriptura? invocationis verba, cum conficitur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus, aut Evangelium, verùm alia quoque & ante, & post dicimus, tanquam multum habentia momenti ad mysterium, quæ ex traditione non scripta accepimus. Benedicimus autem & aquam baptismatis, & oleum unctionis, imò ipsum etiam, qui baptismum accipit; ex quibus scriptis? nonne à tacita, secretaque traditione? ipsam porrò olei inunctionem quis sermo scripto proditus docuit? jam ter immergi hominem unde haustum? Reliqua item, quæ fiunt in baptismo, veluti renunciare Satanæ, & Angelis ejus, ex qua scriptura habemus? Nonne ex minimè publicata, & arcana hac doctrina, quam Patres nostri silentio quieto, minimeque curioso servarunt? Quippe illud probò didicerunt, mysteriorum reverentiam silentio conservari.* Hoc sanè monumentum adeò vividè, alacriterque tùm Divinarum tùm Ecclesiasticarum traditionum necessitatem expressit, ut recentiores hæretici traditionum omnium osores vel ex hoc uno librum hunc sancto Basilio abjudicaverint: Perperàm tamen, neque enim istæ sunt critices artis regulæ, quibus in discretione librorum utendum sit, ut ea quisque rejiciat, quæ suis opinionibus adversari dignoscit; præsertim verò hac in re, cum evidens sit de libri hujus fide laudatum Gregorii Theologi testimonium, cui consonat Hieronymus, cum in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis ait de Basilio: *Egregios contra Eunomium elaboravit libros, & de Spiritu sancto volumen.* Videantur adnotationes Frontonis Ducæi, quæ adjectæ sunt tom. 3. operum sancti Basilii in Maurina editione.

De Homilia in Lucam.

Est inter opera Basilii singularis quædam homilia in Evangelium Lucæ ad interpretationem verborum illorum capite 12. *Diruam horrea mea, & majora ædificabo.* Ex ea depromptus est can. 8. dist. 47., qui apud Gratianum tribuitur Ambrosio, & quidem in sermone 81. de eo, quod scriptum est in Evangelio: *Hominis cujusdam divitis fructus uberes ager attulit.* Sanè in veteribus Ambrosii codicibus exhibetur, quibus consonant Gratianea verba, prout hodie jacent, junctis Romanorum Correctorum Can. 8. dist. 47.

rum emendationibus. Verùm Maurini Monachi Ambrosianorum operum editores sermonem illum inter Ambrosianos recensere noluerunt ea ratione, quòd Basilio potiùs tribuendus sit ; cum apud Basilium idem legatur eodem ordine sententiarum exaratus, & vix immutatis quibusdum vocabulis causa latinæ diversæ interpretationis. Si mihi licet in hac re sententiam ferre, dixero jure & Basilio, & Ambrosio sermonem adscribendum esse. Illum primus Basilius composuit, & publicè recitavit : eodem deinde latinè reddito in sua Ecclesia usus fuit Ambrosius. Nemini id mirum videatur, cum sine probro, imò etiam cum laude Ambrosius potuerit græcis Basilii sermonibus uti, quòd essent maximè populo utiles, & mira elegantia elaborati. Neque enim novum id erit apud eum, qui libros Ambrosii cum libris Basilii comparet. Siquidem apud Basilium extat liber pulcherrimus in Hexameron, in quo divina sex dierum opificia explicantur : legimus quoque apud Ambrosium opus simile, non solùm eodem titulo nuncupatum, sed etiam plurimis Basilii sententiis undique cumulatum, quod manifeste indicat, Ambrosio antiquissimum fuisse, scripta Basilii expendere, eademque latinitate donata suo nomine palam facere suis : tanta erat Basilii, ejusque doctrinæ existimatio, ut ejus traditiones viri sanctissimi non coerceri Græcorum finibus, sed alias in provincias traduci gravissimo sanè consilio judicaverint. Quoniam verò, ut superiùs animadvertebam, Gratianeus canon cum Ambrosianis codicibus consonat, videndum superest, an omnino etiam consonet cum codicibus Basilianis. Profectò quæcumque varietas inest, tota ex latinarum interpretationum varietate proficiscitur. Duas hoc in loco versiones proferam, ad quas monumentum exigatur. Prior est Petri Nannii in Antuerpiana editione, his verbis : *Quemadmodum enim, qui insania detinentur, non res ipsas vident, sed ea, quæ morbus affingit, ita tua anima avaritia occupata nihil nisi aurum, nihil nisi argentum contemplatur : libentius aurum, quam solem intueris. Optas omnia in auri naturam mutari, idque etiam, quatenus natura patitur, facis. Quid enim non pro auro machinaris ? Vinum tibi in aurum concrescit, vellera aurea fiunt, omnia mercimonia, omnia tua instituta aurum tibi adferunt, ipsumque aurum sese progeminat usuris crescens. Satietas nunquam, finis nunquam tuæ cupiditatis.* Et infra : *Ecquem, inquit, injuria afficio, si mea teneo ? quid ais tu ? Unde ea in vitam attulisti ? quemadmodum si quis in theatro sedilia occupet, ac deinde supervenientes excludat, sibi proprium vendicans, quod omnium usui patet, ad eum modum se divites gerunt. Cum enim quod commune est priores invaserunt, ex præoccupatione id proprium sibi faciunt. Quod si quisque, quod suæ necessitati leniendæ sufficeret, auferret, & quod superfluum esset, ei relinqueret, qui indigeret, nullus opulentus, nullus inops esset. Nonne nudus ex utero elapsus es ? Nonne nudus in terram reverteris ? Ista quæ habes, unde tibi orta sunt ? Si ultrò, fortuitòque dicis, impius es, cum non agnoscas, qui ea creavit, nec gratiam habes, qui ea tibi dedit. Si verò confiteris ea à Deo profecta esse, dic mihi, qua de causa acceperis. Num Deus injustus est, qui ea, quæ victus sunt, inæqualiter distribuit ? Cur tu dives, ille verò pauper est ? An non id ideo planè, ut & tu benignitatis, & fidelis dispensationis mercedem recipias, & ille magnificis tolerantiæ præmiis cohonestetur ? Tu verò cum omnia in inexplebilem avaritiæ tuæ sinum infarcias, neminem te putas injuria lædere, cum tot defraudes ? Quis est, qui avarus est ? Et plus quam suam partem vendicat ? Is nimirùm, qui non contentus est eo, quod ipsi sufficit. Quis fraudator est ? Qui, quæ singulorum sunt, aufert. An non tu avarus es ? An non fraudator ? Qui, quæ dispensanda acceperis, ea tibi propria facis. An qui vestitum vestibus renudat, vestium spoliator dicitur, qui verò nudum,*

cum

cum potest, non vestit, aliud nomen merebitur? Famelici panis est, quem tu detines, nudi vestimentum est, quod tu in tuis capsulis servas, discalceati solea est, quæ apud te computrescit, egeni pecunia est, quam tu defossam habes. Ergo totidem injuria afficis, quot præbere potuisti. Posterior versio est apud Maurinos in 2. tomo Basilianæ editionis his verbis: *Ut enim, qui præ insania mente moti sunt, res ipsas non intuentur, sed ea, ex quibus afficiuntur, sibi animo fingunt, ita anima tua ab avaritia possessa, cuncta aurum, cuncta argentum videt. Conspicias libentiùs aurum, quàm solem. Verti omnia in auri naturam exoptas, atque in id incumbis pro virili. Quid enim non moliris propter aurum? Frumentum tibi fit aurum, vinum in aurum concrescit, lanæ tibi in aurum vertuntur; mercatura omnis, omnis solertia parit tibi aurum: ipsum aurum generat semetipsum, dum per fœnera multiplicatur; neque tamen satietas est, neque finis reperitur cupiditatis.* Et infra: *Cui, inquit, injuriam facio, dum retineo mea, atque conservo? quæ, dic mihi, tua sunt? unde accepta in vitam intulisti? Velut si quis loco in Theatro ad spectandum occupato deinde ingredientes arceat, id sui ipsius proprium ratus, quod ad omnium communem usum proponitur, tales ejusmodi quoque divites sunt. Num communia præoccupantes, ea ob præoccupationem sibi adsumunt? quod si suæ quisque necessitati sublevandæ id modo, quod satis est, caperet, egeni verò relinqueret, quod superfluum est, nemo esset dives, pauper nemo. Nonne nudus egressus es ex utero? Nonne nudus iterum in terram reverteris? Unde autem tibi præsentia bona? Si à fato dixeris, impius es, qui non agnoscas conditorem, neque gratiam habeas largitori. Sin confiteris esse à Deo, dic nobis rationem, cur acceperis. Num injustus Deus, qui nobis inæqualiter vitæ necessaria distribuit? Cur, divite te, ille pauper est? An non utique, ut & tu benignitatis, ac fidelis dispensationis mercedem accipias, & ille magnis patientiæ præmiis donetur? Tu verò inexplicabilibus avaritiæ simulis omnia complexus, atque his tam multos privans, nemini ullam injuriam facere te existimas? Quis avarus est? Qui rebus, quæ satis sunt, contentus non est. Quis spoliator? Qui cujusque res aufert. Non avarus es tu? non spoliator es tu? qui scilicet, quæ dispensanda recepisti, ea tibimetipsi propria facias. Furne vocabitur, qui veste indutum denudarit, qui verò nudum non induerit, id si agere potest, alia quadam appellatione dignus est? Esurientis est panis, quem tu detines: nudi est pallium, quod tu in arca servas: discalceati calceus, qui apud te putrescit: indigentis argentum, quod defossum habes. Quare quot hominibus dare potes, tot infers injuriam.* Auream istam sententiam ita integram descriptam ideò volui, ut non solùm Gratianeum fragmentum, quòd aliàs Ambrosianis codicibus consonat, & Basilianis operibus consonare videatur, verùm etiam ut Gratiani monumentum ex integra sententiæ descriptione ad majorem elegantiam componatur.

De epistolis ad Amphilochium.

Tribus epistolis, quas ideò Canonicas appellant, quòd pœnitentiales canones exhibeant, Amphilochium Iconiensem Basilius de pœnitentium disciplina erudivit. Distributæ sunt illæ in canones 84., imò etiam in plures apud illos, qui alia fragmenta epistolarum Basilii canonibus adjecerunt; easdemque cum notis Balsamonis, & Zonaræ latinas & græcas edidit Guillielmus Beveregius in tom. 2. Pandectarum canonum. Ad canonem 27. in epist. 2. videtur pertinere can. 31. dist. 50. En Basilii verba, latinè reddita Gentiano Herveto interprete. *De presbytero, qui per ignorantiam nefariis nuptiis implicatus est, definivi, quæ oporteat, esse quidem Cathedræ participem, à reliquis autem actionibus abstinere, ei enim sufficit venia,* (clarius Beveregius: *ei enim sufficit, ut veniam consequatur*). *Ut is autem aliis benedicat, qui sua debet negotia curare* (vertit

Can. 31. dist. 50.

tit Beveregius: *qui sua debet vulnera curare*) *non est consentaneum. Benedictio enim est sanctificationis communicatio; qui autem eam non habet propter ignorantiæ lapsum, quomodo aliis communicabit? Nec ergo publicè, nec privatim benedicat, nec Christi Corpus aliis impertiat, nec aliquod aliud sacrum ministerium obeat, sed quod præsideat contentus, aliis & Christo defleat* (Beveregius *aliis & Domino defleat*), *ut sibi ignorantiæ peccatum condonetur.* Hæc sanè Basilii verba non parùm à Gratianeo canone distant; etenim cum Basilius de solis sacerdotibus ignorantia lapsis sermonem instituerit, eisque solum inter consacerdotes sedendi honorem tribuerit, ceteris honoribus, ac juribus denegatis, Gratianus indiscriminatim de lapsis omnibus locutus est, eisdemque communionis, & altaris, & baptismi ministerium indulsit, quæ sanè indicant, lapsis Sacerdotibus concessa fuisse apud Basilium Diaconorum officia. Romani Correctores animadverterunt, ad rem Gratiani accedere potiùs canonem 14., qui in recentioribus editionibus est 12. Concilii Aurelianensis 1. anni 511., quique refertur apud Gratianum in can. 14. §. *Si verò* dist. 81. Verùm neque iste omninò eandem sententiam exhibet, qualis exprimitur in laudato can. 31.; nam in can. 14. mentio fit de Sacerdote, pœnitentiam primùm suscipiente, cui necessitate demùm urgente baptizare permittitur; at in can. 31. de Sacerdotibus agitur post susceptam pœnitentiam lapsis; atque iis indiscriminatim non Baptismatis tantùm, sed Eucharistiæ collatio, nec non altaris ministerium indulgetur. Præterea Romani Correctores similem sententiam quæsiverunt in can. 9. Concilii Neocæsariensis: verùm & ibidem adparet diversa species. Refertur apud Gratianum in can. 1. caus. 15. quæst. 8., atque in eo de peccatis sermo est, quæ quis ante adeptum Sacerdotii gradum admisit, de quibus sanè intelligere minimè possumus laudatum canonem 31., à quo propterea utpote minimè consono germanis Patrum monumentis, solidum argumentum deducere nemo facilè poterit.

De ceteris Basilii libris, præsertim Asceticis, sive Institutiones Monasticas spectantibus.

Progredior ad cetera Basilii opera, quæ Ascetica vulgò appellant, in quibus scilicet sanctus Antistes complexus est optimas Monachorum, ac Monasteriorum institutiones, pluribus editis opusculis, mira sanè sapientia prudentiaque conscriptis. Ex his sunt in vulgatis Basilii codicibus in primis sermones duo, deinde regulæ fusiùs disputatæ, id est, dialogi instar compositæ, & variis aptissimis sententiis exornatæ: sunt etiam regulæ breviores, eadem quidem dialogi methodo elaboratæ, sed breviori stilo contractæ. Non tamen ignorandum est, regulas istas, sive fusiùs disputatas, sive breviores, à nonnullis fuisse potiùs adtributas Eustachio Sebasteno, quemadmodum refert Sozomenus lib. 3. cap. 13. Sed parvi momenti est auctoritas ita opinantium, cum aliàs non desint insignes & veteres Ecclesiastici Patres, ac Scriptores spectabiles, qui illas regulas Basilii nomine memoraverunt, quales fuere Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, Ruffinus, Cassianus, & Photius. Et quamquam Bellarminus regulas breviores à Basilio abjudicare conatus fuerit, quòd auctor illarum in cap. 1. & 45. visus fuerit traditiones rejicere universas, & in capite 293. visus fuerit peccatorum discrimina non agnoscere; sunt tamen gravissimi Theologi viri, qui commodè interpretati sunt illa monumenta, & sine auctoris injuria explicaverunt. Opuscula hùc usquè memorata universa edita sunt in singulis Basilianorum operum editionibus. Sed præterea his addi posset opusculum aliud, quod vulgò inscribitur *de Institutis Monachorum*, è græ-

co

eo latinè redditum à Ruffino Torano, atque exhibetur in codice regularum, auctо Luca Holstenio, editoque Parisiis anno 1684., quamquam an opus istud revera Basilii sit, ego maximè dubitaverim; sive quòd in vulgatis Basilii codicibus desideretur; sive quòd verosimile non videatur, sanctum virum tot opuscula ad eandem rem formare, atque edere voluisse, quorum in uno nihil amplius, quam in altero traderet, quæ observatio eò probabilior est, quò clariùs constat opuscula illa invicem conferenti, plurima, quæ habentur in regulis vel brevibus vel fusiùs disputatis, transducta esse ad librum de institutis Monachorum, aliquando etiam figura tenùs, & compositione verborum. Quamobrem ego conjicio, libellum hunc à quodam recentiore obscuri nominis auctore elucubratum fuisse ex variis hinc illinc depromptis Basilii sententiis, impositumque deindè eam ob causam opusculo Basilii nomen, quemadmodum in aliis hujusmodi operibus vetustis, Ecclesiæ Patribus adscriptis, non semèl evenit.

Hac præhabita generali Asceticorum Basilii operum specie, necessarium est hoc in loco Gratiani quædam errata detegere, aut illorum auctorum, à quibus monumenta sua Gratianus decerpsit. Videlicet cum describendum esset monumentum Basilii, pro nomine isto *Basilius* adscriptum fuit: *Octava Synodus*; quod etiam ipsum contigit, dum laudandum esset Isidori nomen, cum appareat pro Isidoro octavam Synodum commemoratam. Id prænotandum puto, antequam ad Gratianeos canones deveniam, quia plura sunt hujus errati apud Gratianum exempla, quemadmodum patebit ex iis, quæ inferiùs observabuntur. Erratum, ut arbitror, ex difficili MSS. codicum, præsertim breviatis vocibus de more veterum Amanuensium exaratorum, interpretatione, seu lectione profluxit. Finge enim ita adscriptum fuisse Basilii nomen *Bas̄ius*, facilè contingere potuit, ut prior syllaba *Bs* intelligeretur ita, ut significaret 8.ª propter similitudinem literæ *B.* & notam numeralem 8., & propter conjunctionem adjectæ literæ *a*, qua videtur ità legi posse *octava*, cum sit ita legendo *a* litera finalis. Duas alias posteriores syllabas breviatas *s̄ius*, nemo non videt, facilè potuisse percipi, quasi legendum esset *Sinodus*, sive *Synodus* ab imprudente & minùs accurato Amanuensi. Præterea in quibus canonibus Gratianus adscripsit & nomen Basilii & nomen Isidori, idem erratum evenire facilè potuit. Nam si fingas ita adscriptum: *Bs*: *s̄idus*, ut significaretur *Basilius*, *Isidorus*, transferri potuit syllaba *Bs* in vocem 8ª., sive *octava*, quemadmodum etiam vox *s̄idus* in vocem *Synodus*. Ne videantur fortè alicui nimis subtiles hujusmodi observationes (etenim aptissimæ inveniri ab eo poterunt, qui consideret, revera esse Basilii, vel Isidori, quæ à Gratiano tribuuntur octavæ Synodo) consideret præterea in veteribus MSS. plura errata hujus generis passim occurrere.

Jam verò post hæc ad Gratianeos canones deveniamus. Primus est canon 22. dist. 54., qui sanè ex illis est, qui nomine octavæ Synodi laudantur. Is jurè & Isidoro Hispalensi tribui, & Basilio potest. Isidori potissimùm est, qui in cap. 19. regulæ Monachorum eadem ferè verba descripsit, ibi: *Abbati, vel Monacho Monasterii servum non licebit facere liberum: qui enim nihil proprium habet, libertatem rei alienæ dare non debet. Nam sicùt sæculi leges sanxerunt, non potest alienari possessio, nisi à proprio Domino, ita & omne, quod in Monasterio in nummo ingreditur, sub testimonio seniorum accipiendum.* Similia omninò apud Basilium, ut verum fatear, non leguntur; verùm & ex Basilio & ex Isidoro fuisse laudatum canonem ab aliquo ex Collectoribus, qui Gratiano auctores fuerunt, suspicor ex eo, quod Isidorus plurima ex Basilio derivaverit, præsertim in laudatum cap. 19., ut liquidò constabit ei, qui utriusque Antistitis opera conferre voluerit. Can. 22. dist. 54.

Imò, si verùm amamus, idem caput verbis ipsis tenus Basilio rectè tribui nequit; nam in primis *abbatis* nomen, quod ibidem occurrit, à disciplina Basiliana alienum est, cum qui Monachis præfectus fuit, apud Basilium non *abbas* appellaretur, sed potiùs *Antistes*, aut *communis disciplinæ moderator*. Deinde, quod de servis Monasticis ibidem dicitur, ætati Basilii non satis convenire videtur, sed potiùs ad recentiora tempora referendum est; cum nullibi Basilius de Monasteriorum servis sermonem fecisse deprehendatur. Tantùm mentio servorum habetur in cap. 11. regularum, fusiùs disputatarum: ibi: *Quicumque verò sub jugo sunt servi, ii si ad fratrum conventum profugiant, admoniti, ac meliores effecti remittendi dominis sunt, & in hoc Paulus imitandus, qui Onesimum, quem per Evangelium ipse genuerat, Philemoni remisit.* Sed in his, ut patet, alia species est, quàm quæ apud Gratianum effingitur, cum apud Basilium de alienis, non de Monasteriorum servis agatur.

Can. 4. & 5. dist. 90. In Pœnitentiali Romano, ab Antonio Augustino evulgato, tit. 6. cap. 9. quædam traduntur sub nomine Concilii Moguntiensis, quæ plurimùm consonant cum canonibus 4. & 5. dist. 90. ibi: *Si quis murmurans extiterit, videat, ne pœnam murmurantium incurrat, de qua Apostolus dicit: neque murmuraveritis, sicùt quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore, & juxta mensuram, opusque peccati, quia in hoc sententia Apostoli pleniter declaratur, Sacerdotis judicio pœniteat.* Et cap. 10. *Qui contentiosus, aut murmurans existit, secundùm arbitrium Prioris ita pœniteat, qualitèr culpæ qualitas exigit.* Item in cap. 12. *Si quis contentiones, vel rixas amaverit, vel manifestum convicium fratri intulerit, juxta arbitrium Prioris, vel Rectoris, modumque peccati diuturna expietur pœnitentia.* Gratianus monumenta eadem laudavit sub nomine Synodi octavæ, quæ tamen meliùs tributa fuissent Basilio, dummodo eadem referantur ad eam Monachorum regulam, quam superiùs dixi editam sub Basilii nomine ab Holstenio; siquidem in ea interrogatione 71. ita legitur: *Si autem obediens quis murmuret? Resp. Apostolo dicente, omnia facite sine murmuratione, & hæsitationibus, alienus sit à fratrum unitate qui murmurat, & opus ejus abjiciatur. Manifestum enim est, ille qui talis est, quia infidelitate ægrotat, & certam futuræ spei fiduciam non gerit.* Et in cap. 93. *Si verò etiam quis murmuret propter escam, quæ erga eum sententia servabitur? Ea, quæ circa illos murmuraverunt in deserto; dicit enim Apostolus: ne murmuraveritis, sicùt quidam eorum murmurarunt, & perierunt ab exterminatore.* Quoniam verò superiùs observabam, libellum hunc fortè Basilii non esse, sed potiùs recentioris auctoris, qui Basilianas sententias aut imitari, aut alio ordine digerere studuerit, juvabit animadvertere, similia etiam quædam legi in regulis Basilii, fusiùs disputatis cap. 29. ibi: *Ceterùm, si quis murmurasse, aut plùs æquo extulisse se animadversus fuerit, hujus opus nequaquam cum illorum commisceri operibus debet, qui humiles sint, spirituque contriti; neque id ullo modo in pietatis veræ cultorum usus erogari. Siquidem quod altum est hominibus, id abominabile est apud Deum, eoque magis, quod hac de re est præceptum Apostoli, qui quidem sic dicit: neque murmuraveritis, sicut quidam murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.* Prætereà similia quædam habentur in regulis brevioribus cap. 39. & 133. Addi his possunt, quæ traduntur in sermone 1. de institutione Monachorum, utpote consona verbis versiculi *juxta mensuram* in dicto can. 4. ibi: *Qui in culpa aliqua deprehensi fuerint, ad magnitudinem delicti pœna etiam modus accommodatur*; & infra: *Qua in re qui erit communis disciplinæ moderator, is cum magnitudine culpæ pœnam etiam commetietur.* Postrema hæc verba admodum etiam consonant cum versiculo *qui contentiosus* in dicto can. 5., quemadmodum priora ejusdem canonis verba commodè referri possent ad cap. 17. regulæ Monachorum

rum apud Isidorum Hispalensem in illis verbis, ad Monachum delinquentem pertinentibus: *Si contentiones, vel rixas amaverit, si manifestum convicium fratri intulerit, si personam innocentem falsò crimine maculaverit... Hæc, & his similia juxta arbitrium Patris diuturna excommunicatione purganda sunt, & flagellis emendanda, ut qui graviùs peccasse noscuntur, acriori severitate coerceantur, consideratis tamen personis, qui sint humiles, quive superbi.* Istis sententiis, ex Basilio, & Isidoro, ut liquet, excerptis, quomodo octavæ Synodi nomen inscribi apud Gratianum potuerit, jam superiùs animadverti.

Eadem ratione sub nomine octavæ Synodi descriptus fuit canon 9. caus. 1. quæst. 1., qui referri ad Basilium jure optimo potuisset; nimirum in isto paucis contracta videtur quædam epistola Basilii ad Episcopos suffraganeos, quam edidit græcam & latinam Beveregius sub numero canonis 91. in tomo 2. suorum Pandectarum. Non opus est hic integram epistolam describere: ea tantum recensebo, quæ cum Gratiani fragmento potissimùm consonant. Ita Basilius: *Ajunt quidam, nonnullos vestrum accipere pecunias ab iis, qui ordinantur*; & infrà: *Si quis post hanc meam epistolam tale quid fecerit, ab altaribus quidem, quæ hic sunt, recedet: quæret autem ubi donum Dei emens possit vendere.* Romani Correctores adnotarunt, nonnulla similia legi tum in septima Synodo, tum in aliis Ecclesiasticis veterum monumentis. Nil dubito. Apertissimæ sunt adversus Simoniacos canonum pœnæ, quibus res sacras ementibus aut vendentibus exercitione Ecclesiastici muneris interdicitur: verùm id in præsentia non quærimus. Dum Gratiani collectionem expendimus, atque undè collector sua monumenta deprompserit investigamus, mihi verosimilius fuit ad Basilium laudatum canonem exigere, quandò ex aliorum canonum inscriptione mihi constat, Gratianum non semel octavam Synodum pro Basilio commemorasse.

Can. 9. caus. 1. q. 1.

Iterùm sub nomine octavæ Synodi descripsit Gratianus canonem 7. caus. 5. quæst. 6., qui laudatus fortè olim erat sub nomine Basilii & Isidori. Hùc præsertim pertinent verba Isidori, quæ jam superiùs exhibui ad canonem 5. dist. 90., deprompta ex cap. 17. Regulæ Monachorum ibi: *Si falsum dixerit, si contentiones vel rixas amaverit, &c.* Atque hinc nitidiùs adparet Gratiani erratum; etenim cum fragmentum dicti canonis 7. præsumatur olim una cohæsisse cum can. 5. dist. 90., aliàs autem adnotaverimus, canonem illum 5. contextum fuisse partim ex Basilii, partim ex Isidori sententiis, intelligimus facilè causam, quare in canonis inscriptionem octavæ Synodi nomen irrepserit.

Can. 7. caus. 5. q. 6.

Opportunum ad hanc rem mihi visum fuit hoc in loco etiam recensere canonem 28. caus. 11. quæst. 3. ob simile inscriptionis erratum. Scilicet & ipse inscribitur octavæ Synodo, quandò idem Gratianus fateri deberet esse potiùs Isidori Hispalensis, quippè qui eadem verba sub Isidori nomine laudavit in can. 18. eadem causa, & quæstione. Sed de hoc canone commodiùs suo loco erit inferiùs agendum, ubi de can. 18. caus. 11. quæst. 3.

Can. 28. caus. 11. q. 3.

Ad Isidorum Hispalensem pertinet eodem modo canon 77. caus. 11. q. 3. à Gratiano octavæ Synodo adscriptus: scilicèt eadem verba leguntur in libro Isidori sententiarum, sivè de summo bono, cap. 55. ubi de testibus agitur, ibi: *Erit autem ille apud Deum condemnatus, qui adversus innocentem falsum testimonium vel dicit, vel dicentibus credit. Nam non solùm ille reus est, qui falsum de alio profert., sed & is, qui citò aurem criminibus præbet.* Eadem fermè sententia exhibetur in regula Basilii Holsteniana cap. 121. his verbis: *Si is, qui consentit alteriùs peccato, etiam ipse peccati reus est? Resp. Hæc sententia est manifesta ex verbis Domini, quibus ait ad Pilatum, dicens: Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet.* Quamobrem etiam hoc in loco facile est suspicari, canoni inscriptum

Can. 77. caus. 11. q. 3.

primùm fuisse Isidori nomen, deindè adjectum fuisse nomen Basilii, ex utroque tandem profluxisse juxta ea, quæ superiùs adnotata sunt, octavæ Synodi inscriptionem.

Can. 2. caus. 20. q. 4. Tribuitur Basilio apud Gratianum canon 2. caus. 20. quæst. 4., quemadmodum & apud Ivonem in parte 7. decreti cap. 32. Verùm meo judicio Basilii esse non potest, quod conjicio ex eo „ quia ibidem occurrit nomen *abbatis*, de quo nulla unquam mentio habetur apud Basilium, appellantem eum, qui Monachis præest, potiùs nomine *Antistitis*, vel *communis disciplinæ moderatoris*, quemadmodum jam superiùs animadvertì. Adhùc tamen nonnihil legere possumus apud Basilium, quod sententiæ ejusdem canonis 2. quoquo modo conveniat. Etenim non semèl Basilius tradidit, Monachos suo Antistiti adeò obtemperare debere, ut omnia in ejus conferant voluntatem. Hinc in serm. 2. de institut. Monachorum, Adamo Fumano interprete, ità legimus: *Porrò vera perfectaque subjectorum adversùs moderatorem ordinis obedientia in eo cernitur, si quis ex ejus consilio non à rebus modò flagitiosis abstineat sed si nec ea quidem, quæ laudabilia sunt, sine sententia illius faciat. Nam abstinentia, & omnis corporis incommodorum perpessio utilitèr hæc quidem comparata ad aliquid sunt; at si quis propriæ obsequens voluntati spretis consiliis Antistitis sui id facere voluerit, quidquid sibi collibitum sit, hic plus erit, quod faciet mali, quam quod boni. Qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit, & præmium obedientiæ majus debetur, quam rectè facto cum continentia.* Ceterùm qui voluerit magis perspicuè dignoscere fontem, ex quo monumentum exhaustum est, referre illud debebit ad librum Pœnitentialem Theodori Cantuariensis, de quo suo loco inferiùs agam, ubi de hoc ipso canone iterùm mentionem habebo.

Can. 7. 8. 9. 10. & 11. caus. 26. q. 7. Iterùm incidimus in Gratiani emblemata, ubi nomine octavæ Synodi monumenta Basilii laudavit. Ita enim evenit etiam in canonibus 7. 8. 9. 10. & 11. caus. 26. quæst. 7. Ipsa quidem canonum verba apud Basilium minimè legimus, sed quæ apud Basilium leguntur, admodùm affinia sunt; quod in more fuit collectorum, qui in monumentis derivandis contenti sæpè fuerunt sententias Patrum alia verborum textura traducere. In primis canon 7. ità legendus erit ex regulis brevioribus ejusdem Basilii ad Monachorum institutionem editis cap. 106. Adamo Fumano interprete: Præcedit interrogatio: *Cujusmodi in Fratrum familia utendum est animadversionibus ad revocandum in rectam viam, qui peccant?* Subsequitur responsio: *Pro judicio suo Antistites tempus, modumque considerabunt, ratione habita cum ætatis, & corporis, tum animi habitus, & dissimilitudinis peccati.* Hæc eadem verba facilè quisque agnoscet consanare cum canone 8., nisi canonem 8. referendum velis potiùs ad aliam regulam, Basilii nomine ab Holstenio editam, in qua cap. 194. ita legitur: *Qualibus correptionibus uti oportet inter fratres ad emendationem eorum, qui delinquunt? Resp. Hoc sit in judicio positum eorum, qui præsunt, vel quanto tempore, vel quali modo corripi debeant, quia ætas & eruditio multam habere facit differentiam pœnitentiæ.* Canon 9. legitur tum in regulis brevioribus cap. 8. ibi: *Quomodo suscipi debet, quem verè pœniteat? Quemadmodum Dominus docuit, cum dixit, quòd convocat amicos, & vicinos dicens: Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat*; tum etiam in laudata regula ab Holstenio edita in cap. 27. ibi: *Pœnitentem ex corde quomodò oportet suscipi? Resp. Sicut Dominus ostendit, cum dicit, quia convocavit amicos, & vicinos dicens: Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quam perdideram.* Canon 10. in regulis brevioribus Basilii ita legitur cap. 5. *Quomodò debet aliquis pœnitentiam agere de singulis peccatis, & cujusmodi fructus ostendere dignos pœnitentiæ? Nimirum similem illius animum induerit, qui dixit: iniquitatem odio habui, & abomi-*

minatus sum: & ea præstiterit, quæ scripta sunt in 6. Psalmo, & aliis plerisque, & si ea fecerit, quæ pro alio, qui peccaverat, facta ab iis fuisse Apostolus testatur, qui secundum Deum contristati fuerant. Ecce enim, inquit, hoc ipsum secundum Deum contristatos esse vos, quantam in vobis operatum est sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam, in omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse negotio, & sicut Zacchæus commissa peccata contrariis rectè factis multis compensent. Cum his sanè plurimùm consonare videtur editio Gratiani; magis tamen, imò omnino consonat cum iis, quæ habentur in regula Holsteniana, dummodò Romanæ correctionis ratio habeatur. Item canon 11. exhibet Basilii sententiam, qualis est in cap. 9. regularum breviorum ibi: *Adversus eum, qui obstinatè pergat peccare, quo modo erimus animati? Eo nempè, quo Dominus jussit, cum dixit: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, & ut Apostolus docuit, cum scripto reliquit: ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, quam accepistis à nobis.* Propiùs etiam accedit idem canon 11. ad verba regulæ Holstenianæ cap. 28. ibi: *Erga eum, qui non pœnitet pro peccato, qualitèr esse debemus? Resp. Sicut præcepit Dominus dicens: sit tibi sicut Gentilis, & Publicanus, & sicut Apostolus docuit, dicens: subtrahite vos ab omni fratre inquietè ambulante, & non secundum traditionem, quam tradidimus vobis.*

Can. 22. caus. 27. q. 2.

Aliud simile erratum invenimus in can. 22. caus. 27. quæst. 2., qui nomine octavæ Synodi laudatur, quando apud Ivonem sub hac inscriptione exhibetur: *Ex dictis Basilii Episcopi.* Reverà Basilius similia quædam habet in regulis Monachorum fusiùs pertractatis cap. 12. ibi: *Atque ii etiam, qui matrimonio conjuncti ad hujusmodi vitæ genus accedunt, percontandi sunt, nùm consentiente altera parte hoc faciant ex præcepto Apostoli; vir enim, inquit ille, sui corporis potestatem non habet; & si hoc ita ab ipsis fieri compertum sit, tum multis adhibitis testibus admitti debet, qui accedit; siquidem nihil est, quod Dei jussis potiùs haberi debeat. Si verò dissidens sit altera pars, & assiduè usque ex adverso cum altera contendat, quòd videlicet minùs sollicita sit quomodò placeat Deo, hic ea convenit meminisse, quæ dicta sunt ab Apostolo: In pace autem vocavit nos Deus, & sic parendum præcepto Domini, qui dixit: si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, non potest meus esse discipulus. Neque enim est, quod haberi antiquius debeat, quàm ut Dei jussis pareatur. Ceterùm nos plerosque novimus sæpè, qui ex intenta oratione, assiduoque jejunio ad finem, quem optabant, vitæ cum castitate pervenerunt, quippè cum Dominus videlicet eos, qui usquequaquè sunt obstinati, sepè numero etiam per corporalem necessitatem adigat sensim, & recto alterius partis judicio consentiant.*

Can. 1. de pœn. dist. 2.

Canon 1. de pœn. dist. 2. iterùm nomine octavæ Synodi apud Gratianum laudatur, qui nomine Basilii inscribendus potiùs fuisset. Romani Correctores canonem exegerunt ad Basilii opera, qualia Rufinus interpretatione donavit. Paulò alitèr descripsit Adamus Fumanus in editione Antuerpiana in regulis brevioribus cap. 289. his verbis: *Quem peccati alicujus pœnituit, is si in illud idem denuò relapsus sit, quid faciet? Responsio. Quòd qui semèl pœnitentiam egerit, denuò idem peccatum commiserit, hoc argumento est, illum primam causam peccati illius funditus non extirpasse, à qua veluti à quadam radice alia ejusdem generis opera pullulare necesse sit. Nam quemadmodum si quis relicta radice ramos arboris alicujus velit excisos, nihilominus radix manens alios similes illis protrudit, sic, quoniam peccata sunt quædam, quæ nascendi principium in se ipsis non habent, sed aliundè originem ducunt, necesse est prorsus, si quis esse ab illis liber velit, is ut causas primas peccatorum illorum stirpitùs tollat. Veluti corrixatio,*

tio, & invidia non ex se ipsis nascuntur, sed ab radice appetitus gloriæ pullulant. Qui enim humanam gloriam magni facit, is ex æmulatione ei obtrectat, quem in gloria esse animadvertit, aut à quo in ea superari se videt, invidet. Quocircà qui semèl seipsum invidiæ contentionisvè condemnarit, is si in eadem ipsa denuò vitia relapsus sit, utiquè intelligat gravi se, ac penitus insito cupiditatis gloriæ morbo, principe scilicet invidiæ, æmulationisvè, causa laborare. Nimirumquè ipsum convenit contraria ratione, nempè humilitatis exercitationibus (humilitatis autem exercitatio in rebus contemptioribus exercitatio est) gloriæ morbum curare, ut hoc modo affectionem illam humilis animi adeptus, deinceps in ea, quæ antè diximus esse cupiditatis gloriæ germana, non incidat, atque in singulis istiusmodi peccatis simili modo.

Can. 25. de cons. dist. 2. Demùm quod spectat ad canonem 25. de cons. dist. 2. qui & Basilio, & octavæ Synodo tribuitur, videtur ipse excerptus esse ex regula, quam sub Basilii nomine edidit Holstenius: & quidem in primis similis sententia legitur, quamquam verbis admodum contractis in cap. 65. ibi: *Usque ad quem modum obaudire oportet eum, qui placendi Deo implere regulam cupit? Resp. Apostolus ostendit, proponens nobis obedientiam Domini, qui factus est, inquit, obediens usque ad mortem mortem autem Crucis, & prædixit: Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu.* Fusior tamen, & Gratianeo fragmento magis consona est sententia capitis 133. his verbis expressa: *Quali timore, fide, vel affectu percipere debemus Corporis, & Sanguinis Christi gratiam? Resp. Timorem quidem docet nos Apostolus dicens, qui manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit. Fidem verò edocet nos sermo Domini dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis dabitur, hoc facite in meam commemorationem.* Et infra: *Sed & Apostolus, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Cum ergo &c.* Reliqua non persequor; eadem enim omninò sunt cum iis, quæ describit Gratianus, exceptis postremis verbis, quæ in laudata Holstenii regula ita leguntur: *Qui de pane, & calice Domini percipit.*

CAPUT X.

De Gregorio Nazianzeno.

Nomine Gregorii Nazianzeni Gratianus duo recensuit monumenta.

Can. 6. dist. 10. ad integram Gregorii sententiam exigendus.
Can. 11. caus. 1. q. 1. pertinet potiùs ad Gregorium Magnum, & ad Tarasium Constantinopolitanum.

CUM S. Basilio arctissima necessitudine junctus fuit S. Gregorius Cappadox, qui deinde S. Hieronymum in rerum Ecclesiasticarum disciplina erudivit. Primùm creatus à Basilio Sasimorum Episcopus, deinde Parenti suo in sede Nazianzena successit, undè Nazianzeni nomen accepit, ac demùm ad Constantinopolitanam Ecclesiam translatus est; quam, cum iuvenisset Arianorum impia hæresi turbatam, publicis orationibus pluriès debuit in Catholica fide firmare. Hinc ortæ hæreticorum seditiosæ factiones, quibus vi facta coactus

tus est sanctus Antistes iterum Nazianzum secedere, ubi anno 389. vita functus est. Eximia sanè fuit ejus doctrina, & præclara dicendi facundia, ob quas animi dotes summam existimationem apud Græcos omnes sibi conciliavit, à quibus deindè ad Latinos celeberrima ejus nominis fama pertransiit.

Can. 6. dist. 10. Ex duobus superiùs indicatis monumentis, primum tantummodò, id est, canon 6. dist. 10, revera Gregorii est, scilicet in ejusdem oratione 18. ad cives trepidantes, & Præsidem ira percitum. Orationis occasio hæc fuit. Præses Nazianzenæ Civitatis quamdam tributorum exactionem indixerat, cujus executioni Julianum præfecerat. Seditiosa plebs, ac tributorum impatiens in Julianum ipsum excanduit, ac furore quodam correpta graviter eum læsit. Iracundia percitus Præses gravissimas pœnas toti populo minitabatur; quibus in rerum & causarum adjunctis ratus est Gregorius ad suum officium pertinere, ut inter utrumquè intercederet, atque hinc populo toti erga Magistratus, & Principem debitum suaderet obsequium, deque admissa inobedientia plebem objurgaret; hinc Magistratum ipsum ad indulgentiam, ac veniam dandam precibus, & suasionibus flecteret. Gratianus verba Gregorii admodum contraxit, atque aliò detorsit, quam quò referenda fuissent. Juvabit hoc loco plura describere, quæ utramque partem Gregorianæ orationis quoquo modo exhibebunt; neque enim sufficit unam tantùm attingere partem, ut vim finemque orationis intelligamus. Duplex, ut præfabar, est orationis partitio. Scilicet in priore parte Gregorius cives Nazianzenos gravi timore percitos consolatur, unaque ipsis erga Principes debitam obedientiam suadet, inquiens: *Subjecti simus tum Deo, tum aliis alii, tum iis, qui cum imperio nobis in terris præsunt; Deo quidem propter omnes causas, aliis alii mutuò propter amorem fraternum, Magistratibus propter ordinis conservationem: idquè tanto magis, quanto se illi mitius, ac benignius erga nos gerunt.* Et post aliqua. *Etiam hæc in legum nostrarum numero, & quidem laudabilium, ac præclarissimè promulgatarum à spiritu, qui quod nostris in viribus est positum cum honesto exploravit, & lege quasi sanxit, nimirum ut quemadmodum heris servi, uxores maritis, Ecclesiæ Domino, discipuli pastoribus, ac doctoribus obtemperant, ita nos etiam cunctis potestatibus eminentibus subjecti simus, non tantùm propter iram, sed etiam propter conscientiam, ut qui pendendo tributo simus obnoxii, neu designantem improba facinora legem odio prosequamur, ac gladium expectemus, sed per metum repurgati ab iis laudemur, qui cum imperio, potestateque sunt.* Ad posteriorem indè orationis suæ partem pergens Gregorius ait: *Hæc ad hosce subditos tum consolandi, tum admonendi causa dicta sunto, & quidem à pastore paupere pusillum gregem instruente, cum quo gaudente mihi gaudendum, ac mœrente condolescendum esse artis meæ pastoriciæ lex jubet. Quid verò vos Proceres, atque Præsides? ad vos etiam nostra jam se convertit oratio, ne prorsùs iniqui videamur, & illos quidem monere de rebus ipsorum officio convenientibus, vestræ verò potentiæ cedere, quasi vel pudore, vel metu nostram Christi præcepto consentaneam libertatem oris demittentes; aut de iis magis esse solliciti, vos negligere, de quibus eo majorem par est esse curam nostram, quantò utramvis in partem plus momenti situm in vobis est, fructusquè re succedente feliciter est amplior? nam contrarium & à vobis, & ab oratione nostra velim absit. Quid igitur dicitis? Aut quid inter nos convenit? Num orationem nostram* (hinc exorditur Gratianus in canone 6.) *ac libertatem ejus admittetis? Etenim ipsa Christi Lex vos quoque meo tum imperio, tum solio subjicit; nam & nos cum potestate sumus: addam etiam ampliore, perfectioreque, siquidem spiritui cedere carnem, & terrena cœlestibus æquum est. Admittes libertatem hanc, non dubito, cum ovis sacra sis sacri gregis mei, magnique pastoris alumnus, præclarè jam primis ab annis à spiritu gubernatus, ac luce sacro-*

sanc-

sanctæ, beatæque Trinitatis itidem ut nos illustratus; quam ipsam ob causam brevibus nunc verbis agam &c. Hæc Joanne Leuvenklajo interprete; ex quibus sanè constat, plurimùm ab ipsis distare Gratiani propositum, ut conferentibus facilè constabit.

Canonem 11. caus. 1. quæst. 1. non reperiri inter opera Gregorii Nazianzeni jam animadverterunt Correctores Romani, indicantes prætereà nonnulla similia apud Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum in epistola ad Hadrianum Papam, quæ in Labbeana collectione refertur inter acta Concilii Nicæni secundi actione 8., cujus epistolæ fragmentum retulit Gratianus in can. 21. caus. 1. quæst. 1. Ab ejus verbis utpote admodùm prolixis referendis supersedeo; neque enim ibidem est, quod singulari observatione dignum videatur; sum eadem sententia, licet paulò aliter & cortice tenùs, exhibeatur, quæ existit in dicto can. 11. dummodò illud excipias, quod in epistola Tarasii crimen simoniæ non vocatur *capitale*, quemadmodum dicitur apud Gratianum. Undè verò Gregorii Nazianzeni nomen in hujus canonis inscriptionem derivari potuerit, etsi demonstrare difficile sit, divinare tamen quoquo modo possum. Fortè olim Gregorius Magnus pro Gregorio Nazianzeno laudabatur; neque enim difficilè deinde fuit pro Gregorio Magno scribi Nazianzenum; veluti ex: gr: scriptum fuisset: *Gregorius M.* aut M $\overline{ur}$ & initialis litera *M.* in literam *N.* mutata ab Amanuensibus fingatur. Quòd si hunc canonem Gregorio Magno tamquam auctori suo adjudicari necesse tunc sit, statim apud eundem Gregorium sententiam invenio, quæ cum laudato canone consonat. Ait Gregorius Papa in epistola ad Castorium Notarium, quæ est 67. in Regesto lib. 4. indict. 13. *Specialiter & absolute cognoscant, quia non solùm indignus est Sacerdotio, sed & aliis profecto erit culpis obnoxius, quisquis Dei donum pretii præsumpserit venalitate mercari.* Item in homilia 17. ad cap. 10. Matthæi in illa verba: *Gratis accepistis, gratis date*, inquit: *Sacri canones Simoniacam hæresim damnant, & eos privari Sacerdotio præcipiunt, qui de largiendis ordinibus pretium quærunt.* Profectò hæc Gregorii sententia congruit plurimùm saltem cum prioribus canonis verbis: quemadmodum cum posterioribus plurimùm congruit sententia Tarasii. Verosimile autem esse potuit, posteriorem canonis partem suppresso Tarasii nomine adjectam fuisse ad exornandam præcedentem Gregorii sententiam, ideòque integrum canonem sub Gregorii nomine prodiisse.

Can. 11. caus. 1. q. 1.

CAPUT XI.

De Ruffino.

Ex libro 11. Historiæ Ecclesiasticæ Ruffini retulit Gratianus sequentem canonem.

(*Can. 69. caus. 11. q. 3. singulari observatione dignus.*

SAncti Hieronymi ætate maximas laudes merita est inter ceteras Aquilejensis Ecclesia, ut enim ait Hieronymus idem in chronico: *Aquilejenses Clerici quasi Clerus Beatorum habentur, per quos omne Ariani quondam dogmatis virus exclusum est.* Præsidebat eidem Ecclesiæ Chromatius Episcopus, quemadmodum tes-

testatur Dandolus in Chronico ibi: *Chromatius Aquilejæ Episcopus consecratur anno Domini* 388. *Hic Hispanus genere à Valeriano prædecessore Diaconus, postea Presbyter ordinatus, Catholicisque disciplinis eruditus collaudatione Cleri ac populi hanc sedem obtinuit.* Ipsi suberant Clerici plures, quorum aliqui Monachi erant, ut prosequitur Hieronymus loco laudato, ex quibus, ait, *Florentius, Bonosus, & Ruffinus insignes habentur.* Hic est celeber ille Ruffinus, Toranus à Patria, Aquilejensis ab Ecclesia, cui erat adscriptus, nuncupatus, Paulino Nolano charissimus, & Sancto Hieronymo primùm adprobatus, atque apud omnes olim optimò audiens, quòd omni doctrinarum genere ornatus esset, præcipue græcæ linguæ peritia, unde in Græcorum libris in latinum idioma convertendis summam sibi gloriam apud veteres comparavit circa annum Domini 400. Vulgò fertur, inter cætera libros recognitionum Clementi adscriptos in latinum transtulisse, quamquam viri eruditi, Bellarmino teste in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, id inficientur, quod recognitionum libri nondum Ruffini tempore prodiissent; putentque propterea, recentiorem auctorem non tam Clementis recognitionum auctoris, quam Ruffini recognitionum interpretis nomine abusum fuisse. Universi in eo consonant, ut jure dicatur Ruffinus interpretatus libros Basilii Cæsariensis in Cappadocia Episcopi, libros Gregorii Nazianzeni, Xisti Pythagorei sententias, itidem sententias Evagrii, scripta Pamphili Martyris adversus Mathematicos, ac demùm Eusebii Cæsariensis Ecclesiasticam Historiam. Hoc in loco sufficiet de hoc postremo libello, seu de historia à Ruffino exarata nonnulla attingere, cum ex ea depromptus sit canon 69. caus. 11. quæst. 3. Interea verò observare necesse est, Ecclesiæ quandoque lugendum fuisse, quòd Ruffinus erroribus quibusdam sese involverit, præsertim Origenis opiniones ab Ecclesia reprobatas sectari, ac tueri studuerit, ac demùm Pelagianis adhæserit, quamobrem Hieronymum, quem olim amicum habebat, deinde adversarium sibi esse acerrimum sensit. Hæc ideò prænotanda erant, ut animadverteretur, Ruffini libros, illos saltem, quos post hæresim edidit, non posse à quoquam tutò percurri; adsunt enim in iis identidem vestigia Origenistarum, vel Pelagianorum hæreseos. Ad rem Gelasius in can. 3. dist. 15. ait: *Ruffinus vir religiosus plurimos Ecclesiastici operis edidit libros; nonnullas etiam scripturas interpretatus est; sed quoniam B. Hieronymus in aliquibus eum de libertate notavit, illa sentimus, quæ prædictum B. Hieronymum sentire cognoscimus.* At enim verò quod ad Historiam Ecclesiasticam attinet, in ea nihil adparet, in quo fides Ruffini lapsa videatur; est enim illa edita hortatu viri sanctissimi Aquilejensis Episcopi Chromatii, antequam Ruffinus idem apud Hæreticos defecisset. Hujus Ecclesiasticæ historiæ rationem nullibi meliùs percipere possumus, quàm in præfatione historiæ præfixa, ubi Ruffinus ita Chromatium alloquitur: *Tu venerande Pater Chromati, tempore, quo diruptis Italiæ claustris ab Alarico Duce Gothorum se pestifer morbus infudit, & agros, armenta, viros longè latèque vastavit, populis tibi à Deo commissis feralis exitii aliquod remedium quærens, per quod ægræ mentes ab ingruentis mali contagione subtractæ melioribus occupatæ studiis tenerentur, injungis mihi, ut Ecclesiasticam Historiam, quam vir eruditissimus Eusebius Cæsariensis græco sermone conscripsit, in latinum vertam, cujus lectione animus audientium vinctus, dum notitiam rerum gestarum avidus petit, oblivionem quodammodo malorum, quæ gererentur, acciperet.... Adgressus sum exequi, ut potui, quod præceperas. Sciendum tamen est, quòd decimus liber hujus operis in græco, quoniam perparum habebat in rebus gestis, per reliqua omnia in Episcoporum Panegyricis tractatibus, nihil ad scien-*

tiam rerum conferentibus occupatus, omissis quæ videbantur superflua, historiæ si quid habuit, nono conjunximus libro, & in ipso Eusebii narrationi dedimus finem. Decimum verò & undecimum librum nos conscripsimus, partim ex majorum traditionibus, partim ex his, quæ nostra jam memoria comprehenderat; & eos velut duos pisciculos supradictis panibus addidimus... Continet autem idem omne opus res in Ecclesia gestas à Salvatoris Adscensione & deinceps; nostri verò duo libelli à temporibus Constantini ad obitum Theodosii Augusti. Itaque ex undecim libris, in quos Ruffini historia tribuitur, novem sunt Eusebii Cæsariensis ex interpretatione Ruffini, duo autem postremi sunt ejusdem Ruffini opus. Quamobrèm Ruffini proprium est fragmentum canonis 69. causa 11. quæst. 3., utpote quod depromptum est ex libro 11. cap. 18. Ibidem Ruffinus egit de Theodosii Magni gestis, ita exordiens: *Per idem tempus* (subaudi annum 390.) *subreptione quadam Dæmonis turpis macula religioso Principi inusta est: etenim cum apud Thessalonicam seditione exorta, &c.* quemadmodum apud Gratianum. Vereor, ne Ruffinus minùs ad veritatem exactam facti seriem descripserit, præsertim quod spectat ad modum, quo fert, Theodosium pœnitentiam egisse. Propterea juvabit eandem ipsam historiam recensere, quemadmodum narratur à Theodoreto Cyrensi Episcopo, ut ex utriusque scriptoris collatione adpareat, in quonam in primis sit amborum consensio, deinde in quanam parte unus ab altero discrepet, atque ubi propterea apud nos suboriri dubitatio possit. Atque inter ceteros Theodoretum Cyrensem præcipuè commemoro, quòd nemo sit ex historicis, qui accuratiùs ejusdem facti adjuncta referat. Ita habet ille in lib. 5. cap. 17. & sequentibus. *In hac urbe* (Thessalonica) *cum orta esset seditio, quidam ex Magistratibus obruti saxis, & per vicos tracti fuerant. Quibus nunciatis inflammatus Imperator iræ impetum non sustinuit, nec rationis fræno animi furorem repressit, sed vindictæ arbitrium ei permisit. Qui hanc potestatem nactus, velut sui juris, & impotens Tyrannus diruptis habenis, excussoque rationis jugo injustos gladios in omnes distrinxit, & insontes cum noxiis promiscuè trucidavit. Septem enim hominum millia interfecta esse dicuntur nullo prius habito judicio, nec sceleris illius auctoribus condemnatis, sed cunctis simul quasi spicis in messe desectis. Hanc miserandam calamitatem cum audisset Ambrosius Imperatori, Mediolanum ingresso, ac more solito ad Ecclesiam venienti, obviam processit extra vestibulum, & à sacri liminis ingressu eum prohibuit.... Obtemperans Imperator flens, & gemens reversus est in palatium, longo post tempore elapso (octo enim menses excesserant) Servatoris Nostri Natalis dies advenit. ... Cumque ad Ecclesiæ septa venisset, in ipsam quidem Basilicam ingressus non est, sed accedens ad Episcopum, qui tunc in Salutatorio residebat, ut vinculis solveretur, rogavit.... Adversus leges, inquit, quæ latæ sunt, non insurgo, nec contra fas ingredi cupio sacra vestibula, sed à te peto, ut vinculis me absolvas, & communis Domini clementiam consideres. Cui Ambrosius: quam igitur, inquit, pœnitentiam ostendisti post tam grande facinus? Hic Imperator: Tuum est, ait, medicamenta ostendere, ac temperare, mei autem officii est oblata susci-pere. Tunc divinus Ambrosius, quandoquidem, inquit, judicium permittis furori, nec ratio, sed ira sententiam profert, scribe legem, quæ furoris sententias irritas reddat, atque inanes, & triginta dierum spatio maneant scriptæ sententiæ de cæde, atque bonorum proscriptione rationis judicium expectantes. Quibus diebus transactis hi, qui edictum scripserunt, ostendant tibi ea, quæ jusseris. Ac tum, sedato æstu iracundiæ, ratio per se ipsam judicium exercens examinabit ea, quæ decreta sunt, dispiciet-que, utrum justa sit, an injusta. Ac si quidem injusta esse deprehenderit, scripta procul dubio discerpet; sin justa, confirmabit, nec dierum spatium recte judicatis quid-*

quidquam detrimenti adferet. Hoc consilium cum audisset Imperator, & utilissimum esse existimaret, statim legem scribi præcepit, eamque manus suæ subscriptione firmavit; quo facto divinus Ambrosius ejus vincula relaxavit. Ex hac integra Theodoreti enarratione dignoscimus, Theodosium spontè per octo menses ab Ecclesiæ ingressu abstinuisse, nullamque aliam Ambrosio indicente pœnitentiam egisse, quam ubi legem de triginta diebus post gravissimas sententias expectandis firmavit, quod sanè non omnino consonat cum historia Ruffini, qualis in dicto canone 69. enarratur. Video sanè in his Ruffinum pressius, plusquam par esset, & vividius Theodosii pœnitentiam exprimere voluisse, fortè ut suo proposito hac in parte serviret. Historiam suam ideò Ruffinus ediderat, ut populos ab Alarico Gothorum Duce exagitatos quodammodo solaretur; quod se facturum putabat, si exempla veterum Principum proponeret, qui ubi adversus populos irati extra ordinem sunt, rigidam deinde austeritatis suæ pœnitentiam susceperunt, quemadmodum in Theodosio contigisse narravit: unde unusquisque facilè speraret futurum aliquando, ut Alaricus & ipse vetus præconceptum erga fideles populos odium lacrymis, & rigida pœnitentia purgaret. Verùm hoc in loco intricata emergit disputatio, quæ omnium ferè eruditorum ingenia torsit, nec facilè dirimi meo judicio potest. In eo omnes Historici consonant, Theodosium ab Ambrosio eò adductum fuisse, quò futuris eventibus consuleretur, ut quotiescumque gravior quædam in populos sententia prodiret, per dies triginta executio suspenderetur. Hìc proditur difficultas. Jam ante annos octo Gratianus Imperator hujusmodi legem ediderat, quæ habetur in Cod. Theodos. tit. de pœnis, & l. 9. cod. Justinian. eod. tit. ita expressa: *Si vindicari in aliquos severius contra nostram consuetudinem pro causæ intuitu jusserimus, nolumus statim eos aut subire pœnam, aut excipere sententiam, sed per dies 30. super statu eorum sors & fortuna suspensa sit. Reos sanè excipiat, vinciatque custodia, & excubiis solertibus vigilanter observet. Data 11. Kal. Septembris. Verona Antonio & Syagrio Coss.* (anno 382.). Quomodo ergo fieri potuit, ut lex ista Gratianum laudet auctorem anno 382., quando Ruffinus, Theodoretus, aliique Historici ejus originem repetunt ab anno 390., id est, à Theodosii cæde? Vulgò putant, legem hanc Theodosianam novam non fuisse, sed Theodosium tantummodo confirmasse, quod prædecessor illius Gratianus ediderat. Id verò mihi haùd verosimile videtur; siquidem Ambrosius adversus Theodosium legem Gratiani opposuisset, nihilque novi à Theodosio ad pœnitentiam delicti postulavisset. Probabilius mihi videtur, quod scripsit Baronius, nimirùm laudatam legem fuisse quidem primùm à Theodosio editam, verùm deinde ab iis, qui Theodosianum codicem compilaverunt, tributam fuisse Gratiano Imperatori, reticito Theodosii nomine, ne in publica illa legum textura monumentum statim emergeret Theodosiani flagitii, & Theodosianæ pœnitentiæ. Verba Baronii ad annum 390. num. 26. hæc sunt. *Existimamus studio perpetratum ab aliquo, qui indigne ferret ea suo loco, & tempore, atque titulo posita legi, quibus Theodosii immane facinus decantaretur.* Scio eos, quibus hæc opinio displicet, dicere, repugnare id loco, in quo data proponitur laudata lex 9., non enim videtur data Mediolani, sed Veronæ: item repugnare anno, nam anno 382., quo lata fertur eadem lex, Theodosius in urbe Constantinopolitana degebat: demùm repugnare diei; siquidem in codice ante Kalendas Septembris edita adparet, quando aliàs in Nativitatis Dominicæ Solemnitate Theodosianam legem editam fuisse memorati historici ferunt. Verùm sunt hæc leviora argumenta. Qui

enim ab eadem lege nomen Theodosii deleverunt, ac loco Theodosii Gratianum laudaverunt, eadem dexteritate & annum, & diem, & locum alium adjecerunt, ne faciliùs variata lectio ab eruditis recentioribus restitueretur. Hanc Baronii suspicionem firmari adhuc posse puto gravi conjectura. Etenim certum est, legem Theodosii de suspendendis per triginta dies sententiarum quarumdam executionibus publicam fuisse, solemniter latam, & in conspectu celeberrimo Mediolanensis Ecclesiæ ipsamet Imperatoris manu firmatam. Itaque maximè decebat, eam in novo, qni paulò post ordinatus est, Theodosiano codice describi, ne solemnis, ac famigerata Constitutio desiderari in eo videretur, etiamsi quidquam simile à Gratiano prædecessore definitum constaret. Nihil tamen simile sub Theodosii nomine recensuerunt Compilatores: Indicatur exinde profectò, eò Compilatores illos respexisse, quò nihil Theodosio officere viderentur, nec ingratam posteris Theodosii relinquerent recordationem. De codice Justinianeo, in quo eadem lex nomine Gratiani Imperatoris inscripta est, nihil adjicio: Siquidem Tribonianus CodicisCompilator secutus adamussim fuit codicem Theodosianum, cujus menda in suum codicem facilè derivavit.

CAPUT XII.

De Ambrosio.

Multa sunt apud Gratianum, quæ Ambrosii nomen præseferunt; quæ in certum ordinem redigere curavi, quemadmodum ex sequentibus liquet.

Sectio 1. de commentariis Sacrarum Literarum.

Ex Libris Hexameron.

- *Can.* 6. *caus.* 15. *q.* 1. *paulò varius in diversis codicibus.*
- *Can.* 17. *caus.* 32. *q.* 5. *jungendus cum can.* 18. *caus.* 33. *q.* 5.
- *Can.* 35. *de pœn. dist.* 2. *consonat cum optimis exemplaribus.*
- *Can.* 18. *caus.* 33. *q.* 5. *jungendus cum can.* 17. *caus.* 32. *q.* 5.

Ex Commentario in Psalmum 118.

- *Can.* 4. *caus.* 3. *q.* 7. *consonat cum integris Ambrosii codicibus.*
- *Can.* 33. *caus.* 23. *q.* 4. *ad integrum Ambrosii propositum exigendus.*
- *Can.* 41. *de pœn. dist.* 3. *ex integris exemplaribus emendandus.*
- *Can.* 21. *de cons. dist.* 5. *ex integris exemplaribus emendandus.*

Ex Commentariis in Lucam.

- *Can.* 9. *dist.* 37. *ad integros Ambrosii codices exigendus.*
- *Can.* 19. *dist.* 86. *consonat cum optimis exemplaribus.*
- *Can.* 20. *dist.* 86. *non congruit proposito Gratiani.*
- *Can.* 16. *caus.* 1. *q.* 1. *ex integris exemplaribus supplendus.*
- *Can.* 10. *caus.* 6. *q.* 1. *non congruit proposito Gratiani.*
- *Can.* 28. *caus.* 11. *q.* 1. *jungendus cum can.* 8. *caus.* 24. *q.* 1.
- *Can.* 26. *caus.* 23. *q.* 4. *ex integris codicibus supplendus.*
- *Can.* 7. *caus.* 24. *q.* 1. *consonat cum integris exemplaribus.*
- *Can.* 8. *caus.* 24. *q.* 1. *jungendus cum can.* 28. *caus.* 11. *q.* 1.
- *Can.* 17. *caus.* 24. *q.* 1. *falsò olim adscriptus Gregorio.*
- *Can.* 26. *caus.* 24. *q.* 1. *consonat cum integris exemplaribus.*

Can.

Can. 1. *caus.* 32. *q.* 2. *ex integris codicibus emendandus.*
Can. 2. *caus.* 33. *q.* 2. *ex integris codicibus supplendus.*
Can. 1. *de pœn. dist.* 1. } *simul jungendi sunt, & consonant cum*
Can. 2. *de pœn. dist.* 1. } *integris Ambrosii exemplaribus.*
Can. 64. *de pœn. dist.* 1. *consonat cum integris exemplaribus.*
Can. 38. *vers.* unde & corpus *de cons. dist.* 2. *perperàm Leoni Magno tributus.*

Ex Commentariis in epistolas Pauli. Ad Corinthios.
Can. 31. *caus.* 23. *q.* 4.
Can. 11. *caus.* 26. *q.* 2.
Can. 17. *caus.* 32. *q.* 7.
Can. 12. *de pœn. dist.* 2.
Can. 4. *caus.* 33. *q.* 4.
Can. 19. *caus.* 33. *q.* 5.
Can. 50. *de cons. dist.* 2.
} *apocryphi omnes.*

Ad Romanos.
Can. 99. *de cons. dist.* 4. *apocryphus, & ex integris codicibus emendandus.*

Ad Hebræos.
Can. 53. *de cons. dist.* 2. *apocryphus, & ex integris codicibus emendandus.*

Sectio 2. de commentariis in facta, & exempla veterum Patriarcharum, sive Sanctorum.

Ex Lib. de Cain & Abel.
Can. 11. *caus.* 15. *q.* 1.
Can. 49. *caus.* 23. *q.* 5.
Can. 9. *caus.* 32. *q.* 1.
} *simul jungendi, & ex integra Ambrosii sententia explicandi.*
Can. 51. *de pœn. dist.* 1. *referendus est ad canonem* 49. *caus.* 23. *q.* 5.
Can. 86. *de cons. dist.* 2. *referendus potiùs ad librum Ambrosii de Incarnatione Domini.*

Ex Lib. de Patriarchis, seu de Abraham.
Can. 7. *caus.* 15. *q.* 1. *consonat cum integris exemplaribus.*
Can. 20. §. non enim, & §. prophetavit *caus.* 22. *q.* 2. *consonat cum integris exemplaribus.*
Can. 25. *caus.* 23. *q.* 5. *parùm congruit proposito Gratiani.*
Can. 36. *caus.* 27. *q.* 2. *Ambrosio falsò tributus.*
Can. 15. *caus.* 28. *q.* 1. *ex integris codicibus supplendus.*
Can. 8. *caus.* 30. *q.* 5.
Can. 13. *caus.* 32. *q.* 2.
} *invicem jungendi.*
Can. 3. *caus.* 32. *q.* 4.
Can. 4. *caus.* 32. *q.* 4.
} *simul jungendi, & commoda interpretatione explicandi.*
Can. 12. *caus.* 32. *q.* 7. *consonat cum integris exemplaribus.*

Ex Lib. de Isaac, & Anima.
Can. 38. *de pœn. dist.* 2. *ex integris codicibus supplendus.*
Can. 39. §. fugerat *de pœn. dist.* 2. *ex integris codicibus emendandus.*

Ex Lib. de Jacob, & vita beata.
Can. 10. *caus.* 15. *q.* 1. *ex integris codicibus emendandus.*
Can. 37. *de pœn. dist.* 2. *ad integram codicum lectionem exigendus.*

Ex Lib. de S. Joseph.
Can. 68. *caus.* 11. *q.* 3. *consonat cum integris exemplaribus.*

Ex Lib. de Tobia.
- *Can.* 3. *caus.* 14. *q.* 3. *ex optimis codicibus emendandus.*
- *Can.* 12. *caus.* 14. *q.* 4. *ex integris codicibus supplendus.*

Ex Lib. de Elia & Jejunio.
- *Can.* 8. *dist.* 35. *ex integris codicibus supplendus, atque emendandus.*
- *Can.* 76. *de pœn. dist.* 1. *ex integris codicibus emendandus.*

Ex Lib. Apologiæ David.
- *Can.* 25. *de pœn. dist.* 3. *ex integris codicibus supplendus, atque emendandus.*
- *Can.* 26. *de pœn. dist.* 3. *ferè consonat cum integris exemplaribus.*
- *Can.* 9. *caus.* 36. *q.* 2. *jungendus cum can.* 11. *ead. cau. & q.*

Sectio 3. de libellis editis ad fidei, aut morum institutiones.

Ex Lib. de Sacramentis.
- *Can.* 14. *de cons. dist.* 2.
- *Can.* 40. §. *ult. de cons. dist.* 2.
- *Can.* 43. *de cons. dist.* 2.
- *Can.* 55. *de cons. dist.* 2.
- *Can.* 56. *de cons. dist.* 2.
- *Can.* 83. *de cons. dist.* 2.
- *Can.* 84. *de cons. dist.* 2.
- *Can.* 9. *de cons. dist.* 4.
- *Can.* 69. *de cons. dist.* 4.
- *Can.* 71. *de cons. dist.* 4.
- *Can.* 87. *de cons. dist.* 4.
- *Can.* 89. *de cons. dist.* 4.
- *Can.* 90. *de cons. dist.* 4.

apocryphi omnes, plerique etiam ad integros codices exigendi.

Ex Lib. de iis, qui mysteriis initiantur, seu de initiandis rudibus.
- *Can.* 50. *caus.* 1. *q.* 1. *ex integra Ambrosii sententia explicandus.*
- *Can.* 83. *caus.* 1. *q.* 1. *ex integris codicibus emendandus.*
- *Can.* 39. *de cons. dist.* 2. *veriùs Augustino tribuendus, & ex Augustini codicibus emendandus.*
- *Can.* 40. *de cons. dist.* 2. *consonat cum integris Ambrosii exemplaribus.*
- *Can.* 69. *de cons. dist.* 2. *consonat cum integris Ambrosii exemplaribus.*
- *Can.* 85. *de cons. dist.* 2. *ex integris codicibus supplendus.*
- *Can.* 92. *de cons. dist.* 4. *consonat cum integris Ambrosii exemplaribus.*

Ex Lib. Pastorali, seu de ministeriis, seu de dignitate Sacerdotali.
- *Can.* 10. §. honor *dist.* 96. *falsò tributus Ambrosio.*
- *Can.* 7. *caus.* 1. *q.* 1. *referendus potiùs ad can.* 3. *Concilii Toletani VIII.*
- *Can.* 14. *caus.* 1. *q.* 1. *apocryphus, sed plurimùm consonat cum can.* 16. *caus.* 1. *q.* 1.
- *Can.* 15. *caus.* 1. *q.* 1. *falsò tributus Ambrosio.*

- *Can.* 4. *dist.* 26. *consonat cum optimis Ambrosii exemplaribus.*
- *Can.* 14. *dist.* 86.
- *Can.* 15. *dist.* 86.
- *Can.* 16. *dist.* 86.
- *Can.* 17. *dist.* 86.

simul jungendi, atque ad integros Ambrosii codices exigendi.

Can.

Can. 18. *dist.* 86. *ex integris codicibus supplendus, atque emendandus.*

Can. 21. *dist.* 86. *aliis Ambrosii sententiis consonat.*

Can. 13. *caus.* 11. *q.* 3. *ex integris codicibus emendandus.*

Can. 70. *caus.* 12. *q.* 2. *consonat cum integris Ambrosii codicibus.*

Ex Lib. de Officiis.

Can. 10. *caus.* 14. *q.* 5. *consonat cum integris Ambrosii codicibus.*

Can. 2. *caus.* 22. *q.* 4. *consonat cum integris Ambrosii codicibus.*

Can. 8. *caus.* 22. *q.* 4. *paulò varius in diversis exemplaribus.*

Can. 12. *caus.* 22. *q.* 4. *referendus ad canonem* 8. *ead. caus. & q.*

Can. 23. *caus.* 22. *q.* 4. *ferè consonat cum integris Ambrosii codicibus.*

Can. 5. *caus.* 23. *q.* 3. *consonat cum integris Ambrosii codicibus.*

Can. 7. *caus.* 23. *q.* 3. *ex integris codicibus emendandus.*

Can. 43. *de cons. dist.* 2. *pertinet ad libros de Sacramentis, Ambrosio tributos.*

Ex Lib. de Fuga sæculi.

Can. 6. *caus.* 12. *q.* 1. *ad integram Ambrosii sententiam exigendus.*

Can. 36. *de pœn. dist.* 2. *ex integris codicibus supplendus.*

Ex Lib. de bono mortis.

Can. 10. *caus.* 14. *q.* 4. *ad integram Ambrosii sententiam exigendus.*

Ex Lib. de Paradiso.

Can. 9. *dist.* 40. *consonat cum integris Ambrosii codicibus.*

Can. 17. *caus.* 3. *q.* 9. *non congruit proposito Gratiani.*

Can. 92. *caus.* 11. *q.* 3. *ad Ambrosii sententiam minimè pertinet.*

Can. 11. *caus.* 15. *q.* 1. *referendus ad librum Ambrosii de Cain & Abel.*

Can. 38. *de pœn. dist.* 1. } *simul jungendi, & ad Ambrosii propositum exigendi.*
Can. 47. §. 1. *de pœn. dist.* 1. }

Can. 39. *de pœn. dist.* 2. *ex integris codicibus emendandus.*

Can. 20. *caus.* 33. *q.* 5. *consonat cum integris Ambrosii codicibus.*

Ex Lib. exhortationis ad Virgenes.

Can. 13. *caus.* 32. *q.* 1. *ex integris Ambrosii codicibus supplendus.*

Ex Lib. de institutione Virginis.

Can. 5. *caus.* 27. *q.* 2. *consonat cum integris Ambrosii codicibus.*

Ex Lib. de Virginibus.

Can. 1. *caus.* 32. *q.* 5. *ad integros Ambrosii codices referendus.*

Ex Lib. de lapsu Virginis consecratæ.

Can. 2. *caus.* 32. *q.* 5. *dubiæ auctoritatis, & fidei.*

Can. 19. *caus.* 1. *q.* 1. *non congruit proposito Gratiani.*

Can. 3. *caus.* 17. *q.* 4. *parùm congruit proposito Gratiani.*

Can. 46. *de pœn. dist.* 1. *perperàm à Gratiano tributus Augustino.*

Can. 47. §. nam pastor *de pœn. dist.* 1. *parùm congruit proposito Gratiani.*

Can. 48. *de pœn. dist.* 1. } *parùm congruunt proposita Gratiani.*
Can. 50. *de pœn. dist.* 1. }

Can. 51. §. Dominus *de pœn. dist.* 1. *ad integros Ambrosii codices exigendus.*

Can.

Ex Lib. de pœnitentia.

- *Can. 52. de pœn. dist. 1. ad integros Ambrosii codices exigendus.*
- *Can. 53. de pœn. dist. 1. consonat cum integris Ambrosii codicibus.*
- *Can. 54. de pœn. dist. 1. ad integros Ambrosii codices exigendus.*
- *Can. 55. de pœn. dist. 1.* } *simul jungendi, & ex integris*
- *Can. 56. de pœn. dist. 1.* } *codicibus emendandi.*
- *Can. 59. de pœn. dist. 1. ad integram Ambrosii sententiam exigendus.*
- *Can. 78. de pœn. dist. 1. ex integris exemplaribus emendandus.*
- *Can. 79. de pœn. dist. 1.* } *consonant cum integris Ambrosii codicibus.*
- *Can. 80. de pœn. dist. 1.* } *consonant cum integris Ambrosii codicibus.*
- *Can. 2. de pœn. dist. 3. ex integris Ambrosii codicibus emendandus.*
- *Can. 37. de pœn. dist. 3. jam à Romanis Correctoribus emendatus.*
- *Can. 49. de pœn. dist. 3. ex integris Ambrosii codicibus supplendus.*

Sectio 4. de Sermonibus, ad populum habitis.

Ex Sermone contra Auxentium.

- *Can. 27. caus. 11. q. 1. ad integros Ambrosii codices exigendus.*
- *Can. 21. §. quid ergo & seq. caus. 23. q. 8. jungendus cum epistola Ambrosii ad Marcellinam.*

Ex Sermone de obitu Theodosii.

- *Can. 24. caus. 13. q. 2. variis observationibus illustrandus.*

Ex Sermone de obitu Fratris.

- *Can. 23. caus. 24. q. 1. ex integris Ambrosii codicibus emendandus.*

- *Can. 12. dist. 86.* } *apocryphi, & ad veterem venationum*
- *Can. 13. dist. 86.* } *disciplinam exigendi.*

Ex homiliis de quadragesima.

- *Can. 5. caus. 16. q. 2.*
- *Can. 4. caus. 16. q. 7.*
- *Can. 39. de pœn. dist. 1.*
- *Can. 1. de pœn. dist. 3.*

} *apocryphi omnes, & simul jungendi.*

Adjiciuntur.

- *Can. 5. dist. 4. apocryphus, & ex integro sermone notandus.*
- *Can. 8. dist. 47. pertinet potiùs ad homilias Basilii.*
- *Can. 54. dist. 50. est incerti auctoris.*
- *Can. 8. dist. 76.*
- *Can. 9. dist. 76.*

} *sunt incerti auctoris.*

- *Can. 12. caus. 1. q. 4. apocryphus est, sed consonat cum can. 7. caus. 24. q. 1.*
- *can. 3. caus. 5. q. 5. apocryphus, & ad integros codices exigendus.*
- *Can. 23. caus. 8. q. 1. apocryphus, & jungendus cum can. 3. caus. 5. q. 5.*
- *Can. 20. caus. 22. q. 5. apocryphus, & à Romanis Correctoribus jam restitutus.*
- *Can. 9. caus. 32. q. 4. apocryphus.*
- *Can. 76. de pœn. dist. 1. referendus ad librum Ambrosii de Elia, & Jejunio.*
- *Can. 3. caus. 33. q. 4. apocryphus, & ex melioribus codicibus emendandus.*

Sec-

Sectio 5. de epistolis ad diversos.

De Epist. ad Vercellenses.
- *Can. 5. dist. 26.*
- *Can. 14. dist. 34.*
- *Can. 9. dist. 61.*

} *incertæ omnes auctoritatis.*

De Epist. ad Clerum & Plebem Hipponensem.
- *Can. 12. caus. 2. q. 1. Augustino potiùs tribuendus.*

De Epist. ad Hilarium.
- *Can. 7. caus. 28. q. 1. Augustino potiùs tribuendus.*

De Epist. ad Irenæum.
- *Can. 91. de cons. dist. 2. ex integra epistola emendandus.*

De Epist. ad Paternum.
- *Can. 38. caus. 27. q. 2. paulò varius in diversis codicibus.*

De Epist. ad Sabinum.
- *Can. 33. de pœn. dist. 2. ferè consonat cum verbis Ambrosii.*
- *Can. 34. de pœn. dist. 2. ad integros Ambrosii codices exigendus.*

De Epist. ad Marcellinam.
- *Can. 21. caus. 23. q. 8. etiam referendus ad orationem contra Auxentium.*

Sectio 6. de ceteris monumentis, Ambrosio adscriptis.

- *Can. 15. caus. 2. q. 1. falsò tributus Ambrosio.*
- *Can. 94. caus. 11. q. 3. referendus ad can. 98. ead. caus. & quæst.*
- *Can. 5. caus. 14. q. 5. ferè consonat cum Ambrosii sententiis.*
- *Can. 21. caus. 16. q. 1. falsò tributus Ambrosio.*
- *Can. 3. caus. 23. q. 8. referendus ad orationem contra Auxentium, & epistolam ad Marcellinam.*
- *Can. 35. caus. 27. q. 2. referendus ad canonem 5. ead. caus. & quæst.*
- *Can. 12. caus. 32. q. 1. potiùs adscribendus Hieronymo.*
- *Can. 74. de cons. dist. 2. referendus ad canonem 55. ead. dist. 2.*

PRope finem quarti Ecclesiæ sæculi, mortuo Auxentio Mediolanensi Episcopo Ariano, communi totius Cleri, populique suffragio in Antistitem fuit electus Ambrosius, quamquam adhuc cathecumenus, quemadmodum colligitur ex can. 3. dist. 63., quæ sanè electio, divino afflante Spiritu celebrata, non modicam universæ propemodum occidentali Ecclesiæ adtulit utilitatem, utpote facta illis temporibus, quibus viris opus erat eximiis, quorum opera, & studio Nicænæ fidei decreta immota manerent, & Arianorum versutiis, ac calliditatibus obviam iretur. Itaque Ambrosius statim ac Episcopatum suscepit, in primis è re publica esse putavit, totis viribus contendere, ut fides apud plurimos ferè lapsa restauraretur; deinde populum in fide firmatum moribus instituere optimis curavit, quà libellis editis, quà sermonibus publicè habitis. Qualis extiterit ejus doctrina, satis pandunt ea, quæ nobis supersunt Sancti Antistitis monumenta: quamquam, ut verùm fatear, dolendum vehementissimè sit, quòd Ambrosiana volumina in præsentia alienis operibus, aut adjectionibus depravata conspiciantur, quibus propterea discutien-

dis non defuerunt viri eruditissimi, ut singula, quoad fieri posset, ad suos fontes exigerent. Quod ad rem meam attinet, curabo, ut descripti Gratianei canones integri exhibeantur, suo auctori tribuantur, atque etiam, ubi opus fuerit, emendentur.

SECTIO I.

De Commentariis Sacrarum Literarum.

Scribit Sixtus Senensis in lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ, Ambrosium explicavisse omnes ferè Divinas Scripturas summa cum laude, eaque in re secutum fuisse Philonem Judæum, Hyppolytum, Appollinarium, utrumque Eusebium, & Basilium, sed maximè Origenem, cujus sermonibus, ut ait Hieronymus in Epist. ad Pammachium & Marcellam, omnes penè ejus libri pleni sunt. Si de genere expositionis quæratur, illud varium est; præcipuè verò mysticas sententias exhibet, sic tamen, ut interdum literæ sensus omninò non excludatur; ut enim erat Ambrosius morum rectè formandorum, & ad præcepta divina exigendorum studiosissimus, statim ac ad ea divinarum scripturarum eloquia animum converteret, quæ posset ad integritatem vitæ à Christiano viro ineundæ traducere, nulli sollicitudini deerat, ut eadem quàm lubentissimè eo interpretandi genere palam explicaret, atque proponeret.

De libris Hexameron.

Libros Hexameron, sive de opere sex dierum ad interpretationem 1. capitis Geneseos jure adscribi Ambrosio, nemo inficiari potest, quando se illos scripsisse testatur idem Ambrosius in epist. ad Orontianum Diaconum. Addi etiam potest testimonium Cassiodori in lib. de institutione divinarum scripturarum cap. 1. ibi: *S. Ambrosius ut est planus, & suavissimus doctor, exindè sex libros eloquentiæ suæ more confecit, quos appellavit Hexameron.* Notandum sanè est, ibidem Ambrosium imitatum omnino fuisse Basilii Magni codices, imò & istos quasi in latinum idioma transtulisse, retentis eisdem sententiis, ac loquendi figuris. Id facilè constabit conferenti Hexameron Ambrosii cum Hexameron Basilii, quamquàm non inficior, identidem nonnulla de suo adjecisse Ambrosium, factis quandoque digressionibus. In sex libellos distributum est opus, in quorum singulis describuntur divina opera à mundi exordio condita sex diebus. Ex libro 1. cap. 8. depromptus est canon 6. caus. 15. quæst. 1., ubi totus est Ambrosius, ut demonstret, vitia nostra nostræ penitùs voluntati esse imputanda. Jam Correctores Romani observaverunt mendum occurrisse in vers. ultimo, ubi cum olim legeretur: *quia necessaria istæ in bonis &c.*, substituerunt ex integris Ambrosii codicibus hæc alia verba: *quia nec contraria istis in bonis &c.* Adhuc hodiè in quibusdam Gratiani codicibus nonnulla leguntur, quæ paulò aliter habentur in vulgatis Ambrosii codicibus: Siquidem in vers. *quod enim*, ubi Gratianus legit *si volumus*, Ambrosiani codices habent, *si nolumus*: item in vers. *ideò etiam*, ubi Gratianus legit *culpa stringit*, Ambrosiani codices habent: *culpa constringit.* Can. 6. caus. 15. q. 1.

Simul jungendi sunt & canon. 17. caus. 32. quæst. 5., & canon. 18. caus. 33. quæst. 5., utpote qui uno orationis spiritu junguntur etiam apud Ambrosium in lib. 5. Hexameron cap. 7., ubi sanctus Episcopus conjuges hortatur ad mutuam servandam fidem, ac benevolentiam; præterea ad patientiam, undè fiat, ne invicem indignentur ob vitia, quæ ab uno in altero conjuge deprehenduntur. Præsertim feminas alloquitur, monens eas, ut viris obedientiam, obsequiumve exhibeant, quemadmodum constat ex verbis dicti canonis 18., post quæ statim subjiciuntur apud Ambrosium Can. 17. caus. 32. q. 5. & Can. 18. caus. 33. q. 5.

sium verba dicti canonis 17. Fingit autem ibidem Sanctus vir, conqueri mulieres de viris quasi asperis, & incultis, his vocibus: *Sed horridus, & incultus est*; quibus deinde ita respondet: *Semel placuit &c.* Notandum est, pro postremis illis Gratiani verbis: *Si uno defecerit die, superducis rivalem, & statim, incognita causa, quasi cognitam pudoris exequeris injuriam?* in vulgatis Ambrosii codicibus ita potiùs exhiberi: *Si uno defecerit die, suspicaris rivalem, & statim, incognita causa, quasi cognitam pudoris exequeris injuriam.*

Can. 35. de pœn. dist. 2. De canone 35. de pœn. dist. 2. nihil est singulare, quod observetur. Tantùm dixero, ibidem Ambrosium in lib. 6. cap. 7. expendisse verba illa Geneseos, quibus dicitur, Deum creavisse hominem ad imaginem, & similitudinem suam, quam ad rem retulit illud Isaiæ symbolicè dictum in cap. 49. vers. 16. *Ecce ego Hierusalem pinxi muros tuos*, ex quo Sanctus vir nomen *picturæ*, & *pictionis* usurpavit.

De Commentario in Psalmum 118.

Præstantissimum Ambrosii opus vel ab ipsis hæreticis hominibus laude maxima dignum existimatum illud est, quo variis sermonibus Psalmus 118. explicatur. Ibidem Sanctus Episcopus tradidit, Davidem Psalmi auctorem digessisse Psalmum carminibus eo ordine, ut per singulas Hebræorum literas sententias gravissimas distribueret, literis singulis octenos versiculos adscribens, *ut quemadmodum* (sunt eadem Ambrosii verba, initio hujus operis exhibita) *parvulorum ingenia primis literarum elementis assuescunt dicendi usum assumere, ita etiam nos hujusmodi elementis usum discamus vivendi.*

Can. 4. caus. 3. q. 7. Ex sermone 20. depromptus est can. 4. caus. 3. quæst. 7. ubi totus est sanctus Antistes, ut reprehendat eos, qui facili negotio, & temerè de aliis judicium ferunt, quasi primatum super ceteros gerant, his verbis: *Grave est de altero judicare, undè etiam scriptum est: nolite judicare, ut non judicemini; cum enim unusquisque sit suorum conscius peccatorum, quomodò potest de alterius judicare peccato? Judicet de alterius errore &c.* Quæ hinc sequuntur, eadem omnino sunt cum verbis Gratiani.

Can. 33. caus. 23. q. 4. Canon 33. caus. 23. quæst. 4. habetur in serm. 8., ubi Ambrosius sermonem habet de divina justitia cum divina misericordia comparata; & dum significaturus est aliquandò eminere in rebus hominum moderandis misericordiam Dei, quasi tunc lateat, nec exteriùs omninò prodeat divina justitia, ait aliquando misericordiam *justam esse*, aliquando *etiam injustam*, his verbis: *Est ergo justa misericordia, sed est etiam injusta misericordia. Deniquè in lege &c.* Subsequuntur hinc Gratiani verba. Cautè, ut liquet, & ex auctoris proposito interpretari opus est hoc in loco Ambrosii verba, ne fortè siquis præcisis fragmentis inhæreat, ad blasphæmiam hanc ipsam Ambrosii sententiam improbè torqueat. Jam Romani Correctores ad eum canonem animadverterunt, pro illis verbis *à consortio communionis vel criminationis abstractus* legendum esse, *à communionis consortio abstentus.* Adjicio adhùc ego, pro illis verbis *cur laxat exilio* in pluribus codicibus legi *cur laxat exitio.*

Can. 41. de pœn. dist. 3. Canon 41. de pœn. dist. 3. perperàm apud Gratianum descriptus est; quamobrem ut commodè explicaretur, potuit & Glossographorum, & Gratiani ingenium admodum torquere, quemadmodum adparet ex iis, quæ tradidit Gratianus idem post canonem 44. eadem distinctione, ubi conatur explicare verba illa *licet fides desit*, à quorum difficultate sese faciliùs extricavisset, si Ambrosianum monumentum ad Ambrosii codices exegisset, non ex depravatis exemplaribus exhausisset. Verba Ambrosii leguntur in sermone 18., ubi expenditur vox *Sade* ita apud Hebræos pronunciata, quæ latinè redditur *consolatio*, ibi: *Consolatio igitur prima ordine, quoniam non obliviscitur Deus facere miseri-*

cordiam, neque in æternum projicit, quos putaverit coercendos. Secunda, quòd decursis suppliciis, quæ propter peccata nostra toleravimus, ad veniam pertinemus.

Can. 21. de cons. dist. 5. Canon 21. de cons. dist. 5. legitur in sermone 22. ad explicationem sententiæ Davidicæ *Concupivi salutare tuum Domine*; ubi Ambrosius acriter exagitat eos, qui delicatiùs viventes in segnitie traducunt dies, illud tantùm cogitantes, ut per sollicita medicæ artis præcepta longiore vita frui conentur, quasi isti parùm ad salutare Dei suspiciant. De his inter cetera ita scribit: *Contraria autem studiosis divinæ cognitionis præcepta sunt medicinæ; à jejunio revocant, lucubrare non sinunt, ab omni intensione meditationis abducunt. Itaque qui se medicis dederit, se ipsum sibi abnegat.* Etiam ista salubriter intelligenda sunt, videlicet adversus eos prolata sententia, qui blandioribus delicatioris cujusdam medicinæ lenociniis eò adducuntur, quò Divinis, Ecclesiasticisve definitionibus non obtemperent.

De Commentariis in Lucam.

Nihil aptiùs adferre possum ad laudandam elegantiam Commentariorum Ambrosii in Evangelium Lucæ, quàm quod de eisdem tradidit Sixtus Senensis in lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ his verbis: *In Lucæ Evangelium commentariorum interruptæ expositionis libri* XI. *juxta mysticam intelligentiam succinctè digesti; de quibus Ruffinus invectivarum lib.* 2. *refert, Hieronymum in præfatione homiliarum Origenis in Lucam, & in epistola quadam, cujus ipse apud se haberet exemplar, scripsisse auctorem horum commentariorum ludere in verbis, & dormitare in sensibus. Quod ego crediderim magis à Ruffino in odium Hieronymi confictum, quam ab Hieronymo tale prolatum esse judicium de eruditis, & eruditissimi viri commentariis, de quibus Acca Episcopus Cantabrigiensis in epistola ad Bedam Venerabilem Presbyterum scribit in hunc modum: sunt quædam in expositione B. Ambrosii in Lucam tam diserta simul, & excelsa (quod tuam quoque sanctitatem vidisse non ambigo) ut à doctioribus solùm intelligi queant; à rudibus verò, fastidiosisvè lectoribus (quales in præsenti ævo plures invenies) præ difficultate adsequendi ea, quæ diserta sunt, vel capiendi, quæ alta, ne quærenda quidem quasi celsiora, nec quasi se fortiora putentur esse scrutanda, nec parum dedit judicii doctissimus Pater Augustinus, qui ad Paulinam Dei famulam de videndo Deo scribens, non aliis magis, quam ex hoc opere sumptis B. Ambrosii testimoniis utendum putavit, & ea pariter non solùm ponenda simpliciter, sed etiam exponenda judicavit; adeò ut ex paucissimis memorati tractatoris sententiolis non parvum volumen retractando confecerit. Quædam tamen S. Ambrosius in hoc opere indiscussa præteriit, quæ illi, quasi summæ eruditionis viro, plana, nec quæsitu digna videbantur. Hactenus Acca.* Hinc facilè deducitur, exhiberi in his Ambrosii Commentariis magna mysteria, rudioribus non satis obvia, virorum eximiorum meditatione dignissima. Notandum præterea est, hoc opus in præsentia reperiri distributum in decem libellos, atque olim fuisse pluriès à S. Augustino laudatum, scilicet in lib. 1. de Gratia Christi cap. 44., in lib. 2. de peccato orig. cap. 41., in lib. 1. contra Julianum cap. 3., & in lib. 2. cap. 5.

Can. 9. dist. 37. Ex libro 1. depromptus est canon 9. dist. 37. ubi expenduntur verba illa Evangelistæ cap. 1. vers. 1. *Quoniam multi conati sunt ordinare narrationem rerum &c.* ad quam rem Ambrosius recenset ex hæreticis quosdam, qui libris suis res Evangelicas complexi sunt, quos propterea ait ideò legendos, non ut excipiantur, sed ut rejiciantur, ibi: *Et aliud quidem fertur Evangelium, quod duodecim scripsisse dicuntur*: (hoc idem Evangelium commemoraverunt Theophilactus ad proœmium S. Lucæ, & Hieronymus lib. 3. adversus Pelagianos.) *Ausus est etiam Basilides Evangelium scribere, quod dicitur secundum Basilidem. Fertur etiam*

aliud

aliud Evangelium, quod dicitur secundum Thomam (hoc Evangelium Marcosiis hæreticis auctoribus tribuere visus est Irenæus lib. 1. adversùs hæreses cap. 17., & Cyrillus Hierosolymitanus Cathechesi 6. memorat, illud à Manetis discipulo fuisse conscriptum, cui consonare videtur Gelasius in can. 3. dist. 15.) *Novi aliud scriptum secundum Matthiam*: (hoc memoraverunt Origenes homil. 1. in Lucam, Eusebius lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 25., Hieronymus proæmio in Comment. super Matthæum, Gelasius in can. 3. dist. 15., & Beda initio Commentarii in Lucam:) *legimus aliqua, ne legantur; legimus, ne ignoremus; legimus, non ut teneamus, sed ut repudiemus, & ut sciamus qualia sint, in quibus magnifici isti cor exaltant suum.* Vulgati Gratiani codices paulò aliter exhibuerunt Ambrosii sententiam, quemadmodum jam Romani Correctores animadverterunt. Ex his profectò deduci potest, paulò distare eam sententiam à proposito Gratiani, cum Ambrosius de libris Evangelicis hæreticorum perfidia editis sermonem habeat, at Gratianus voluerit ad ceteros libros, qui à Christianis elucubrati non proponerentur, etiamsi ad doctrinam fidei non pertineant, fidenter eadem dicta producere.

Can. 19. dist. 86. Canon 19. dist. 86. eisdem omnino verbis depromptus est ex libro 2. ad caput 3. vers. 9. Lucæ, ubi Joannes Præcursor inducitur alloquens turbas, ipsasque ad bona opera exhortans.

Can. 20. dist. 86. Canon 20. dist. 86. depromptus quidem est ex libro 8. Ambrosii, cum quo penitùs consonat; verùm plurimùm distat Ambrosii sententia à proposito Gratiani; etenim ibi sanctus Antistes expendebat Dei mandatum, *honora Patrem, & Matrem*, quale habetur Lucæ cap. 18. vers. 20., atque ad eam rem docebat, neminem res suas alii, ne Ecclesiæ quidem, donare debere, nisi primùm necessitati parentum suorum occurrerit, ibi: *Cetcrùm Dei traditio est, ut priùs pascas parentes; nam si juxta divinum oraculum contumelia parentis morte luitur, quantò magis fames, quæ morte gravior est? Quo loco insolentem Dominus frænat jactantiam; multi enim, ut prædicentur ab hominibus, Ecclesiæ conferunt, quæ suis auferunt, cum misericordia à domestico progredi debeat pietatis officio.* At verò Gratianus ista edidit, quasi intelligerentur de Episcopis, rerum Ecclesiasticarum administris, ad quorum munus pertineat ex bonis Ecclesiæ primùm subvenire parentibus, deindè ceterorum, & Ecclesiæ necessitatibus occurrere.

Can. 16. caus. 1. q. 1. Canon 16. caus. 1. quæst. 1. legitur in libro 4. ad cap. 4. Lucæ vers. 27. ad interpretationem illorum verborum: *multi leprosi erant in Israel sub Eliseo Propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.* Hac occasione Ambrosius Naaman historiam enarravit, qualis habetur in lib. 4. Regum cap. 5. vers. 26., & 27., ubi traditur inter cetera, Giezi puerum Eliseo deservientem aliquid pro mundata lepra à Naaman exegisse, quasi pretium divini operis, ex quo statim idem Giezi pœnam divinitùs luit, ipse lepra affectus. Hæc expendens Ambrosius, de iis quoque mysticè intelligit, qui Divinorum Sacramentorum quamdam turpem ineunt mercaturam. Aliqua desunt apud Gratianum, quæ tamquam utilia interpretibus heic describo. Ait Ambrosius: *Citò turpem sequitur lepra mercedem, & pecunia corpus, animumque malè quæsita commaculat. Accepisti, inquit, pecuniam, & possidebis ex ea agrum, & vineam, & oliveta, & greges, & lepra Naaman applicabit se in te, & semini tuo usque in æternum. Vides, quia facto auctoris &c.* Quæ sequuntur, exhibentur apud Gratianum, quibus sanè jungendæ erunt Romanorum Correctorum animadversiones.

Can. 10. caus. 6. q. 1. Canon 10. caus. 6. quæst. 1. legitur in lib. 10., ubi expenditur Petri Apostoli factum, quando se Christum novisse negavit, quemadmodum scribitur apud Lucam cap. 22. vers. 55., & 56.

Ob-

Observat autem ibi Ambrosius, neminem debere nimiùm viribus, & virtuti suæ fidere, proposito exemplo Petri, qui ubi nimiùm de sua integritate, & fide præsumpserat, miserè postmodum excidit. Nescio verò, quare Gratianus hanc Ambrosii sententiam eo in loco laudavit, ubi sibi id demonstrandum proposuerat, ut detractiones aliquando justo Dei judicio adversus bonos excitentur: quamobrem Romani Correctores id non notare non potuerunt, ad rubricam canonis ita adjicientes: *Rubrica hæc non valdè convenit subjecto capiti.*

Can. 28. caus. 11. q. 1. & can. 8. caus. 24. q. 1.

Canon 28. caus. 11. quæst. 1. jungendus est cum canone 8. caus. 24. q. 1., uterque enim uno contextu junctus exhibetur apud Ambrosium in lib. 4. ad caput 5. Lucæ vers. 3. & seq. ibi: *Est & aliud Apostolicum* (is est canon 8. caus. 24. quæst. 1.) *piscandi genus: quo genere solùm Petrum piscari Dominus jubet dicens: Mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle. Magnum quidem est, & spirituale documentum* (is est canon 28. caus. 11. q. 1.) *quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subjecti, nequis constitutionem terreni Regis putet esse solvendam. Si enim censum Filius Dei solvit, quis tu tantus es, qui non putes esse solvendum?* Hæc si adamussim considerentur, non satis congruere Gratianeo proposito, præsertim in caus. 24. quæst. 1., deprehendentur.

Can. 26. caus. 23. q. 4.

Canon 26. caus. 23. quæst. 4. est in libro 7. ad caput 9. Lucæ vers. 54., ubi discipuli rogabant Jesum, ut veniret ignis de Cœlo, quo absumerentur, qui Christum excipere detrectabant. Hæc sunt Ambrosii verba, ad quæ Gratianeus canon est exigendus. *Quod verò discipulos increpavit, quia ignem super eos descendere gestiebant, qui non receperant Christum, ostenditur nobis, non semper in eos, qui peccaverunt, vindicandum; quia nonnumquam ampliùs prodest clementia tibi ad patientiam, lapso ad correctionem. Denique Samaritani citiùs crediderunt, à quibus hoc loco ignis arcetur. Simul disce, quia recipi noluit ab his, quos sciebat non simplici mente conversos; nam si voluisset, ex indevotis devotos fecisset. Cur autem non receperint eum, Evangelista ipse commemorat; quia facies ejus erat euntis in Jerusalem. Discipuli autem recipi intra Samariam gestiebant: Sed Deus, quos dignatur, vocat, & quem vult religiosum, facit. Nec discipuli peccant, qui legem sequuntur. Sciebant enim & Phinees reputatum ad justitiam, quia sacrilegos interemerat, & ad preces Eliæ ignem descendisse de Cœlo, ut Prophetæ vindicaretur injuria. Sed vindicetur qui timet: vindictam non quærit, qui non timet.* In his agnoscimus eximiam legis Evangelicæ perfectionem, juxta quam insigne illud charitatis præceptum habemus de diligendis inimicis, & de benefaciendo iis, qui nos oderunt, & orando pro persequentibus, & calumniantibus nos, juxta caput 5. Matthæi.

Can. 7. caus. 24. q. 1.

Ad canonem 7. caus. 24. quæst. 1. nihil est, quod peculiariter observemus. Depromptus est ille ex commentario ad caput 5. Lucæ, cum quo omninò consonat.

Can. 17. caus. 24. q. 1.

Canon 17. caus. 24. quæst. 1. olim apud Gratianum sub Gregorii nomine laudabatur. Romani Correctores veriùs Ambrosii nomen adscripserunt; consonat autem omninò cum verbis Ambrosii in lib. 10. ad caput 22. Lucæ, ubi factum Petri Apostoli auriculâ militem cædentis expenditur.

Can. 26. caus. 24. q. 1.

Consonant prætereà omninò cum verbis Ambrosii in lib. 6. ad interpretationem vers. 54. cap. 9. Lucæ verba canonis 26. caus. 24. quæst. 1., ubi expenditur sententia illa Christi Domini: *Quicumque non receperint vos, exeuntes de Civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos.*

Can. 1. caus. 32. q. 2.

Canon 1. caus. 32. quæst. 2. in prioribus verbis usque ad vers. *dum conjugii* consonat prorsùs cum verbis Ambrosii lib. 1. ad interpretationem vers. 24. & 25. cap. 1. Lucæ, ubi videbatur Elisabeth sibi quodammodo suam in opprobrium vertere sterilitatem. At verba versi-

siculi *dum conjugii* habentur in lib. 2. ad interpretationem cap. 1. vers. 26. & 27., undè Lucas divinæ Incarnationis mysterium prædicat ; quam ad rem scribit Ambrosius : *Causam autem mentiendi indesponsata habuit, desponsata non habuit, cum conjugii præmium, & gratia nuptiarum partus sit fœminarum. Non mediocris quoque causa est, ut virginitas Mariæ falleret Principem mundi, qui, cum desponsatam viro cerneret, partum non potuit habere suspectum.* Posteriora hæc si cum Gratiani fragmento contuleris, statim agnosces, idem esse ex integris Ambrosii Codicibus emendandum.

Can. 2. caus. 33. q. 2. Canon 2. caus. 33. quæst. 2. pertinet ad interpretationem capitis 16. Lucæ in illa Christi verba : *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur.* Priora canonis verba non satis commodè intelligentur, nisi hùc, quæ apud Ambrosium præcedunt, referantur, ubi scilicet sanctus Antistes ita viros uxores suas dimittentes insequitur : *Quam periculosum, si fragilem adolescentulæ ætatem errori offeras ! Quam impium, si ejus desituas senectutem, cujus defloraveris juventutem ! Ergo inhonoratis stipendiis & veteranum Imperator dimittat inglorium, atque imperii sui possessione detrudat, & rusticum laboris sui effœtum agro suo propulset agricola ? An quod in subditos nefas est, in comparem fas est ? dimittis ergo uxorem quasi jure &c.* Notatu sanè digna sunt postrema hæc verba, quæ in tribus Gratiani exemplaribus aliter expressa se reperisse animadverterunt Romani Correctores contra ceterorum codicum, presertim Ambrosianorum, fidem. Videtur autem Ambrosius ibidem respexisse ad legem Constantini, quæ est lex 1. eod. Theodos. de repudiis, ubi videtur permissum viro repudio dimittere conjugem his verbis : *In masculis etiam si repudium mittant, hæc tria crimina inquiri conveniet, si mœcham, vel medicamentariam* (intellige veneficam, argumento l. 8. Cod. Justinian. eod. tit.) *vel conciliatricem* (intellige lænam, aut sagam ex Lucilio satyra 7. ajente : *Ætatem & faciem ut saga, & bona conciliatrix*, item ex Cicerone 1. de natura Deorum, ibi: *Quam blanda conciliatrix, & quam sui sit lana ipsa) repudiare voluerit. Nàm si ab his criminibus liberam ejecerit, omnem dotem restituere debet, & aliam non ducere.*

Canones 1. & 2. de pœn. dist. 1. leguntur in lib. 10. ad caput 22. Lucæ vers. 55. & 56., ubi Petri Apostoli & delictum, & pœnitentia describuntur his verbis: *Ita Petrus doluit, & flevit, qui erravit ut homo. Non invenio quid dixerit: invenio quod fleverit : Lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego : Sed quod defendi non potest, ablui potest : Lavent lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri.* Can. 1. & 2. de pœn. dist. 1.

Canon 64. de pœn. dist. 1. legitur eisdem verbis in lib. 2. ad cap. 1. Lucæ vers. 67., ubi Ambrosius Canticum Zachariæ explanat, in ea præcipuè parte, qua laudatur summa Dei pietas & clementia in complenda humani generis redemptione. Can. 64. de pœn. dist. 1.

Ambrosio quoque tribui potest canon 38. de cons. dist. 2. vers. *undè & corpus*, siquidem in lib. 10. ad caput 22. Lucæ vers. 29. expendens Christi verba *Dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo*, ait Ambrosius : *Unde & Corpus Christi edimus, ut vitæ æternæ possimus esse participes.* Can. 38. vers. undè & corpus de cons. dist. 2.

De Commentariis in epistolas Pauli.

Etsi apud aliquos, mediæ præsertim ætatis scriptores, commentaria sub nomine Apostoli Ambrosii vulgò edita in epistolas Pauli, undè Gratianus fragmenta plura deprompsit, tanquam germana Ambrosii opera habita fuerint, quemadmodum apud Hincmarum, & Ecclesiam Laudunensem ; hodie tamen talia non habentur à viris eruditissimis, quiad injuriam sancto Antistiti inferendam pertinere judicio sanè gravissimo censuerunt, si illa eidem adscriberent. Profectò jam ab antiquissimis temporibus quidam

dam, dumtaxat rumor ferebat, Ambrosium interpretatum fuisse Pauli epistolas, sed difficile erat, eadem commentaria invenire, quemadmodum testatur Cassiodorus in lib. divinarum lectionum cap. 8., ita scribens: *Dicitur etiam & B. Ambrosium subnotatum codicem epistolarum omnium S. Pauli reliquisse suavissima expositione completum, quem tamen adhùc invenire non potui, sed diligenti cura perquiro.* Porrò si Ambrosii reverà fuisset hic codex, ea ætate fuisset apprimè notus, atque vulgatus cum ceteris Ambrosii operibus, quæ maximo apud universos in pretio erant. Verosimile hinc est, à deceptore quodam & in latebris primùm degente ea fuisse composita, quòd tunc temporis aliquando contigisse idem Cassiodorus fatetur loco laudato, scribens simile quidpiam contigisse in commentariis sub nomine Papæ Gelasii editis, ibi: *In epistolis tredecim S. Pauli annotationes conscriptas in ipso initio meæ lectionis inveni, quæ in cunctorum manibus ita celebres habebantur, ut eas à S. Gelasio Papa urbis Romæ doctissimi viri studio dicerent fuisse conscriptas; quod solent facere, qui res vitiosas cupiunt gloriosi nominis auctoritate defendere: sed nobis ex præcedentibus lectionibus diligenti retractatione patuerunt, subtilissimas quidem esse, ac brevissimas dictiones, sed Pelagiani erroris venena illic esse seminata.* Quicumque in ea commentaria oculos conjicit, statim intuetur stylum ab Ambrosiano diversum: agnoscit statim auctoris magnam linguæ græcæ imperitiam, quam de Ambrosio nemo facilè adfirmabit: agnoscit item plurima Ambrosianis sententiis, quales in aliis ejusdem viri opusculis exhibentur, adversari. Non persequor singula jam ab eruditis viris operum Ambrosianorum editoribus observata. Me refero ad Gratianeos canones, in quibus identidem adparent gravissima argumenta, unde jure eos abjudicari ab Ambrosio concludatur.

Ex commentariis istis in epist. 1. ad Corinthios cap. 5. vers. 2. depromptus est canon 31. caus. 23. quæst. 4., cujus verba si integra descripta fuissent, facilè prodidissent deceptorum manum, dum sententiæ ibidem sententiis contextis invicem pugnant. Agebat commentariorum auctor interpretem verborum Pauli *Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis*, de eo scilicet, qui inter Corinthios erat incestuosus; & scribebat: *Superbiam illorum in tantùm humiliat* (Paulus), *ut non querulos jam, sed magis supplices faciat. Erant enim & ipsi participes* (videlicet Corinthii), *dum paterentur reum tam ingentis facinoris secum incorreptum convenire, ut omnes uno consilio abjicerent eum, si negaret emendare se. Si autem quis potestatem non habet, quem scit reum abjicere aut probare non valet, immunis est, & judicis non est sine accusatore damnare, quia & Dominus Judam, & cum fur esset, quia non est accusatus, minimè abjecit* (apud Gratianum ante Correctionem Romanam post verbum *damnare* ita legebatur: *sicut nec Christus Judam abjecit*) *ut tolleretur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. Cognito opere isto pellendum illum fuisse de cœtu fraternitatis, omnes enim crimen ejus sciebant, & non arguebant, publicè enim novercam suam loco uxoris habebat. In qua re neque testibus opus erat, neque tergiversatione aliqua poterat tegi crimen.* Hæc parùm constare possunt, quando ita sententiæ sententiis congeruntur, ut primo loco tradatur, abs judice sine accusatore, & deficiente probatione, neminem posse damnari, deinde tradatur, incestuosum Corinthium, etiam nullo teste, & nemine accusante, debuisse damnari. Can. 31. caus. 23. q. 4.

Nihil est, quod specialiter animadvertendum sit ad canonem 11. caus. 26. quæst. 2.: tantùm dixero, ibi auctorem commentariorum expendisse caput 10. vers. 25. epist. 1. ad Corinth., ubi S. Paulus monebat fideles, ut sine discrimine manducarent quidquid in macellis publicè venderetur, nisi quidpiam esset dudùm Idolis immolatum, à quo abstinen- Can. 11. caus. 26. q. 2.

nendum esse jubebat, non *propter conscientiam comedentis*, sed potiùs propter conscientiam alienam, ne fortè comedens de immolatis Idolis participare quodammodo videretur.

Can. 17. caus. 32. q. 7. Paulò aliter in integris codicibus leguntur ea, quæ Gratianus descripsit in can. 17. caus. 32. quæst. 7. Ibi auctor commentariorum explicavit verba Pauli epist. 1. ad Corinth. cap. 7. & inquit: *Uxorem à viro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam. Hoc Apostoli consilium est, ut si discesserit propter malam conversationem viri, jam innupta maneat, aut viro suo reconciliari. Quòd si continere se, inquit, non potest, quia pugnare non vult contra carnem, viro reconcilietur: non enim permittitur mulieri, ut nubat, si virum suum causa fornicationis dimiserit, aut apostasiæ, aut si illicita impellente lascivia usum quærat uxoris, quia inferior non omninò hac lege utitur, qua potior. Si tamen apostataverit vir, aut usum quærat uxoris intervertere, nec alii potest nubere mulier, nec reverti ad illum: & virum uxorem non dimittere: Subauditur autem excepta fornicationis causa. Et ideò non subjecit dicens, sicut de muliere: Quòd si discesserit, manere sic; quia viro licet ducere uxorem, si dimiserit uxorem peccantem, quia non ita lege constringitur vir, sicut mulier; caput enim mulieris vir est.* Quis in conspectu hujus sententiæ sibi persuadebit, opus istud reverà esse Ambrosio tribuendum? Non ignorabat profectò Ambrosius, vinculum conjugii per adulterium uxoris minimè dissolvi; quod perpetua præsertim latinæ Ecclesiæ traditio docuit, quod imò idem Ambrosius tradidit in lib. 1. de Abraham cap. 4. & 7., seu in can. 4. causa 32. quæst. 4. apud Gratianum. Sed prætereà, an memorata verba sint auctoris commentariorum, quisquis tandem ille sit, an potiùs adsuta sint commentariis recentiore manu, plurimùm dubito; etenim testantur Benedictini Monachi, operum Ambrosianorum editores, verba superiùs descripta *& ideo non subjecit &c.* abesse à quibusdam vetustis MSS., quod & jam pridem animadverterat Petrus Lombardus in lib. 4. sentent. dist. 35. ad ea verba ita scribens: *Sed hoc à falsariis in Ambrosii libro positum creditur.*

Can. 12. de pœn. dist. 2. Neque admodùm consonat integris codicibus, ex quibus depromptus esse videtur, can. 12. de pœn. dist. 2., siquidem auctor commentariorum interpretatus ea verba Pauli *in charitate non ficta*, quæ habentur in epist. 2. ad Corinth. cap. 6. vers. 6., ait: *Simulata charitas in his est, qui in necessitate deserunt fratres: unde hic* (scilicet Paulus Apostolus) *semper necessitates fratrum suas faciens, simplex erat in charitate. Compatiebatur enim omnibus, sicut alio loco dicit: Quis scandalizatur, & ego non uror? Hæc enim vera charitas est, si sua utilitate contempta ejus curam agat, quem diligere se profitetur, quod semper fecit Apostolus.* Nemo non videt quantùm hoc fragmento, cujuscumque tandem auctoritatis esse credatur, abusus fuerit Gratianus, qui exinde concludere non dubitavit, charitatem semel habitam ulteriùs non amitti; quod sanè hæreticum esse videtur. Aliud enim est, quod ait Apostoli Pauli interpres, simulatam charitatem in illis esse, qui in necessitate deserunt fratres; aliud est, quod exinde deduxit Gratianus, simulatam charitatem fuisse, quæ deficere aliquando potuit.

Can. 4. caus. 33. q. 4. Can. 4. caus. 33. quæst. 4. depromptus est ex commentario in epist. 1. ad Corinth. cap. 7. vers. 5., cum quo penitùs consonat. Non videtur reprobanda Gratiani doctrina, quam ad interpretationem ejusdem canonis & similium subjecit post canonem 11. ead. caus. & quæst. ibi: *Hæc autem servanda sunt, si uxor consensum adhibere voluerit: ceterùm sine ejus consensu nec causa orationis continentia servari debet*; siquidem verba Apostoli de conjugis consensu mencionem faciunt, ibi: *Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.*

Can. 19. cau. 33. q. 5. Can. 19. caus. 33. quæst. 5. legitur in commentario epistolæ 1. ad Corinthios cap. 11. vers. 10. in illa Pauli verba: *Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter Angelos*, quæ ita expendit Interpres: *Potestatem velamen significavit, Angelos Episcopos dicit, sicut docetur in Apocalypsi Joannis. Et quia utique homines sunt, quòd non corriperent plebem, arguuntur, & quod rectum est in illis, laudantur. Mulier ergo idcirco debet velare caput, quia non est imago Dei. Sed ut ostendatur subjecta, & quia prævaricatio per illam inchoata est, hoc signi debet habere, ut in Ecclesia propter reverentiam Episcopalem non habeat caput liberum, sed velamine tectum, nec habeat potestatem loquendi, quia Episcopus personam habet Christi. Quasi ergo ante Judicem Christum, sic ante Episcopum, quia Vicarius Domini est, propter reatus originem subjecta debet videri.* Paulò aliter ista exhibentur apud Gratianum in posteriore §. *Quasi ergo*; nam in quibusdam exemplaribus omittitur vox illa *Christum*, & in omnibus pro verbis illis *reatus originem* legitur *peccatum originale*.

Can. 50. de cons. dist. 2. Ad canonem 50. de cons. dist. 2. nihil singulare animadvertendum occurrit. Legitur ille eisdem verbis in comment. in epist. 1. ad Corinth. cap. 11. vers. 26., quamquam olim perperàm in Gratiani codicibus hanc haberet inscriptionem adjectam. *Augustinus in lib. de Trinitate ad Corinthios.*

Can. 99. de cons. dist. 4. Ex commentariis, falsò itidem Ambrosio adscriptis, in epistolam Pauli ad Romanos cap. 11. vers. 29. editus est can. 99. de cons. dist. 4., cujus verba supplenda erunt ex integris commentariorum codicibus: *Sine pœnitentia etiam sunt dona, & vocatio Dei*, erat hæc Apostoli sententia, ad quam ita inquit Interpres: *Verum est, quia Gratia Dei in Baptismate non quærit gemitum, aut planctum, aut opus aliquod, nisi solùm ex corde professionem. Neque enim quia graviter deliquerant non recipiendo promissum Dei, & quia, quæ graviter peccantur, nonnisi fletu & gemitu ad veniam pertinent, ne ideò illos non posse jam accipere misericordiam putarent, quia dolere illos non videbant: ostendit hoc inter primordia fidei non requiri; donum enim Dei gratis donat peccata in Baptismo.* Vides ex his, Gratianum in describendo canone quædam mutavisse, quædam perstrinxisse, præsertim ubi his verbis conclusit: *Sed solam fidem & omnia gratis condonat.* Errati sui testis est Gratianus idem, qui eam ipsam sententiam rectiùs & congruentiùs retulit in can. 87. vers. *Gratia* dist. 1. de pœnitentia.

Caus. 53. de cons. dist. 2. Can. 53. de cons. dist. 2. referendus est ad commentaria in epistolam ad Hebræos capite 10. ad vers. 1. ibi: *per singulos annos*, quæ sanè commentaria potiore etiam jure quàm cetera ab Ambrosio à viris præstantissimis adjudicantur. Ceterùm Gratianus paulisper corrupisse videtur auctoris verba, quæ ita exhibentur ad tradendum discrimen sacrificiorum veterum & sacrificii novæ legis: *Una est ista hostia, illæ autem multæ sunt. Propterea enim nec fortes erant, quia multæ.... Si enim omnibus essent liberati peccatis, nequaquam per singulos dies offerret quis sacrificia. Proinde commemoratio peccati fuit, non absolutio, quia quotidie iisdem purgabantur hostiis etiam & ipsi sacerdotes, & populus pariter. In Christo è contrario semel oblata est hostia potens ad salutem sempiternam. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Offerimus quidem, sed recordationem facientes mortis ejus; & una est hæc hostia, non multæ. Quomodo una est, & non multæ? Quia semel oblata est in sancta sanctorum. Hoc autem sacrificium exemplar illius est: Idipsum semper offerimus; nec nunc quidem unum, alium agnum cras, alium hodie, sed semper idipsum. Proinde unum est hoc sacrificium. Alioquin hac ratione, quoniam multis in locis offertur, multi Christi sunt. Nequaquam: Sed unus ubique est Christus, & hìc plenus existens, & illìc plenus unum corpus. Sicut enim qui ubi-*

ubique offert, unum corpus est, & non multa corpora, ita etiam & unum sacrificium. Pontifex enim noster ille est, qui hostiam mundantem nos obtulit. Ipsam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem consumi non potest. Hoc autem, quod nos facimus, in commemorationem fit ejus, quod factum est; hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem.

SECTIO II.

De Commentariis in facta, & exempla veterum Patriarcharum, sive Sanctorum.

De libro de Cain & Abel.

Can. 11. caus. 15. quæst. 1. Can. 49. caus. 23. quæst. 5. Can. 9. caus. 32. q. 1. & can. 51. de pœn. dist. 1.

Inter opera Ambrosii liber extat de Cain & Abel, qui hodie in duos libellos distributus adparet, quisquis divisionis hujus auctor sit, sive Ambrosius ipse, sive recentior quidam, sicut nonnulli conjiciunt. In eo sanctus Antistes totus est, ut vim sacrificiorum consideret, qualia hinc à Cain, illinc ab Abel Deo dicabantur, eaque occasione populum hortetur, ut in oblationibus sacris non tàm de rebus offerendis, quàm de hilari animo in illis exhibendo sollicitudinem haberent; qua in tractatione plurima permiscet, informandis fidelium moribus valdè accommodata. Inter cetera in cap. 4. lib. 2. tradit, veteres Levitas fuisse hominum veluti redemptores, quatenus vel mediatores erant hominum apud Deum, sive Deum hominibus conciliabant, vel suis oppidis peccatores receptos tuebantur juxta numer. cap. 3. vers. 12. & cap. 35. vers. 6.: deinde tradit, quædam esse peccata hominum, quæ redimi facilè non patitur Deus, sed punit ipse vel per se immediatè, vel per homines. Hanc sententiam Gratianus recensuit in canon 11. caus. 15. quæst. 1., can. 49. caus. 23. q. 5, & can. 9. caus. 32. q. 1., qui sanè invicem jungendi sunt, cum in libro Ambrosii uno spiritu contexti exhibeantur, his verbis: *Duo quædam in Deo principalia sunt genera virtutum, unum quo remittit, aliud quo vindicat. Remittuntur peccata* (hic est canon 49.) *per Dei verbum, cujus Levites interpres, & quidam executor est. Remittuntur etiam per officium Sacerdotis, sacrumque ministerium. Puniuntur quoque per homines, sicuti per judices, qui potestate ad tempus utuntur, sicut Apostolus docet, dicens* (ad Romanos cap. 13. vers. 4.) *vis autem non timere potestatem: bonum fac, & habebis laudem ex illa: Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time; non enim sine causa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit*, (hæc Apostoli sententia omissa fuit à Gratiano). *Puniuntur peccata etiam per populos, sicut legimus, quia sæpe ab alienigenis Dei jussu excitatis propter Divinæ Majestatis offensam subactus est populus Judæorum. Nec is quidem* (is est can. 11.) *qui invitus aliquod fecerit homicidium, extra ministerium est, siquidem lex ait de eo, quia Deus dedit eum in manus ejus* (Exodi cap. 21. v. 13.): *manus ergo ejus instrumenti modo divinæ ultioni ministerium præbuerunt. Levites igitur minister remissionis est: percussor autem, qui tamen non ex dispositione, sed præter voluntatem fecerit homicidium, divinæ minister est ultionis. Illud quoque specta, quia cum interficitur impius, Christus infunditur, & ubi abominatio aboletur, sanctificatio congregatur* (legit Gratianus *consecratur*). *Quia Dominus dixit, in ea die, qua interfeci omne primogenitum Ægipti, sanctificavi mihi omne primogenitum Israel*; (apud Gratianum legitur *interfecero* pro *interfeci*, & *sanctificabo* pro *sanctificavi*). *Quod non ad unum diem afflictionis Ægipti referes, sed ad omne tempus. Cum enim renunciatur improbitati* (is est canon 9.) *statim adsciscitur virtus. Egressus enim malitiæ virtutis operatur ingressum, eodemque studio, quo crimen excluditur, innocentia copulatur.* Sic junctus est Ambrosii contextus, varia in fragmenta à Gratiano discissus, imò & ita

explicatus, ut adpareat perperàm alicubi à Gratiano in diversam sententiam detortus, quemadmodum liquet consideranti canonem 9. caus. 32. quæst. 1., qui eò torquetur, ut exinde colligatur, meretricem ad meliorem frugem redactam in uxorem duci posse. Ad eandem integram Ambrosii sententiam referenda sunt priora verba canonis 51. de pœn. dist. 1. usque ad vers. *Dominus*, quæ sanè nihil aliud continent, quàm paucis comprehensum, quod latiùs explicatur in can. 49. caus 23. quæst. 5.

Can. 86. de cons. dist. 2. Memoratur prætereà quasi ex libro de Cain & Abel apud Gratianum canon 86. de cons. dist. 2., verum habetur potiùs in libro Ambrosii, qui dicitur liber Dominicæ Incarnationis. Editum opus fuit adversus duos Arianos hæreticos, Gratiani Imperatoris cubicularios, qui, etsi Christi Corpus offerrent, illud tamen ejusdem naturæ cum Verbo Dei esse dicebant, utpote qui Verbum Dei esse Creaturam impiè profitebantur. Adversùs eos scribebat Ambrosius, parùm valere apud illos consecrationem, & oblationem Corporis Christi, utpote apud eos, qui fidei mysteriis repugnabant. Nescio sanè, qua de causa corrupta fuerit Gratiani inscriptio: fortè monumentum istud descriptum fuit, quasi ex libro de Cain & Abel, quòd in eo apud Ambrosium cap. 6. lib. 2. nonnulla ferè similia tradantur, ubi sanctus Episcopus exemplo Abel docet, eos, qui sacrificia Deo offerunt, recte dividere res oblatas debere, ut Deo meliora offerantur, non viliora, quemadmodum diviserat Cain; secus enim, inquit, futurum, ut sacrificia Deo accepta non sint, ibi: *Nunc consideremus, quid sit, quod ait Dominus: Si rectè offeras, non tamen rectè dividas, peccasti, quiesce, quod indicium est, Deum non muneribus oblatis placari, sed offerentis affectu. Denique condemnati oblator muneris Cain, quia pro conscientia insinceræ oblationis intellexerit Deo Sacrificium suum non probatum, & tristis est factus.... & quamvis obtulit munus, tamen, quia non rectè, & jure divisit, culpam incidit.*

De libro de Patriarchis, seu de Abraham.

Patriarcharum veterum exemplis sæpissimè usus fuit Ambrosius, ut populum ad optimarum virtutum cultum adduceret; quò potissimùm spectavit in edendis libris de Patriarchis, Abel, Jacob, Joseph, Isaac, Noe, & Abraham; ac demùm in libro de benedictionibus Patriarcharum, qui septem libri in veteribus Ambrosii codicibus juncti simul erant, & inscribebantur *Liber de Patriarchis*. Hujus rei testis est Cassiodorus in libro divinarum lectionum cap. 1. ita scribens: *sanctus Ambrosius de Patriarchis septem libros edidit, qui multa loca veteris testamenti factis quæstionibus suaviter enodavit.* Recentiore tempore septem illi libri sejuncti fuerunt, & singuli velut singulares libelli habiti sunt, quamquam apud nonnullos quoties aliquis ex eisdem libris laudandus occurreret, laudaretur sub generali nomine librorum de Patriarchis, quemadmodum potissimùm contigit de libello de Abraham, in canon. 25. causa 23. quæst. 5., in can. 13. caus. 32. quæst. 2., & in can. 3. caus. 32. q. 4. Itaque ut à singulari libro de Abraham initium dicendi faciam, ipsius argumentum & occasio ista fuit. Erant Ambrosii temporibus numero plures, qui, contemnentes Christi Domini legem, hanc tradebant non primùm à Christo acceptam, sed jamdudùm à veteribus derivatam Philosophis Platone, & Xenophonte, in quibus veræ sapientiæ fontem & origenem collocabant. Ambrosius istos homines impios dulci methodo ad Christum trahere volens, conatus est demonstrare, veram sapientiam jamdiù ante Platonem, & Xenophontem in Abrahamo Patriarcha extitisse, quem propterea tanquam bonorum morum

rum

rum speculum & exemplar legenti cuique proposuit duobus libellis, quorum tamen hodiè diversa est ratio atque conditio ob temporum injuriam, ne dixerim ob perfidorum hominum improbitatem; siquidem libellus prior incorruptus ad nos usque pervenisse videtur, posterior verò paulisper depravatus, quemadmodum Maurini Monachi, operum Ambrosianorum editores, observaverunt, ita scribentes: *Cum ad informationem morum utilitatem multo uberiorem è primo libro, quam è secundo Christiani haurire possint, non sine divina providentia factum videtur, ut ille haùd paulò incorruptior, atque perfectior ad nos transmissus fuerit, quam iste, in quo loci complures occurrunt miserum in modum hiatibus, aliisque vitiis deturpati. Non paucos quidem, neque contemnendos pristinæ integritati restituimus: ingenuè tamen fatendum est, in fine ejusdem libri adhuc confusi aliquid superesse, cui remedium adferre manu exarati codices nequiverunt. Credibile est, ibi quædam vel transposita, vel avulsa, vel etiam fortè ab hæretico aliquo, ut patrocinium erroribus suis pararet, fuisse interjecta.* Quod ad rem meam attinet, animadverto, nihil apud Gratianum occurrere, quod ex posteriore libello depromptum sit.

Can. 7. caus. 15. quæst. 1. Ex priore libro cap. 6. eisdem omnino verbis erutus est can. 7. caus. 15. quæst. 1., ubi Ambrosius æbrietatis vitium vehementissimè detestatur.

Can. 20. §. *non enim* & §. *Prophetavit* caus. 22. q. 2. Ex eodem libro 1. cap. 8. deprompta nonnulla sunt, quæ Gratianus edidit post canonem 20. caus. 22. quæst. 2. sive in vers. *non enim*, sive in vers. *Prophetavit*: ubi Ambrosius totus erat, ut Abrahæ factum expenderet, quando jussus fuit divinitùs filium suum occidere.

Can. 25. caus. 23. q. 5. Præterea in eodem libro cap. 3. leguntur verba canonis 25. caus. 23. q. 5., quem tamen nescio quomodo Gratianus ad suam rem trahere potuerit. Etenim post canonem 23. proposuerat Gratianus demonstrare, fidem, & reverentiam Principibus esse exhibendam, quod duobus editis canonibus præstitit, nimirùm 24. & 25. At can. 24. exprimitur de servis obedire domino suo debentibus; & can. 25. Ambrosii pertinet ad stipendia inter milites partienda. Factum Abrahæ, quod ibidem recensebat Ambrosius, enarratur apud Moysem in cap. 14. Geneseos: Nimirùm cum Rex Sodomorum victus fuisset unà cum Lot Abrahami fratre in servitutem redacto, subsidium retulit Abraham, victoremque hostem mutata fortuna belli confecit, profligavitque, atque omnia tum Lot fratri, tum Sodomorum Regi reddidit. Quamobrem cum Rex Sodomorum omnia Abraham victori egregio offerret, renuit Abraham dona, contentus nonnulla inter milites, quos in sui subsidium vocaverat, distribui, quasi præmium virtutis. Factum expendens Ambrosius, ait, egregium esse magnanimitatis exemplum, & sine imitatione, ita scribens inter cetera: *Decet* (in vulgatis codicibus legitur *docet*) *militarem disciplinam, ut Regi serventur omnia*; id est, ne quis extraneus ideò victo Regi subsidium ferat, ut victore præda spoliato prædam ipse sibi vindicet, sed potiùs ut omnia fœdere juncto restituat, mercedem ipse à Summo Deo expectaturus.

Can. 36. caus. 27. q. 2. Can. 36. caus. 27. quæst. 2. non reperitur apud Ambrosium, quemadmodum jam animadverterunt Romani Correctores; quamquam tamen apud Petrum Lombardum sub nomine Ambrosii recenseatur in lib. 4. sententiar. dist. 30. ubi & ejusdem canonis interpretatio commoda subjicitur, quæ conjugium spectat B. Mariæ & B. Josephi, his verbis: *Et licet non intercesserit conjugalis concubitus, conjuges tamen verè fuerunt, mente, non carne, sicut & parentes; quamvis Ambrosius dicat, perfectum fieri conjugium per carnalem copulam: in omni, inquit, matrimonio conjunctio intelligitur spiritualis, quam confirmat, & perficit conjunctorum commixtio corporalis. Sed intelli-*

ligendum est conjugium perfici commixtione corporali, non quantum ad veritatem, vel sanctitatem conjugii, sed quantum ad significationem, quia perfectiùs unionem Christi, & Ecclesiæ tunc figurat. Ego puto, sententiam hujus canonis nullo jure tribui Ambrosio posse, cum Ambrosius aliis in locis contrarium doceat, scribens perfectum jam esse conjugium inter eos, inter quos carnalis copula non intercesserit, scilicet in libro de institutione Virginis cap. 6., quod laudatur in can. 5. caus. 27. quæst. 2.

Can. 15. caus. 28. q. 1. Canon 15. caus. 28. quæst. 1. legitur in lib. 1. cap. 9., ubi Ambrosius expendit solertiam Abrahæ, uxorem filio suo quærentis, atque inter cetera servo præcipientis, *ut non acciperet uxorem filio suo Isaac de filiabus Chananeorum*, quemadmodum legitur in cap. 24. Geneseos; quo proposito exemplo monet sanctus Antistes, cavendum esse fidelibus Christi, ne quis judæo vel hæretico conjugio copuletur, his verbis: *Cave Christiane, gentili, aut judæo filiam tuam tradere. Cave, inquam, gentilem, aut judæam, atque alienigenam, hoc est hæreticam, & omnem alienam à fide tua uxorem accersas tibi. Prima conjugii fides castitatis gratia est. Si Idola colat, quorum prædicantur adulteria, si Christum neget, qui præceptor & remunerator est pudicitiæ, quo modo potest diligere pudicitiam? Si Christiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sitis Sacramento Baptismatis. Simul ad orationem nocte vobis surgendum est, & conjunctis precibus obsecrandus Deus.*

Can. 8. caus. 30. q. 5. & can. 13. caus. 32. q. 2. Canon 8. caus. 30. quæst. 5. jungendus est cum canone 13. caus. 32. quæst. 2., uterque enim legitur in lib. 1. cap. 9. in fine, & quidem ita contextus, ut præcedant verba canonis 13., & statim verba 8. canonis subsequantur.

Can. 3. & 4. caus. 32. q. 4. Non levis emergit difficultas ex canonibus 3. & 4. caus. 32. quæst. 4., quos ut rectè interpretemur, in primis operæ pretium est integram Ambrosii sententiam describere, qualis exhibetur in lib. 1. cap. 4., ibi: *Sed fortassè dicet aliquis: Quomodo Abraham nobis imitandum proponis, cum de ancilla susceperit filium? aut quid sibi vult hoc esse, ut tantus vir huic errori fuerit obnoxius, cujus tanta opera miramur? Et ideò, ne quodam more navigantium locum hunc, quem plerique vadosum putant, declinasse videamur, rationem ejus explanare cordi est. Non abnuo, quòd Abraham de ancilla susceperit filium, ut cognoscas, quoniam non superioris cujusdam naturæ, ac substantiæ fuit Abraham, sed unus è numero & fragilitate universorum hominum. Denique & de regione Chaldeorum vocatus est, quos superstitioni vanæ intentos esse magis, quàm ceteros accepimus, & ideò majorem invenit gratiam apud Deum, quia superioribus renunciavit, ad priora se extendit, ut sequeretur Deum. Propositus est enim ad imitandum tibi, ut & tu advertas, quòd si peccatis renunties, possis emereri domini misericordiam. Movere tamen aliquos potest, quòd jam cum Deo loquebatur, & ad ancillam introivit, sicut scriptum est: Quia dixit Sara* (hinc exorditur Gratianus in canone 3.) *ad Abraham: ecce conclusit me Dominus, ut non pariam: intra ergo ad ancillam meam, ut filium facias ex illa. Et ita factum est. Sed consideremus primùm, quia Abraham ante legem Moysi, & ante Evangelium fuit: nondum interdictum adulterium videbatur. Pœna criminis ex tempore legis est, quæ crimen inhibuit: nec ante legem ulla rei damnatio est, sed ex lege: non ergo in legem commisit Abraham, sed legem prævenit. Deus in paradiso licet conjugium laudaverit, non adulterium damnaverat.* Et infra: *Habes unam Abrahæ defensionem. Secunda illa est, quòd non ardore aliquo vagæ succensus libidinis, non petulantis formæ captus decore, ancillæ contubernio conjugalem posthabuit thorum, sed studio quærendæ posteritatis, & propagandæ sobolis. Adhuc post diluvium raritas erat generis humani, erat etiam religionis, ne quis non reddidisse debitum videretur naturæ. Denique, & Loth sancti filiæ hanc causam quærendæ posteritatis habuerunt, ne genus deficeret humanum, & ideò publici muneris gratia privatam culpam prætexuit.* Et post ali-

aliqua : *Sed & vos moneo viri , maximè qui ad gratiam Domini tenditis , non commisceri adulterino corpori ; qui enim se jungit meretrici , unum corpus est , nec dare hanc occasionem divortii mulieribus. Nemo blandiatur sibi de legibus hominum* ; (hinc exorditur Gratianus in can. 4.) : *omne stuprum adulterium est , nec viro licet , quod mulieri non licet &c.* Non ulteriùs persequor , cum verba Gratiani omninò consonent Ambrosianis codicibus , atque in sequentibus vix difficultas ulla supersit. Tantùm animadverto , versiculum *Tolerabilior* depromptum esse ex cap. 7. Potissimùm sisto in referendo cap. 4. Ambrosii , ubi tandem excusans sanctus Antistes Abrahæ factum concludit : *Tertia quoque est* (defensio), *quam nobis Apostoli Pauli tribuit auctoritas , qui ait : illa, quæ gessit Abraham , ut de ancilla susciperet sobolem , in figuram facta sunt , & per allegoriam dicta.* Non defuerunt , quibus, dum occurrisset Ambrosianum hoc monumentum , videri potuit , Ambrosium sensisse , ante legem Mosaicam interdictum adulterium non fuisse. Verùm nec desunt viri eruditissimi , qui ab hac nota sanctum Doctorem vindicaverunt. Non memoro sigillatim , quid ad hanc rem scripserint universi Ambrosianorum operum interpretes. Dicam quidem , & jure , Ambrosium in ea re non omninò excusavisse Abrahamum , quem veriùs culpæ reum fassus est in eo , quòd cum ancilla concubuerit. Quò enim tendit laudatum Ambrosii exordium , quo refert , Abrahamum non fuisse superioris cujusdam naturæ , scilicet à peccato prorsus expertis , sed potiùs inter Chaldeos superstitionibus deditos incolatum gessisse ? Quò tendit , quod dicitur ad imitandum proponi Abrahamum , quia superioribus , quibus olim fœdatus erat, maculis renunciavit ? Quò tendit filiarum Lot comparatio , nisi Ambrosius culpam & in Abrahamo fuisse fateretur? Sed clariora ad hanc rem sunt ejusdem Ambrosii verba in eo ipso cap. 4. lib. 1. ibi : *Ergo Abraham & unus de populo erat gentili , & causa posteritatis introiverat ad ancillam. ....& tamen non otiosum est , quod post hoc Deus statim , quia alia ejus opera probaret , vel hujus facti pœnitentiam , dixit illi : ego sum Deus tuus ; emerere in conspectu meo , & esto sine querela ; quasi adhùc planè non emeruisset , qui desperaret sterilis partum uxoris , & de ancilla posteritatem quæreret.* Item magis perspicuè in libro de Paradiso cap. 13. ait Ambrosius : *De scripturis divinis frequenter promit* (peccator) *exempla , quibus justos in culpam perhibet incidisse , dicens , si fortè in stupris fuerit deprehensus: & Abraham cum ancilla concubuit ; & David alienam adamavit , & sibi adscivit uxorem.* Profectò hæc omnia supponunt , Ambrosium non in ea fuisse opinione , ut Abrahamum in ea re prorsùs ab omni culpa credidisset expertem. Non ecquidem inficior , Ambrosium in libro de Abraham voluisse , quoad fieri posset, sanctum Patriarcham,si non à facinore, saltem à gravitate facinoris excusare ; ad quam rem jure tradere potuit , nondum tunc temporis & Christi , & Mosis legem prodiisse , & solas hominibus fuisse in conspectu naturæ institutiones, quibus prohibitum quidem adulterium erat , sed , ut ait sanctus Antistes , certis in adjunctis causarum *nondum interdictum adulterium videbatur* ; tum nimirùm , cum nullos liberos Abraham ex justa conjuge suscepisset. Nulla adhùc lege positiva Dei magis illustrata humana mens erat ; solùm affulgebat naturæ lumen , plurimùm ceteroqui diminutum peccato originis , atque ubi erat uxoris consensus , ubi uxor sterilis erat , ubi naturale officium tunc temporis præstandum erat , Abrahamo videri poterat, sibi licere cum ancilla liberorum causa conjungi. Non in absimili opinione fuisse novimus sapientissimos viros, divinis revelationis lumine destitutos , ceteroqui naturalium legum custodes vigilantissimos , & castissimos vindices , quos aliquando in suis uxoribus permisisse adulteria legimus, quando & mariti consen-

sensus, aut jussus adesset, & maritus ob sui naturalem impotentiam de suscipienda prole aliàs desperaret. Refert Tertullianus, Solonem in Græcia, & Catonem Romæ id uxoribus permisisse, quod & recenset Augustinus, quæstionem hujusmodi tractans, & ad naturale jus exigens in lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 16. Addere possum, quod refert Alexander ab Alexandro lib. 1. genialium dierum cap. 24. ibi: *Cato Martiam uxorem amico dedit, & Socrates Xantippem; atque alii id sæpè factitarunt, quem morem apud Lacedemonios Licurgi lege, Tapyrasque, & plerasque gentes invaluisse, documenta sunt, qua cavetur, ut ad senioris uxorem juvenis florente ætate tollendæ prolis causa admittatur &c.* Ex his colligitur, non omnino injuria à gravitate delicti excusari potuisse Abrahamum ab Ambrosio, disputationem propositam exigente non eo, ut quæreretur quid Abraham rectè sentire debuisset, sed ut quæreretur, quid Abraham divinæ adhuc legis lumine destitutus opinari potuisset, ac reverà opinatus fuisset. Hinc puto, & Abrahami factum, & Ambrosii doctrinam posse à male feriatorum hominum conviciis commodè vindicari.

Can. 12. caus. 32. q. 7. De canone 12. caus. 32. quæst. 7. nihil est, quod singulari dignum sit observatione. Legitur ille eisdem omnino verbis in lib. 1. cap. 6.

De libro de Issac, & Anima.

Ea fuit Ambrosio in expendendis sacrarum literarum monumentis consuetudo, ut, ubi etiam historica narratio factorum locum sibi vindicaret, potiùs mysticas eorundem factorum significationes exhiberet. Quid amabo simplicius historia Isaacci, & Rebeccæ, quam sacræ veteris testamenti literæ referunt? Attamen Ambrosius eam expendens ad spiritualem significationem traducit in libro, quem inscripsit de Isaac, & anima, in quo in Isaacco Christum Dominum, in Rebecca fidelem animam considerat, docens talem debere esse fidelem animam Christo, qualis fuit Isaacco Rebecca. Ex hoc libro cap. 5. depromptus est canon 38. de pœnit. dist. 2., ubi inducitur anima fidelis jam virtutibus ornata Christum sponsum alloquens his verbis: *Suscipe Evam jam non ficulneæ foliis adopertam, sed sancto amictam Spiritu, & nova gratia gloriosam, quia jam non tanquam nudata absconditur, sed tamquam circumdata vestimenti splendore fulgentis occurrit, quia vestit eam gratia: sed nec Adam primò nudus erat, quando eum innocentia vestiebat.* Can. 38. de pœn. dist. 2.

Est & aliud fragmentum ex cap. 3. ejusdem libri depromptum apud Gratianum post canonem 39. de pœn. dist. 2. §. *Fugerat*, cujus §. verba cum paulisper corrupta legantur, ita emendanda erunt ex integris Ambrosii exemplaribus: *Perfecta anima aversatur materiam, omne immoderatum... divinis intendit, terrenam autem materiam fugit. Fuga autem est non terras relinquere, sed esse in terris, justitiam & sobrietatem tenere, renuntiare vitiis, non usibus elementorum. Fugiebat David sanctus à facie Saul, non utique ut terras relinqueret, sed ut immitis, & inobservantis, & perfidi declinaret contagium. Fugiebat autem adhærens Deo, sicut & ipse ait: adhæsit anima mea post te.* Can. 39. §. *Fugerat* dist. 2. de pœn.

De libro de Jacob, & vita beata.

Edidit Ambrosius librum de Jacob, & vita beata, ut exhortaretur Neophytos, seu recèns ad fidem conversos ad serviendum Christo animo hilari, tradens maximum beneficium esse, quod à Deo illi susceperant in Baptismatis Sacramento, tradens etiam in beata vita constitutos illos esse, qui libenter Christo famulantur, exemplo proposito S. Jacob, qui in domo Laban lubentissimè serviens, vitam jucundissimam traducebat. Liber iste tribuitur in duas partes; ex quarum prima cap. 4. depromptus est canon 10. caus. 15. quæst. 1., cujus Can. 10. caus. 15. q. 1.

jus verba, apud Gratianum paulispèr corrupta, ita describenda sunt ex integris Ambrosii codicibus: *Non est, quòd cuique nostram adscribamus culpam, nisi nostræ voluntati. Nemo tenetur ad culpam, nisi voluntate propria deflexerit. Non habent crimen, quæ inferuntur reluctantibus. Voluntaria tantùm commissa sequitur delictorum invidia, quod in alios derivemus. Voluntarium sibi militem elegit Christus: voluntarium servum sibi diabolus auctionatur. Neminem jugo servitutis adstrictum possidet, nisi se priùs peccatorum ære ei vendiderit*; vel, ut habetur in aliquot vetustis MSS. Codicibus: *nisi ei se priùs peccator verè vendiderit.*

Can. 37. de pœn. dist. 2. Ex altera parte cap. 5. excerptus est canon 37. de pœn. dist. 2., ubi expendebat Ambrosius factum Jacobi, cum divino jussu in patriam suam reversus est ob Labani, ejusque filiorum invidiam, quemadmodùm narratur à Moyse in cap. 31. Geneseos vers. 3., quam ad rem ita scribit sanctus Antistes. *Nùnc consideremus, qualis vir justus esse debeat, si invidia fuerit exorta. Primùm ut declinet eam; melius est enim sine lite abire, quàm residere cum jurgio... Denique is, qui nocere cupiebat, inanem eum non potuit dimittere. Sapiens enim* (hinc exorditur Gratianus) *numquàm inanis est, semper in se habens amictum prudentiæ, qui potest dicere: justitiam induebam, & vestiebam judicium, sicut dixit Job. Namquè hæc mentis sunt interna velamina, quæ nemo alius potest auferre, nisi cum aliquem sua culpa despoliat. Deniquè sic despoliatus Adam nudus inventus est. At verò Joseph etiam vestimento exteriore rejecto nudus non erat, qui salva habebat indumenta virtutis.* Ità ad sua integra exemplaria redactus Gratiani canon facilè exhibet cuicumque commodam Ambrosianæ sententiæ interpretationem.

De libro de sancto Joseph.

Can. 68. caus. 11. q. 3. Non omisit Ambrosius in suis operibus exemplum proponere Josephi filii Patriarchæ Jacobi, ejusdemque virtutes eximias, ac præsertim morum castimoniam laudando commemorare singulari edito libro, cui titulus est: *De sancto Joseph*, ex cujus cap. 13. depromptus est canon 68. caus. 11. quæst. 3., ubi quæ de vitio iræ dicuntur, pertinent ad interpretationem versiculi 24. cap. 45. Geneseos de S. Joseph; de quo, fratres suos dimittente, & largis muneribus cumulante, dicitur: *Dimisit ergo fratres suos, & proficiscentibus ait: ne irascamini in via.* Jam expertus aliàs fuerat Joseph Patriarcha acerbam fratrum suorum iracundiam, proindèque opportunum duxit proficiscentes fratres admonere, ne ira facilè corripi se sinerent: Quæ explanans Ambrosius occasionem arripuit, de iracundiæ motibus nonnulla tradendi inter medias, quas effudit, Josephi laudes.

De libro de Tobia.

Quicumque germanam veterum Patrum doctrinam de usuris improbandis traditam agnoscere velit, respicere poterit libellum Ambrosii, qui inscribitur *de Tobia*; ibi enim nihil omittitur, ut demonstretur, usuras & ecclesiasticis, & divinis præceptionibus adversari. Sunt, non ignoro, nonnulli, præsertim ex hæreticis, qui librum istum ab Ambrosio abjudicare nituntur. Verùm nihil est, quod in eam opinionem me deducere possit; siquidèm perpetuò ab omnibus etiam veteribus Ambrosio tributus fuit hic liber: item nulla est dissimilitudo styli, qua à ceteris Ambrosii operibus disjungatur: nec demùm quidquam ibidèm reperitur, quod germanis Ambrosii sententiis alibi expressis repugnet. Libelli argumentum consistit in laudanda morum integritate Tobiæ, præcipuè in ea parte, qua Tobias decem argenti talenta Gabelo sine fœnore mutua dederat. Igneus videtur Ambrosii stylus, quo evehebatur adversùs abusus sui temporis, ut improbos usurarum exactores exagitaret. Et his facilè constat, quæ-

nam sit sententia canonis 3. caus. 14. q. 3. cujus verba leguntur in cap. 14. ejusdem libri, ubi Ambrosius ad rem propositam usus est præcepto divino, quod habetur in cap. 23. vers. 19. & 20. Deuteronomii ibi: *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem; sed alieno: fratri autem tuo absque usura id, quo indiget, commodabis.* Duæ sunt in eo canone voces, quæ obscuræ nonnullis videbuntur: prima est *absyntiaci*, altera *hilam*. *Absyntiacum* jam observaverunt Romani Correctores dictum fuisse vinum absyntio conditum, quod tardam coctionem accelerat, atque instaurandis conviviis olim aptum credebatur, & in usu erat, quam ad rem laudaverunt Dioscoridem in lib. 5. cap. 49., & Lampridium in Eliogabalo. *Hilam* vero malè in Ambrosianis codicibus scriptum fuisse observaverunt Maurini Monachi, Ambrosianorum operum editores; & potiùs legendum voluerunt *vulvam*, adnotantes, apud veteres vulvam ab aucupibus deliciarum in conviviis appeti consuevisse. Ex canonis Gratianei lectione constat, Ambrosium in ea fuisse sententia, ut quoscumque usurariorum prætextus everteret. Quoniam verò nonnulli laudato Deuteronomii testimonio abutebantur, colligentes ex eo, non quidem à fratre, sed ab alieno usuras exigi posse, ita eosdem Ambrosius conficit in cap. 15. *Legis ipsius verba consideremus: Fratri tuo, inquit, non fœnerabis ad usuram, sed alienigenam exiges. Quis erat alienigena, nisi Amalech, nisi Amorrhæus, nisi hostes? Ibi, inquit, usuram exige, cui merito nocere desideras, cui jure inferuntur arma &c.* Quæ sequuntur apud Ambrosium, iisdem verbis apud Gratianum exhibentur in can. 12. caus. 14. quæst. 4., quem ex iis, quæ hùc usquè dicta sunt, facilè quisquam interpretabitur.

Can. 3. caus. 14. q. 3.

Can. 12. caus. 14. q. 4.

De libro de Elia, & jejunio.

De libro Ambrosii de Elia & jejunio ita testantur in sua Præfatione Maurini Monachi, Ambrosianorum operum editores: *Addi potest, vix ullum ex Ambrosianis operibus in editionibus hoc tractatu magis depravatum extare, sed eum à nobis magna cura ad manuscriptos codices bonæ notæ, atque in primis ad Colbertinum, qui ante mille annos videtur exaratus, exactum, castigatumque fuisse.* In eo libro, qui in veteribus codicibus hunc titulum exhibebat *Sermo S. Ambrosii de jejunio*, totus est sanctus Antistes, ut jejunii disciplinam laudet, atque fideles omnes ad eam proposito Eliæ exemplo invitet, invectus in lautiorum epularum usum, quas immoderatæ debacchationes sequebantur in bonorum omnium publicum scandalum. Interdùm verò nonnulla intermiscet ad peculiares Mediolanensium consuetudines pertinentia. Ex eo depromptus est in primis canon 8. dist. 35., cujus paulò obscura videtur esse sententia, nisi hoc in loco ex integro contextu Ambrosii mentem aperiamus. Demonstrare conabatur sanctus Vir, jejunii originem esse antiquissimam, imò & ab ipso mundi initio, divina instituente providentia, refulsisse. Hinc in cap. 4. ajebat: *Ne terrenum quis, aut novellum putet esse jejunium, primus usus mundi à jejunio cœpit, quando lux clara resplenduit. Secundus dies in jejunio, quando cœli factum est firmamentum. Tertio die pabulum terra germinavit, natura obsequium præbuit, jejunium tamen cœlestis disciplina servabat. Quarto die luminaria facta sunt solis & lunæ, & adhuc jejunium. Quinto die produxerunt aquæ repentia animarum viventium, & volatilia volantia super terram secundum firmamentum cœli, & vidit Deus, quia bona, & benedixit ea dicens: Crescite & multiplicamini &c. Et adhuc jejunium: Dixit crescite, & non dixit, edite, & manducate.* Subtiles has Ambrosii animadversiones omisit Gratianus, quæ tamen observandæ sunt ad assequendam Ambrosii mentem; etenim ita sequitur Ambrosius apud Gratianum: *Sexto die bestiæ sunt creatæ, & cum bestiis orta edendi potestas est, & usus escarum. Ubi cibus cœpit, ibi fi-*

Can. 8. dist. 35.

finis factus est mundi. Ubi cœpit sua incrementa nescire, ibi cœperunt divina circa eum opera feriari. Quo indicio declaratum est, quòd per cibos mundus haberet imminui, per quos desiit augeri. Nemo delictum sciebat, nemo pœnam timebat, nemo noverat mortem. Plantavit Dominus (hæc apud Gratianum desiderantur) *Paradisum ad gratiam Beatorum: posuit ibi hominem operari, & custodire eum. Et ut sciamus* (rursùm prosequitur Gratianus) *non esse novum jejunium, primam illic legem constituit de jejunio. Sciebat enim* (hæc omittuntur apud Gratianum), *quòd per escam culpa habebat intrare. Prima pœna de jejunii prævaricatione intraverat, dicente mandato Dei: de ligno, quod est scientiæ boni & mali, non comedetis; qua die autem manducaveritis ex eo, morte moriemini. Eò usquè autem nemo* (iterum pergit Gratianus) *prævaricari noverat, ut adhuc orta non esset, quæ prima est prævaricata indictum abstinentiæ. Lex à Domino Deo, prævaricatio legis à Diabolo. Culpa per cibum, latebra post cibum, cognitio infirmitatis in cibo, virtus firmitatis in jejunio. Denique* (ista omissa etiam sunt à Gratiano) *quamdiù interdictis abstinuere, nesciebant se esse nudos; postquam manducaverunt de interdicta arbore, nudatos se esse cognoverunt. Meritò ergo mulier, ubi culpæ agnovit auctorem, interrogata respondit: Serpens persuasit mihi, & manducavi. Serpens* (iterùm prosequitur, nonnullis tamen paulò immutatis, Gratianus) *gulam suadet, Dominus jejunare decernit. Denique ipse ait, jejunate, & orate, ne intretis in tentationem* (versiculum hunc omisit Gratianus, fortè ne videretur Ambrosii textus aliud exhibere, quam exhibeat vulgata Evangelii Matthæi editio cap. 26. ibi: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem*). Sed iterùm cum Ambrosio Gratianus prosequitur: *Itaque gula de Paradiso regnantem expulit, abstinentia ad Paradisum revocavit errantem.* Post hæc Ambrosius plura adjecit de peccato Adæ adversus indictum jejunium, quæ referre nimis operosum est, & quibus caput 4. sui libri conclusit. In capite 5. expendit pravos intemperantiæ effectus, ut magis ac magis fideles ad jejunium invitaret, atque ab æbrietatibus prorsùs averteret; attulitque ad eam rem exemplum Noemi, qui ob vini immoderatam potionem nudus evasit; quamquam eum excusaret, quòd vini vim adhuc ignoraret. Hìc iterùm Gratianus Ambrosii verba descripsit, ibi: *In principio generis humani ignorabatur æbrietas: primus Noe vineam plantavit, dedit naturam, sed ignoravit potentiam; itaque vinum nec suo pepercit auctori.* Et paucis interjectis: *Sed illius æbrietas nobis suadet sobrietatem; semel enim inæbriatus est Noe; ubi enim malum æbrietatis agnovit, inventum suum* (depravati Gratiani codices habent *jumentum suum*) *ad remedium temperavit, non effudit ad vitium: undè & Apostolus* (hæc Gratianus omisit) *ait: modico vino utere propter frequentes tuas infirmitates. Manebat, antequam* (rursùm cum Ambrosio Gratianus) *vinum inveniretur, omnibus inconcussa libertas, nemo sciebat à consorte naturæ suæ obsequia servitutis exigere. Non esset hodie servitus, si æbrietas non fuisset. Obrepserat quidem jam fraternæ prælationis invidia; manebat tamen adhuc paternæ pietatis reverentia. Læso pietas est, dum ridetur æbrietas. Non illis itaque solis nocent vina, quos tentant, sed & illis ampliùs, quorum oculis temulenta æbriorum membra nudantur. Legimus etiam, quòd patrem Lot inæbriaverint filiæ in monte, ad quem timentes incendium Sodomitarum confugerant, & habitabant in spelunca. Convenit æbrietati* (hæc omisit Gratianus), *atque concurrit ætas, sexus, solitudo, locus ferarum magis latibulis, quam humanis aptior domiciliis. Fuit itaque æbrietas* (iterùm hìc Ambrosium excipit Gratianus) *origo incesti pessimæ regenerationis partus deterior. At non Abraham vina in suo convivio ministrabat, sed immolabat vitulum, butyrum, & lac etiam Angelis hospitibus exhibebat. Cœli Dominum mun-*

di agnoscebat auctorem; vinum tamen exhibere non poterat. Sed rectè illic deerat materia peccati, ubi erat remissio peccatorum. Denique annuntiavit Dominum Joannes non manducans panem, neque bibens vinum: qui enim Christum annuntiat, ab omni vitiorum incentivo præstare se debet alienum. His & supplendum, & emendandum erat Gratiani fragmentum in aliquibus depravatum, in pluribus ita contextum, ut integra Ambrosii sententia desideraretur.

Can. 76. de pœn. dist. 1. In eodem libro de Elia & jejunio capite 20. legitur can. 76. de pœn. dist. 1. Duo tamen menda apud Gratianum existunt. Primum est in principio canonis, ubi ex integris Ambrosii codicibus ita legendum est: *Etsi gravia deliquimus, magnum medicum invenimus: magnam medicinam gratiæ ejus accepimus; magna enim medicina tollit peccata magna: Habemus enim plura subsidia &c.* Alterum est in fine ejusdem canonis; nam postrema illa verba *crimina ergo eleemosynis redimuntur*, non Ambrosii sunt, sed Gratiani, qui ex sententia Ambrosii id deduxit, veluti quoddam consectarium.

De libro Apologiæ David.

Duo præseferuntur libri Ambrosio tributi sub nomine Apologiæ David. Prior quidèm sine ulla dubitatione Ambrosii est, utpotè quem laudavit Augustinus in lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 11., & in lib. 2. contra Julianum Pelagianum cap. 7. De altero autem non levis est controversia, an jure Ambrosio adscriptus fuerit. Dubitationem facit, quòd Augustinus in laudatis locis de una apologia mentionem habuit, eamque nec priorem, nec posteriorem dicit; item quòd maxima in utroque libro stili diversitas adpareat; demùm quòd auctor secundæ apologiæ inficietur, Davidem adulterium admisisse, totam rem in sacris literis enarratam ad figuras quasdam & symbola referens, cum tamen Ambrosius in prima apologia reverà Davidem criminis reum constituat. Non est opus in præsentia de hoc disputare: indicasse tantummodò sufficit; siquidem, quidquid Gratianus ex libro Ambrosiano apologiæ David se excerpsisse profitetur, ad priorem apologiam pertinet. Itaque prioris apologiæ ratio ac propositum Ambrosio istud fuit. Quidam levissimi ingenii homines, legentes in sacris literis Davidem sanctissimum Deoque dilectum virum in gravissima adulterii, homicidiique crimina prolapsum, non mediocrem offensionem passi fuerant, & malam contraxerant de Rege Propheta opinionem. Ægrè id tulit Ambrosius, atque hinc occasionem arripuit Davidis laudandi, in eo potissimùm, quòd, licèt humana fragilitate correptus deliquerit, celeri tamen animo, & diuturna pœnitentia delictum expiaverit. Hinc ait in principio: : *Apologiam Prophetæ David præsenti arripuimus stilo scribere; non quòd ille indigeat hoc munere, qui tantis meritis enituit, virtutibusque efloruit, sed quia plerique, gestorum ejus lecta serie, non introspicientes vim scripturarum, vel occulta mysteriorum, mirantur, quomodo tantus Propheta adulterii primò, deindè homicidii contagia non declinavit.*

Ex capite 2. hujus apologiæ depromptus est can. 25. de pœn. dist. 3., cujus verba à Gratiano paulispèr depravata ita sunt describenda ex integris Ambrosiani operis exemplaribus. *Sanè & alter legitur error ipsius* (Davidis), *quod numerare fecit populum: Unusquisque nostrum per singulas horas quàm multa delinquit? Et tamen unusquisque de plebe peccatum suum confitendum non putat. Ille Rex tantus ac potens ne exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam, sed præmatura confessione, atque immenso dolore reddidit peccatum suum Domino. Quem mihi nùnc facilè reperias honoratum, ac divitem, qui si arguatur alicujus culpæ reus non molestè ferat? At ille Regio clarus Imperio, tot divi-*

Can. 25. de pœn. dist. 3.

nis

nis probatus oraculis, cum à privato homine corriperetur, quòd graviter deliquisset, non indignatus infremuit, sed confessus ingemuit culpæ dolore. Denique Dominum dolor intimi affectus movit, ut Nathan diceret: Quoniam pœnituit te, & Dominus transtulit peccatum tuum. Maturitas itaque veniæ profundam Regis fuisse pœnitentiam declaravit, quæ tanti erroris offensam transduxerit. Alii homines cum à Sacerdotibus corripiuntur, peccatum suum ingravant, dum negare cupiunt, aut defendere; ibique eorum lapsus est major, ubi speratur correctio. Sancti autem Domini, qui consummare pium certamen gestiunt, & currere cursum salutis, sicubi fortè ut homines corruunt, naturæ magis fragilitate, quam peccandi libidine, fortiores & acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo majora reparantes certamina, ut non solùm nullum adtulisse existimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiva cumulasse. Ergo si currentium non solvitur cursus, cum aliqui fortè ceciderint, non luctantium contentio, sed inoffensa manent certamina, quin & plerique post unum aut alterum lapsum gratia majore vicerunt, quantò magis agonem pietatis ingressi non debent unius prolapsionis offensione censeri, cum beatus sit, qui se potuerit reparare post lapsum, quoniam post mortem quoque resurgere, munus beatorum est. Post hæc Gratianus plurima omisit, quæ in laudato cap. 2. Ambrosii leguntur. Hinc transiliit ultrà caput 3. & maximam partem capitis 4., quibus in locis sanctus Antistes universam hanc rem variis sententiis ac figuris exornavit; deinde iterum Ambrosium secutus est in fine capitis 4., ubi ita legitur: *Quod peccavit, conditionis est, quod supplicavit correctionis* (in quibusdam codicibus legitur *correptionis*) *lapsus communis, sed specialis confessio. Culpam itaque incidisse naturæ est, diluisse* (in aliquibus codicibus legitur *deesse*) *virtutis.* His expositis, de more suo Gratianus plurima omisit, & gradum fecit ad caput Ambrosii 13., ubi hæc verba leguntur: *Peccatum aut donatur, aut deletur, aut tegitur. Donatur per gratiam, deletur per sanguinem crucis, tegitur per charitatem. Similiter & iniquitas, quæ æstimatur habitudo mentis injustæ, licet Joannes in epistola, eum, qui fecerit peccatum, & iniquitatem fecisse dixerit, sicut habemus scriptum: omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit. Peccatum est iniquitas, quia in peccato ipso est iniquitas. Tamen, ut nobis videtur, omne peccatum est iniquitas; iniquitas autem operatrix culpæ, aut delicti. Plus est ergo, ut ipsa iniquitas deleatur, excidatur radix, & seminarium peccatorum, mala tollatur radix, ne malos fructus ferat, aboleatur erroris omnis affectus, universa iniquitatum genera tollantur. Itaque, quemadmodum intrans in animum sapientiæ disciplina imprudentiam tollit, & scientia ignorantiam, sic perfecta virtus iniquitatem, & remissio peccatorum delet omne peccatum.*

Ex eadem apologia capite 6. propè finem depromptus etiam est canon 26. de pœn. dist. 3., cujus verba cum Ambrosii codicibus consonant, dummodò pro verbis illis Gratiani: *Illud verò quam mirabile est... pro plebis errore peccata deleverit... impietatem peccati mei... deinde quia non fuit improbitatis æstus &c.* ista substituas: *Quam verò illud etiam admirabile... pro plebis errore plebis peccata deleverit... impietatem cordis mei... denique, quia non fuit improbitatis æstus &c.* Can. 26. de pœn. dist. 3.

De canone 9. caus. 36. quæst. 2. ex eadem apologia deprompto, nihil singulare heic adjicio, cum illum jam fusa oratione expenderim ad canonem 11. ead. caus. & quæst. Can. 9. caus. 36. q. 2.

SECTIO III.

De libellis editis ad fidei, & morum institutiones.

De Libris de Sacramentis.

Editi sunt sub Ambrosii nomine libri sex de Sacramentis, qui tamen à vi-

viris eruditissimis ab Ambrosio non contemnendis rationibus abjudicantur. Vulgò testantur, illos pluribus barbarismis scatere, multa etiam inania continere, longe propterea dissitos ab elegantia Ambrosiana, qualis in ceteris sancti Viri monumentis adparet, multa item in illis invicem repugnantia, & crassis erratis obvoluta deprehendi. Facilè hæc designata unusquisque inveniet apud criticos Ambrosianorum operum editores. Tantùm ego adjicio, eandem in his libris materiem pertractari, quam pertractavit Ambrosius in opere, quod elucubravit de mysteriis; cum in utroque libro idem sit rei argumentum: utrobique ad Neophitos, seu recens baptizatos sermo convertatur, quo divinorum Sacramentorum germana notitia instruantur: imò & utrobique passim eædem sententiæ, eadem quandoque verba describantur, undè constet, non Ambrosium fuisse librorum de Sacramentis auctorem, sed alium obscuri nominis, qui librum Ambrosii de mysteriis imitari studuerit. Suspicantur Maurini Monachi, auctorem operis Episcopum fuisse, quòd frequens se Episcopum nominet, & quòd Neophitos pro concione alloquatur, atque instruat, quod olim potissimum erat munus Episcoporum. Prætereà suspicantur, Episcopum illum esse octavo, aut etiam septimo sæculo antiquiorem, vel quòd eam disciplinam de Neophitis post paschales dies, tribus Sacramentis Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia susceptis, instruendis exhibeat, quæ octavo, aut septimo sæculo ab usu jam recesserat; vel quòd opus istud inveniatur in quodam codice Sangallensi sæculo septimo antiquiore, cujus rei testem afferunt Mabillonium in Musæo Italico p. 7.; vel etiam quòd ibi agatur de Gentilium superstitionibus, in Diœcesi adhùc vigentibus, quod nequit, nisi vetustissimæ ætati congruere. Suspicantur demùm, ejusdem operis auctorem fuisse è Romana Provincia; quòd ipse profiteatur sequi se mores, & disciplinam Ecclesiæ Romanæ. Laudanda sanè est Maurinorum solertia in investigando eorum librorum auctore; attamèn intereà, cum non satis constare possit, quis ille fuerit, ego contentus ero in eo, ut concludam, ex illo opere non satis grave deduci posse Ecclesiasticæ disciplinæ præsidium. Quòd si quisquam causam quærat, cur Ambrosio facilè libri illi adscribi potuerint; dicam in primis, id potuisse contingere ob maximam adfinitatem, quam iidem libri de Sacramentis habent cum libris Ambrosii de mysteriis, quemadmodum nuper observabam: deinde dixero, reverà S. Ambrosium librum scripsisse de Sacramentis, qui sanè recentioribus temporibus periit, ac propterea anonymum librum de Sacramentis, incerto Auctore elucubratum, facilè substitui pro Ambrosiano potuisse. Ab Ambrosio libros de Sacramentis fuisse editos, testatus est Augustinus in libro 2. contra Julianum cap. 5. & seq., atque in lib. 2. retractationum cap. 4. Neque verò exinde quispiam putet, libros apud Augustinum laudatos eosdem esse cum iis, qui Ambrosii nomen hodiè præferunt; siquidem idem Augustinus in locis laudatis scribit, libros germanos Ambrosii de Sacramentis adversùs Platonicos scriptos fuisse sub hoc præposito titulo: *De Sacramentis, sive de Philosophia*, undè extra dubium positum esse videtur, vulgatos, & hodiè editos libros de Sacramentis multùm ab illis distare, quoniam in vulgatis, & hodie editis ne verbum quidem factum adparet de Platonica Philosophia.

Ex lib. 4. cap. 6. deprompta sunt verba canonis 14. de cons. dist. 2., quemadmodum & in eodem lib. 4. capite 1. legitur versiculus *qui manducaverit* postremus canonis 40. §. ult. ead. dist. 2., de quibus nihil est singulari dignum observatione. Prætereà ex lib. 6. cap. 1. depromptus est can. 43. eadem distinctione, licèt inscribatur nomine Am-

Can. 14. 40. §. ult. Can. 43. & 84. de cons. dist. 2.

Ambrosii in libro de officiis. Quod ex integris libelli codicibus emendandum erat in Gratianea editione, jam animadverterunt Romani Correctores; qui etiam rectè observarunt, cum eodem canone jungenda esse, tamquam ex eodem capite derivata, verba canonis 84. eadem dist. 2. de consecr.

Can. 55. de cons. dist. 2. Canonis 55. de cons. dist. 2. verba jam exegerunt ad optimos codices Romani Correctores; aliquid tamen hodiè superest emendandum ex Maurinorum editione: nimirùm in lib. 4. cap. 4. & 5., ubi Gratiani verba leguntur, hæc habentur, undè initium Gratianei canonis suppleatur: *Tu fortè dicis: meus panis est usitatus; sed panis iste panis est ante verba Sacramentorum &c.* Item versiculus *Et sic, quod erat panis,* usque ad §. *Sed fortè dicis* in codicibus integris minimè legitur, sed potiùs hæc verba: *Ergo didicisti, quòd ex pane Corpus fiat Christi, & quòd vinum, & aqua in calicem mittitur; sed fit Sanguis consecratione verbi cœlestis. Sed fortè dicis &c.*

Can. 56. de cons. dist. 2. De canone 56. de cons. dist. 2. nihil singulare recurrit observatione dignum: consonat ille omninò cum verbis capitis 4. lib. 5.

Can. 83. de cons. dist. 2. Can. 83. de cons. dist. 2. à Gratiano olim ita descriptus fuerat, ut integris exemplaribus non omninò congrueret. Romani Correctores plura suppleverunt ex cap. 1. lib. 5. de Sacramentis: nonnulla ego adjiciam, quæ plurimùm facere videntur ad adsequendam mentem auctoris. Nimirùm post illa verba canonis: *Quid sibi vult admixtio aquæ? Rationem accipe;* hæc sequuntur in codicibus Ambrosio tributis, à Romanis Correctoribus omissa: *Primum omnium figura, quæ ante præcessit tempore Moysi, quid habet? Quia cum sitiret populus Judæorum, & murmuraret, quòd aquam invenire non posset, jussit Deus Moysi &c.* Item post illa Gratiani verba *accipe & aliud* hæc sequuntur in codicibus Ambrosio tributis, à Romanis Correctoribus omissa: *In tempore Dominicæ passionis cum Sabbatum magnum instaret, quia vivebat Dominus noster Jesus Christus, vel latrones, missi sunt, qui percuterent eos, venientes autem invenerunt defunctum Dominum Jesum Christum, tunc unus de militibus lancea tetigit latus ejus, & de latere ejus &c.* Multa alia omissa præterea sunt; in quibus tamen recensendis non immoror, quia adhùc sine illis certa constare potest capitis interpretatio.

Can. 9. de cons. dist. 4. Nonnulla etiam emendaverunt Romani Correctores ad canonem 9. de cons. dist. 4. ex lib. 1. cap. 4. & 5., nondùm tamen rem integram perfecisse videntur. Nàm priora canonis verba ita legenda sunt ex quibusdam libri editionibus: *Ceterùm qui per hunc fontem transit, hoc est, à terrenis ad cœlestia; hic est enim transitus ideo Pascha, hoc est, transitus ejus &c.* Et ex aliis quibusdam editionibus ita: *Ceterùm qui per hunc fontem transit à terrenis ad cœlestia, hoc est, enim Pascha, id est, transitus ejus, transitus à peccato &c.* Post verba illa Gratiani *non moritur, sed resurgit,* in Ambrosii codicibus recensetur factum Naaman, atque Elisei, quale narratur in lib. 4. Regum cap. 5., post quam demum historicam enarrationem subsequitur Gratianeus versiculus *non omnis aqua &c.* Denique animadvertendum est, verba illa Gratiani, *aqua opus est, operatio Spiritus sanctus est* in pluribus Ambrosianis editionibus desiderari.

Can. 69. de cons. dist. 4. Canon 69. de cons. dist. 4. refertur ad caput 1. libri 1., ubi ista leguntur, ex quibus Gratiani emendanda erit editio: *Ideò propter gratium operis, & muneris non os tangit Episcopus, sed nares, ut bonum odorem accipias pietatis æternæ.*

Can. 71. de cons. dist. 4. Ex integris Ambrosio tributis exemplaribus emendandus erit canon 71. de cons. dist. 4., etenim in lib. 2. cap. 5. de Sacramentis ita lego: *Venit Sacerdos, precem dicit ad fontem, invocat Patris nomen, præsentiam Filii, & Spiritus sancti: utitur verbis cœlestibus. Cœlestia verba quæ? Christi sunt, quòd baptizemus in nomine*

Pa-

Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Si ergò ad hominum sermonem ad invocationem Sancti aderat præsentia Trinitatis, quanto magis ibi adest, ubi sermo operatur æternus? Vultis scire, quia descendit Spiritus? Audisti, quia quasi columba descendit. Quare quasi columba? Ut incredula vocarentur ad fidem. In principio signum debuit esse, in posterioribus debuit esse perfectio. Accipe aliud, post mortem Domini nostri Jesu Christi Apostoli erant in uno loco, & orabant in die Pentecostes, & subitò factus est magnus sonus, quasi cum vi magna Spiritus ferretur, & visæ sunt linguæ dispersæ, sicut ignis. Quid hoc significat, nisi descensum Spiritus sancti, qui se voluit incredulis etiam corporaliter demonstrare, hoc est, corporaliter per signum, spiritualiter per Sacramentum. Ergò manifestum testimonium ejus adventus; nobis autem fidei jam prærogativa defertur, quia à principio signa incredulis fiebant, nobis jam in plenitudine Ecclesiæ non signo, sed fide veritas colligenda est.

Supplendus etiam erit ex integris codicibus canon 87. de cons. dist. 4. minus accuratè à Gratiano descriptus; siquidem in lib. 1. de Sacramentis cap. 2. ita legitur: *Venimus ad fontem, ingressus es; considera quid videris, quid locutus sis, considera, repete diligenter: occurrit tibi Levita, occurrit Presbyter: unctus es quasi Athleta Christi, quasi luctam hujus sæculi luctaturus professus es luctaminis tui certamina.* Hinc rectè animadverterunt Romani Correctores, verba illa Gratiani, *ut ad baptismum cathecumenus accedas* in integris Ambrosio tributis exemplaribus desiderari.

Can. 87. de cons. dist. 4.

Rectè descriptus esset canon 89. de cons. dist. 4., si pro illo verbo *emersisti*, quod initio legitur, ita legeretur, quemadmodùm integri codices exhibent *ergo mersisti*, scilicet in lib. 2. cap. 7. Licet autem Ambrosii ista non sint, ego tamèn minimè dubito, quin exindè colligere possimus veterem formam, quam adhibere solebant Episcopi in Sacramento Confirmationis administrando. Nimirùm deprecatoriis verbis expressam fuisse universa propemodùm testatur antiquitas, Tertullianus libro de baptismo, Cyprianus epist. 73., Hieronymus in dialogo adversùs Luciferianos, Augustinus lib. 15. de Trinitate, Isidorus Hispalensis lib. 2. de officiis cap. 26., & lib. 6. originum cap. ultimo, quibus addere possumus Gregorii Sacramentarium.

Can. 89. de cons. dist. 4.

Canon 90. de cons. dist. 4. legitur in lib. 3. cap. 1. & 2., ubi animadvertendum est, verba illa Gratiani *accepisti mysterium* in aliquot Ambrosianis codicibus non exhiberi, sed loco illorum ita legi: *Accepisti mirrhum, hoc est, unguentum*; quamquàm tamèn cum exemplaribus numero pluribus Gratiani editio penitùs consonet.

Can. 90. de cons. dist. 4.

De libro de iis, qui mysteriis initiantur, seu de initiandis rudibus.

Juxtà varias Ambrosianeorum operum editiones variis inscribitur titulis liber ille Ambrosii, quem Gratianus modò appellavit *librum de iis, qui mysteriis initiantur*, modò *librum de initiandis rudibus*. Ut enim Maurini Monachi testantur, apud Amerbachium laudatur *de misteriis initiandis*, apud Erasmum, & Gillotium *de iis, qui mysteriis initiantur*, in Romana editione *de initiandis*, in MSS. codicibus numero plurimis *de mysteriis sive initiandis*: sed in antiquissimis *de misteriis divinis*, aut *de mysteriis*. Quicumque verò sit ejus libelli titulus, finis auctoris in eo situs est, ut alloquatur eos, qui recèns fuerant Sacramento baptismatis regenerati, instruatque in primis Christianæ fidei rudimentis. Non defuerunt, qui hoc opus ab Ambrosio abjudicarent, qualis est Dallæus in libro de Confirmatione, & Henricus Bullingerus in litera ad Joachim Vadianum, data die 7. Julii anni 1535. librum illum dicens *stupidum, nequaquàm esse auctoris optimi, & judicii emunctissimi fæ-*

fœturam. Egó sanè librum hunc integrum diligentissimè meditatus, nihil omninò reperire potui ea censura dignum, nec propterea concludere, eum esse ab Ambrosio abjudicandum, præsertim ubi animadverterim, quæ à censoribus adferuntur, tenuissima esse, & momenti omninò levissimi. Quod difficultatis speciem habere videtur, ut in eo libro exhibeatur Ambrosius tradens, peccata hominum propria & singularia, sive personalia, per baptismum deleri, at peccatum originis per pedum lotionem abstergi. Hæc sententia legitur in capite 6. ibi: *Mundus erat Petrus, sed plantam lavare debebat: habebat enim primi hominis de successione peccatum, quando eum supplantavit serpens, & persuasit errorem: Ideò planta ejus abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur; nostra enim propria per baptismum relaxantur.* Verùm eam fuisse Ambrosii sententiam liquet ex Augustino, qui similia ex Ambrosio laudans in lib. 4. contra duas epistolas Pelagiani ita scribebat de Petro Apostolo: *Ipse se obtulit, quod ante putabat esse peccatum, lavari sibi non solùm pedes, & caput poscens, quòd illicò intellexisset lavacro pedum, qui in primo lapsi sunt homine sordem obnoxiæ successionis aboleri.* Similia etiam leguntur apud eundem Ambrosium in expositione Psalmi 48. vers. 6. n. 8. ibi: *Alia est iniquitas nostra, alia calcanei nostri, in quo Adam dente serpentis est vulneratus, & obnoxiam hereditatem successionis humanæ suo vulnere dereliquit, ut omnes illo vulnere claudicemus. Undè Dominus discipulis suis pedes lavit, ut lavaret venena serpentis, & Petrus reprehenditur, quòd excusabat, ne sibi Dominus pedes lavaret...cui Dominus respondet: qui lotus est, non habet necesse, ut lavet nisi pedes, sed est mundus totus.* Post hæc nemo non videt, eam Ambrosii fuisse sententiam, ut, quemadmodùm in lotione à Christo Domino facta, ita & in lotione, quæ tunc temporis in more erat in Ecclesia, significaretur ablutio reliquiarum, quæ in nobis ex peccato originis supersunt. Dixi: reliquiarum peccati originis, ut Ambrosii sententiam, & commodè, & perspicuè interpretarer; cum enim Ambrosius per lotionem pedum tradidit hereditaria peccata deleri, non de peccato originis sermonem intelligendum voluit, sed potiùs de ejusdem peccati reliquiis, quibus sauciata adhùc manet post baptismum humana natura, ob affectiones illas, quasi cicatrices, undè facilè ad vitia pronus homo sit, & divina gratia sempèr indigeat. Hinc prosequebatur Ambrosius in dictum Psalmum 48. num. 9. *Undè reor, iniquitatem calcanei magis lubricum delinquendi, quàm reatum aliquem nostri esse delicti; meritòque Dominus....Lavemus, inquit, & pedes, ut calcanei lubricum possimus auferre, quo fida statio possit esse virtutum, & ne paterno quis errore labatur, qui suo paratus est stare proposito, & non metuat lubricum hæreditatis, qui cupit vestigium tenere virtutis.* Secutus fuit Ambrosius Christi parabolam, propositam apud Joannem cap. 13. ibi: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Scilicet: quemadmodùm, qui loti sunt, dum ex aquis egrediuntur, pedibus quasdam contrahunt sordes, ita qui sunt baptizati: licet renovati purgatique criminibus sint, indigere tamen adhùc videntur lotione pedum, qua diù purgentur, ac poliantur pravis affectionibus, ex originali culpa relictis. Re ita commodè explicata, nihil amplius superesse videtur, quod difficultatem ingerat; quamobrem facilè quisque librum recipere poterit, velut germanum Ambrosii monumentum.

Ex cap. 4. hujus libri depromptus est canon 50. caus. 1. quæst. 1., ubi animadvertendum est, quemadmodùm etiam animadverterunt Correctores Romani, priora quidèm verba *non sanat baptismus perfidorum, non mundat sed polluit* Ambrosii esse, ea verò, quæ sequuntur esse Algeri. Nolim tamen, quisquam Ambrosii verba ita intelligeret, ut fingat, Ambrosium tradidisse Can. 50. caus. 1. q. 1.

non aliter baptisma valere, quàm si à pio religiosoque fuerit ministro collatum; siquidem minùs congruum est inducere sanctum Antistitem scripsisse quidquam, quod renovaret veterem disputationem, jamdiù in Ecclesia finitam, & olim acerrimè discussam inter Ecclesiam Romanam, & Ecclesiam Africanam temporibus Papæ Stephani, & Cypriani Episcopi. Potiùs Ambrosius innuere voluit, non baptismum collatum, sed baptismum susceptum à perfidis non sanare, sed polluere, quasi diceret, ex parte ministri valere, quamquàm ex parte suscipientis gratiam Dei non pariat, non sanet, sed polluat, quòd suscipiens obtinere voluerit, dum adhùc perfidia sua teneretur. Hæc interpretatio facilè capietur ab eo, qui integram Ambrosii sententiam præ oculis habeat. Nimirùm sanctus Antistes ibi comparabat baptismum cum probatica illa piscina, de qua sermo est in Evangelio Joannis cap. 5., quæ unum tantùm infirmum hominem statuto tempore sanabat, ita scribens: *Tùnc* (id est, in piscina) *curabatur unus*: *nùnc* (id est, in baptismo) *omnes sanantur, aut certe unus populus christianus: est enim in aliquibus & aqua mendax: non sanat baptismus perfidorum, sed polluit.* Liquet ergò sermonem ibidèm institui, non de baptizantibus, sed de iis, qui baptizantur, qui sanari non posse dicuntur, si perfidi sint, seu quotiès simulatè ad baptismum suscipiendum accedant. Id si agnovisset Gratianus, non sanè eò adduci debuisset, ut interpretaretur post canonem 51. caus. 1. quæst. 1. mentem Ambrosii de Arianis, & Sabellianis, qui formam Sacramenti baptismatis corrumpebant, cum alia sit sententia S. Doctoris, quàm quæ à Gratiano fingatur. Quid verò dicendum est de subsequentibus Algeri verbis, quæ habentur in lib. 3. cap. 1. ibi: *Quia in diluvio aquarum multarum ad Dominum non approximatur, quia, ut per Apostolum dicitur, quidquid non est ex fide peccatum est, & ipsis, qui faciunt, & quibus faciunt, non solùm non prodest, sed ad judicium est?* Non est, cur diutiùs immorer in expendenda hujus viri doctrina. Dixero tantùm, Algerum vixisse paulò ante Gratiani ætatem, imò fuisse Gratiano ferè coævum, utpote qui floruit circa annum 1130. Fuit ipse Scholasticus primùm, deindè Monachus Cluniacensis; & quamquam in pluribus libris adversus Berengarii hæresim scriptis non mediocrem sibi gloriam paraverit, tamen non undecumquè fuit ab erroribus universis immunis. Opinatus fuit inter cetera, species Eucharisticas Sacramentales incorruptibiles prorsus esse: opinatus prætereà fuit ex divino præcepto fideles universos etiam Laicos adstringi ad percipiendum Eucharistiæ sub utraque specie Sacramentum: opinatus demùm fuit juris divini esse, ut Eucharistia non in fermentato, sed in azymo conficiatur. Exindè nemo non colligit, non adeò gravis esse momenti hujus scriptoris auctoritatem, ut ejus verba, atque sententiæ vim habeant canonum, & regularum Ecclesiasticarum firmitatem.

Verba canonis 83. caus. 1. quæst. 1. paulò aliter apud Gratianum descripta jacent, quàm in libro Ambrosii inveniantur. Siquidem in capite 5. Ambrosiani libri ita legitur: *Cum tibi scriptura testetur, quod ad Hieroboal preces ignis descenderit de cœlo, & rursus precante Elia ignis sit missus, qui sacrificium consecravit? non merita personarum consideres, sed officia Sacerdotum, & si merita spectes, sicut Eliam consideres, Petri quoque merita spectato, vel Pauli, qui acceptum à Domino Jesu hoc nobis mysterium tradiderunt. Ignis illis visibilis mittebatur, ut crederent; nobis invisibilis operatur, qui credimus, illis ad figuram, nobis ad commonitionem. Crede ergò adesse Dominum Jesum invocatum precibus Sacerdotum, qui ait: ubi fuerint duo, vel tres, ibi & ego sum; quanto magis ubi est Ecclesia, ubi mysteria sua sunt, ibi dignatur suam impertire præsentiam?* Miraris fortassè, in hoc capite Ambrosium de Hieroboal enarravisse, quæ Gedeo- Can. 83. caus. 1. q. 1.

deoni contigerunt juxta cap. 6. libri Judicum vers. 21., ubi Gedeon exhibetur Domino Sacrificium obtulisse, quod ignis de Cœlo descendens prodigiose consumpsit. Idem est Gedeon, qui Hieroboal, nàm Hieroboal apud Hebræos dictus est Gedeon, quasi qui Idolum Baal evertit, atque contrivit; Gedeon autem in eodem Judicum capite ostenditur Idolum Baal evertisse; hinc in cap. 6. vers. 32. Judicum legimus: *Ex illo die vocatus est Gedeon Hieroboal, eo quod dixisset Joas: Ulciscatur se de illo Baal, qui suffodit aram ejus.* Quòd si quidquam apud Ambrosium adhuc occurreret, quod non satis, & ex omnî parte sacrarum literarum narrationi historicæ congruat, dandum aliquid est injuriis temporum, quibus vivebat Ambrosius, tum scilicet, cum sacrarum literarum exemplaria corrupta essent numero plurima, quod etiam tunc sanctus Hieronymus animadvertit.

Can. 39. & 69. de cons. dist. 2.

Canon 39. de cons. dist. 2. judicio Romanorum Correctorum potius Augustino erat, quam Ambrosio tribuendus. Verba Augustini à Gratiano valdè corrupta habentur in lib. 20. contra Faustum cap. 13. ibi: *Noster autem panis & calix non quilibet quasi propter Christum in spicis, & Sacramentis ligatum, sicut illi desipiunt, sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur. Proindè quod non ita fit, quamvis sit panis, & calix alimentum est refectionis, non Sacramentum religionis, nisi quod benedicimus, gratiasque agimus Domino in omni ejus munere non solùm spirituali, verùm etiam corporali.* Hæc verba si cum Gratianeo canone conferas, agnosces à Gratiano fuisse depravatum Augustini monumentum, in quo ceteroquin explicando sua ingenia torserunt Glossarum auctores, quòd uni Gratiano fidentes plùs æquo, ad canonis autographum respicere nesciverunt. Quid enim magis absurdum est, quàm quod legitur absolute apud Gratianum, Eucharistiam esse *alimentum refectionis, non Sacramentum religionis*? Quòd si quisquam adhuc percontetur, quare canon ille Augustini Ambrosio potiùs tributus fuerit, possem ego respondere, id contigisse fortassè, quòd si non eadem verba, non absimilis saltem sententia apud Ambrosium legatur in hoc ipso libro de initiandis rudibus cap. 9. ibi: *Forte dicas aliud video, quomodo tu mihi adseris, quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhùc superest, ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis? Probemus non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur.* Facilè hinc conjicere juvat, Gratianum alicubi vidisse monumentum Augustini laudatum, cui adnotatum fuisset, ad marginem consonare sententiam Ambrosii in libro de cathechizandis rudibus, & collectorem putavisse non Augustinum, sed Ambrosium derivandi monumenti esse scribendum auctorem. Verba Ambrosii nuper relata leguntur in can. 69. de cons. dist. 2., ubi & multa alia ex cap. 8., & 9. ejusdem libri describuntur, omnia sanè consona Ambrosianis codicibus. Totus ibidem erat Ambrosius in exponendis figuris, & reconditis Sacramentis, quæ in Divina Eucharistiæ institutione continentur.

Can. 40. de cons. dist. 2.

De canone 40. de cons. dist. 2. nihil occurrit singulari dignum animadversione. Legitur ille eisdem omnino verbis in cap. 9. ejusdem libri de mysteriis. De versiculo *qui manducaverit* jam superiùs agendum fuit, ubi expendebam libros de Sacramentis, Ambrosio adscriptos.

Can. 85. de cons. dist. 2.

Canon 85. de cons. dist. 2. legitur apud Ambrosium in cap. 9., ex quo explicanda sunt postrema illa verba, quæ subobscura videntur: *Corpus Christi Corpus est Divini Spiritus*, siquidem post hæc ita prosequitur sanctus Antistes: *Quia Spiritus Christus, ut legimus: Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus.* Alludit autem hoc in loco ad Threnos Hieremiæ cap. 4. vers. 20. ibi: *Spiritus oris nostri Christus Dominus.*

Can. 92. de cons. dist. 4.

De canone 92. de cons. dist. 4. nihil

hil singulare observandum occurrit. Legitur iste in cap. 7. Ambrosiani libri eisdem verbis.

De libro Pastorali, seu de Ministeriis, seu de Dignitate Sacerdotali.

Nemo est, qui hodiè dubitare ampliùs possit, librum illum, qui sub Ambrosii nomine à Gratiano laudatur, sub titulo, modò *de ministeriis*, seu *de Dignitate Sacerdotali*, modò *libri Pastoralis*, esse ab Ambrosio abjudicandum, postquàm illum Maurini Monachi Ambrosianorum operum editores illum inter apocrypha Ambrosii monumenta rejecerunt. Reverà, cum ibidem Sacrarum literarum testimonia recenseantur juxta recentiorem Hieronymi interpretationem, non juxta veterem versionem, qualis temporibus Ambrosii præ manibus fidelium habebatur, satis indicatur, libri illius auctorem fuisse Hieronymo recentiorem. Prætereà alia quædam traduntur temporibus Ambrosii minimè consona, quemadmodùm ubi de Senatoribus legitur eos non lato clavo, sed clamyde à plebe fuisse distinctos, quod convenire non posse Viris in Senatu tunc constitutis facilè demonstratur ex lib. 4. cap. 11. genialium dierum apud Alexandrum ab Alexandro; quemadmodùm etiàm ubi passim luget auctor libri Ecclesias, & Viros Ecclesiasticos Simoniæ vitio fuisse labefactatos, quod contigisse temporibus Ambrosii nemo dixerit, qui calleat illius sæculi disciplinam pertinentia monumenta. Addi his potest, librum illum in variis exemplaribus variam habuisse inscriptionem; alicubi enim sub hoc titulo exhibetur: *Liber Pastoralis*, vel *de cura Pastorali*; alibi *de observantia Episcoporum*, alibi *de vita, & ordinatione Episcoporum*; *& Simoniaca hæresi*; alibi: *sermo de Episcopis, & Sacerdotibus*; alibi *sermo de Apostolo eo in loco, ubi ait fidelis sermo &c.*; alibi *sermo de Pastoribus*; alibi *sermo de mysteriis*; alibi *de ordinatione Episcopi per Simoniam*; alibi demùm, nimirùm in codice S. Martialis Lemovicensis, uti Maurini testantur, *Sermo Gilberti Philosophi Papæ Urbis Romæ, qui cognominatus est Sylvester de informatione Episcoporum*; quæ sanè variæ inscriptiones incertum admodùm reddunt operis ipsius auctorem: fortè à nonnullis Ambrosium designatum, quòd Ambrosius de mysteriis librum jam superiùs commemoratum ediderit, liber autem iste etiam de mysteriis in aliquibus, ut adnotavi, codicibus describeretur. Neque verò in contrarium deduci solidum argumentum potest ex can. 10. vers. *honor* dist. 96., ubi exhibetur Gelasius Papa nonnulla ex hoc ipso libro describens sub Ambrosii nomine; quamquàm enim quæ in eo vers. describuntur, consonent omninò cum verbis ejusdem libri Ambrosio tributi, tamen canon ille 10. falsò Gelasio adscriptus fuit; & quæ reverà Gelasio adscribenda erant, jam suo loco animadverti. Can. 10. vers. *honor* dist. 96.

Quasi ex libro Ambrosii Pastorali laudavit Gratianus canonem 7. caus. 1. quæst. 1., verùm jam ego post Correctores Romanos animadverti in parte 1. pag. 245. referendum potiùs esse ad canonem 3. Concilii Toletani VIII., quem etiàm integrum eo in loco descripsi. Tantùm adjiciam hic, fortè ex ea ratione potuisse huic canoni nomen Ambrosii adscribi, quòd ad marginem illius adnotatum à studioso quoquam fuisset, multa proposito consona legi in libro Pastorali Ambrosii, quemadmodùm reverà leguntur, cum, uti diximus, auctoris scopus fuerit de iis verba facere, qui simoniacè Ordines Ecclesiasticos aut susciperent, aut conferrent Can. 7. caus. 1. q. 1.

Canones 14. & 15. caus. 1. quæst. 1. leguntur in cap. 5. ejus libri, in canone autem 14. auctor imitari studuit, quod alio in libro scribebat Ambrosius, nimirùm ad interpretationem Evangelii Lucæ in can. 16. caus. 1. quæst. 1., & in canone 15. Auctor operis ex ethymologia nominis *gratia*, quæ donum Can. 14. & 15. caus. 1. q. 1.

Dei

Dei gratuitum significare videtur, deducere voluit, eos, qui dato pretio ordinantur, gratiam Dei suscipere minimè posse, velùt non gratuitò ordinatos.

De libro de Officiis.

Ex libris, quos Ambrosius scripsit ad Christianorum mores ritè formandos accommodatos, potissimus is esse videtur judicio virorum prudentissimorum liber inscriptus de Officiis, in tres partes tributus, quem Augustinus in epist. 82. ad Hieronymum tamquam utilissimis præceptis refertum esse commemorat. In eo imitatus est Ambrosius Ciceronem, ubi elegantissimè de mutuis hominum officiis disseruit, imò Ambrosianum opus Ciceroniano multùm utilitate, ac sapientia præstat, quòd Ambrosius naturalis honestatis præcepta, quæ una Tullius noverat, cum Evangelica atque Apostolica doctrina conjunxerit. Inter cetera sanctus Antistes aliquandò totus fuit, ut explicaret, quæ singulari jure ad Clericorum officia pertinent, ideò ea scripto commendans, ut quæ ore tenùs sæpissimè prædicabat, ad manus essent Clericorum, & ad lectionem meditationemque quotidianam, undè liber ille in nonnullis codicibus hoc titulo donatus est: *De officiis ministrorum.*

Can. 4. dist. 26. Multa ex ipso apud Gratianum monumenta laudantur; quorum primum exhibetur in can. 4. dist. 26., cujus causa Centuriatores Magdeburgenses cent. 4. cap. 10. affirmare non duvitaverunt, Ambrosium secundas nuptias ita improbavisse, ut qui illas contraheret, gravi culpæ obnoxium prædicaret, in conspectu præsertim illorum verborum: *In ipso conjugio lex est non iterare conjugium, nec secundæ conjugis sortiri conjunctionem.* Verùm non animadverterunt illi præcipuum Ambrosii scopum, eò spectantis, ut non generaliter de Christianorum omnium, sed tantùm de Clericorum conjugio verba faceret. Sententia Ambrosii legitur in lib. 1. cap. 50., ubi traditur, Levitas à terrenis cupiditatibus alienos esse debere, atque ex Apostoli Pauli doctrina non nisi unius uxoris conjugio uti; hinc ait: *De castimonia autèm quid loquor, quandò una tantùm, nec repetita, permittitur copula? Et in ipso ergo conjugio lex est non iterare conjugium, nec secundæ conjugis sortiri conjunctionem.* Prosequitur Ambrosius in versiculo *quod plerisque*, aliamque disputationem aggreditur, quæ plurimùm Patres veteres exagitavit sive Græcos, sive Latinos, videlicet: nùm bigamus dicendus esset, ac propterea ab Ordinibus sacris arcendus, qui unam ante baptismum, & post baptismum alteram sibi conjugem copulavisset. Porrò in hac quæstione variæ fuerunt Patrum opiniones. Græci putabant, Clericum ea in specie non esse de bigamia redarguendum, contrà sentientibus Latinis, uno excepto Hieronymo, cujus verba referuntur in can. 1. dist. 26., fortè quòd Hieronymus diù apud Græcos versatus Græcorum doctrinis imbutus fuerit. Tanti discriminis ratio ex eo proficiscebatur, quòd Græci putarent, ideó bigamos à sacris Ordinibus removendos, quòd grave esset in bigamis incontinentiæ vestigium, quod una cum ceteris maculis in Sacramento Baptismatis ablueretur. Hanc rationem profert Joannes Chrisostomus in homil. 2. in epist. ad Titum ibi: *Castigat hoc ipso etiam impudicos, dum non eos permittit post secundas nuptias ad Ecclesiæ regimen, dignitatemque Pastoris assumi.* E contrario Latini Patres ex aliis principiis argumentabantur; non enim tantùm in celebratione secundarum nuptiarum prodita incontinentiæ signa observabant, sed potissimùm quemdam Sacramenti, seu Sacramentalis rei defectum; quasi non omninò perfectè in conjugio bigamorum exprimeretur Christi Ecclesiæque numquam divisa, & numquam dividenda conjunctio, quam matrimonii celebratio ex divina institutione significat. Itaque ipsa iteratio nuptiarum, quam

mi-

minimè delere potest baptismus, per se jam causam præbebat ex sententia Latinorum, ut deesset *norma quædam Sacramenti*, quemadmodùm scribit Augustinus in can. 2. dist. 26., quam rationem exposuerunt Leo Magnus epist. 1, cap. 3., Innocentius I. in can. 3. dist. 26., Cœlestinus III. in cap. 5. de bigamis non ordinandis, & alii plurimi. Hinc hodiè apud nos minimè ampliùs dubitatur, posthabita Græcorum opinione, Ambrosii, ceterorumque Latinorum Patrum sententiam prævaluisse, imò fortassis ex Ambrosii sententia pugnavisse Latinos adversùs Græcos, & ab illis palmam tulisse.

Can. 14. 15. 16. & 17. dist. 86. In distinctione 86. plures leguntur canones ex eisdem officiorum libris deprompti. Hujusmodi sunt canones 14. 15. 16. & 17., qui referendi erunt ad cap. 30. lib. 1., ubi eadem omninò verba leguntur, dummodò observes, verba illa canonis 14. *non est leve peccatum*, in codicibus Ambrosii desiderari.

Can. 18. dist. 86. Canon 18. eadem dist. 86. habetur in lib. 2. officiorum cap. 21., ex quo ita emendanda erunt priora canonis verba: *Pulchra liberalitas erga ipsos quoque pauperes mensuram tenere, ut abundes pluribus &c.* In vers. *compatiamur* hæc adjicienda sunt ex lib. 2. cap. 28. *Hoc maximum incentivum misericordiæ, ut compatiamur alienis calamitatibus &c.*

Can. 21. dist. 86. Canon 21. dist. 86. quidquid Gratianus testetur, apud Ambrosium minimè legitur. Romani Correctores id jamdiù animadverterunt, ita scribentes: *Caput hoc non est inventum apud B. Ambrosium, sed apud Anselmum, & in Polycarpo ex eodem citatur, & Bartholomæus Urbinas Eremita* (vixit is temporibus Clementis VI., atque sub mille titulis, alphabetico ordine digestis, Ambrosianam universam, ut ipse inquit, doctrinam collegit) *in milleloquio, quod collegit ex dictis B. Ambrosii, affert hunc locum ex eodem Ambrosio in libro de alendis pauperibus, qui liber hactenùs desideratur.* Ego putarem, in eo canone non verba ipsa, sed sententiam Ambrosii contineri, qualis habetur in libro de Nabuthe, ubi sanctus Antistes totus in eo est, ut divites ad eleemosynam pauperibus impertiendam excitet: undè facilè liber is à Bartholomæo Urbinate liber de alendis pauperibus appellari potuerit. Itaque in cap. 1. hæc leguntur: *Non unus Nabuthe pauper occisus est: quotidiè Nabuthe sternitur, quotidie pauper occiditur.* Et in cap. 5. *Quanti necantur, ut vobis, quod delectat, paretur? Funesta fames vestra, funesta luxuries.* Et demùm, ut cetera his similia omittam, in cap. 13. *Quantùm, ò dives, sumis tibi judicium? Populus esurit, & tu horrea tua claudis. Populus deplorat, & tu gemmam tuam versas. Infelix, cujus in potestate est tantorum animas à morte defendere, & non est voluntas. Totius vitam populi poterat annuli tui gemma servare.* Ex his sanè verbis constat, Ambrosium tamquam occisores pauperum habuisse illos, qui pauperibus necessariis vitæ subsidiis indigentibus non occurrebant; quod idem est cum illis verbis laudati canonis 21. *Pasce fame morientem: quisquis enim pascendo hominem servare poteras, si non pavisti, occidisti.*

Can. 13. caus. 11. q. 3. Canon 13. caus. 11. quæst. 3. legitur in lib. 2. cap. 24., ubi Ambrosius ita Clericos instituit, ut in omnibus Episcopo suo obedientiam, ac reverentiam exhibeant, neve adversùs illum se numquam efferant. Jam S. Cyprianus in epist. 55. & 65. tradiderat, ut plurimùm in Ecclesiis schismata fuisse suborta ex eo, quòd Clerici inferiores ambitione correpti Præsulibus suis parere detrectaverint; cujus etiam rei lugubre præbuit exemplum in Ario Theodoretus lib. 1. Histor. Eccles. cap. 2. Apud Gratianum levissima quædam menda deprehenduntur, quæ facilè tolles, quotiès pro verbis illis: *Si quis verò non obediat Episcopo... non defendas improbum, & sancta indigno committenda non arbitreris; neque iterùm arguas, & impugnes eum &c.*, ista substituas ex

in-

integris Ambrosii codicibus: *Ceterùm, si quis non obediat Episcopo.... ne defendas improbum, & sancta indigno committenda arbitreris, neque iterùm urgeas, & impugnes eum &c.*

Can. 70. caus. 12. q. 2. Canon 70. caus. 12. quæst. 2. legitur in lib. 2. cap. 28., ubi S. Antistes, se ob captivorum redemptionem Ecclesiastica bona, etiam Divino cultui destinata, alienare jure posse, imò & debere profitetur. Est istud egregium sinceræ pietatis, ac charitatis exemplum, cui simile exhibuit in Acacio Episcopo Amideno Socrates in lib. 7. Eccles. Histor. cap. 21.

Can. 10. caus. 14. q. 5. In cap. 9. libri 3. leguntur verba canonis 10. caus. 14. quæst. 5., ubi Ambrosius Clericos salubri consilio monet, ne umquam fraudibus alios circumveniant, neque turpis lucri spe eò umquam adducantur, ut negotia sæcularia tractent, in quibus ut plurimùm, dum uni prodesse se posse blandiuntur sibi, alteri non esse detrimento non possunt.

Can. 2. caus. 22. q. 4. Ad canonem 2. caus. 22. quæst. 4., qui excerptus est ex lib. 1. cap. 50., nihil est singulari animadversione dignum, præsertim postquam Romani Correctores adjecerunt vocem illam *Sacramentum*, quæ olim in Gratiani codicibus desiderabatur.

Can. 8. & 12. caus. 22. q. 4. Canon 8. caus. 22. quæst. 4. legitur in lib. 3. cap. 12.; undè Romani Correctores animadverterunt, se emendavisse, quod Gratianus scripserat *& juratus*, pro quo scripserunt *eviratus*. Verùm non in omnibus Ambrosii codicibus ita legitur: Etenim Maurini Monachi testantur, in quibusdam editionibus legi *dejeratus*, in aliis *ejuratus*, in aliis *iratus*: quamobrem non video, cur anteferenda ceteris sit editio, quæ exhibet *eviratus*, quam sequi laudati Correctores maluerunt. In posterioribus ejusdem canonis verbis tradit Ambrosius, Dominum ipsum Deum suam aliquando mutavisse sententiam, *sicut scriptura indicat*, post quæ verba ita prosequitur: *Nam & in eo libro, qui inscribitur Numeri, proposuerat percutere morte, & perdere populum, sed posteà rogatus à Moyse reconciliatus est populo suo.* Hæc adjicere volui, ut integram Ambrosii sententiam recenserem, eo vel magis, quòd posteriora hæc verba canonis 8. apud Gratianum repetita fuerint, nescio qua de causa, in canone 12. eadem causa, & quæstione.

Can. 23. caus. 22. q. 4. Can. 23. caus. 22. quæst. 4., habetur in lib. 3. cap. 10. ubi tamen pro illis Gratiani verbis, *inclinatus Josue ut crederet &c.* legitur *inclinatus ut crederet*; non tamen nomen Josue sine causa adjectum est, quia ea verba ad Josue referebantur, quemadmodùm & præcedentia, & subsequentia Ambrosii verba demonstrant. Animadvertendum puto, mendum in nonnulla Gratiani exemplaria irrepsisse, in quibus legitur: *Inclinatus Moses ut crederet &c.*, neque enim ullum verbum de Mose apud Ambrosium factum est.

Can. 5. caus. 23. q. 3. In capite 27. lib. 1. exhibentur verba canonis 5. caus. 23. quæst. 3., ubi traditur, prudentiam omnium esse virtutum veluti fontem, ceterasque ad se facilè trahere; atque inter alia dicitur, justititiam numquam à prudentia disjungi.

Can. 7. can. 23. q. 3. Canon 7. caus. 23. quæst. 3. legitur in lib. 1. cap. 36. his verbis: *Non igitur in viribus corporis, & lacertis tantummodò fortitudinis gloria est, sed magis in virtute animi, neque in inferenda, sed in depellenda injuria lex virtutis est &c.* Romani Correctores ex integris Ambrosii codicibus eum canonem emendavisse se profitentur, ubi enim apud Gratianum legebatur *tentamenta imbecillis*, vel *imbellis fortitudinis*, legendum voluerunt *tentamenta bellicæ fortitudinis*. Adnotandum tamen puto, non facilè contemnendam penitùs esse Gratiani editionem: etenim cum ibi de Mose agatur, qui, vix adolescentior factus, agnoscensque gravem Ægiptiorum adversus Hebræos tyrannidem, conatus est suorum injuriam

riam ulcisci, non temerè *imbellis fortitudinis tentamentum* vocari potuit, quod ab eo factum perhibetur. Videsis ad hanc rem caput 2. Exodi.

Can. 43. de cons. dist. 2. Ex libro Ambrosii de officiis dicitur apud Gratianum depromptus fuisse canon 43. de cons. dist. 2., ubi tamen minimè reperitur, sed potiùs referendus erat ad libros de Sacramentis, falsò tributos sancto eidem Antistiti. Id hoc in loco animadvertisse sufficiat, cum cetera, quæ adnotanda erant, superiùs jam observaverim.

De libro de fuga sæculi.

Liber Ambrosii de fuga sæculi laudatur ab Augustino in lib. 2. contra Julianum cap. 8., & in libro contra duas epistolas Pelagian. cap. 11. Ibi Ambrosius populum monet, ut, licèt in hac humana vita nemo à sæcularibus curis vacare penitùs, & facilè possit, curet tamèn unusquisque, ut ab illis animum avertat; ac præcipuè in cap. 2. clericos peculiaritèr alloquitur, quibus suadet, ut, exemplo veterum Levitarum, procùl à paternis, & familiaribus negotiis vivant, quam ad rem adfert testimonium capitis 35. Numerorum, in quo narratur, Levitis singularem datam fuisse terram, quam secreti à ceteris colerent: item adfert, quod Abrahæ præceptum datum à Domino fuit in cap. 12. Geneseos, ibi: *Egredere de terra tua, & cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi.* Post hæc ità prosequitur Ambrosius: *Ergò cui Deus portio est, nihil debet curare &c.* Quæ sequuntur, habes in can. 6. caus. 12. quæst. 1., ubi pro verbo postremo *elegerit* legendum est ex optimis Ambrosii codicibus *gestit.* Ex hac Ambrosii doctrina factum esse puto, ut Augustinus multa ex Ambrosii disciplina edoctus communem vitam inter clericos obeundam instituerit, ut clericos eosdem magis ac magis à curis sæculi avocaret. Hùc etiàm pertinet canon 36. de pœn. dist. 2. ex eodem libro depromptus capite 4., ubi Ambrosius ulteriùs docet, quidnam sit à sæculo abstinere, his verbis: *Accedamus itaque fidei suffragio subnixi, & ejus remigiis sublevati ad illam sedem gratiæ fugientes hoc sæculum, & ejus contagionem. Hoc est autèm fugere, abstinere à peccatis, ad similitudinem & imaginem Dei formam virtutum adsumere, extendere vires nostras ad imitationem Dei secundum mensuram nostræ possibilitatis; vir enim perfectus imago & gloria est Dei. Unde & Dominus ait: Perfecti estote, sicut & pater vester, qui in Cœlis est, perfectus est. Hoc est igitur, similem esse Dei, habere justitiam, habere sapientiam, & in virtute esse perfectum. Deus enim est sine peccato, & ideò, qui peccatum fugit, ad imaginem est Dei.*

Can. 6. caus. 12. q. 1.

Can. 36. de pœn. dist. 2.

De libro de bono mortis.

Ex libro Ambrosii de bono mortis derivavit Gratianus brevem sententiam in can. 10. caus. 14. quæst. 4.; in quo, ut mentem sancti Antistitis attingamus, juvabit observare, conatum fuisse Ambrosium, ut demonstraret, ex morte non detrimentum nobis, sed maximam utilitatem accedere, ex eo præsertim, quòd, cum vivimus, in regione potiùs mortuorum esse videamur, & tum demùm ad regionem viventium transvolare, cum morimur. Hoc argumentum symbolicis de more suo formulis versat, scribens inter cetera in cap. 12. *An non mortuorum hæc regio, ubi umbra mortis, ubi porta mortis, ubi corpus est mortis?* Indè verò docet, universum terrarum orbem infidelibus undecumquè repletum esse, atque peccantibus, quos nomine mortuorum appellat, ibi: *Et qui infideles sunt, descendunt in infernum viventes, etsi nobiscum videntur vivere, sed in infernum sunt. Si quis usuram accipit, rapinam facit, vita non vivit, ut habes in Ezechiele* (cap. 33. vers. 18. & 19.). *Hic enim nec ipse Paulus vivebat in gloria: Denique in corpore mortis in-*

Can. 29. caus. 14. q. 4.

ingemiscebat. Iraquè ut germana, & sincera habeatur laudati canonis interpretatio, non sufficiet illum ita considerare, quemadmodùm refertur apùd Gratianum, ab integra Ambrosii oratione sejunctum; quamobrèm non puto, satis ad rem à Gratiano allatum fuisse, ut exindè demonstraretur, usurarios gravi admodùm flagitio inquinari, & divina gratia, quæ vitæ nomine designatur, spoliari. Non defuissent Gratiano alia ipsius etiam Ambrosii monumenta, ex quibus idipsum commodiùs probasset, si solertiùs ipsa Ambrosii opera pervolvisset.

De libro de Paradiso.

Maximo in pretio apùd eruditos sempèr fuit liber Ambrosii de Paradiso, ubi Sanctus vir sermonem instituit de terrestri Paradiso, in quo Adam primùm fuit ex Dei conditoris beneficentia collocatus; atque investigavit, quid, qualis, quave in mundi parte situs fuisset, quid in eo nostri Protoparentes egerint, quave Dæmonis arte collapsi fuerint in peccatum. His discusis, progressus est ad conficiendam Apellis hæresim, & illorum omnium, qui Apelli adhæserant, & vetus testamentum detestabantur; non sanè quòd Ambrosianis temporibus adhùc hujusmodi homines essent, sed quòd tùnc temporis Manichæi oborti fuissent, qui cum de veteris testamenti auctoritate loquerentur, nihil omninò ab Apelle, & Apellis sectatoribus recedebant. Prudentissimè sanctus Antistes sub persona Apellis, & Apellianorum Manichæos conficiendos putavit, ut eosdem faciliùs in bonam frugem adduceret. Ex eo libro cap. 4. depromptus est canon 9. dist. 40., ubi demonstrabat Ambrosius, neminem ex loci dignitate, in quo natus sit, sed potiùs ex iis, quas colat, virtutibus, majorem sibi gratiam apud Deum comparare, exemplum proferens Adæ, qui extra Paradisum, & Evæ, quæ in Paradiso conditi fuerant, quandò tamen primùm ista, deindè ille miserè prolapsi deprehenduntur. Hinc nemo non intelliget sententiam laudati canonis 9., præsertim si pòst postrema illa verba *inferior reperitur*, ista adhùc ex Ambrosio adjiciantur. *Mulier enim prior decepta est, & virum ipsa decepit.*

Can. 9. dist. 40.

In eodem libro cap. 12. leguntur verba canonis 17. caus. 3. quæst. 9., sed longè aliò spectat Ambrosii sententia, quàm quò apùd Gratianum exigatur. Agit ibi Ambrosius de Eva, quæ à serpente interrogata, cur de omni ligno Paradisi non comederet, Domini præcepto sibi obediendum esse respondit, intereà tamèn in recitandis Dominici præcepti verbis nonnihil immutans; quamobrèm observat sanctus Antistes, jam Evam in eo cœpisse delinquere, quòd integra divini mandati verba non retinuerit, ac serpenti prodiderit, quod fortasse mandatum si integrum recitavisset, difficiliùs ad peccatum fuisset inducta. Post hæc ita prosequitur: *Pura, & simplex mandati forma servanda, testimonii series intimanda est. Plerumque testis, dum aliquid ad seriem gestorum ex sua adjicit, totam testimonii fidem partis mendacio decolorat. Nihil igitur, vel quod bonum videtur, addendum est.* Hæc paulispèr depravata recensuit Gratianus, ut demonstraret, quàm cautè agendum sit testibus, quorum fides in judicio profertur, in causa & causæ adjunctis patefaciendis; quibus propterèa sit observandum, ut ne quidpiam inter dicendum adjiciant, sed sincerè, candidèque, quod noverint, tantummodò aperiant.

Can. 17. caus. 3. q. 9.

Perperàm adscriptus fuit Augustino canon 92. caus. 11. quæst. 3., qui potiùs erat abscribendus Ambrosio, cum legatur in libro ejus de Paradiso cap. 6., ex quo etiàm Gratiani verba erunt emendanda. Ibidèm Ambrosius plures discutit quæstiones, quibus illustratur præceptum Dei, Adamo indictum, atque inter cetera ita scribit: *Rursùs faciunt alias quæstiones hoc modo: non semper malum est non obedire præcepto, si enim bonum*

Can. 92. caus. 11. q. 3.

est præceptum, honesta est obeditio, quod si improbum præceptum, non obedire utile. Non istis verbis Ambrosii sententia exhibetur, sed potiùs refert sanctus Antistes, quid alii in eo proposito disputarent. Ceterùm Gratianus ea, quasi Ambrosii essent, recensuit, nonnulla etiam immutando.

In vetustis Gratiani codicibus ex libro Ambrosii de Paradiso depromptus dicebatur canon 11. caus. 15. quæst. 1., perperàm tamèn; potiùs enim describendus erat ex libro Ambrosii de Cain & Abel, in quo reverà legitur, quemadmodùm superiùs animadverti.

Can. 11. caus. 15. q. 1.

Canon 38. de pœn. dist. 1. legitur in cap. 14. libri de Paradiso, ubi demonstrat Ambrosius, plurimùm profuisse Evæ ad veniam peccati à Deo obtinendam, peccatum confiteri, quam ad rem ita scribit: *Dixit* (Eva) *peccatum suum, & reputatum est ei ad veniam: Justus enim accusator est sui in principio sermonis; Neque enim potest quisquam justificari à peccato, nisi fuerit peccatum ante confessus; undè Dominus ait: Dic iniquitates tuas, ut justificeris* (in vulgata editione legimus apud Isaiam cap. 43. vers. 26. *narra, si quid habes, ut justificeris.*) *Ergo quia Eva ipsa confessa delictum est, mitior sequitur & profutura sententia &c.* An verò hæc Gratiani proposito conveniant, qui de Confessione sacramentali in nova lege divinitùs instituta sermonem instituebat, facilè unusquisque judicabit. Quod idem dicendum erit de canone 47. eadem dist. 1. de pœnit. qui legitur in cap. 14. ejusdem libri de Paradiso, & cujus verba proximè antecedunt verba nupèr laudata canonis 38.; etenim in toto illo capite nihil aliud innuit Ambrosius, quàm Evæ plurimùm contulisse ad indulgentiam impetrandam humilem peccati sui confessionem. De versiculo *nam pastor* inferiùs nonnulla dicam ad libros de pœnitentia, cum ad illos, non autem ad librum de Paradiso, pertineat.

Can. 38. & 47. de pœn. dist. 1.

Canon 39. de pœn. dist. 2. legitur in cap. 12. ejusdem libri de Paradiso, ubi Ambrosius, expendens verba Geneseos cap. 3. vers. 7. ita scribit: *Et aperti sunt, inquit, oculi eorum, & cognoverunt, quòd nudi essent, & antè quidem nudi erant, sed non sine virtutum integumentis.* Gratianus pro particula *&* substituit in eo loco particulam *ut*; nisi putes hanc mutationem aut Amanuensibus esse, aut Typographis adscribendam.

Can. 39. de pœn. dist. 2.

Ad canonem 20. caus. 33. quæst. 5. nihil singulare observandum occurrit. Legitur ille eisdem omninò verbis in cap. 10. Ambrosiani libri de Paradiso.

Can. 20. caus. 33. quæst. 5.

De libro exhortationis ad Virgines.

Laudat Gratianus in can. 13. caus. 32. quæst. 1. librum *exhortationis ad virgines*, qui in aliquibus veteribus Ambrosii codicibus hanc potiùs habet inscriptionem: *exhortatio virginitatis*, & in aliis: *de hortatione virginitatis tractatus*, quemadmodùm Maurini Monachi observaverunt. Quisquis sit opusculi titulus, jam satis per se indicat, quam materiem ibidem tractaverit sanctus Antistes. Nimirùm totus in eo fuit, ut fideles ad bonum virginitatis alliceret, recensendo inter cetera incommoda illa, quæ ex conjugio proficiscuntur; quibus expensis, ita prosequitur in cap. 3. *Hanc igitur tentationem tantarum necessitatum si vultis filii vitare, integritas corporis expetenda vobis est, quàm ego pro consilio suadeo, non pro imperio præcipio. Sola est enim virginitas, quæ suaderi potest, imperari non potest, res magis voti, quàm præcepti est; Quod enim gratiæ est, non jubetur, sed desideratur, electionisque magis est, quèm servitutis. Undè & Apostolus dicit: De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, ex quibus verbis suppleri possunt, quæ laudato canoni 13. deesse videntur.

Can. 13. caus. 32. q. 1.

De libro de institutione Virginis.

Non multùm differt ab eodem proposito alter Ambrosii liber, qui in quibus-

busdam codicibus inscribitur *sermo de S. Mariæ Virginitate perpetua*, in quibusdam *ad Eusebium institutio*, in aliis : *De institutione Virginis*. Opusculum istud nemo dubitare potest rectè sancto Antistiti fuisse tributum, cum omnes codices illum exhibeant inter libros Ambrosianos, imò & stylus ipse ceteris Ambrosianis operibus consonet. Argumenti occasio hæc fuit. Eusebius quidam Bononiensis Ambrosiam, suam ex filio neptem, miserat ad Ambrosium Mediolanum, quam sanctus Episcopus benignè excipiens, edocensque, tandèm pòst diuturnam morum probationem solemni ritu juxtà morem in Ecclesia consuetum consecravit, eodemque tempore in laudem virginitatis habuit orationem. Hæc illa ipsa oratio est, quam Ambrosius deindè per epistolam quibusdam initio adjectis misit ad Eusebium, Ambrosiæ avum, appellaturque hodiè libellus de virginis institutione, in quo primùm virginitas commendatur; prætereà laudatur Ambrosià, quòd virginitatem professa se Deo totam devoverit, eaque occasione tamquàm Virginum omnium exemplar proponitur B. Maria, cujus virginitas asseritur, moresque integerrimi cum virginitate conjuncti summoperè recoluntur. Ex his jam liquet argumentum canonis 5. caus. 27. q. 2., qui legitur in cap. 6. ejusdem orationis. Cum enim Ambrosius de B. Mariæ virginitate nonnulla dissereret adversùs hæreticos, objecerat sibi caput 1. Matthæi vers. 24., ubi Maria conjux Josephi appellatur, quasi conjugium virginitatis honori quidquam detraxisse videretur; respondit autèm, conjugium illud nihil impedimento fuisse, his verbis : *Nec illud moveat, quod ait, quia Joseph accepit conjugem suam, & profectus est in Ægyptum; desponsata enim viro conjugis nomen accepit : Cum enim initiatur conjugium, tùnc conjugii nomen adsciscitur; non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. Deniquè cum jungitur puella, conjugium est, non cum viri admixtione cognoscitur.*

Can. 5. caus. 27. q. 2.

De libris de Virginibus.

Ambrosio etiàm jure optimo tributi sunt libri tres de virginibus, in quibus multa traduntur, ad virgines instituendas apprimè accommodata. Nemo sanè ignorat, quàm jucundum sancto Episcopo fuerit eam prædicare virtutem, & ad ejus amorem & cultum puellas blandè adducere eruditis simul, & crebrò repetitis orationibus. Id sciverat Marcellina soror, quæ propterea missis ad fratrem Ambrosium epistolis postulavit, ut ad se sermonum sententiæ scripto commendatæ dirigerentur. Consensit bonus Antistes, imò ordinatè sermones ipsos, ut sorori satisfaceret, digessit in tres libros; in quorum primo generali præconio virginitatem laudavit, in secundo exempla sanctarum virginum, præsertim B. Mariæ, & B. Teclæ proposuit, in tertio virgines omnes ad orationem, & virtutum omnium cultum hortatus est quàm vehementissimè. In lib. 2. cap. 4. exhibentur verba canonis 1. caus. 32. quæst. 5., ubi, postquàm Ambrosius BB. Mariæ & Teclæ sequenda proposuisset exempla, ait se recentiora adhùc palàm velle producere, neque in solis antiquissimis commorari, quamobrem retulit factum cujusdam virginis Antiochenæ, quod ea ipsa ætate recens contigerat; cum enim illa improbitate perversorum hominum fuisset in lupanar vi tracta, & plurimorum libidini exposita, quidam christianus miles ad eam primus accesserat, atque is, inspirante Deo, mutatis cum virgine vestibus in causa fuit, ut virgo tutò à lupanari egrederetur, quam ob causam uterque Martyrii palmam brevi post tempore reportarunt. Inducitur eadem virgo ab Ambrosio loquens, dum adhùc impudicorum hominum ausibus exposita pavebat eventum, iis ipsis verbis, quæ in memorato canone 1. exhibentur. Sunt, qui putant, virginem illam fuisse Theodoram Alexandrinam, quam ea ratione liberatam fuisse à Di-

Can. 1. caus. 32. q. 5.

dymo christiano milite testatur Beda in Martyrologio ; atque ita opinati sunt Molanus , Surius , & Baronius , qui, quod apùd Ambrosium legitur Antiochiæ contigisse, non Alexandriæ , scriptorum oscitantiæ vertit in notis ad Martyrologium 4. Kalendas Maij. Verùm hoc tutò adfirmari nequit , vel quòd universi Ambrosii codices fidem faciant, factum illud contigisse Antiochiæ , non Alexandriæ ; vel quòd apùd Ambrosium narretur, militem fuisse deindè unà cum virgine Martyrio coronatum , quod ab Historicis non dicitur de Theodora Alexandrina , & Didymo : quamobrèm Cardinalis Baronius, quod aliàs opinatus fuerat , retractare non dubitavit in Annalibus ad annum 309. Hæc adnotavisse sufficiat , disputationem rerum antiquissimarum ad Martyrum acta pertinentium viris ea in re eruditis reservando , hæc enim disquisitio ad meum propositum minimè pertinet.

De libro de lapsu Virginis consecratæ.

Proditur passim tum sub Ambrosii, tum sub Hieronymi nomine liber , cui titulus est , *de lapsu virginis consecratæ*, quem Gratianus laudavit in can. 2. caus. 32. quæst. 5. sub nomine Ambrosii scribentis *ad virginem lapsam*. Ejus auctor totus est in eo , ut gravissimè virgines illas objurget , quæ , postquàm continentiam Deo vovissent , propositum ex perfidia abjecerunt. Sanè librum illum Hieronymi non esse , facilè ostendi posset , cum auctor sæpè ac sæpiùs se Episcopum nominet , qualem se Hieronymus profiteri non poterat. Nùm Ambrosio jure tribuatur , maxima mihi videtur dubitatio ; qua in re nihil ausim definire. Sunt , fateor , numero plurimi & quidèm eruditissimi viri , qui ab Ambrosio opus abjudicant : sed quæ ipsi habent argumenta , levia admodùm meo judicio sunt: Etenim tantùm animadvertunt ipsi, hujus libri stylum ab Ambrosiano videri dissimilem. Id tamèn fortassè tribui potest alacritati , qua utendum erat Ambrosio in eo dicendi genere, quo virgines lapsas objurgari vehementer oportebat. De laudato canone 2. nihil est , quod singulari animadversione dignum videatur. Legitur ille eisdem omninò verbis in cap. 4.

Can. 2. caus. 32. q. 5.

De libris de Pœnitentia.

Adversùs hæresim Novatianorum elegantissimè scripsit Ambrosius duos libros de pœnitentia , quorum meminit Augustinus in libro de peccato origin. cap. 31. , lib. 2. contra Julianum cap. 3. & 9. , lib. 4. contra duas epist. Pelag. cap. 11. Non meliùs attingere possumus in illis interpretandis sancti Antistitis mentem , quàm si respiciamus ad impios Novatianorum errores , & abominabilem sectam. Originem illi , & nomen acceperunt à Novato , atque Novatiano , quorum prior erat Africanæ Ecclesiæ Presbyter , alter Ecclesiæ Romanæ Diaconus , quod Græcis scriptoribus non fuit apprimè compertum, qui Novatum cum Novatiano confuderunt, atque nonnullis etiàm Latinis confundendi utrumque occasionem recentiore ætate præbuerunt. Erat Novato in Africana Ecclesia existenti irrequietus , & ad seditionem admodùm pronus animus , vitiis etiàm pluribus , ac potissimùm impudicitiæ inquinatus , quamobrem cum à Cypriano Episcopo reprehenderetur , movendis turbis sese applicuit , spargens in indoctum vulgus impia dogmata , & inaudita , juncto improbo fœdere sibi Felicissimo ejusdem ferè animi Clerico , quem Diaconum ignorante eodem Cypriano ordinari curaverat. Inter cetera docuit , lapsos ad Ecclesiam revertentes absquè ulla pœnitentia recipiendos esse. Eam ob causam exagitatus ab Episcopis Africanis Romam se contulit sub initium anni 251. , quum, mortuo Fabiano Pontifice, Clerus divisus in partes in electione successoris Pon-

Pontificis hinc Cornelio, illinc Novatiano suffragabatur, donèc prævaluit electio Cornelii remoto Novatiano, viro Stoicæ Philosophiæ addicto, acerrimi quidem ingenii, atque facundiæ, non tamèn plerisque probato. Id cum ægrè ferret Novatianus, omnemque lapidem moveret, ut Cornelii electio irritaretur, opportunum duxit Novatus fœdus cum Novatiano inire, & in homine invidia, & iracundia percito causæ suæ præsidium collocare; quamobrem, junctis animis, & Novatus & Novatianus, quasi causam communem una suscipientes, Ecclesiam Romanam turbare cœperunt. Præ ceteris, cum nihil esset quod Cornelio electo objici posset, prædicaverunt, Cornelium adversùs Christi præcepta agere, quòd lapsos in hæresim revertentes reciperet pœnitentia indicta; quandò aliàs certum esse deberet, peccatum hæresis irremissibile esse, nec posse umquàm expiari. Hinc liquet, mutavisse sententiam Novatum, & de una hæresi in aliam è diametro oppositam hæresim divertisse. Quò verò non ducit scelestos & factiosos homines præceps animus, & contradicendi voluntas? Itaquè, qui & Novato, & Novatiano adhæserunt, & pœnitentiæ remedium in Ecclesia Dei lapsis esse inficiati sunt, nomine Novatianorum vocabantur; se autem ipsi *mundos* vocabant, quòd neminem in societatem suam recipere se profiterentur peccatorem, ne per pœnitentiam quidèm restitutum. Temporibus Ambrosii nondùm interierat horum perfidorum secta; quamobrèm, ut tandèm aliquandò conficeretur, utile esse putavit Ambrosius, duos libros de pœnitentia scribere, quibus sanè Catholicum dogma de lapsis per pœnitentiam recipiendis firmaretur.

Can. 19. caus. 1. q. 1.

Ex lib. 2. cap. 4. depromptus est canon 19. caus. 1. quæst. 1. Ibi Ambrosius respondet objectis Novatianorum, qui inter cetera ad rem suam plurimùm valere jactabant, quod legitur apud Matthæum cap. 12. vers. 21., nimirùm blasphæmiam in Spiritum sanctum remitti non posse. Expendens Matthæi testimonium sanctus Antistes, saniùs illud intelligendum ait, quàm à Novatianis intelligeretur, exhibens Apostolorum ipsorum exempla, qui ejus criminis veniam pœnitentibus non denegaverunt; quam ad rem utitur facto sancti Petri, qui Simoni, in Spiritum sanctum peccanti, spem veniæ concessit, si pœnitentia veniam postularet; hinc post verba postrema Gratiani ista sequuntur apud Ambrosium. *Et tamèn non interclusit ei spem veniæ, quem invitavit ad pœnitentiam.* Nemo exindè non videt, eum canonem parùm Gratiani proposito convenire, qui in animo habebat ostendere, Simoniacos subjici infidelitatis perditioni, etsi fidem habere videantur, eò vel magis, quòd pro illis Gratiani verbis *in hac fide* legatur apùd Ambrosium *in sermone isto*, quemadmodùm jam Romani Correctores animadverterunt.

Can. 3. caus. 17. q. 4.

Canon 3. caus. 17. quæst. 4. legitur in lib. 2. cap. 9., ubi Ambrosius inter plura pœnitentiæ, seu satisfactionis opera eleemosynas recenset, sive in ædes pauperum, sive in sacra templa collatas; atque ait illud maximè pœnitentibus cavendum esse, ne quod semel contulerint, aliquandò repetendum putent. Hanc sententiam Gratianus eò detorsit, ut demonstraret, Monachos à Monasterio recedentes non debere à Monasteriis auferre, quæ semèl ad Monasteria attulerant. Prætereà Gratianus idem verba Ambrosii non satis accuratè descripsit, quæ tamèn jam restituta fuerunt à Romanis Correctoribus.

Can. 46. de pœn. dist. 1.

Emendaverunt etiàm Romani Correctores verba canonis 46. de pœn. dist. 1. olim à Gratiano corrupta; imò & Ambrosii nomen pro Augustini nomine substituerunt, cum canon non ad Augustinum pertineret, sed ad Ambrosium in lib. 1. de pœn. cap. 5.

Can. 47. §. *nam pastor* de pœn. dist. 1.

Verba canonis 47. de pœn. dist. 1. ab initio usquè ad versic. *nam pastor* ha-

ben-

bentur in lib. 1. de Paradiso, quemadmodùm jam superiùs animadvertendum fuit. Quæ verò in eodem versiculo subsequuntur usquè in finem, leguntur in lib. 1. Ambrosii de pœnitentia in principio, ubi Ambrosius moderationem animi tamquàm virtutem egregiam laudat eam ob causam, quòd indè facilè arguerentur Novatiani, qui nullam animi moderationem servabant. Quam sanè sententiam nescio, qua ratione jungere præcedentibus potuerit Gratianus: imò qua ratione potuerit eò referre, ut demonstraret, quod demonstrandum sibi proposuerat, Sacramentalem peccatorum Confessionem fieri à Christiano peccatore debere, cum de hac re ne verbum quidem in eo Ambrosii monumento factum appareat.

Can. 48. & 50. de pœn. dist. 1. Eadem dicenda sunt ad canonem 48. de pœn. dist. 1., qui excerptus est ex lib. 1. cap. 12., & ad canonem 50. eadem dist., qui habetur eisdem verbis in lib. 1. cap. 1. & 2. Ambrosius illud demonstrabat adversùs Novatianos, pœnitentiam peccatorum Deo probari, & per illam lapsis gratiam Dei restitui. Gratianus ampliùs progressus est, ut ostenderet, non aliter veram pœnitentiam esse, quam si ore exprimatur, confessione peccatorum. Firmum quidèm fidei dogma, non tamèn iis Ambrosii monumentis demonstratum.

§. Dominus de pœn. dist. 1. 51. Canon 51. vers. *Dominus* de pœn. dist. 1. usquè in finem legitur in lib. 1. de pœn. cap. 2., ubi Ambrosius ex ipsis Novatianorum principiis Novatianos eosdem conficit. Cum enim faterentur illi, datam à Domino Apostolis fuisse ligandi potestatem, eamque ob rem eâ potestate utentes omnes criminum reos à cœtu suo excluderent, deducebat, & eadem ratione Apostolis concessam intelligi facultatem solvendi, cum uno orationis contextu Apostolis & ligandi & solvendi facultas facta fuerit. Verba Ambrosii, ad quæ Gratianeus canon erit exigendus, hæc sunt: *Dominus par jus & solvendi esse voluit, & ligandi, qui utrumque pari conditione permisit. Ergò qui solvendi jus non habet, nec ligandi habet. Sicùt enim secundum Dominicam sententiam qui ligandi jus habet, & solvendi habet, ita istorum assertio se ipsam strangulat, ut quia solvendi sibi jus negant, negare debeant & ligandi. Quomodò igitur potest alterum licere, alterum non licere? Quibus donatum utrumque est, aut utrumque licere manifestum est, aut utrumque non licere certum est. Ecclesiæ utrumque licet, hæresi utrumque non licet. Jus enim hoc solis permissum sacerdotibus est. Rectè igitur Ecclesia vindicat, quæ veros sacerdotes habet,* (editio una Parisiensis, ut Maurini testantur, exhibet, *quæ verus sacerdos habet*), *hæresis vindicare non potest, quæ sacerdotes Dei non habet.*

Can. 52. de pœn. dist. 1. Canon 52. de pœn. dist. 1. legitur in lib. 1. cap. 4., in quo ut mentem sancti Doctoris assequamur, animadvertendum erit, Novatianos ad suæ causæ præsidium hoc argumento usos fuisse. Profitetur Christus Dominus, se coràm Patre confessurum eum, qui coràm hominibus Christum confessus fuerit: Ergà à contrario eos coram Patre negabit Christus, qui Christum labentes in hæresim aliquandò negaverint. Hoc argumentum ità insecutus est Ambrosius: *Diximus, quid scriptum sit, colligamus sententiam: Omnis, inquit, qui me confessus fuerit... habebit me remuneratorem confessionis suæ. Cum dicitur omnis, nullus excluditur: non similiter omnis, qui negaverit, negabitur; potest enim fieri, ut aliquis victus suppliciis sermone Deum neget, & corde adoret.* Adde his, quæ sequuntur apùd Gratianum usquè ad illa verba *non in æternum proficit*; ubi tamèn adnotandum est pro illis, *aut forte dolo, aut fraude exclusos victoria*, in nonnullis Ambrosii codicibus legi: *aut sorte, dolo, aut fraude excussos victoria.* Quæ subsequuntur in vers. *Dicis Petro* pertinent ad caput 7., neque cum superioribus congruunt. In nonnullis codi-

dicibus Ambrosii pro illis Gratiani verbis, *qui Petri sedem non habent*, legitur *qui Petri fidem non habent*. Multò minùs cohæret cum superioribus versiculus *ægritudo*, qui legitur in cap. 13. Postremus canonis versiculus *sicut semel* exhibetur eisdem omninò verbis in lib. 2. cap. 3.

Can. 53. de pœn. dist. 1. Canon 53. de pœn. dist. 1. habetur in lib. 2. de pœn. cap. 7., ubi paulò alitèr legendum voluerunt Correctores Romani in iis verbis, quæ post canonem adnotaverunt. At Maurini Monachi in editione operum Ambrosianorem freti purissimis monumentis emendandam potiùs curaverunt vulgatam Ambrosii editionem, atque ita scripserunt, quemadmodùm apud Gratianum legebatur. Ibi autem Ambrosius peccatorem, absolutum sacerdotalibus verbis, comparat Lazaro per Christi virtutem à mortuis excitato.

Can. 54. de pœn. dist. 1. Canon 54. de pœn. dist. 1. legitur in lib. 2. cap. 4., ubi post verba canonis 19. caus. 1. quæst. 1. superiùs memorati, statim hæc subsequuntur. *Responsum est igitur à Domino blasphæmiæ Pharisæorum, & ideò is potestatis suæ gratiam negat &c.* Hinc exorditur Gratianus in can. 54., quem jam Romani Correctores ad optima Ambrosii exemplaria exegerunt, unà animadvertentes, pro illis verbis Gratianei canonis *ac universos... licet & illi nihil à vobis differant*, legenda alia esse, nimirùm, uti legitur apud Maurinos, *hoc in universos... licet & illi nihil vobis deferant*. Respondebat eo in loco Ambrosius Novatianorum objectis, qui proferebant ad rem suam testimonium Matthæi cap. 12. vers. 21., ubi dicitur, peccata in Spiritum sanctum remitti non posse, ac scribebat inter alia, exindè non posse deduci generalitèr peccata omnia remitti non posse; singularem agnoscens peccatorum adversùs Spiritum sanctum enormitatem, qua inspecta difficiliùs ipsa remitti dicantur. Eam ad rem ajebat, cetera crimina contrà privatos homines committi videri; ac peccata in Spiritum Sanctum, quale est hæreseos crimen, committi potiùs videri in totam Christianorum hominum universitatem, quò pertinent ea canonis verba: *quia omne peccatum circa singulos est, hoc in universos*, quæ perperàm, & turpitèr Glossographi & corruperunt, & interpretati sunt.

Can. 55. & 56. de pœn. dist. 1. Can. 55. de pœn. dist. 1. legitur in lib. 2. cap. 9. ubi tamèn nonnulla alitèr exhibentur, quàm apùd Gratianum exhibeantur: ubi enim ait Gratianus, *immundis spiritibus... Sacræ Communionis non impendenda consortia*, in aliis codicibus legitur: *immundis impuritatibus... Sacræ Communionis non facilè impertiendæ consortia*. Vix sanè discrimen inter utramque lectionem esse dignoscitur: Verùm adhuc observandum illud erit; nam quod apùd Gratianum dicitur, non esse impendendam Eucharistiæ Communionem, simplicitèr pronunciatur, quasi legis instar obtineat numquàm pro Sacerdotum arbitrio temperandæ; at quod in aliis codicibus legitur, non esse *facilè* impertiendam, locum relinquit prudenti Sacerdotis arbitrio. Post pauca in eodem capite sequuntur verba canonis 56. de pœn. dist. 1. usquè ad versiculum *facilius*, qui legitur deindè in cap. 10., ubi animadvertendum est, pro illis Gratiani verbis, *& ipsius copulæ conjugalis usus*, legi in aliquibus Ambrosii codicibus *& ipsius culpæ conjugalis usus*. Ego sanè non ausim affirmare, & à vulgaribus Ambrosianis, & à Gratianeis codicibus recedendum, ubi legitur *copulæ*, non *culpæ*; fortè enim recentiores quidam voculam immutarunt, arbitrati, nimis asperam videri posse Ambrosii disciplinam, & ætati recentiori, ac disciplinæ, in qua molliùs, & delicatiùs vivitur, vix consentaneam esse posse. Planè apud veteres Patres illud cautè custoditum scimus, ut pœnitentibus conjugii denegaretur usus, quemadmodùm legitur apùd Siricium Papam epist. ad Himerium, & apud

Pa-

Patres Concilii Arelatensis II. can. 21. & 22., quamquàm labentibus sæculis & conjugia inire, & conjugio uti ex indulgentia pœnitentibus permissum fuerit ex sententia Leonis Magni in epistola ad Rusticum Narbonensem, quem secuti fuerunt Patres Concilii Toletani VI. in can. 9. Versiculus *nemo* legitur in cap. 11. ejusdem lib. 2., quemadmodùm etiàm versiculus *dicimus*, ubi nonnullæ editiones Ambrosii potiùs habent *ducimus*, aliquæ etiam *didicimus*. Versiculus *nihil est* legitur ibidèm, sed superiùs, & antè multa, neque enim videtur cum ceteris versiculis uno spiritu jungi posse. Totum canonem Romani Correctores jàm ad integros Ambrosii codices exegerunt.

Can. 59. de pœn. dist. 1. In cap. 9. lib. 1. apud Ambrosium legitur canon 59. de pœn. dist. 1., ubi sanctus Antistes, opponentibus, Novatianis peccata Sacerdotum irremissibilia esse ex testimonio illo scripturæ 1. Regum cap. 2. *Si peccaverit vir in virum, placare ei potest Deus; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Et ex vulgato illo *si Sacerdos peccaverit, quis orabit pro eo?* respondit, his, aut similibus interrogationibus non subaudiendum esse *nullus*, sed quasi affirmativa responsio omissa censeretur, & esset subaudienda; quasi diceretur & esse eos, qui oraturi sint pro viro peccante in Dominum, & esse eos, qui oraturi sint pro Sacerdote peccante; quam ad rem argumentum profert ex illis verbis Psalmi 82. *Deus quis similis tibi?* post quæ subaudiendum esse scribit, aliquem esse similem posse, nimirùm filium Dei; atque indè concludit: *Et ita opinior dictum: Deus quis similis tibi? non utique nullus, quia imago patris filius est.* Hæc post canonem 59. notavit jure optimo Gratianus; neque aberrare videntur à sinceritate sermonis, aut ab elegantia orationis, cum etiàm pluriès apùd latinos scriptores, non negativam, sed affirmativam particulam post eas interrogationes subaudiendam esse, noscamus, quemadmodùm observari potest in leg. 1. ff. de legat. 2., & in l. 55. ff. de condition. & demonstrat.

Can. 78. 79. & 80. de pœn. dist. 1. De canonibus 78. 79. & 80. de pœn. dist. 1. nihil singulare animadvertendum occurrit. Primus depromptus est ex lib. 1. cap. 3., ubi tamèn pro verbis illis Gratiani *Deus definitionem non facit*, legitur *Deus distinctionem non facit*. Alter legitur eisdem omninò verbis in cap. 9. lib. 2., & similitèr postremus in cap. 11. libri 2.

Can. 2. de pœn. dist. 3. Canon 2. de pœn. dist. 3. exhibetur in lib. 2. cap. 10., ubi tamèn levissima quædam observanda est Ambrosianarum editionum diversitas; nàm ubi aliquæ habent *meritò reperiuntur*, habent aliæ *meritò reprehenduntur*, *qui sæpiùs agendam pœnitentiam putant &c.* Posterior hæc lectio videtur meliùs consonare ceteris Ambrosii verbis; imò & eam ipsam secutus est Gratianus post canonem 61. dist. 50., ubi eadem Ambrosii verba recensere voluit. Itaque Ambrosius tradidit, unicam tantummodò, nec umquàm repetendam pœnitentiam esse. Nemo autèm hodiè ignorat, hæc & similia veterum testimonia non de privata, sed de publica pœnitentia intelligi, quemadmodùm & ipsa Ambrosii verba, prout per Correctores Romanos hodiè sunt emendata apùd Gratianum, innuere videntur; etenim adnotaverunt Correctores ad ea verba *ita & unica*, ità legi apùd Ambrosium: *Ità una pœnitentia, quæ tamèn publicè agitur: nam quotidiani nos debet pœnitere peccati; sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum &c.* Gratianus ipse hoc interpretationis genere usus est in expendendo Ambrosii fragmento ad calcem canonis 21. de pœn. dist. 3., ubi tamèn tradidit, fuisse singularem quarumdam Provinciarum disciplinam, ut pœnitentia solemnis & publica numquam iteraretur. Voluit, ut arbitror, Gratianus Ambrosii doctrinam disciplinæ suorum temporum accommodare; quibus

bus jam passim receptum erat, pœnitentiam etiàm publicam pro rerum adjunctis repeti, licèt alicubi repeti nullo modo posset, quod & ipsum tradidit Petrus Lombardus in 4. sententiar. dist. 14. Ceterùm antiquioribus Ecclesiæ sæculis disciplina pœnitentiæ publicæ nullo ampliùs tempore repetendæ generalis erat, quemadmodùm colligitur ex Tertulliano de pœnit. cap. 7., Siricio Papa epist. ad Himerium can. 4., & Augustino epist. 157. novæ editionis. Videsis Natalem Alexandrum in Historia Ecclesiastica sæculi 3. diss. 10.

Can. 37. de pœn. dist. 3. Canon 37. de pœnit. dist. 3. consonat cum integris Ambrosii codicibus, sive cum cap. 11. lib. 2., dummodò observentur adnotationes Romanorum Correctorum, qui in parte corruptam Gratiani lectionem emendaverunt, in parte autèm editionum varietatem indicare non neglexerunt.

Can. 49. §. *illud* de pœn. dist. 3. Demùm in lib. 2. cap. 11. apùd Ambrosium leguntur illa Gratiani verba, quæ Gratianus descripsit in versiculo *illud autem* post canonem 49. de pœnit. dist. 3. ibi: *Melius est ergò tùnc quiescere, quàm exercere non queas opera pœnitentiæ, ne in ipsa pœnitentia fiat, quod postea indigeat pœnitentia, quæ si semèl fuerit usurpata, nec jure celebrata, nec prioris fructum obtinet, & auferet usum posterioris.* Hæc verba Gratianus de pœnitentia publica interpretatur, quòd per hanc initam locus omnis præcludatur alteri deindè pœnitentiæ ineundæ; quod jam superiùs observavimus ad canonem 2. de pœn. dist. 3.

SECTIO IV.

De Sermonibus ad Populum habitis.

De sermone contrà Auxentium.

Postquàm in Concilio Ariminensi anni 359. Arianæ pseudofidei formula probari, & recipi visa fuit, undè, ut Hieronymus ait in Dialogo contra Luciferianos, totus penè orbis Arianum se esse admiratus ingemuerit, Ariani omnes universis propemodùm Ecclesiis dominabantur, atque, auctore Auxentio, Mediolanensem Ecclesiam occupare moliebantur, cui Ambrosius præerat. Frustrà tamen; siquidem sanctus Antistes anno circiter 385. constantissimè restitit, præsertim verò Auxentii vires frangere nisus est, nec facilè passus est ducem illum hæreticorum, quacumque se auctoritate præditum diceret, pro Arianorum cœtibus faciendis Basilicam vindicare: præcipuè quòd Imperatoris gratiam sibi conciliaverat, atque ob anteacta publica munera, qualis fuerat Summi Imperantis mens in procuranda Ecclesiæ pace adversùs Arianorum perfidiam, minimè ignorabat. Hac de causa publicam habuit ad populum orationem, quæ in Maurina Ambrosianorum operum editione habetur inter epistolas primæ classis post epistolam 21., cui titulus est: *Sermo contra Auxentium de Basilicis tradendis.* Totus ibi Ambrosius est, ut demonstret, regimen Ecclesiæ Mediolanensis ad se pleno jure pertinere, nec Auxentium potuisse quidquam sibi auctoritatis, ut Arianis faveret, vindicare. Hùc pertinet canon 27. caus. 11. q. 1., his verbis apùd Ambrosium exhibitus: *Quid igitur non humiliter responsum à nobis est? Si tributum petit, non negamus. Agri Ecclesiæ solvunt tributum. Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vindicandorum. Nemo nostrum intervenit. Potest pauperibus collatio populi redundare: non faciant de agris invidias, tollant eos, si libitum est Imperatori: non dono, sed non nego.* Can. 27. caus. 11. q. 1.

Ex eadem oratione plurima relata sunt in canonem 21. §. *quid ergo*, & sequentibus caus. 23. quæst. 8. De his tamèn commodiùs puto inferiùs agendum esse, ubi nonnulla tradenda erunt de Ambrosii epistola ad Marcellinam, cum canon idem, præsertim si priora verba spectemus, ad eam epistolam etiàm pertineat. Can. 21. §. *quid ergo* & sequent. caus. 23. q. 8.

De sermone de Obitu Theodosii.

Can. 24. caus. 13. q. 2.

Mortem obierat Theodosius Magnus Imperator Mediolani, ubi Theodosii filius Honorius, quem pater fatali morbo correptus ab oriente acciverat, per dies quadraginta solemnem luctum indixit, postquàm constituit defuncti cadaver Constantinopolim transferendum tanquam ad majorum sepulchra. Post quadraginta dies parentalia Ecclesiastico ritu in Ecclesia peracta sunt, præsente Honorio, & Ambrosio in defuncti laudem orationem publicam habente. Hæc est oratio funebris, quam laudavit Gratianus in canone 24. caus. 13. quæst. 2. Centuriatores Magdeburgenses centur. 4. cap. 4. & 13. eam inter apocrypha Ambrosii monumenta rejecerunt. Cum verò nullum sit omninò ejus opinionis, quod protulerint, argumentum, nemo erit, qui statim eorundem judicio adquiescat. Ego immorabor in expendendo Gratiani fragmento, ex quo non contemnenda veterum ergà defunctos fideles præstandorum officiorum posita video monumenta. Qua in re utar analytica interpretatione, quædam etiam adjiciens ex integris Ambrosii codicibus, quæ Gratianeum canonem non parùm illustrant. Ait Ambrosius: *Ejus ergo Principis & proximè conclamavimus obitum, & nùnc quadragesimam celebramus, adsistente sacris altaribus Honorio Principe, quia sicut S. Joseph Patri suo Jacob quadraginta diebus humationis officia detulit, ità & hic Theodosio Patri justa persoluit.* Facilè his demonstratur, non superstitiosos, quemadmodùm nonnulli ex hæreticis dicere non dubitaverunt, fuisse veteribus Ecclesiæ Patribus funebres istos luctus, sed pietati potiùs, ac religioni communi ferè gentium consensione tribui. Illos celebrare potuit sine superstitionis suspicione laudatus Joseph in interitu Jacob, uti habetur Geneseos cap. 50.: potuit eadem ratione universus Judæorum populus in obitu aut Mosis, uti legitur in cap. 34. Deuteronom., aut Jonathæ, aut Judæ Machabæorum, uti legitur in lib. 1. Machabæor. cap. 9. & 13. Illos videtur probavisse Deus, velut justa quædam naturæ instituta, in Ecclesiastico cap. 22. ibi: *Suprà mortuum plora, defecit enim lux ejus.* Et cap. 38. ibi: *Fili in mortuum produc lacrimas, & quasi dira passus incipe plorare.* Quid ampliùs dicam, quandò legimus, & ipsum Christum Dominum flevisse de morte Lazari, & Actor. 8. exhibentur Christiani de morte Stephani planctum magnum fecisse? Non ignoro quid apùd aliquas Gentes quandoquè superstitionis invexerit improbabilis luctus; præsertim ubi inanes quidam & incongrui doloris impetus relaxabantur, ut plurimùm ad pompam, & figmenta redacti; quamobrèm apùd Romanos veteres in legibus duodecim tabularum cautum scio, ne occasione funerum quis raderet genas, aut ululatum ingentem, quem *lessum* vocabant, faceret; neve longæ coronæ, & accerræ, seu altaria præferrentur, aut ne plura fierent funera, pluresve lectuli sternerentur. Ipsæ etiàm divinæ leges immoderatum illum funestum luctum prohibuere; nàm Levitici cap. 19. legimus: *Super mortuo non incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas, aut stygmata facietis vobis*; quibus jungi possunt, quæ habentur in Deuteronomio cap. 14. Quid verò hæc commune habent cum religioso illo luctu, in quo nihil immodestum, nihil sordidum est, sed omnia ad pietatem, & religionem exiguntur? Prosequitur Ambrosius, & ait: *Et quia alii tertium diem & trigesimum, alii septimum & quadragesimum observare consueverunt, quid doceat divina lectio consideremus.* Clariùs Gratianus verba & sensentiam Ambrosii expressit, ne fortè quis suspicaretur, Ambrosium tradidisse varias disciplinas ità distributas, ut alii justa persolverent die 33., alii 47. Itaquè alii, teste Ambrosio, servabant diem quadragesimum, qui mos fuit celebrantium funera maximè solemnia, quem-

quemadmodùm apùd veteres fuit luctus Joseph in obitu Jacobi Patris cap. 50. Geneseos. Alii trigesimum diem servabant, qualis mos videtur derivatus ab Argivis juxtà ea, quæ tradit Alexander ab Alexandro lib. 3. genial. dier. cap. 7., qui in more illud habebant, ut statim ac cognatus decessisset, Apollini sacrificarent, & post triginta dies ad aram Mercurii & Apollonis oblationes, & sacrificia renovarent. Id quoquè aliquandò peregerunt Judæi in morte Mosis, quem per dies triginta luxerunt, quemadmodùm legimus in Deuteronom. cap. 24. vers. 8. Alii septimum diem observabant; cujus disciplinæ causam puto ex veterum Romanorum ritibus repetendam. Etenim apùd illos, ubi quis supremum diem obiisset, per dies septem domi custodiebatur cadaver, & curabatur, lavando, ungendo, osculando, complorando, conclamando: octavo die funus procedebat, & corpus incendebatur: nono sepulturæ commendabatur, & siqui ludi in mortui honorem faciendi essent, in sequentem diem prorogabantur; undè vulgò dicebantur novemdiales, atque ab eo tempore finis erat funestæ familiæ. Ita tradit Gutherius lib. 1. de jure manium cap. 16., cui consonat Alexander ab Alexandro loco superiùs laudato; cujus etiàm disciplinæ vestigia habemus in Novella Justiniani 115. cap. 5., ubi novem dierum spatium ordinario luctui adsignatur. Hunc sanè novem dierum luctum minimè probaverunt sancti Ecclesiæ Patres; hinc Augustinus in quæst. super Genesim scribit: *Nescio, utrùm inveniatur alicui sanctorum in scripturis celebratum esse luctum novem dierum, quod apùd Latinos Novendiale appellatur*; atque non alia Patribus eisdam potuit esse causa, cur adversùs Novendialia declamarent, nisi quod octavo, & nono die superstitiosi quidam ludi fierent, vel dum cadaver octavo die deduceretur ad rogum, vel dum nono die cineres conderentur. Quamobrèm, cum Christiani Patrum præceptionibus instituti superstitiosos ritus octavi, & noni diei omitterent, redacta res fuit ad septem dies, in quibus sinceræ christianæ pietatis & religionis officia persolverentur. Alii demùm tertium diem observabant, quod puto à quibusdam piis Christianis invectum fuisse, qui in luctu defunctorum suorum quamdam Christi Domini defuncti memoriam habendam esse religiosa ratione voluerint; cum enim Christus Dominus triduò post mortem suam resurrexerit, atque suorum mœstitiam tertio die resurgendo abjecerit, ità æquum visum fuit fidelibus, post tertium diem ob spem resurrectionis cum Christo luctum omnem finire. Id ego conjicio ex eo, quod tradit auctor Constitutionum Apostolicarum, S. Clementi tributarum, qui in lib. 8. cap. 48. ita scribit: *Peragatur dies tertius mortuorum in psalmis, in lectionibus, atque orationibus propter eum, qui tertia die resurrexit.* Post traditos varios variè lugentium mores, prosequitur Ambrosius excitans auditores ad considerandum, quid ad eam rem sacris in literis contineatur, inquiens: *Quid doceat divina lex consideremus.* Ego video, divinis literis nihil contineri, quo perennis & perpetua disciplina determinetur; siquidèm ubi de luctu Mosis ageretur, dies triginta, ubi de Jacobo dies quadraginta populus fidelis impenderat; & generaliter paucorum dierum luctus in Sacra Scriptura præscribitur, dum Ecclesiastici cap. 38. dicitur: *Propter delaturam autem amarè fer luctum illius uno die, & consolare propter tristitiam, & fac luctum secundùm meritum ejus uno die, vel duobus propter detractionem.* Qua verò de causa voluerit Ambrosius ad sacras literas confugiendum esse, aperit idem his sequentibus verbis: *Defuncto, inquit, Jacob, præcepit Joseph pueris suis sepultoribus, ut sepelirent eum, & sepelierunt sepultores Israel, & repleti sunt ei quadraginta dies. Sic enim dinumerantur dies sepulturæ, & luxit eum Ægiptus septuaginta diebus* (Gratianus hic legit: *Et luxit eum*

Israel septem diebus : quæ lectio Romanis Correctoribus visa est retinenda.) *Hæc ergò sequenda solemnitas, quam præscribit lectio.* Itaque ideò voluit Ambrosius præ ceteris anteferendam esse rationem lugendi habitam ab Joseph, qui per quadraginta dies Jacobum luxit, quòd ageretur de solemni luctu, quem filius in obitu parentis optimi exhiberet. Agebatur Honorii causa, qui Parentem Theodosium lugebat. Aptum igitur erat, Josephi exemplum ad imitationem adferre, neque eodem modo apta fuissent alia sacrarum literarum exempla. Concludit Ambrosius : *Sed etiam in Deuteronomio scriptum est : Quia planxerunt filii Israel Moysem diebus triginta, & consummati sunt dies luctus. Utraque ergò observatio habet auctoritatem, qua necessarium pietatis impletur officium.* Postrema hæc verba videbuntur fortè aut præcedentibus minimè consonare, aut saltèm nonnihil obscuritatis offundere. Quò enim spectare potest factum populi, per triginta dies Mosem lugentis, quandò Ambrosius demonstrabat, luctum insignium personarum per dies quadraginta perdurasse? Ego sanè, præterquamquòd animadvertere possem, contractum fortassè fuisse tempus luctus in obitu Mosis, quòd Judæi in itinere versarentur, ac nondùm Patriam, ad quam anhelabant, attigissent, nec deceret eos in itinere, quod diuturnum jam fuerat, moram ulteriùs trahere, jure etiàm dixero, utrumque exemplum non injuria adferri ab Ambrosio potuisse; & primò quidèm exemplum Josephi quadraginta dies parentem Jacobum lugentis, ut designaretur, jure Honorium per quadraginta etiam dies de parente Theodosio luctum habuisse; deindè exemplum Israelitici populi lugentis Mosem per dies triginta, ut generaliter ostenderetur, non paucos dies luctus in obitu Principis esse à populo transigendos; atque hanc interpretationem accipere debent ea verba : *Utraque ergò observatio habet auctoritatem, qua necessarium pietatis exhibetur officium* : Nimirùm in utraque observatione pietatis officium exhibetur; officium filii, quadraginta dies parentem lugentis; officium populi, per longum quoquè tempus de Principis obitu luctum sentientis.

De sermone de obitu Fratris.

Cum obiisset Satyrus quidam, Ambrosii frater, funebrem aliam orationem habuit sanctus Antistes in conventu populi, ex qua depromptus est apùd Gratianum canon 23. caus. 24. quæst. 1. Nondùm fuerat Satyrus Sacramento Baptismatis ablutus, sed adhùc inter cathecumenos degebat juxtà morem illius ætatis, quo in tempus baptisma differri solebat; atque is primùm in foro causas oraverat, deindè provinciarum administrationi præfectus fuerat, ac postremò in Africam pergens maris procella agitatus, in terris, ad quas appulit, ad Episcopos confugit, votum suum suscipiendi baptismatis aperiens : undè Mediolanum brevi reversus mortem occubuit. Verba Gratianei canonis in principio corrupta fuerunt, quæ ità erunt ex integris Ambrosii codicibus emendanda: *Advocavit ad se Episcopum Satyrus, nec ullam veram putavit &c.* Neque consistere ullo modo possent verba Gratiani, cum scripsit *advocavit ad se Cyprianus Episcopum Satyrum*; quoniam nec de Cypriano mentio apùd Ambrosium ulla fit, neque Satyrus nondùm baptizatus Episcopi nomine erat appellandus. Hinc non est adhærendum ullo modo Glossographo, qui ad eum canonem multa fingit contrà historicam fidem; traditque, sanctum Cyprianum Episcopum, & Martyrem advocasse Satyrum Episcopum eundem interrogans, an Luciferiano schismati assentiretur; quomodo enim possunt covenire gesta Cypriani Episcopi, & Martyris cum gestis Satyri fratris Ambrosii, quandò Cyprianus jam à sæculo obierat? Sententia germana Ambrosii hæc est : Quum Satyrus cathecume-

Can. 23. caus. 24. q. 1.

menus fluctibus jactaretur, redux ex Africa ad Sardiniam appulit, in qua sciebat quosdam Episcopos esse Luciferiano schismati adherentes: Quærebat autem Episcopum non schismaticum, sed religiosum, & schismati adversantem, à quo baptismum susciperet, ratus non multùm sibi prodesse posse Baptisma à schismatico susceptum, quandò Baptisma ab Episcopo Catholico æquè suscipere potuisset. Hinc autèm occasionem arripuit Ambrosius defunctum fratrem laudandi, tamquàm sinceræ fidei ac religionis vigilantissimum professorem.

De Homiliis de Quadragesima, & aliis.

Quamquàm apùd Cassiodorum in capite 5. libri divinarum lectionum mēmorentur sermones quidam, seu homiliæ sub nomine Ambrosii, Maurini tamèn Monachi, editores operum Ambrosianorum, minimè dubitaverunt, ejusdem nominis homilias, quæ hodiè præseferuntur, abjudicare; & quidèm non contemnendis argumentis, quæ ipsi ad unamquamque homiliam singulari sanè diligentia explicaverunt. Generalitèr autèm ad homilias omnes ità præfati sunt: *Quod igitur Cassiodorus ætate sua homilias, seu sermones extitisse affirmat, qui Ambrosii nomen in fronte gererent, nisi credatur memoria sua, vel falsa cujuspiam relatione deceptus esse, dicendum erit, jamdudùm excidisse illa exemplaria. Quòd verò ad ea, quibus continentur ii sermones, qui eidem Præsuli nùnc tribuuntur, nullius auctoritatis illa putamus; namquè ut plurimùm aut recentiorem præferunt manum, aut libri fuere usui chorali inservientes; nimirùm lectionarii, & homiliarii, quorum momentum levissimum esse negabit nemo.* Non est cur de singulis hujusmodi homiliis verba faciam. De illis tantùm agam, quæ à Gratiano laudantur.

In primis hùc referendus est sermo 9. de Quadragesima, quem ab Ambrosio jure abjudicari debere, multa demonstrant argumenta. Etenim in ea homilia traditur, tempore Quadragesimæ singulis diebus servatum fuisse jejunium, exceptis tantummodò diebus Dominicis. Attamèn scimus ex aliis genuinis Ambrosii monumentis, fuisse ritum Mediolanensis Ecclesiæ, quo neque diebus sabbati jejunaretur. Prætereà in eodem sermone traditur, diebus jejunii permitti, ut hora nona prandeatur; quod sanè est contra sententiam Ambrosii, scribentis in expositione psalmi 118. sermone 8. num. 48. non esse diebus jejunii prandendum, nisi post vesperas, & quidèm die declinante. Ex hoc sermone deprompti sunt can. 5. caus. 16. quæst. 2., can. 4. caus. 16. quæst. 7., can. 39. de pœn. dist. 1., & can. 1. de pœn. dist. 3., qui uno spiritu juncti in Ambrosianis codicibus exhibentur hoc modo: *Ecce nùnc tempus adest* (hic est can. 39. de pœn. dist. 1.) *in quo, & peccata vestra confiteri Deo, & Sacerdoti, & per jejunia, & orationes, & lacrymas, & eleemosynas dolere debetis. Quarè erubescit peccator manifestare peccata sua, quæ & Deo, & Angelis omnibus, atque cunctis electis animabus sunt nota, & manifesta? Confessio à morte animam liberat*, (multa, ut ex istis liquet, Gratianus omisit) *confessio aperit Paradisum, confessio spem salvandi tribuit; undè scriptura dicit: dic tu iniquitates tuas, ut justificeris. Hic iis verbis ostenditur, quia non meretur justificari, qui in vita sua peccata non vult confiteri. Illa verò confessio non liberat, quæ non fit cum pœnitentia* (Gratianus ità scripsit quasi è converso: *Illa ergo confessio liberat, quæ fit cum pœnitentia*). *Pœnitentia est dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis, quæ quisque commisit. Pœnitentia est mala præterita plangere, & plangendo iterùm non committere.* Hæc repetere voluit Gratianus in can. 1. dist. 3. Post quæ ità sermonis auctor prosequitur: *Et quamvis omnes dies, quibus homines vivunt, apti sint pœnitentiæ, tamèn isti dies sunt plùs apti, & congrui ad confitendum, & ad je-*

Can. 5. caus. 26. q. 2. Can. 4. caus. 16. q. 7. Can. 39. de pœn. dist. 1. & can. 1. de pœn. dist. 3.

jejunandum, atque eleemosinas faciendas, quoniàm peccata totius anni istis diebus potestis diluere. Itaque moneo omnes, & hortor singulos, ut quidquid in vobis reprehensibile cognoscitis, emendetis. Quicumque recognoscit in se, quod fidelem non decet, emendet, quod minùs fecit, si fideliter decimas non dederit; (hic est can. 4. caus. 16. quæst. 7., licèt paulò aliter apud Gratianum descriptus). *Quid est fideliter decimas dare? nisi ut nec pejus, nec minus aliquando Deo offerat, aut de grano suo, aut de vino suo, aut de fructibus arborum, aut de pecoribus, aut de horto, aut de negotio, aut de ipsa venatione sua.* Heic constitit Gratianus. Pergit auctor sermonis: *Quia de omnia substantia, quam Deus homini donat, decimam partem sibi servavit, & ideò non licet homini retinere illud, quod Deus sibi reservavit. Tibi dedit novem partes, sibi verò reservavit decimam partem; & si tu non dederis Deo decimam partem, Deus tollet à te novem partes. Item si quis recognoscit in se, quòd ab aliquo tulit aliquid injustè, emendet reddendo, quod injustè tulit. Nam, qui non vult* (iterùm hinc Gratianus, sive Palearum auctor nonnulla descripsit in can. 5. caus. 16. quæst. 2.) *Deo reddere decimas, quas retinuit, & homini non studet reddere, quod injustè ab eo abstulit, non timet adhùc Deum, & ignorat, quid sit vera pœnitentia, veraque confessio: iste talis non potest bonam facere eleemosinam.*

Can. 12. & 13. dist. 86. Expendendi prætereà sunt canones 12. & 13. dist. 86, quos ex eodem sermone Gratianus se deprompsisse profitetur. Verùm, antequàm illos ad Ambrosii codices exigam, non inopportunum erit animadvertere, Gratianum his, aut similibus monumentis quoquomodò abusum fuisse, dum ex eo inferre studuit, venandi artem esse apud christianos homines improbatam, præsertim autèm diebus Quadragesimæ. Sanè, ubi in ea exercenda plus æquo impendatur, undè homines ejus causa à divinis rebus statutis temporibus obeundis distrahantur, nemo repugnabit: at quotiès honestæ sint in ea aut utilitatis, aut voluptatis innoxiæ causæ, non video quid in venatione reprehendendum admittatur. Quò itaquè pertinet tantus canonum apparatus in tota ferè dist. 86. apud Gratianum adversùs venatores? Ego puto, recentiores allucinatos fuisse in interpretatione illorum canonum. Orta fuit allucinatio ex prava nominis venationis interpretatione, & venatores eos esse intellexerunt, de quibus sancti Patres illorum canonum auctores mentionem non fecerunt. Venatorum nomen olim significavit illos, qui publicis ludis, venationum vocabulo nuncupatis, & in Deorum honorem ethnica superstitione institutis, exercebantur cum feris bestiis, intra certos areæ seu theatri limites clausis, acri contentione pugnantes, qui usus non solùm primis tribus Ecclesiæ sæculis, sed etiam recentioribus viguit, quemadmodùm de suis temporibus testatur Cassiodorus. Hujusmodi erat ætate Severi, & Antonini Imperatorum Chrysantianum certamen, de quo agitur in l. penult. ff. de annuis legatis, quod ita dictum fuit à Chrysantio quodam ludi institutore; cujus formulam si agnoscere velis, statim intelliges apùd Gutherium in libro 3. de jure manium cap. 27. Vixit autùm Chrysantius temporibus Juliani Imperatoris, professione Christianus. Idipsum perspicuè demonstrant verba legis 4. ff. de administr. rer. ad civit. pertin., ubi proponitur species de legato Civitati relicto, *ut ex reditu ejus venatio, aut spectacula edantur.* Itèm in l. 122. ff. de legat. 1. venatio ludis scenicis, & circensibus admiscetur, eademque dicitur ad honorem civitatis pertinere. De hujusmodi ludis etiàm mentio fit in l. 1. §. 6. ff. de postulando, ubi fusus est sermo de iis, qui publicè cum bestiis pugnarent, qui promiscuè dicuntur nùnc *depugnare feram*, nùnc *feras venari.* Memorat quoquè hos ludos Alexander ab Alexandro in lib. 6.

ge-

genial. dier. cap. 19. scribens: *Singulis diis singuli erant dicati ludi, quippè venationes & munera Saturno, Scenici Libero, Circenses Neptuno &c.* Perspicuum paritèr est Auli Gellii testimonium in lib. 5. noctium Atticarum cap. 14. referentis pulcherrimam historiam de quodam, qui in Amphitheatrum cum leonibus & aliis bestiis pugnaturus processerat, atque ita rem describentis: *In Circo maximo venationis amplissimæ pugna dabatur populo: multæ ibi sævientes feræ magnitudine bestiarum excellentes; omniumque inusitata aut forma erat, aut ferocia; sed præter alia omnia leonum immanitas admirationi fuit; præterque omnes ceteros unius. Is unus leo corporis impetu, & vastitudine, terrificoque fremitu & sonoro, toris comisque cervicum fluctuantibus, animos oculosque omnium in se convertit &c.* Sed & memoratum Cassiodorum non prætereo, qui in lib. 5. variarum 42. ita scribit: *Quo munere venator explendus est, qui, ut spectantibus placeat, suis mortibus elaborat? Voluptatem præstat sanguine suo, & infelici sorte constrictus festinat populo placere, qui eum non optat evadere. Actus detestabilis, certamen infelix cum feris velle contendere, quas fortiores se non dubitat invenire... spectaculum in honorem Scythicæ Dianæ repertum, quæ sanguinis effusione gaudebat.* Demùm Vopiscus in Aureliano eosdem ludos venationis nomine appellavit, scribens: *Sequentibus diebus datæ sunt populo voluptates ludorum Scenicorum, ludorum Circensium, venationum, gladiatorum, naumachiæ.* Itaquè certum est, publicas hominum & bestiarum pugnas apud veteres venationum nomine fuisse designatas. Quid igitur prohibet, quominùs veterum scriptorum sententias de illis venationibus intelligamus, quando apud eosdem legimus, nonnisi per quoddam scelus venationibus operam dari? De his sanè locutus videtur Augustinus in canone 8. & 10. dist. 86., cum ibi de venatione sermonem habeat tamquàm de ea arte, qua spectaculum publicum exhibeatur. Sanctus Ambrosius etiàm de eisdem locutus esse videtur in lib. 2. de officiis cap. 21. ità scribens: *Prodigium est popularis favoris gratia exinanire proprias opes; quod faciunt, qui ludis circensibus, vel etiam theatralibus, & muneribus gladiatoriis, vel etiam venationibus patrimonium dilapidant suum, ut vincant superiorum celebritates.* Quod cum ita sit, non dubito, quin canones illos, numero plurimos, qui leguntur in dist. 86. apud Gratianum, possim de eo venationis genere interpretari; ad canones autem propositos 12. & 13. animadverto, illos non reperiri inter sermones de Quadragesima, qui habentur in editione Ambrosiana Maurinorum, sed potiùs in aliis Ambrosii editionibus exhibentur eisdem omninò verbis in sermone 33. Similia quædam lego in homil. 27. generali tamèn sententia, eò spectante, ut ne fideles Quadragesimæ tempore ab orationibus distrahantur ibi: *Quam benè autèm jejuniorum tempore verbum Dei dixit esse, quod reficit, ut ostenderet, jejunia nostra non debere sæculi actibus occupari, sed sacris literis exerceri? Negligit enim famem corporis, qui pabulo lectionis intendit; nec ventris curam habere poterit, qui alimentum verbi cœlestis adquirit. Ipsa est enim refectio, quæ saginat animam, quæ impinguat viscera, cum de divinis scripturis cibum eloquii perennis accipimus.* Demùm animadvertendum est, Maurinos Monachos memoratum sermonem 33. retulisse in editionem operum S. Augustini inter opera suppositiia ejusdem sancti Antistitis, ubi adnotaverunt, sermonem illum Cæsario Arelatensi potiùs fuisse adscribendum: quorum sanè judicio si nos adquiescere velimus, facilè concludemus, laudatos canones 12. & 13. esse Cæsario vindicandos.

Progredior nùnc ad ceteros sermones Ambrosio tributos, undè plurimi canones apud Gratianum derivati exhibentur. Sunt omnes falsò adscripti sancto Antistiti, quemadmodùm gene-

ra-

raliter superiùs ex Maurinorum censura adnotavi, quemadmodùm etiàm perspicuè liquebit ex iis, quæ tradentur ad singulos ferè canones, à Gratiano exindè depromptos. Ex istis est in primis Can. 5. dist. 4. can. 5. dist. 4., qui legitur in sermone 15. de Sexagesima. Quod ibidèm memoratur, Quinquagesimam à Thelesphoro Papa fuisse institutam, ex Mercatoris officina derivatum est, quemadmodùm suo loco animadvertendum fuit ad canonem 4. dist. 4., proindèque laudari ab Ambrosio non potuit, qui longè Pseudo-Isidorum ætate præcessit. Quod magis confirmatur ex eo, quia Synodi Aurelianenses prima & quarta sexti sæculi vetuerunt, Quinquagesimam & Sexagesimam celebrari, undè colligimus, non ante illud sæculum celebrari consuevisse Quinquagesimam; & cum primùm celebrari cœpit, agnitam esse illius originem non tamquam veterum Patrum institutione firmatam. His accedit, in regula sancti Benedicti, sexto etiam sæculo edita, ne verbum quidèm fieri de Septuagesima, Sexagesima, & Quinquagesima, imò præscribi ibidèm, ut usquè ad Quadragesimam *alleluja* cantetur. Non quidèm ignoro, in operibus Gregorii Magni Quinquagesimæ, & Sexagesimæ nomina memorari, sed ea fuisse recentioribus temporibus Gregorianis codicibus adjecta jamdiù viri eruditissimi suspicati fuerunt, cum illa in MSS. veteribus Gregorii Magni codicibus non reperiantur, quemadmodùm testantur Maurini Monachi ad eum ipsum sermonem, Ambrosio tributum. Quòd si describamus integrum Ambrosio adscriptum monumentum, clariùs etiàm liquebit, nullo modo posse Ambrosio adscribi, in his verbis: *Quadragesima nimirùm sex septimanas habet, cui addidit Thelesphorus Pontifex septimam septimanam, & vocatum est hoc tempus Quinquagesima, deindè ab aliis addita est octava eptimana, & vocatum est ipsum tempus Sexagesima; postmodùm verò addita est nona hebdomada, & dicta est Septuagesima.* Testis autem est Alcuinus in libro de Ecclesiasticis officiis, Septuagesimam celebrari cœpisse primùm evulgatis Mercatoris pseudoepistolis, sive memorato Thelesphori decreto.

De Canone 8. dist. 47. nihil est singulare animadvertendum in præsentia. Etenim Maurini Monachi jure sermonem, ex quo depromptus est, inter Ambrosiana opera minimè recensuerunt, animadvertentes potiùs ad Basilium pertinere in homilia ipsius in illud dictum Evangelii Lucæ cap. 12. *destruam horrea mea &c.* Jam ego superiùs eundem canonem ad Basilii homiliam exegi in cap. 9. Can. 8. dist. 27.

Canon 54. dist. 50. refertur tamquàm ex homilia Ambrosii de Fide Petri. Verùm Maurini Monachi homiliam illam inter Ambrosianas recensere noluerunt, cum eisdem omninò verbis æquè tributa videatur & Maximo Taurinensi, & Augustino Hipponensi. Maximo tribuitur in tom. 6. Bibliothecæ Patrum inter vulgatas sub ejus Episcopi nomine homilias. In editione Augustini Maurini Monachi eandem rejecerunt in appendicem sermone 192. testati, sermonem illum apud Lovanienses dubium esse, & prorsùs incertum, Verlino autem, & Vindingo spurium omninò censeri. Verosimile admodùm est, incerti auctoris fuisse, ac recentiore demùm ætate ex variis opinantium argumentis, aut conjecturis, modò uni, modò alteri ex vetustissimis Patribus homiliarum laude præclaris adscriptum apparuisse. Verba Gratianei canonis cum vulgatis ejus sermonis codicibus penitùs consonant. Can. 54. dist. 50.

Dubiæ etiàm incertæque auctoritatis sunt canones 8. & 9. dist. 76., siquidèm sermones illi, ex quibus depromptí sunt, tribuuntur quoquè Maximo Taurinensi in Bibliotheca Patrum tom. 6. homil. 1. & 3. de Pentecostes. Quoniàm verò Gratiani editio paulò corrupta esse videtur, juvabit illam ita emendare. Canonis 8. verba: *Scire debet Sanctitas vestra, Fratres, hunc sanctum* Can. 8. & 9. dist. 76.

Pen-

Pentecostes diem qua ratione curemus, vel cur istorum quinquaginta dierum numero sit nobis jugis, & continuata festivitas, ita ut hoc omni tempore neque ad observandum inducamus jejunia, neque ad exorandum Deum genibus succiamus; sed sicut dominica solemus facere erecti, & feria resurrectionem Domini celebramus. Dominica enim nobis ideò venerabilis est, atque solemnis, quia in ea salvator velùt sol oriens, discussis infernorum tenebris, luce resurrectionis emicuit, ac propterea ipsa dies ab hominibus sæculi dies solis vocatur, quia ortus eam sol justitiæ Christus illuminat. Instar ergò Dominicæ tota quinquaginta dierum curricula celebrantur, & omnes isti dies velùt Dominici reputantur. Resurrectio enim Dominica est; nam in Dominica resurgens Salvator reversus ad homines est, & post resurrectionem tota quinquagesima cum hominibus commoratus est. Æqualis ergo eorum necessarium ut esset festivitas, quorum æqualis esset & sic quantitas. Sic enim disposuit Dominus, ut, sicùt ejus passione in quadragesimæ jejuniis contristaremur, ita ejus resurrectione in quinquagesimæ feriis lætaremur. Non igitur jejunamus in quinquagesima, quia in his diebus nobiscum Dominus commoratur. Non, inquam, jejunamus præsente Domino, quia ipse ait: Numquid possunt filii sponsæ jejunare, quandò cum illis est sponsus? Non persequor cetera, utpotè quæ ad eum sermonem minimè pertinent, sed habentur eisdem verbis in libro Ambrosii de Apologia David. Verba canonis 9. hæc sunt: *Nosse credo vos, fratres.....non minore lætania celebramus diem Pentecostes, quàm sanctum Pascha curavimus: Tùnc enim, sicut modò fecimus, jejunamus sabbato, vigilias celebravimus, orationi pernoctantes institimus: undè necesse est, similis observantia similem lætitiam subsequatur.*

Can. 12. caus. 1. q. 4. Canon 12. caus. 1. quæst. 4. legitur in sermone 37. de mirabilibus, quamquàm paulò alitèr ibidem describatur, scilicèt his verbis: *Licet esset Petrus firmus suis meritis, perturbatur tamèn criminibus proditoris. Metuentibus igitur discipulis, anxiante Petro, dormiebat Dominus: durum fortè videbatur, quòd anxiante Petro dormiebat. Dormiebat Petro, ne vigilaret Judæ: unius ergò delicto cunctorum merita quatiuntur.* Hæc sanè verba mutuata videntur ab auctore ex germanis Ambrosii monumentis, quemadmodùm facilè constabit conferenti cum iis canonem 7. caus. 24. quæst. 1.: undè non immeritò conjiciunt viri eruditi, ex hac ratione laudatum sermonem 37. fuisse Ambrosio tributum.

Canon 3. caus. 5. quæst. 5. legitur in sermone 44. ad populum, quem eruditi viri ideò conjiciunt Ambrosio fuisse tributum, quià in eo plures extant Ambrosii sententiæ ex commentariis sancti Episcopi in Lucæ Evangelium derivatæ. Sed & plura ibidèm sunt excerpta ex S. Hieronymo cap. 62. in Matthæum. Quamobrèm etsi sermo iste reverà Ambrosii non sit, auctoritate tamèn plurimum valet, quòd & Ambrosii, & Hieronymi sententiis exornetur. Materies sermonis hæc est: Supponitur, à Mediolanensi populo Ecclesiam minùs sollicitè frequentari, eaque de causa auctor occasionem arripuit, fideles gravitèr objurgandi in præcedenti sermonè; deindè cum populus admodùm contristaretur, auctor idem novum sermonem habuisse fingitur, ubi inter cetera ità inquit: *Rectè ergò lætor, quia salutem operor, cum objurgo: mœreat licèt filius asperitate sermonis, me tamèn delectat, qui proficere illum intelligo per mœrorem. Ait sanctus Apostolus: quis est filius, quem non verberat Pater? non enim osculatur semper Pater filium, sed & aliquandò castigat. Ergò quandò castigatur, qui diligitur, tùnc circà eum pietas exercetur. Habet enim & amor plagas suas, quæ dulciores sunt, cum amariùs inferuntur. Dulcior enim est religiosa castigatio, quàm blanda remissio, undè ait Propheta: Dulciora sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici.* An verò hæc de iis, qui paternè corripiunt, expressa, potuerint juvare Gratiani propositum sermonem habentis de accusa-

Can. 3. caus. 5. q. 5.

toribus, unusquisque facilè judicabit. Ex his commodè etiam interpretaberis canonem 23. caus. 8. quæst. 1.; est enim excerptus ex præcedente sermone, id est, 43., nimirùm ex eo, ubi auctor objurgabat Mediolanensem populum, quòd Ecclesiam non frequentaret; ac præsertim clericos, quos de negligentia redarguebat. Verùm jamdiù animadverterunt viri eruditi, in hoc sermone stylum Ambrosii non agnosci; itèm nec verosimilia esse posse, quæ de negligentia Mediolanensis Cleri traduntur, Cleri illius, quem Ambrosius vigilantissimus Antistes optimis institutionibus, & exemplis imbuebat, quemque propterea eximiis virtutibus floruisse compertum est.

Can. 23. caus. 8. q. 1.

Canon 20. caus. 22. quæst. 5. legitur in sermone 30. de sancta Quadragesima, ubi auctor expendebat Evangelium de Abraham, quod in Missali Ambrosiano recitabatur in Dominica 2. Quadragesimæ, undè eadem *Dominica de Abraham* appellabatur; apùd nos autèm hodiè recitatur in Dominica, quam *Passionis* vocant. Porrò is sermo inter Ambrosianos olim non reperiebatur, quamquàm hodiè extet, postquàm Romani Correctores illum ex Vaticano Codice prodiderunt. Ceterùm vel una styli humilitas satis eum ab Ambrosio abjudicat. Iidem Correctores Romani jam adnotaverunt nonnulla apud Gratianum defuisse, quæ propterea accurato studio suppleverunt.

Can. 20. caus. 22. q. 5.

Canon 9. caus. 32. quæst. 4. legitur in sermone 52. de vita S. Joannis Præcursoris, in quem plura fragmenta derivata dignoscuntur ex sermonibus 292. & 293. Cæsarii. Ad eundem jam adnotarunt eruditi viri, tum stylum, tum materiem nullo modo posse Ambrosio convenire. Ibi auctor totus est, ut eos objurget acerrimè, qui, cum uxori conjuncti legitimè essent, concubinam superinducerent; atque inter cetera sibi objiciebat quorumdam dicta, se excusantium, quòd concubinæ jungerentur, dum conjugio non uterentur. Adversùs istos vehementer, & acri oratione invehebatur, quemadmodùm constat ex lectione laudati canonis 9., eos tamquàm adulteros damnans. Non est, cur in interpretatione hujus canonis diù immoremur, dum liquet, parùm aut nihil auctoritate sua constare. Tantùm generaliter dixero, veteribus Patribus minùs probatum fuisse concubinatum, etiàm ab eo initum, qui non esset in conjugio justo, quià concubinatus contrahi solebat cum ancillis ad inverecundiam pronis, ex quarum malis moribus non tam emergebant varia familiarum incommoda, sed etiàm in christianam Rempublicam detrimenta: præsertim etiàm quòd ancillæ in concubinatum susceptæ nullo ferè negotio dimitterentur, quod natura conjugii abominabatur.

Can. 9. caus. 32. q. 4.

De canone 76. de pœn. dist. 1. nihil adjicio in præsentia, cum jam superiùs illum expenderim, & ad librum Ambrosii de Elia & jejunio exegerim. Perperàm ille à Gratiano laudatus fuit, quasi derivatus ex sermone, habito in Dominica de Abraham.

Can. 76. de pœn. dist. 1.

Can. 3. caus. 33. q. 4. dicitur apud Gratianum depromptus ex sermone de secunda Dominica Adventus. Hunc sermonem falsò etiàm Ambrosio tributum viri eruditi tradiderunt, ex eo præcipuè, quòd memorentur dies Dominici *Adventus*, quandò certum est adventus nomen nondùm ea ætate in Ecclesia receptum fuisse ad significandum tempus illud, quod anniversarium Dominicæ Nativitatis diem præcedit; idque ex veterum Scriptorum silentio demonstrarunt. Si quis velit corruptum Gratiani fragmentum emendare, ita illud exiget ad meliores Ambrosii codices: *Quapropter hortamur vos*, (Gratianus pro verbo *hortamur* scribere maluit *debetis*) *ut his diebus abundantiùs eleemosinas faciatis, ad Ecclesiam frequentiùs conveniatis, confessionem peccatorum vestrorum purissimè faciatis, & non solùm ab omni immunditia, sed etiam ab uxoribus propriis studio-*

Can. 3. caus. 33. q. 4.

diosissimè vos contineatis : odium nihilominùs , iram , & indignationem , clamorem, & blasphæmiam , superbiam , atque jactantiam cum omni carnali delectatione procùl à vobis repellatis , ut cum dies Dominicæ Nativitatis advenerit , salubriter ipsum celebrare positis.

SECTIO V.

De epistolis ad diversos.

De epistola ad Vercellenses.

Inter epistolas Ambrosianas quædam extat ad Vercellensem Ecclesiam scripta tum temporis , quùm illa vacaverat ex obitu Episcopi Limenii, (hic , teste Hieronymo in Chronico , obiit anno 371.) atque ob successoris Antistitis electionem in diversas partes facto intestino schismate scindebatur. Schismatis auctores recensebantur Sarmatio quidam , & Brabantianus , qui à Monasterio profugi abstinentiam , ac continentiam, quam ipsi abjecerant , aliis invidebant. In ea epistola conatus fuit sanctus Mediolanensis Episcopus, ut Vercellensium componeret animos , atque hortaretur ad virum Episcopatu verè dignum suis suffragiis eligendum ; qua in re laudibus effert singulares ab Episcopo sequendas virtutes , & potissimùm abstinentiam, ac continentiam. Non desunt , qui eam epistolam ab Ambrosianis expungendam judicant duobus argumentis. Primum est , quòd in ea mentio fiat Venetiarum , quandò ea ætate urbs illa nondùm constructa , eove nomine appellata dicatur : alterum est , quòd auctor epistolæ hac inscriptione usus fuerit: *Ambrosius servus Christi, vocatus Episcopus, Vercellensi Ecclesiæ , & his , qui invocant nomen Domini Jesu Christi. Gratia vobis à Deo Patre , & Unigenito Filio ejus adimpleatur in Spiritu sancto* ; quasi hujusmodi inscriptiones sint à phrasi , & more Ambrosii alienæ. Ego sanè nec facilè his argumentis moveri possum , neque rem ita arbitror absolutam , ut audeam fidenter affirmare epistolam illam jure Ambrosio adscribi. Rem aliis definiendam relinquo quàm lubentissimè , cum sentiam me prorsùs hærere in incerto. Tantùm adnotabo , fortassis Ambrosium nomine Venetiarum intellexisse non Venetam Urbem , sed potiùs Venetam Provinciam , quam & alibi in suis epistolis commemoravit , nimirùm in epist. 18. , itèm fortassis ea esse usum formula minimè consueta , quòd ad Ecclesiam Metropolitico jure sibi subjectam , aut loco non dissitam , propterèaque arctiore quodam christianæ charitatis vinculo junctam scriberet, & quidem Pastore suo viduatam , ac lugendo schismate scissam , quam pressioribus formulis vellet ad unitatem adducere.

Ex ea epistola depromptus in primis est can. 5. dist. 26. , cujus verba , ut aptiora Gratiano sint , ita ex epistola erunt describenda : *Plerique ita argumentantur , unius uxoris virum dici post baptismum habitæ , eo quòd baptismo vitium sit ablatum , quo adferebatur impedimentum , & vitia quidem , atque peccata diluuntur omnia , ut si quis contaminaverit suum corpus cum plurimis , quas nulla conjugii lege sociaverit , remittantur ei omnia, sed conjugia non resolvuntur , si quis iteraverit , culpa enim lavacro , non lex solvitur ; nulla enim culpa conjugii , sed lex est. Quod legis est igitur non remittitur, quasi culpa , sed tenetur , quasi lex : Ideò & Apostolus legem posuit dicens : Si quis sine crimine est , unius uxoris vir. Ergò, qui sine crimine est , unius uxoris vir , tenetur ad legem sacerdotii suscipiendi. Qui autèm iteraverit conjugium , culpam quidem non habet coinquinati , sed prærogativa exuitur sacerdotis.* Post hæc verba statim prosequitur Ambrosius scribens: *Diximus, quid legis sit ; dicamus quid sit rationis. Sed priùs cognoscamus , non solùm hoc de Episcopo & Presbytero Apostolum statuisse , sed etiàm Patres in Concilii Nicæni tractatu addidisse , neque Clericum quemquam debere esse , qui secunda conju-*

Can. 5. dist. 26. & can. 14. dist. 34.

gia sortitus sit. Referuntur apud Gratianum in can. 14. dist. 34., ex quibus omnibus liquet, mentem Ambrosii fuisse, ut indicaret qualitates illas, quæ ex generali Ecclesiasticorum canonum disciplina in eligendo Vercellensi Episcopo requirebantur. Post pauca interjecta subsequuntur in eadem epistola verba canonis 9. dist. 61. Cum enim Ambrosius tradidisset, Episcopum ex Apostolica doctrina unius uxoris virum, non bigamum, esse debere, addidit, Neophytum esse non posse, ne superbia elatus in laqueos diaboli incidat. In qua re explicanda, hærendum maximè erat sancto Doctori, quòd ipse ad Mediolanensem Ecclesiam evectus fuisset, dum adhùc Neophytus esset: quomodo enim improbare in aliis commodè poterat, quod in ipso admissum dudùm fuisse deprehendebatur? Hinc scribit, singularem omninò fuisse suæ inaugurationis rationem, quæ in exemplum trahi non posset, se se excusans, quia invitus & reluctans sive à Græcis, sive à Latinis Patribus urgenti suasione attractus potiùs fuerit ad Episcopatum, quàm adductus. Hæc sunt Ambrosii verba: *Quum resistebam, ne ordinarer, postremò cum cogerer, saltèm ordinatio protelaretur; sed non valuit præscriptio* (nomine præscriptionis intellige vetitum generale Ecclesiasticorum canonum, quo cautum erat, ne Neophyti ad Episcopatum promoverentur), *Prævaluit impressio. Tamèn ordinationem meam occidentales Episcopi judicio, orientales etiam exemplo probarunt. Et tamèn Neophytus prohibetur ordinari, ne extollatur superbia. Si dilatio ordinationi defuit, vis cogentis est: si non deest humilitas competens sacerdotio, ubi causa non hæret, vitium non imputatur.* Hinc liquet, Gratianum non satis integram retulisse Ambrosii sententiam. Non est sanè, cur quisquam miretur tam uniformem Episcoporum sive Latinorum sive Græcorum in electione Ambrosii sententiam; satis enim est animadvertere ad canonem 3. dist. 63. in quo describitur modus electionis Ambrosii, totius Concilii pleno suffragio factæ, cum præsens adesset Valentinianus Imperator, qui ex Oriente in Italiam venerat, ut statim dignoscatur & occidentalium & orientalium fuisse generalem in eligendo Ambrosio consensionem. Videantur ea, quæ ad eundem canonem 3. inferiùs traduntur.

Can. 9. dist. 61.

De epistola ad Clerum, & Plebem Hipponensem.

Etsi canon 12. caus. 2. quæst. 1. in aliquibus Gratiani exemplaribus genuinam habeat inscriptionem, videlicet: *Augustinus in epistola ad Clerum, & universam plebem Hipponensem*, ut plurimùm tamèn pro Augustini legitur Ambrosii nomen. Sanè nulla est inter Ambrosianas epistolas scripta ad Hipponenses, neque ulla Ambrosii sententia, ad quam memoratus canon 12. referri commodè possit. Error typographorum agnoscitur, cum canon idem in epistola Augustini legatur, quæ in vetustis editionibus erat 137., quamquàm apud Maurinos sedem mutaverit. Occasio scribendæ epistolæ hæc Augustino fuerat. Bonifacius quidam Presbyter in Ecclesia Hipponensi Clericum, cui nomen Spes, de crimine accusaverat; Spes idem crimen in Bonifacium retorserat. In re obscura, quam non aperiebant judiciariæ probationes, voluit Augustinus divino judicio diremptionem causæ committi. Erat tunc temporis insigne sepulchrum S. Felicis Nolani, quod quotidiana ferè, divina operante virtute facta, prodigia celebratissimum prædicaverant. Ad illud uterque Clericus remissus fuit, ut suam quisque innocentiam compertam redderet, & suspicionem criminis ex accusatione partam purgaret. Intereà tamèn non fuit à gradu suo dejectus Bonifacius, quatenùs divino judicio reservata definitio humanam quamcumque sententiam suspendebat. De hac re scripsit ad Hippo-

Can. 12. caus. 2. q. 1.

nen-

nenses suos Augustinus, ex cujus epistola depromptus est laudatus canon 12. ubi, cum memoratur Concilium Episcoporum, illius nomine intelligemus Concilium Carthaginense, vulgò tertium anni 397., quod laudatur à Gratiano in can. 1. caus. 4. quæst. 5. & in can. 1. caus. 4. quæst. 6.

De epistola ad Hilarium.

Can. 7. c aus. 28. q. 1. Deceptus ab Ivone Gratianus canonem 7. caus. 28. quæst. 1. sub Ambrosii nomine laudavit, quandò tamèn tribuendus erat Augustino in epistola ad Hilarium Syracusanum, quem sanctus Hipponensis Antistes dilectissimum filium vocat. Ejus epistolæ mentionem fecit Hieronymus in lib. 3. adversus Pelagianos ibi: *Scripsit dudùm vir Sanctus, & eloquens Episcopus Augustinus ad Marcellinum .... nupèr ad Hilarium contrà doctrinam suam multa perversa fingentem.* Verba autèm Augustini, quæ apùd Gratianum referuntur, ità legenda sunt, eademque ex integris sancti Antistitis codicibus emendanda: *Ubi autèm quælibet ex eis persona infidelis est, consilium Apostoli attendatur, ut si infidelis consentit habitare cum viro fideli, vir non dimittat uxorem. Similitèr & uxor fidelis virum, si cum illa habitare consenserit. Quòd si infidelis, inquit, discedit, discedat: non est enim servituti subjectus frater, & soror in hujusmodi; id est, si infidelis noluerit esse cum conjuge fideli, hic agnoscat fidelis suam libertatem, ne ità se subjectum deputet servituti, ut ipsam dimittat fidem ne conjugem amittat infidelem. Hoc de filiis, atque parentibus, hoc de fratribus, atque sororibus intelligitur, propter Christum omnes esse dimittendos, cum proponitur ista conditio, ut Christum dimittat, si illos habere desiderat. Hoc ergò & de domo, atque agris, hoc & de iis rebus, quæ jure pecuniario possidentur, hoc loco accipiendum est.*

De epistola ad Irenæum.

Can. 91. de cons. dist. 2. Plures extant Ambrosii epistolæ ad Irenæum scriptæ: quis autèm Irenæus fuerit, admodùm incertum est. Putaverunt nonnulli, eum fuisse Sacerdotem, aut Diaconum, siquidèm ad illum scribens Ambrosius epistolam, quæ est inter Ambrosianas 28., vitæ sacerdotalis institutiones tradit, ad quas Irenæus mores suos omnes, & actus formaret; & in epistola 33. ad eundem scripta respondet quibusdam difficultatibus ad divinarum literarum interpretationem pertinentibus, quæ sanè exhibent Irenæum Divinis & Ecclesiasticis officiis addictum. Verosimile etiàm putaverunt, illum fuisse Mediolanensi Ecclesiæ adscriptum, quòd in fine epistolæ 26. & 27. ab Ambrosio filius nominetur, atque moneatur, ut propter Christum insequentium odia libenti animo toleret; quæ sanè Mediolanensibus dicta congruere videbantur, cum eodem tempore Justina Mediolanenses christianos vehementer exagitaret. Quod ex epistola Ambrosii ad Irenæum derivavit Gratianus in can. 91. de cons. dist. 2. pertinet ad epistolam 62., aliàs 64., cujus hoc est argumentum. Quæsiverat ab Ambrosio Irenæus, cur apùd veteres Judæos manna de Cœlo pluerit, numquàm autèm apùd Christianos: cui interrogationi his verbis respondit sanctus Antistes, ex quibus Gratiani lectio est emendanda. *Quæris à me, cur Dominus Deus manna pluerit populo Patrum, & nùnc non pluat. Si cognoscis, pluit, & quotidiè pluit de Cœlo manna servientibus sibi: & corporeum quidèm illud manna hodiè plerisque in locis invenitur, sed nùnc non est tanti res miraculi, quia venit, quod perfectum est. Perfectum autem panis de Cœlo corpus ex Virgine, de quo satis Evangelium te docet. Quantò præstantiora hæc superioribus.* Hinc vides, Ambrosium ad mysticas rerum divinarum causas respexisse, dum de re plana, & in vulgari prudentia posita interrogaretur, ut Irenæo suaderet, per hujusmodi rationes populum erudiri à sacerdotibus debere, ut non temporalibus inhæreret, sed potiùs ad spiritualia facilè raperetur.

De

De epistola ad Paternum.

Accerrimo stilo scripta fuit Ambrosii epistola ad Paternum, qui cum vellet filium suum cum nepte sua, videlicet avunculum cum filia sororis matrimonio jungere, gravitèr à sancto Antistite objurgabatur, ostendente hujusmodi conjugia tàm humana, quàm divina lege damnari. Et quidèm ex humanis legibus laudabat constitutionem Theodosii Imperatoris, quæ ad ætatem nostram minimè pervenit, sed temporum injuria periit, quamquàm ejusdem mentionem fecerit Augustinus in lib. 15. de Civitate Dei cap. 16. & Paulus Diaconus in lib. 13. Videtur quoquè ad eam respexisse Zeno Imperator in l. 2. cod. si nuptiæ ex rescripto petantur, ubi, *sacratissimis constitutionibus*, ait, sub gravissimæ pœnæ interminatione damnatas esse nuptias filiæ fratris, aut sororis. Sanè temporibus Ulpiani receptum erat, ut matrimonium licèt cum fratris filia celebrari jure non posset, legitimè tamèn cum filia sororis contraheretur, uti tradit idem Jureconsultus in fragmentis cap. 5. ibi: *Nùnc autèm etiàm ex tertio gradu licet uxorem ducere. Si tamèn fratris filia, non etiàm sororis filia, aut amita, vel matertera, quamvis eodem gradu sit, eademque uxore, noverca, vel privigna, vel nurus, vel socrus nostra fuit, ducere non possumus.* At dein, Theodosio, ut dicebam, auctore, idem servandum fore in utraque nepte visum est, sive quæ fratris filia sit, sive quæ sororis. Cur verò, inquies, ea mens Paterno esse potuit, ut adversus leges non divinas tantùm, sed & Imperatorias matrimonium contrahi adamaret? Ego ex eo profectum arbitror, quòd leges Imperatorum tùnc temporis non generales essent, sed peculiaribus rescriptis continerentur, ad quorumdam singulares postulantium preces editis, quæ propterèa non nisi sensim vim generalis legis obtinebant. Quamobrem facile est, Theodosianum rescriptum, ab Ambrosio laudatum, necdùm tùnc temporis vim generalis juris apùd omnes habuisse, fortè etiàm Paterno nondùm fuisse compertum, quod tamèn Ambrosius prætermittere noluit, ut ostenderet divinis etiàm legibus, quas servandas prædicabat, Imperatorum sententias consonare. Quòd si quisquam adhùc quærat, quisnam fuerit Paternus ille, ad quem scribebat Ambrosius, respondent Maurini Monachi, suspicari se, fuisse illum Comitem sacrarum largitionum, ad quem scripta perhibetur lex 6. cod. de metallariis; quod ex eo confirmant, quòd Ambrosius dicat, eum à Theodosio *amplissimum honorem accepisse*. Ex ea epistola depromptus est canon 38. caus. 27. quæst. 2., ad quem observandum est, particulam *ritè* additam fuisse à Gratiano, cum in plerisque Ambrosianis codicibus desideretur. Addunt Maurini Monachi, in Romana editione paulò alitèr legi verba Gratiani, nimirùm ita: *Si quis desponsata sibi, & tradita utatur, conjugio vacat.*

Can. 38. caus. 27. q. 2.

De epistolis ad Sabinum.

Fuit Ambrosii ætate Sabinus quidam Placentinus Episcopus, quem Aquilejensi Concilio subscripsisse Ecclesiastica docent monumenta. Is cum præ manibus habuisset libros Hexameron Ambrosii, nihilque in iis de Adami Paradiso scriptum animadvertisset, quandò divinum universum sex dierum opus exhibitum ibidèm videret, ab Ambrosio sciscitatus est, cur eam partem omisisset, cui respondit sanctus Antistes, se aliàs de Paradiso singulari libro tractasse, propterèaque opportunum sibi non fuisse iterùm de eo in libris Hexameron verba facere. Est hæc epistola hodiè num. 45. in editione Maurinorum, in qua paucis perstringuntur, quæ Ambrosius in libro de Paradiso, jam à me superiùs laudato, tractaverat. Ex eadem depromptus est can. 34. de pœn. dist. 2., cujus sententiam faciliùs percipiemus, quotiès integra Ambrosii verba descripserimus, ad quæ Gratianeum canonem exigamus.

Can. 34. de pœn. dist. 2.

Ait

Ait sanctus Antistes : *Primùm igitur mundum creavit* (Deus), *deindè habitatorem mundi, cui totus mundus patria foret. Nam si hodiè quocumquè accesserit sapiens, ubique civis est, ubique sua intelligit, nusquam se peregrinum, nusquam hospitem indicat; quantò magis ille primus homo totius erat mundi incola, &, ut Græci dicunt, Kosmopolites, opus Dei recens, confabulator assiduus, civis Sanctorum, complantatus virtutibus.*

Can. 33. de pœn. dist. 2.

Aliæ sunt Ambrosii ad eundem Sabinum epistolæ, ex quibus extat in editione Maurinorum num. 49., undè deprompsit Gratianus canonem 33. de pœn. dist. 2., cujus sententiam commodè interpretabimur, quotiès adnotaverimus, initio ejusdem epistolæ Ambrosium gratulatum fuisse Sabino, quòd identidèm ad ipsum scribere posset, eaque occasione generaliter tradidisse, nihil esse homini melius, quàm fidentèr sincerèque ad amicum scribere, dum solum soli per editas epistolas alloquendi libertas fit ; exindè etiàm velùt exemplo quodam solitarios laudavisse, qui mente adhærent Deo, quin ullis rerum humanarum incommodis distrahantur ; atque ad eam etiàm rem de Adamo scripsisse : *Solus erat Adam, & non est prævaricatus, quia mens ejus adhærebat Deo.*

De epistola ad Marcellinam.

Can. 21. caus. 23. q. 8.

Monumentum Ambrosii, quod legimus apud Gratianum in can. 21. caus. 23. quæst. 8., ex variis opusculorum Ambrosianorum laciniis confectum est, nimirùm partim ex jam memorata oratione adversùs Auxentium Arianum de Basilicis tradendis, partim ex epistola sancti Antistitis ad Marcellinam. Id profectum puto ex eo, quòd in codicibus Ambrosianis oratio contra Auxentium, & epistola ad Marcellinam simul jungerentur, cum in epistola ad Marcellinam de eo ipso Arianorum ausu tractetur, de quo agitur in oratione contra Auxentium. Erat Marcellina Ambrosii soror, quæ ægrè ferebat, Arianos hæreticos Ecclesias, & Templa aut vastare, aut occupare ; cum qua propterea condoluit Ambrosius, quem Auxentii improbitas vehementèr turbabat. Itaquè, ut de canone 21. nonnulla dicam, adnotandum est, versiculum primum *Convenior ipse* usque ad illa verba : *Quid ergo*, legi in epistola ad Marcellinam, quæ in vetustis Ambrosii editionibus est numero 33., in Maurina autem numero 20. : ibidemque nonnullos codices pro illis Gratiani verbis, *jus hujusmodi meum*, habere *quidvis hujusmodi meum*; atque ubi Gratianus exhibet : *mandatur, trade basilicam &c.*, legi in codicibus Ambrosianis : *advertitis, quid jubeatur, cum mandatur, trade basilicam &c.* Fortè nonnullis obscura videbuntur verba illa : *Orabam, ne tantæ urbis, vel potiùs totiùs Italiæ busto superviverem.* Commodè tamèn explicabuntur ab iis, qui antiquos mores in persolvendis justis defunctorum cadaveribus norunt. *Bustum* dicebatur, quasi combustum, de cadaveribus obscurorum, abjectorumque hominum sine ulla funebri pompa igne consumptis, & in eodem loco, ubi cineres superfuerant, conditis. Hinc Gutherius in lib. 1. de jure manium cap. 20. expendens illud Martialis lib. 10. epigram. 97. *Jam scrobe, jam lecto, jam pollinctore parato, heredem scripsit me Numa*, inquit : *In his scrobibus rejecta cadavera paucioribus lignis cooperta faciliùs urebantur, cum rogos ipsi extruere non possent.... quod scrobis genus bustum fuit, si in eo combusti essent, & humati.* Et lib. 2. cap. 24. *Culignæ pauperiorum sepulchra fuerunt, quod propriè sepulchrum non dicebatur, sed bustum, qui locus est, ubi quis combustus, & sepultus est, & cujus ossa, & cineres lecti non sunt, ut in sepulchro conderentur, sed ubi cadaver sepultum esset, terra illicò obrueretur.* Sensus igitur Ambrosii est, lugere se admodùm, si supervivendum sibi esset urbis, aut Italiæ busto, seu post urbis & Italiæ interitum, quasi non splendidè, sed obscu-

ro-

rorum instar funus habentium. Versiculus *Quid ergo* depromptus est ex oratione laudata adversùs Auxentium, ubi post illa verba *nec possum resistere*, hæc sequuntur, quæ Gratianus omisit: *Fugere autem, & relinquere Ecclesiam non soleo, ne quis gravioris pœnæ metu factum interpretetur: Scitis & vos ipsi, quod Imperatoribus soleam deferre, non cedere, suppliciis me libenter offerre, nec metuere, quæ parantur. Utinam essem securus &c.* Redit Gratianus ad epistolam ad Marcellinam in vers. *allegatur*, deindè iterùm nonnulla describit ex oratione contrà Auxentium in vers. *Nabuthe*, in quo priora verba ita legenda sunt: *Meministi etiam quod lectum est hodie, Nabuthe sanctum virum possessorem vineæ suæ interpellatum &c.* De ceteris versiculis, ex eadem oratione depromptis, nihil adjicio. Consonant illi omninò cum verbis Ambrosii, quamquàm Gratianus nullum servaverit ordinem in illis describendis, atque inferiùs descripserit, quæ erant superiùs describenda.

SECTIO VI.

De ceteris monumentis, Ambrosio adscriptis.

Supersunt adhùc monumenta nonnulla, quæ sub Ambrosii nomine recensentur. Is erat in primis can. 15. caus. 2. quæst. 1., cujus verba ideò tributa Ambrosio conjiciunt Romani Correctores, quòd apùd Ivonem in epistola ad Hugonem legatur: *Manifesta autem accusatione non indigere testatur B. Ambrosius super epistolam ad Corinthios &c.* ex quibus Gratianus ita scripsit: *undè Ambrosius: manifesta accusatione non indigent.* Sententia Ambrosii est in cap. 5. in epist. 1. ad Cor., ubi recensetur factum incestuosi Corinthii, qui novercam suam corruperat, ob eam rem à Paulo Apostolo damnati, ibi: *Omnes crimen ejus sciebant, & non arguebant; publicè enim novercam suam loco uxoris habebat. In qua re neque testibus opus erat, neque tergiversatione aliqua potest tegi crimen.* Si apocrypha non essent, quemadmodùm superiùs traditum est, hujusmodi commentaria, facilè inducerer eo, ut crederem, locum illum Ambrosii potuisse, paucis & ab Ivone & à Gratiano perstrictum, ad propositam quæstionem diximendam adferri. Verùm, quia commentaria illa falsò tribuuntur Ambrosio, concludere possum, nihil ex illis posse deduci ad firmandam Ecclesiasticam disciplinam.

Can. 15. caus. 2. q. 1.

Can. 94. caus. 11. q. 3.

Can.94. caus.11. quæst. 3. inter Ambrosii opera non reperitur. Pertinere potiùs ad Augustinum jam idem Gratianus professus est, dum eundem sub Augustini nomine retulit in can. 98. vers. *Julianus*, eadem causa, & quæstione. Hinc canonis sententia erit expendenda inferiùs suo loco, ubi agendum erit de canonibus Augustino tributis. In præsentia adnotasse sufficiat, canonem 94. ad canonem 98. esse referendum.

Can. 5. caus. 14. q. 5.

Canonem 5. caus. 14. quæst. 5., quotiès verba consideremus, apud Ambrosium nemo leget. Non dissimilis tamèn sententia exhiberi videtur in libro 3. de officiis cap. 3., ubi de humanis legibus sermonem instituens, scribit Ambrosius: *Ea, quæ detracta sunt alicui cum injuria personæ, aut rei, ipsius cumulo restitui jubent, quà furem à detrahendo aut pœnis deterreant, aut mulcta revocent.* Quidquid tamèn sit, manifestè liquet, ab auctore Palearum fuisse verba illa posita extra sedem suam, cum Gratianus sibi proposuisset demonstrandum, non esse ex usuris, vel fœnore partam pecuniam eleemosinæ titulo pauperibus largiendam; multùm enim distant inter se, res furtivas, aut malè quæsitas, non esse eleemosinarum titulo concedendas, & res furtivas aut vendi, aut emi non posse.

Can. 21. caus. 16. q. 1.

Frustrà, & prorsùs inani conatu quæreretur apud Ambrosium canon 21. caus. 16. quæst. 1., nequè enim Ambrosii ætate adhuc subortæ erant controversiæ inter Monachos, & Clericos

de

de sacris ministeriis, quæ sæculo demùm undecimo, aut duodecimo emerserunt. Imò & ipse Ambrosius, Monachorum conditionem à clericorum officiis fuisse semotam, demonstrat apertissimè in epistola ad Vercellensem Ecclesiam, jam superiùs memorata, ubi Monachorum & Clericorum discrimina recensuit, ibi: *Hæc duo in adtentiore Christianorum devotione præstantiora esse quis ambigat, Clericorum officia, & Monachorum instituta? Ista ad commoditatem, & moralitatem disciplina, illa ad abstinentiam adsuefacta atque patientiam: hæc velut in quodam theatro, illa in secreto: spectatur ista, illa absconditur.... Hæc ergo vita in stadio, illa in spelunca.... hæc ergo dimicat, illa se removet: hæc illecebras vincit, illa refugit: huic mundus triumphatur, illi exsulat: huic mundus crucifigitur, vel ipsa mundo, huic ignoratur.* Similibus penè formulis locuti sunt veteres Patres, ubi de Monachis agerent, quemadmodùm liquet in conspectu can. 4. 5. & 6. caus. 16. quæst. 1. Jure propterea Romani Correctores ad laudatum canonem 21. adnotaverunt, alicui longè recentiori auctori, non Ambrosio, tribuendum. Hùc referri omnia possent, quæ ego animadverti ad canones 23. & 24. eadem causa & quæstione, falsò quoquè Gregorio adscriptos.

Can. 3. caus. 23. q. 8.

Canon 3. caus. 23. quæst. 8. exhibet initio duos versiculos: *non pila quærunt ferrea, non arma Christi milites*; qui sanè apud Ambrosium desiderantur. Ego puto adjectos illos esse à quodam juniore, qui sequentia Ambrosii verba voluerit paucis non ineleganti metro perstringere. Sequentia autem verba exhibentur in oratione Ambrosii, jam suprà laudata, adversus Auxentium de tradendis Basilicis; quum enim sanctus Antistes ab Auxentio Ariano premeretur, conversus ad populum ait inter cetera: *Quid ergo turbamini? Volens numquàm vos deseram. Coactus repugnare non novi: Dolere potero, potero flere, potero gemere: Adversus arma, milites, Gothos quoquè lacrymæ meæ arma sunt: Talia enim munimenta sunt sacerdotis. Alitèr nec debeo, nec possum resistere: Fugere autèm, & relinquere Ecclesiam non soleo, ne quis gravioris pœnæ metu factum interpretetur;* Et post multa: *Servum Christi non custodia corporalis, sed Domini providentia sepire consuevit.* Consonant ista cum can. 21. vers. *quid ergo* caus. 23. quæst. 8. Similia etiàm scribit Ambrosius in epist. ad Marcellinam sororem, superiùs etiàm memorata, ubi de tyrannide Auxentii verba faciens, inquit: *Retuli dicens, me nihil in præjudicium fecisse Ecclesiæ eo tempore, quo audieram, occupatam esse à militibus Basilicam; gemitum tantummodò liberiorem habuisse, multisque adhortantibus, ut eò pergerem, dixisse: Tradere Basilicam non possum, sed pugnare non debeo... Si hæc tyrannidis videntur, habeo armà, sed in Christi nomine, habeo offerendi mei corporis potestatem... Exactus est totus ille dies in mœrore nostro: scissæ tamen ab illudentibus pueris cortinæ regiæ, ego domum redire non potui, quia circumfusi erant milites, qui Basilicam custodiebant. Cum fratribus psalmos in Ecclesiæ Basilica minore diximus.*

Can. 35. caus. 27. q. 2.

Refertur nomine Ambrosii can. 35. caus. 27. quæst. 2. videtur autèm esse fragmentum canonis 5. eadem causa & quæstione, ad quem erit referendus. Nihil est, quod in præsentia adjiciam, cum superiùs illum exegerim ad librum Ambrosianum de virginis institutione.

Can. 12. caus. 32. q. 1.

Canon 12. caus. 32. quæst. 1. non reperitur apùd Ambrosium, sed potiùs apùd Hieronymum in lib. 1. contrà Jovinianum, quemadmodùm jam Romani Correctores animadverterunt. Commodiùs ille infrà suo loco expendetur.

Can. 74. de cons. dist. 2.

Deniquè canon 74. de cons. dist. 2. non reperitur apùd Ambrosium, licèt sub Ambrosii nomine à Gratiano laudetur, nonnulla tamèn non dissimilia habentur in lib. 4. Ambrosii de Sacra-

mentis cap. 4., cujus fragmenta leguntur in canone 55. de cons. dist. 2., quamobrèm verosimile est, ab incerto & obscuri nominis auctore elucubratum illum fuisse, adjecto Ambrosii nomine, quòd in eundem quædam fuerint Ambrosii sententiæ derivatæ.

APPENDIX.

De canone 3. dist. 63.

Nondùm recedendum mihi esse ab Ambrosii operibus gestisque putavi, nisi primùm in hunc locum referrem sententiam canonis 3. dist. 63. ex historia tripartita Cassiodori depromptam; Cum enim in eo narretur, qua ratione ad Mediolanensem Ecclesiam & Sedem evectus fuerit sanctus Antistes, visum fuit maximè opportunum, canonem ipsum huic capiti quasi per appendicem adsuere. Verba Gratiani sunt ex Cassiodoro emendanda, nimirùm in libro 7. historiæ tripartitæ cap. 7. ita lego de Valentiniano Imperatore : *Veniens ad Hesperiam, omnem illicò docuit æquitatem, à prædicatoribus veritatis incipiens.* Et statim in cap. 8. hæc subsequuntur : *Auxentio nàmque defuncto, qui Mediolanensem Præsulatum tenuerat, multisque fuerat conciliis abdicatus, evocans Episcopos Imperator hujusmodi apud eos verba locutus est : Nostis apertè eruditi utiquè divinis eloquiis, qualem oportet esse Pontificem, & quòd non deceat, eum verbo solùm, sed etiàm vita gubernare subjectos, & totius semetipsum imitatorem virtutis ostendere, testemque doctrinæ conversationem bonam habere. Talem itaque in Pontificali constituite Sede, cui & nos, qui gubernamus imperium, sincerè nostra capita submittamus, & ejus monita, dum tamquàm homines deliquerimus, necessariò veluti curantis medicamenta suspiciamus. Hæc cum dixisset Imperator, petiit Synodus, ut magis ipse decerneret, sapiens & pius existens. At ille : suprà nos est, inquit, talis electio ; vos enim gratia divina potiti, & illo splendore fulgentes meliùs poteritis eligere. Tùnc Sacerdotes egressi, de Episcopali Sede tractabant. Verùm Civitatis habitatores (ut fieri assolet) tumultus faciebant, alii hunc, alii illum ordinare petentes. Qui enim erant de Ariani Auxentii secta, similem sibi fieri concertabant. Rursùm Orthodoxi sui dogmatis nitebantur habere Episcopum. Hanc seditionem Ambrosius, cui tùnc præsidialis fuerat cura commissa, ubi cognovisset, metuens, nequid turbæ consurgeret, ad Ecclesiam festinus accessit. At illi, cessante seditione, communem dederunt vocem petentes, ut pastor gregis ordinaretur Ambrosius, qui nondùm fuerat baptizatus. Hoc Imperator agnoscens repentè jussit & baptizari, & tamquàm dignum virum ordinari Pontificem. Noverat enim ejus rectiorem omni libra sententiam, & omni regula certiora suffragia. Arbitratus etiàm, divinum in eo esse decretum, cum in ejus electione etiàm pars contraria consonaret. Is ergò sacri baptismatis dono potitus, gratiam quoquè simùl suscepit Episcopatus. Quo facto hunc hymnum optimus Imperator Salvatori & Domino obtulisse fertur (his enim, quæ gerebantur, intererat) : Gratias, inquit, ago tibi, Domine Omnipotens, & Salvator noster, quoniàm huic viro ego quidèm commisi corpora, tu autem animas, & meam electionem ostendisti tuæ justitiæ convenire. Cumque post paucos dies sanctus Ambrosius cum multa fiducia apud Imperatorem quereretur, quòd malè à judicibus ageretur, tunc Imperator ait : Hanc, inquit, dicendi libertatem tuam pridèm novi, & apertè probans non solùm non restiti, sed etiàm in electione ordinationis tuæ socius fui. Festina itaque sanare, sicut divina lege præcipitur, animarum nostrarum delicta. Hæc igitur Imperator Mediolani & dixit, & fecit.* Eadem ferè narravit Nicephorus Callistus in libro 11. historiæ Ecclesiasticæ cap. 32., ex quibus plurima deduci commodè possunt, non solùm ad intelligendam Ecclesiasticam illius temporis disciplinam, verùm etiàm ad assequendam Ambrosianam indolem in Episcopatu gerendo. Inter cetera observan-

vandum est in primis, Auxentium Mediolanensem Episcopum alium esse ab Auxentio illo etiàm Ariano, qui Basilicas Mediolani occupaverat, & contra quem Ambrosius publicam habuit orationem, quemadmodùm superiùs dicendum fuit. Deindè observandum est, Ambrosium adhùc Cathecumenum publicis officiis imperiali auctoritate fuisse præfectum, undè ob insignem rerum agendarum prudentiam fuit ad Episcopatum communi populi suffragio evectus, Imperatore ipso adprobante. Itèm animadverto, Imperatori fuisse maximè acceptum Ambrosium, quòd inter publicas, unde Ecclesia turbabatur, contentiones, Imperator voluerit illi morem gerere quàm lubentissimè, dum ejus sapientiam, & integritatem probè perspectam haberet. Tandèm observo, jure cum Ambrosio, dum Episcopus eligeretur, dispensatum fuisse, licèt adhùc Cathecumenus esset, quòd discissæ Mediolanensi Ecclesiæ ob turbas Arianorum ea secuta electione opportunè admodùm consuleretur.

CAPUT XIII.

De Hieronimo.

Quoniàm multa sunt sub Hieronymi nomine apùd Gratianum relata, opportunum duxi, illa in varias classes distribuere, quemadmodùm in sequentibus demonstratur.

Sectio 1. de Commentariis Sacrarum Literarum.

Ex Prologo Sacrorum Bibliorum. — *Can.* 56. *caus.* 2. *q.* 7. *consonat cum integris Ambrosii exemplaribus.*

Ex quæstionibus Hebraicis in Genesim.
- *Can.* 2. *caus.* 13. *q.* 2. *ex integris Hieronymi codicibus emendandus.*
- *Can.* 13. *caus.* 13. *q.* 2. *consonat cum integris Hieronymi codicibus.*
- *Can.* 41. *caus.* 27. *q.* 2. *ex integris Hieronymi codicibus emendandus.*
- *Can.* 6. *caus.* 32. *q.* 5. *vers.* corpus *ad integros codices exigendus.*

Ex Commentariis in Exodum. — *Can.* 45. *de pœn. dist.* 1. *non est Hieronymi, sed Origenis.*

Ex Commentariis in Leviticum. — *potiùs ad commentaria Origenis referendi.*
- *Can.* 3. *dist.* 36.
- *Can.* 15. *caus.* 8. *q.* 1.
- *Can.* 8. *caus.* 14. *q.* 5.
- *Can.* 3. *caus.* 24. *q.* 3.
- *Can.* 4. *caus.* 24. *q.* 3.
- *Can.* 76. *de cons. dist.* 2.

Ex Commentariis in Numeros. — *Can.* 16. *caus.* 8. *q.* 1. *potiùs tribuendus Origeni.*

Ex Commentariis in Josue. — *Can.* 11. *caus.* 24. *q.* 3. *potiùs tribuendus Origeni.*

Ex Commentariis in Judicum. — *Can.* 21. *caus.* 11. *q.* 3. *potiùs tribuendus Origeni.*

Ex Commentariis in Psalmos. — *Can.* 11. *dist.* 86. *falsò tributus Hieronymo.*

Ex Commentariis in Isaiam.
- *Can. 4. dist. 37. ex pluribus Hieronymi sententiis compositus.*
- *Can. 9. dist. 38. pertinet ad proœmium eorumdem Commentariorum.*
- *Can. 28. caus. 23. q. 5. ad integros codices exigendus.*
- *Can. 25. de pœn. dist. 1. omninò consonat cum Hieronymi integris exemplaribus.*

Ex Commentariis in Jeremiam.
- *Can. 23. caus. 23. q. 5.* } *simùl jungendi.*
- *Can. 31. caus. 23. q. 5.* }
- *Can. 16. dist. 45. perperàm Hieronymo tributus.*

Ex Commentariis in Ezechielem.
- *Can. 2. caus. 14. q. 3. consonat cum integris Hieronymi codicibus.*
- *Can. 29. caus. 23. q. 5. ex integris codicibus supplendus.*

Ex Commentariis in Danielem.
- *Can. 11. dist. 37. ex integris Hieronymi codicibus supplendus.*
- *Can. 68. de pœn. dist. 1. ex integris codicibus emendandus.*
- *Can. 75. de pœn. dist. 1. consonat cum integris Hieronymi codicibus.*

Ex Commentariis in Oseam.
- *Can. 63. caus. 1. q. 1. ex integris codicibus supplendus.*
- *Can. 33. caus. 24. q. 3. ex variis Hieronymi sententiis compositus.*
- *Can. 14. caus. 32. q. 1. ad integros Hieronymi codices exigendus.*
- *Can. 74. de pœn. dist. 1. omninò consonat cum vulgatis Hieronymi codicibus.*
- *Can. 22. de pœn. dist. 4.* } *simùl jungendi, & ex Hieronymi codicibus emendandi.*
- *Can. 23. de pœn. dist. 4.* }
- *Can. 27. de cons. dist. 5. ex integris codicibus supplendus.*

Ex Commentariis in Joel.
- *Can. 27. caus. 23. q. 5. ad integros Hieronimi codices referendus.*
- *Can. 66. de pœn. dist. 1. consonat cum integris Hieronymi codicibus.*

Ex Commentariis in Amos.
- *Can. 62. caus. 1. q. 1. jungendus cum can. 28. caus. 24. q. 1.*
- *Can. 23. caus. 11. q. 3. consonat cum integris Hieronymi codicibus.*
- *Can. 79. caus. 11. q. 3. consonat cum integris Hieronymi codicibus.*
- *Can. 28. caus. 24. q. 1. ex integris Hieronymi codicibus emendandus.*
- *Can. 67. de pœn. dist. 1. consonat hodiè cum integris Hieronymi codicibus.*
- *Can. 71. de pœn. dist. 1. ex integris Hieronymi codicibus supplendus.*
- *Can. 24. de pœn. dist. 2. idem est cum can. 71. de pœn. dist. 1.*

Ex Commentariis in Abdiam.
- *Can. 37. caus. 27. q. 2. incertæ auctoritatis, & fidei.*

Ex Commentariis in Jonam.
- *Can. 11. caus. 23. q. 5. consonat cum integris Hieronymi codicibus.*
- *Can. 2. caus. 26. q. 2. ex integris codicibus supplendus.*
- *Can. 30. de pœn. dist. 3. ex integris codicibus supplendus.*

Ex Commentariis in Michæam.
- *Can. 4. dist. 35. ferè consonat cum integris Hieronymi codicibuo.*
- *Can. 19. dist. 50. parùm congruit proposito Gratiani.*
- *Can. 23. caus. 1. q. 1.* } *simùl jungendi, & juxtà integros Hieronymi codices emendandi.*
- *Can. 24. caus. 1. q. 1.* }
- *Can. 44. caus. 1. q. 1. ad integros Hieronymi codices exigendus.*

Ex Commentariis in Naum.
- *Can. 6. caus. 23. q. 5. consonat cum integris Hieronymi codicibus.*
- *Can. 44. de pœn. dist. 3. referendus ad canonem 6. caus. 33. q. 5.*
- *Can. 31. de pœn. dist. 3. ad integros codices Hieronymi exigendus.*

Can.

Ex Commentariis in Sophoniam.
- Can. 90. caus. 1. q. 1. *ad integros codices exigendus.*
- Can. 6. caus. 23. q. 3. *ex integris codicibus supplendus.*

Ex Commentariis in Aggæum.
- Can. 61. caus. 1. q. 1. } *simùl jungendi.*
- Can. 80. caus. 1. q. 1. }
- Can. 46. de pœn. dist. 3. *à Gratiani proposito alienus.*

Ex Commentariis in Zachariam.
- Can. 7. dist. 76. *ex integris codicibus supplendus.*

Ex Commentariis in Malachiam.
- Can. 2. dist. 49. *ex integris codicibus emendandus.*
- Can. 15. dist. 50. *parùm congruit proposito Gratiani.*
- Can. 65. caus. 16. q. 1. *ferè consonat cum integris Hieronymi codicibus.*

Ex Commentariis in Matthæum.
- Can. 44. caus. 11. q. 3. *ad integros Hieronymi codices exigendus.*
- Can. 40. caus. 27. q. 2. } *consonant cum integris Hieronymi*
- Can. 2. caus. 32. q. 1. } *codicibus.*
- Can. 4. caus. 32. q. 2. *est potiùs Origenis.*
- Can. 38. de pœn. dist. 3. *ex integris Hieronymi codicibus emendandus.*
- Can. 88. de cons. dist. 2. *consonat cum integris Hieronymi codicibus.*

Ex Commentariis in Lucam.
- Can. 6. §. 2. caus. 32. q. 5. *pertinet potiùs ad Commentaria in Matthæum.*

Ex Commentariis in Epistolas Pauli.

Ad Romanos.
- Can. 6. §. 1. caus. 32. q. 5. *est potiùs Origenis.*

Ad Corinthios.
- Can. 3. caus. 32. q. 1. *perperàm tributus Hieronymo.*

Ad Galatas.
- Can. 22. dist. 86. *ex integris codicibus supplendus.*
- Can. 64. caus. 1. q. 1. } *Consonant cum integris Hieronymi*
- Can. 65. caus. 1. q. 1. } *codicibus.*
- Can. 33. caus. 2. q. 7. *perperàm Hieronymo adscriptus.*
- Can. 21. caus. 22. q. 2. *consonat cum vulgatis Hieronymi codicibus.*
- Can. 13. caus. 23. q. 4 *consonat cum vulgatis Hieronymi codicibus.*
- Can. 30. caus. 23. q. 5. *ex integra Hieronymi sententia explicandus.*
- Can. 16. caus. 24. q. 3. *ex integris codicibus emendandus.*
- Can. 27. caus. 24. q. 3. } *simùl jungendi, & ex integris*
- Can. 12. caus. 32. q. 4. } *codicibus emendandi.*

Ad Ephesios.
- Can. 3. dist. 29. *consonat cum integris Hieronymi codicibus.*
- Can. 3. dist. 37. *ad integram Hieronymi sententiam exigendus.*
- Can. 5. dist. 37. *consonat cum integris Hieronymi codicibus.*
- Can. 1. dist. 92. *ferè consonat cum integris Hieronymi codicibus.*
- Can. 21. caus. 22. q. 5. *ex integris codicibus supplendus.*
- Can. 2. caus. 32. q. 2. } *simùl jungendi sunt.*
- Can. 70. de pœn. dist. 1. }

Can.

Can. 49. *de cons. dist.* 2. *ferè consonat cum vulgatis Hieronymi codicibus.*

Can. 81. *de cons. dist.* 4. *à Romanis Correctoribus hodiè emendatus.*

Ad Timotheum.

Can. 1. *caus.* 28. *q.* 3. *referendus ad canonem* 1. *dist.* 26.

Can. 6. *dist.* 25. *ex integris Hieronymi codibus emendandus*

Can. 10. *dist.* 37. *partim Hieronymo, partim Isidoro Hispalensi tribuendus.*

Can. 5. *dist.* 95. *ex integra Hieronymi sententia explicandus.*

Can. 6. *caus.* 8. *q.* 1. } *simùl jungendi, & ad canonem* 5.
Can. 14. *caus.* 8. *q.* 1. } *dist.* 95. *unà referendi.*

Can. 20. *caus.* 8. *q.* 1. *ex integris Hieronymi codicibus emendandus.*

Can. 21. *caus.* 8. *q.* 1. *ex integris Hieronymi codicibus emendandus.*

Can. 22. *caus.* 8. *q.* 1. *consonat cum integris Hieronymi codicibus.*

Can. 84. *caus.* 11. *q.* 3. *paulò varius in diversis codicibus.*

Ad Titum.

Can. 93. *caus.* 11. *q.* 3. *ex integris Hieronymi codicibus emendandus.*

Can. 4. *caus.* 14. *q.* 6. *ad integram Hieronymi sententiam exigendus.*

Can. 67. *caus.* 16. *q.* 1. *ad integram Hieronymi sententiam exigendus.*

Can. 24. *caus.* 23. *q.* 5. *consonat cum integris Hieronymi exemplaribus.*

Can. 10. *caus.* 24. *q.* 3. *ex integris Hieronymi codicibus supplendus.*

Can. 26. *caus.* 24. *q.* 3. *paulò varius in diversis codicibus.*

Can. 15. *caus.* 33. *q.* 5. *consonat cum integris Hieronymi exemplaribus.*

Ad Philemonem.

Can. 57. *caus.* 11. *q.* 3. } *simùl jungendi.*
Can. 58. *caus.* 11. *q.* 3. }

Sectio 2. de libellis, editis ad fidei & morum institutiones

Can. 5. *dist.* 27. } *simùl jungendi, & ad Hieronymi propositum exigendi.*
Can. 9. *dist.* 27. }

Can. 7. *dist.* 31. *consonat cum integris Hieronymi codicibus.*

Can. 2. *dist.* 35. } *consonant cum integris Hieronymi codicibus.*
Can. 3. *dist.* 35. }

Can. 20. *dist.* 50. *referendus ad canonem* 40. *de pœn. dist.* 2.

Can. 3. §. quod præcipitur *caus.* 14. *q.* 1. *ex integris codicibus supplendus.*

Can. 10. *caus.* 31. *q.* 1. *consonat cum integris Hieronymi codicibus.*

Ex Lib. contra Jovinianum.

Can. 12. *caus.* 32. *q.* 1. *ex integris Hieronymi codicibus supplendus.*

Can. 5. *caus.* 32. *q.* 4. *ex integris Hieronymi codicibus supplendus.*

Can.

Can. 6. caus. 32. q. 4. jungendus cum can. 40. de pœn. dist. 2.
Can. 40. de pœn. dist. 2. ad integros Hieronymi codices exigendus.
Can. 7. caus. 33. q. 5. ex Hieronymi sententia explicandus.
Can. 8. caus. 33. q. 5. } *cum aliis Hieronymi sententiis*
Can. 9. caus. 33. q. 5. } *conferendi.*
Can. 29. de cons. dist. 5. } *consonant cum integris Hieronymi codicibus.*
Can. 30. de cons. dist. 5. }

Ex Lib. contra Luciferianos. — *Can. 75. caus. 1. q. 1. ad integros Hieronymi codices exigendus.*

Ex Lib. de membris Domini. — *Can. 89. de cons. dist. 2. non facilè Hieronymo tribuendus.*

Ex Lib. de natura rerum. — *Can. 19. §. tribus caus. 22. q. 4. falsò tributus Hieronymo.*

Ex Sermone Dominicæ 5. post Epiphaniam. — *Can. 77. de cons. dist. 2. ad quemdam Missalem librum potiùs referendus.*

Sectio 3. de epistolis ad diversos.

Ex Epist. ad Damasum.
Can. 2. dist. 37. ex integra epistola supplendus.
Can. 6. caus. 1. q. 2. referendus ad canonem 68. caus. 16. q. 1.
Can. 13. caus. 10. quæst. 1. falsò tributus Hieronymo.
Can. 68. caus. 16. q. 1. recentiori auctori tribuendus.
Can. 14. caus. 24. q. 1. falsò tributus Hieronymo.
Can. 25. caus. 24. q. 1. ex integris codicibus emendandus.
Can. 58. de pœn. dist. 1. partim Hieronymi est, partim Gratiani.

Ex Epist. ad Amandum.
Can. 7. caus. 32. q. 7. } *simùl jungendi, atque ex integris*
Can. 3. caus. 34. q. 1. } *codicibus emendandi.*

Ex Epist. ad Heliodorum.
Can. 2. dist. 40. jungendus cum can. 29. caus. 2. q. 7.
Can. 29. caus. 2. q. 7. ex integra epistola supplendus.
Can. 6. caus. 16. q. 7. ex integra epistola supplendus.
Can. 59. de pœn. dist. 1. cum superioribus canonibus jungendus.

Ex Epist. ad Evagrium. — *Can. 24. dist. 93. ex integra epistola supplendus, atque emendandus.*

Ex Epist. ad Levitam quemdam de duobus generibus hominum. — *Can. 7. caus. 12. q. 1. falsò tributus Hieronymo.*

Ex Epist. ad Licinium.
Can. 6. dist. 9. perperàm Augustino tributus.
Can. 4. dist. 12. } *simùl jungendi, atque ad integram*
Can. 11. dist. 76. } *epistolam exigendi.*

Ex Epist. ad Nepotianum de vita Clericorum.
Can. 17. dist. 32. ex variis capitibus, Hieronymo tributis, inordinatè compositus.
Can. 6. dist. 35. ex variis Hieronymi sententiis compositus.
Can. 9. dist. 88. omninò consonat cum integris Hieronymi codicibus.
Can. 7. dist. 95. ex integra epistola supplendus, & emendandus.

Can.

Can. 5. *caus.* 12. *q.* 1. *omninò consonat cum integris Hieronymi codicibus.*

Can. 71. *caus.* 12. *q.* 2. *ex variis Hieronymi monumentis compositus.*

Ex Epist. ad Oceanum, & ad Pammachium.

Can. 1. *dist.* 26. *ad integros Hieronymi codices exigendus.*

Can. 5. *dist.* 35. *ex integra epistola supplendus.*

Can. 1. *caus.* 28. *q.* 3. *ad integram epistolam exigendus.*

Can. 19. *caus.* 32. *q.* 5. } *simùl jungendi, & ex integra Hieronymi sententia explicandi.*
Can. 20. *caus.* 32. *q.* 5. }

Can. 15. *dist.* 38. *consonat cum integris epistolæ exemplaribus.*

Can. 11. *caus.* 31. *q.* 1. *ex integra Hieronymi epistola supplendus.*

Can. 5. *dist.* 56. *ad integram Hieronymi sententiam exigendus.*

Can. 72. *de pœn. dist.* 1. *parùm consonat proposito Gratiani.*

Ex Epist. ad Paulinum de institutione Monachi.

Can. 71. *vers. ult. caus.* 12. *q.* 1. } *consonant omninò cum editis Hieronymi codicibus.*
Can. 5. *caus.* 16. *q.* 1. }

Ex Epist. ad Riparium Presbyterum.

Can. 4. *caus.* 16. *q.* 1. *ex integris Hieronymi codicibus emendandus.*

Can. 13. *caus.* 23. *q.* 8. *paulò varius in diversis codicibus.*

Ex Epist. ad Rusticum Narbonensem de septem gradibus Ecclesiæ.

Can. 23. *dist.* 93. } *falsò Hieronymo tributi, atque ex integra epistola supplendi.*
Can. 6. *dist.* 95. }

Ex Epist. ad Rusticum Monachum.

Can. 41. *caus.* 7. *q.* 1. *parùm aptus proposito Gratiani.*

Can. 7. *caus.* 16. *q.* 1. *referendus ad Commentaria Hieronymi in Isaiam.*

Can. 26. *caus.* 16. *q.* 1. *ex integris Hieronymi codicibus emendandus.*

Can. 27. *caus.* 16. *q.* 1. *consonat cum integris Hieronymi codicibus.*

Can. 33. *de cons. dist.* 5. *ferè consonat cum integris Hieronymi codicibus.*

Ex Epist. ad Rusticum Laicum.

Can. 23. *de pœn. dist.* 3. } *simùl jungendi, & ad varios Hieronymi codices exigendi.*
Can. 24. *de pœn. dist.* 3. }
Can. 27. *de pœn. dist.* 3. }

Ex Epist. ad Algasiam.

Can. 10. *caus.* 32. *q.* 2. *ad integram Hieronymi epistolam exigendus.*

Ex Epist. ad Eustochium de custodia virginitatis.

Can. 11. *caus.* 32. *q.* 5. *ex integris Hieronymi codicibus emendandus.*

Can. 19. *de cons. dist.* 5. *ex integris codicibus supplendus.*

Can. 20. *de cons. dist.* 5. *ex variis laciniis compositus.*

Ex Epist. ad Fabiolam.

Can. 16. *dist.* 34. *consonat cum integris Hieronymi codicibus.*

Sec-

Sectio 4. de ceteris canonibus, Hieronymo adscriptis.

Can. 4. *dist.* 27. *est potiùs Augustini.*
Can. 30. *dist.* 50. *incertæ auctoritatis.*
Can. 8. *dist.* 56. *ad nonnullas Hieronymi sententias exigendus.*
Can. 84. *caus.* 1. *q.* 1. *ex variis veterum Patrum sententiis compositus.*
Can. 18. *caus.* 8. *q.* 1. } *sunt potiùs Origeni tribuendi.*
Can. 22. *caus.* 11. *q.* 3. }
Can. 4. *caus.* 14. *q.* 5. *fortè referendus ad Commentaria Hieronymi in Leviticum.*
Can. 13. *caus.* 15. *q.* 1. *à genuinis Hieronymi sententiis non alienus.*
Can. 2. *caus.* 17. *q.* 1. *est potiùs Augustini.*
Can. 12. *caus.* 22. *q.* 1. *pertinet potiùs ad Capitularia Francorum.*
Can. 9. *caus.* 26. *q.* 2. *est quidèm Origenis, sed ab Hieronymi sententiis non alienus.*
Can. 18. *caus.* 26. *q.* 7. *perperàm Hieronymo tributus.*
Can. 13. *caus.* 27. *q.* 2. *jungendus cum can.* 8. *caus.* 36. *q.* 2.
Can. 69. *de pœn. dist.* 1. *potiùs Origeni tribuendus.*
Can. 73. *de pœn. dist.* 1. *perperàm tributus Hieronymo.*
Can. 86. *de pœn. dist.* 1. *potiùs tribuendus Alcuino.*
Can. 1. *caus.* 33. *q.* 4. *ab Hieronymi sententiis non omninò alienus.*
Can. 8. *caus.* 36. *q.* 2. *perperàm Hieronymo adscriptus.*
Can. 18. *de cons. dist.* 5. *perperàm Hieronymo adscriptus.*
Can. 24. *de cons. dist.* 5. *exigendus ad regulam Monachorum Hieronymo tributam.*

EXimiæ sancti Hieronymi virtutes, quibus in toto christiano orbe vir præclarissimus maximam sibi gloriam comparavit, occasionem dederunt, ut unaquæque ferè christiana Provincia tamquàm suum eundem prædicaret. Jure patrio suum dixit Dalmatia ac Pannonia, quòd ipse natus fuerit in oppido Stridonis, posito in Dalmatiæ ac Pannoniæ finibus. Italia universa illum sibi vendicat, vel quòd in ipsa eruditus primùm fuerit à teneris unguiculis, Romæ præsertim, ubi bonarum artium studia optimis institutionibus florebant, vel quòd fuerit ibidèm baptizatus, vel quòd ejus cadaveri positum ibidèm fuerit monumentum, & urna religiosa. Italiam æmulatæ sunt Gallia, Hispania, & Germania, quas vel idem vir illustris peragravit, vel suis libris, epistolisve in pulcherrimis disciplinis instituit. Suum etiàm dicere potuit Græcia, quem linguarum suarum præsidio adjuvit: suum itèm Ægiptus, quam non semèl Hieronymus lustravit. Ubique sanctus Vir claram adeò reliquit sui nominis famam, ut exindè ad Arabas,& Saracenos latè pervagaretur. Præsertim verò illum sibi vindicare potuit Syria, in qua magnam vitæ suæ partem idem exegit, & præcipuè Bethleemitica regio, quam diù, solitariam vitam agens, in sædula altissimarum rerum contemplatione defixus, incoluit. Quoniam verò sacerdotali ordine initiatus fuerat, atque ad rerum divinarum adsequendam puriorem sublimioremque notitiam impensissimè anhelabat, nihil antiquius habuit, quàm ut in sacræ scripturæ lectionem, non parùm ex multitudine ac varietate versionum tùnc temporis turbatæ, sedulò incumberet, ejusque emendationem, quoàd fieri posset, optimis codicibus, undecumquè quæsitis, adgrederetur, fu-

futurum enim sperabat, ut & ex emendatione sinceram doctrinam hauriret ipse, atque ita exhaustam palàm publico Ecclesiæ bono proponeret. Eam ob causam non Latinæ tantùm, sed & Græcæ linguæ peritissimus fieri voluit, imò & Hebræorum idiomata, Chaldeorum etiàm ac Syrorum addidicit, nec quidèm contentus privatis Magistrorum præceptis, sed linguarum vim investigans curiosiùs peragrando provincias remotissimas, loquendi, legendive usu perpetuo, in celebriores sui temporis bibliothecas inquirens: qua in exercitatione adeò profecit, ut brevi temporis spatio universam propemodùm divinam scripturam suæ integritati restituisse creditus fuerit gravissimorum virorum sententia, quales præ ceteris fuerunt Damasus Pontifex Maximus, Paulinus, Chromatius, Heliodorus; quibus addere possum Aurelium Augustinum, qui, licèt quandoquè suspecta habuerit Hieronymi scripta, quòd plurimùm deferret honoris septuaginta Interpretum editioni, illius tamèn ingenium, & curas omnes probatissimas habuit, quemadmodùm liquet ex ejus lib. 1. contra Julianum. Adjicere his possum, hodiè sacrarum literarum versionem, qua Ecclesia utitur, eandem esse ferè totam cum ea, quam Hieronymus elucubravit: undè gravissimum deducitur argumentum, quo demonstretur, maximam fuisse in Ecclesia Dei Hieronymi existimationem in divinis eloquiis interpretandis. De ceteris Hieronymi libris facile etiàm est ex dictis sinceram ferre sententiam; nemo enim exindè non colligit, illos elegantissimos esse, ornatosque instar propemodùm picturæ versicoloris, quod decus facilè illis accessit ex indole auctoris sui, quam variarum Provinciarum, quas peragraverat, mores, rerum causarumque plurimarum, quas tractaverat, usus, celeberrimorum & omnigenæ literaturæ operum, quæ pervolverat, lectio excultissimam fecerant. Non desunt ibi prætèr gravissimas sententias, figuræ rethorum, dialecticorum argutiæ, aut etiam flosculi Poetarum. Vixit Hieronymus ab anno circitèr 329. usquè ad annum circitèr 400. sui temporis optimis & eruditissimis viris familiari necessitudine junctus. Quæ illius hodiè extant opera, plurima sunt, & variis editionibus exhibita: quamquàm tamèn fatendum est, multa in editiones irrepsisse, quæ verè Hieronymi non sunt, quemadmodùm & in aliorum Patrum codicibus usuvenit. Quænam rectè adscripta fuerint, quænam ab eodem abjudicanda, quod ad meum propositum attinet, ex iis, quæ inferiùs dicenda sunt, abundè constabit.

SECTIO I.

De Commentariis Sacrarum Literarum.

De Prologo Sacrorum Bibliorum.

Laudavit Gratianus in can. 56. caus. 2. quæst. 7. Prologum Sacrorum Bibliorum, Hieronymo Auctore elucubratum. Is est, sancti Viri epistola ad Paulinum, quæ hodiè præponitur vulgatis Divinarum scripturarum Codicibus, quamque Hieronymo jure adtributam fuisse eruditi omnes unanimi consensione fatentur. Erat Paulinus Nolæ in Campania Episcopus arctissima cum Hieronymo necessitudine junctus, atque studiosissimus sacrarum literarum, qualem esse decebat amicum Hieronymi; ut enim in eadem epistola legimus; *Vera illa necessitudo est, & Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præsentia tantùm corporum, non subdola & palpans adulatio, sed Dei timor, & divinarum scripturarum studia conciliant.* Ibidèm autèm Hieronymus allatis pluribus scripturarum testimoniis ad rerum divinarum contemplationem Paulinum Episcopum ferè impellit, inter cetera usus verbis illis Pauli Apostoli, de Episcopo scribentis: *Obtinentem eum, qui secun-* Can. 56. caus. 2. q. 7.

cundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & contradicentes revincere, post quæ ità prosequitur: *Sancta quippe rusticitas solùm sibi prodest, & quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi, tantum nocet, si destruentibus non resistat.* Sunt hæc, quæ retulit Gratianus in laudato canone 56., & quæ eò spectant, ut colligatur, Episcopos non tàm eruditos ipsos in sacris literis esse debere, quàm erudire alios, & opportunè arguere, quotiès à recta via declinent; simplicitatem autèm morum, seu lenitatem, facilitatem, aut indulgentiam, qua patiantur unumquemque circumferri omni vento doctrinæ, Episcopis nullo modo congruere.

De quæstionibus Hebraicis in Genesim.

Nemo dubitat, librum quæstionum, sive traditionum Hebraicarum in Genesim reverà esse Hieronymi, præsertim quòd idem sanctus Doctor illum sibi adserat in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in fine, ibi: *Scripsi....quæstionum Hebraicarum in Genesim librum unum.* In hoc opere eorum refutavit errata, qui varia excerpta ex sacris litteris proferebant, quasi ità in Hebraicis Codicibus legerentur, à vulgata editione aliena, exhibens verba illa, quæ tàm Græcis, quàm Latinis Codicibus consonarent; adnotans prætereà, quæ in aliquibus voluminibus deessent; quænam in aliis adjicerentur. Itèm ethymologias nonnullorum nominum, rerum origines, urbium, & regionum veteres appellationes, Latinis parùm compertas, explicavit; promittens, se labore consimili adnotationem in veteris testamenti literas universas elucubraturum; quod an posteà præstiterit, recentioribus ignotum est, ut candidè fatetur Sixtus Senensis in lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ. Ex eo libro depromptus est canon 2. caus. 13. quæst. 2., ubi Collectores Gratiano vetustiores, & Gratianus ipse nonnulla immutaverunt. Verba Hieronymi hæc sunt: *Et mortua est Sara in Civitate Arboc, quæ est in valle, hæc est Hebron in terra Chanaan. Hoc, quod hic positum est, quæ est in valle, in authenticis codicibus non habetur. Nomen quoquè civitatis Arboc paulatìm à scribentibus, legentibusque corruptum est....Arboc enim nihil omninò significat; sed dicitur Arbea, hoc est, quatuor, quia ibi Abram, & Isaac, & Jacob conditus est, & ipse Princeps humani generis Adam, ut in Jesu libro apertiùs demonstrabitur.* Collector canonum his Hieronymi verbis plura intermiscuit, scilicet de sepultura Saræ, Rebeccæ, Liæ, & Evæ, quoniàm ejus propositum erat demonstrare, conjugum defunctorum cadavera à cadaveribus defunctorum maritorum sejungenda non esse. Quòd si quæ apud Hieronymum desiderantur, quasi Hieronymi essent, spontè collector laudavit, fidentiùs Hieronymi sententiæ adjecit, quæ leguntur in libro Tobiæ de Anna Tobiæ senioris uxore: Quippè in cap. 4. Tobias senior ita Tobiam juniorem alloquens inducitur: *Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli, & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus: Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in utero suo. Cum autèm & ipsa compleverit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me.* Quæ verò in postremis Gratiani verbis leguntur, neque Hieronymi sunt, neque Hieronymo ullo modo conveniunt; in quibus imperitus scriptor abusus esse videtur verbis Christi Domini apud Matthæum cap. 19. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*; quæ verba de conjugum cadaveribus perperàm interpretatus est.

Can. 2. caus. 13. q. 2.

Post nupèr descripta Hieronymi verba exhibentur in eodem libro verba canonis 13. caus. 13. quæst. 2., ubi agitur de Ephron, qui, postquàm ab Abrahamo pretium sepulcri venditi vel invitus accepisset, non ampliùs Ephron, sed Ephram appellatus est, atque ad eam

Can. 13. caus. 13. q. 2.

rem ludit Hieronymus super literam o post sepulcri venditionem in nomine venditoris omissam. Nolim sanè, quis hac in re velut inani nimis moratum fuisse sanctum Doctorem dicat; siquidem animadvertere juvat, Judæos fuisse valdè sollicitos, ut per nominum ac literarum varietates varios hominum mores exhiberent, sive vitia illorum prodenda essent, sive virtutes.

Can. 41. caus. 27. q. 2. Ad canonem 41. caus. 27. quæst. 2. adnotaverunt Romani Correctores, Gratianum retulisse verba Glossæ ordinariæ ad caput 19. Geneseos, ubi sententia Hieronymi exhibetur. Verba Hieronymi hoc loco describenda sunt, quæ pertinent ad interpretationem memorati capitis 19., quod tùnc ità exprimebatur: *Egressus itaque Loth locutus est ad generos suos, qui acceperant filias ejus.* Difficultas hinc emergebat, quòd in eodem capite filiæ Loth adhùc virgines fuisse perhiberentur. Quam rem interpretatus Hieronymus scribebat: *Et locutus est ad generos suos, qui acceperant filias ejus. Quia posteà duæ filiæ Loth virgines fuisse dicuntur, de quibus & ipse dudùm ad Sodomeos dixerat: Ecce duæ filiæ meæ, quæ non cognoverunt virum; Et nunc scriptura commemorat, eum habuisse generos. Nonnulli arbitrantur, illas, quæ viros habuerunt, in Sodomis remansisse, & eas exüsse cum patre, quæ virgines fuerunt. Quod cum scriptura non dicat, hebræa veritas exponenda est, in qua scribitur: Egressus est Loth, & locutus est ad sponsos, qui accepturi erant filias ejus: Necdum igitur virgines filiæ matrimonio fuerant copulatæ.* In vulgata sacrarum literarum editione hodiè ita legimus: *Egressus itaque Loth, locutus est ad generos suos, qui accepturi aerant filias ejus &c.*; quam sanè lectionem probandam voluit Hieronymus, ad antiquissimos Hebræorum codices ea exigens, quæ ex eisdem Hebræorum codicibus commodam haberent interpretationem.

Can. 6. vers. *corpus* caus. 32. q. 5. Interpretaturus Hieronymus caput 12. Geneseos, ubi de Sara fit mentio in domùm Pharaonis inducta, conatur eandem Abrahæ uxorem excusare his verbis, ad quæ exigendus erit versiculus *Corpus* canonis 6. caus. 32. quæst. 5. *Licet corpus sanctarum mulierum non vis maculet, sed voluntas, & excusari possit Sarai, quòd famis tempore sola Regi in peregrinis locis marito connivente resistere nequiverit, tamèn potest & alitèr fœda necessitas excusari; quod juxtà librum Ester quæcumque mulierum placuisset Regi apùd veteres sex mensibus ungebatur oleo myrtino, & sex mensibus in pigmentis variis erat, & curationibus feminarum, & tùnc demùm ingrediebantur ad Regem; atque ità potest fieri, ut Sarai, postquàm placuerat Regi, dum per annum ejus ad Regem præparatur introitus, & Abrahæ Pharao multa donaverit, & Pharao posteà sit percussus à Domino, illa adhùc intacta ab ejus concubitu permanente.*

De Commentariis in Exodum.

Nulla sunt singularia Hieronimi in Exodum commentaria, ad quæ referri proindè possint verba canonis 45. de pœn. dist. 1. Id est, non uno in loco agnitum Gratiani erratum, qui commentaria Origenis quandoquè Hieronymo adscripsit. Ut enim fuit Hieronymus Origenis studiosissimus, imò & aliquandò sententias Origenis in opuscula sua traducebat, factum est, ut ob quamdam styli similitudinem certa volumina, quæ Origenis erant, Hieronymo tribuerentur. Adeò hæc vera sunt, ut conquestus aliquandò deprehendatur sanctus Doctor, quòd vulgò à nonnullis crederetur injuriam Origeni inferre in compilandis illius operibus, quemadmodùm liquet ex iis, quæ idem tradit in sua præfatione secundi commentarii in Michæam, ibi: *Nàm, quod dicunt, Origenis me volumina compilare, & contaminari non decere veterum scripta, quod illi maledictum vehemens existimant, eam laudem ego duco maximam, cum illum volo imitari, quem vobis & cunctis prudentibus pla-*

Can. 45. de pœn. dist. 1.

placere non dubito. Si enim criminis est, græcorum benedicta transferre, accusetur Ennius, Maro, Plautus, Cæcilius, & Terentius, Tullius quoquè, sed & Hilarius noster furti reus sit, qui in psalmos quadraginta ferè millia versus supradicti Origenis ad sensum vertit. Quorum omnium æmulari exopto diligentiam, quàm obscuram istorum negligentiam. Itaque ut ad suos codices exigatur canon 45. de pœn. dist. 1., non ad Hieronymi, sed ad Origenis scripta, sive commentaria in Exodum referendus erit, ubi in homilia 11. hæc habentur: *Et venit, inquit, Aaron, & omnes Presbyteri de Israel manducare panem cum socero Moysi in conspectu Dei. Non omnes panem manducant in conspectu Dei, sed qui Presbyteri sunt, qui seniores, qui perfecti sunt, & meritis probati, ipsi manducant panem in conspectu Dei, qui observant illud, quod Apostolus dicit: Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite. Omnia ergò, quæ faciunt Sancti, in conspectu Dei faciunt. Peccator autem in conspectu Dei fugit. Deniquè scriptum est, quia Adam, postquàm peccavit, fugit à conspectu Dei, & interrogatus respondit, audivi vocem tuam, & abscondi me, quia eram nudus. Sed & Cain, postquàm pro fratricidio condemnatus à Deo est, exiit, inquit, à facie Dei, & habitavit in terra Naid. Exiit ergò à facie Dei, qui indignus est conspectu Dei. Sancti autem manducant, & bibunt in conspectu Dei, & omnia, quæ agunt, in conspectu ejus agunt. Ego ampliùs adhùc locum præsentem discutiens, video, quia qui pleniorem scientiam Dei accipiunt, & pleniùs divinis imbuti sunt disciplinis, isti etiàm si malum faciunt, coràm Deo faciunt, & in conspectu ejus faciunt, sicut ille dixit: tibi soli peccavi, & malum coràm te feci. Quid ergo plus habet, qui malum coram Deo facit? Illud profectò, quòd continuò pœnitet, & dicit, peccavi. Qui autem discedit à conspectu Dei, nescit converti, & peccatum pœnitendo purgare. Hoc ergò interest malum coràm Deo facere, & à Dei conspectu discessisse peccantem.*

De Commentariis in Leviticum.

Quemadmodùm Hieronymo tributa sunt apud Gratianum commentaria Origenis in Exodum, eadem de causa tributa aliquandò fuerunt commentaria in Leviticum, quamquàm aliàs verum sit, Hieronymum in Leviticum commentaria scripsisse, ut ipse fatetur in cap. 2. epistolæ ad Titum, quæ tamèn ad nos minimè pervenerunt. Hinc verba canonis 3. dist. 36. referenda jure sunt ad homiliam 6. Origenis in Leviticum, ubi integra omninò exhibentur ex versione Ruffini. Can. 3. dist. 36.

In eadem homilia 6. Origenis ad caput 8. Levitici, ubi agitur de Sacerdotis electione, exhibentur verba canonis 15. caus. 8. q. 1. ex versione Ruffini, ibi: *Videamus ergò, quali ordine Pontifex constituitur. Convocavit, inquit, Moyses Synagogam, & dicit ad eos: hoc est verbum, quod præcepit Dominus. Licet ergò Dominus de constituendo Pontifice præcepisset, & Dominus elegisset, tamèn convocatur Sinagoga &c.* Non persequor reliqua, utpotè quæ omninò consonant cum Gratiani monumento. Can. 15. caus. 8. q. 1.

Prætereà apùd Origenem homilia 4. in Leviticum leguntur verba canonis 8. caus. 14. quæst. 5., ubi vir eruditus interpretatur caput 6. vers. 2. & 3. de iis, qui res ab aliis deperditas fortuitò invenerunt. Can. 8. caus. 14. q. 5.

Pertinent quoquè ad Originem verba can. 3. & 4. caus. 24. quæst. 3. Nimirùm leguntur in homilia ejusdem 14. in Leviticum ad cap. 24. ibi: *Ejice illum, qui maledixit extra castra &c.*, ad quæ cum vir eximius nonnulla de maledicentibus tradidisset, ità prosequitur. *Hæc nobis dicta sint pro his, qui negligunt oris maledici consuetudinem resecare, qui, etiamsi non ex corde maledicant, etiamsi non voto, & animo iniquo proferant maledicta, tamèn immunditiam labiorum secundum Esaiæ verbum, & inquinamenta oris occurrunt.* Ad hæc exigendus est canon 3. Can. 3. & 4. caus. 24. q. 3.

Se-

Sequuntur deindè verba canonis 4., ibi: *Iste tamèn, qui licèt ex matre Israelitide* (agitur de maledicente filio Israelitidis, de quo in memorato capite Levitici) *Ægyptio tamèn Patre progenitus est, exiit, & nominans nomen maledixit. De quo ego puto, quòd nisi exisset, nec litigasset adversùs verum Israelitam, nec nominans maledixisset. Exiit enim à veritate, exiit à timore Dei, à fide, à charitate, sicut superiùs diximus, quomodò per hæc quis exeat à castris Ecclesiæ, etiamsi per Episcopi vocem minimè abjiciatur. Sicùt è contrario interdùm fit, ut aliquis non recto judicio eorum, qui præsunt Ecclesiæ, depellatur, & foràs mittatur; sed ipse non antè exiit, hoc est, si non ità egit, ut mereretur exire, nihil læditur in eo, quod non recto judicio ab hominibus videtur expulsus. Et ità fit, ut interdùm ille, qui foràs mittitur, intùs sit, & ille foris, qui intùs retineri videtur.* Hæc fermè eadem sub Origenis nomine, & quidem rectiùs, descripsit Gratianus in canone 7. eadem causa 24. & quæstione.

Can. 76. de cons. dist. 2.

Quæ habentur in can. 76. de cons. dist. 2. non solùm apud Hieronymum non inveniuntur, sed nequè apud Origenem, nisi fortè dicere quisquam velit, ejus fragmenti auctorem voluisse respicere ad ea, quæ tradidit Origenes in homil. 7. in Leviticum ad caput 10. & 11., ubi de immundis & lege improbatis animalibus agitur. Ibi enim, postquàm tradidit Origenes, mundos cibos illos spiritualitèr intelligi, & tùm à nobis accipi, quandò cum bonis hominibus conversamur, eosque propemodùm degustamus, asseruit spirituales hujusmodi significationes exhiberi in sacris literis, ubi Christus sese tamquàm cibum nobis se daturum spopondit, & obtulit, ibi: *Jesus ergò, quià totus ex toto mundus est, tota ejus caro cibus est, & totus sanguis ejus potus est, quià omne opus ejus sanctum est, & omnis sermo ejus verus est. Propterea ergò & caro ejus verus est cibus, & sanguis ejus verus est potus. Carnibus enim, & sanguine verbi sui tamquàm mundo cibo, ac potu potat, & reficit omne hominum genus.* Ex his adparet, Gratianum usum fuisse commentariis, aut adjectionibus cujusdam Glossographi, qui fortè ad tempora Berengarii vixerit, quique sententias Origenis sub Hieronymi nomine editas retulerit, non quidem eisdem verbis, sed mutata formula, quemadmodùm sequioribus sæculis contigisse eruditi omnes animadverterunt.

De Commentariis in Numeros.

Cùm superiùs animadvertendum fuerit, canonem 15. caus. 8. quæst. 1., qui refertur sub Hieronymi nomine in Leviticum, non Hieronymo esse, sed Origeni adscribendum, facilè intelligitur quoquè Origeni, non Hieronymo, tribuendum esse canonem sequentem, seu 16., cui hæc est inscriptio: *Idem ex libro Numerorum.* Reverà eadem omninò verba apud Origenem leguntur in homilia 22., ubi expenditur caput 11. Numerorum vers. 16., & caput 27. vers. 16. & seq. quibus in locis exhibetur Moses non per semetipsum populi Rectores elegisse, sed à Deo potiùs aut expectasse, aut expetiisse. Cujus exemplo Origenes animadvertit, quantùm cavendum hominibus sit in designandis, eligendisve sacris administris Ecclesiarum.

Can. 16. caus. 8. q. 1.

De Commentariis in libros Josue, & Judicum.

Non tantùm superiùs memoratos canones, qui Origenis sunt, Hieronymo tribuit Gratianus, sed etiàm alios nonnullos, ex quibus sunt canon 11. caus. 24. quæst. 3. & can. 21. caus. 11. quæst. 3. Origenis est canon 11., cujus verba leguntur in homilia 9. ad caput 8. Josue juxtà interpretationem Ruffini. Expendebat autèm vir eruditus versiculum 33. ibi: *Omnis autèm populus, & majores natu, ducesque, ac judices stabant ex utra-*

Can. 11. caus. 24. q. 3. & Can. 21. caus. 11. q. 3.

que

que parte arcæ in conspectu Sacerdotum, qui portabant arcas fœderis Domini, ut advena, ità & indigena. Media pars eorum juxtà montem Carizim, & media juxtà montem Hebal, &c. Origenis itidèm est canon 21. in homilia 2. in librum Judicum ad illa verba: *Irritaverunt ergo Dominum ad iracundiam, & dereliquerunt Dominum, coluerunt Baalim, & Astartem, & iratus est furore Dominus, & tradidit eos in manus diripientium*, quæ verba interpretatur vir eruditus ità, ut quamdam nostrum figuram exhibeant, dum enim peccamus, quasi in manus ac potestatem Dæmonum trahimur, & ait: *Audi denique ipsum dicentem de eo, qui peccaverat &c.* Reliqua non persequor, cum eisdem omninò verbis apùd Gratianum legantur.

De Commentariis in Psalmos.

Can. 11. dist. 86. Vulgò prodierunt sub nomine Hieronymi commentaria quædam in psalmos, quæ tamèn ab eruditis apocrypha judicantur non contemnendis argumentis, quemadmodùm liquet apud Sixtum Senensem. In primis enim apparet, commentariorum auctorem in solis allegoricis, & tropologicis expositionibus consistere; prætereà nulla usum fuisse sententiarum varietate, juxta consuetum Hieronymi stylum; item græcæ & hebraicæ eruditionis esse prorsùs expertem. His additur, multa in illis commentariis reperiri, quæ Hieronymi sententiis adversantur: Sic interpretans verba illa Psalmi 77. *Misit in eos Cynomyiam* ait: *In Cynomyia Cynicorum sectam indicavit, qua libidinem atque luxuriam summum prædicat bonum*; quod tamèn contrarium esse videtur iis, quæ idem Hieronymus scripsit in epist. ad Suniam & Fretellam. In psalmum 86. adnotat auctor commentariorum secundum hebraicam veritatem legendum esse: *Numquid Sion dicet homo*; quando Hieronymus alitèr transtulit ex hebreorum codicibus, his verbis: *Ad Sion dicet homo.* Idem auctor psalmum 89, quem Hieronimus Moysi adscripsit, Moysis esse negavit; & in expositione psalmi 13. testimonium illud Pauli in 3. capite epistolæ ad Romanos, quod Hieronymus ex Isaia usurpatum demonstrat, affirmat fuisse depromptum ex Deuteronomio. Demùm, si stylum consideres, est ille totus scatens solecismis, admodùm humilis & demissus, neque ullo modo præseferens Hieronymi manum. Videtur potiùs auctor ille fuisse quidam monachus, qui adstantibus sociis ad constitutæ horæ mensuram dicere consueverit, emendicatis hinc illinc variis veterum Patrum, ipsius etiam Hieronymi, laciniis, quemadmodùm colligi facilè potest ex expositionibus psalmi 89., 111., & 115. Ex his commentariis depromptus est canon 11. dist. 86., undè Gratianus occasionem sumpsit improbandi venatorum artem, de qua re jam superiùs nonnulla attigi ad canonem 12. & 13. eadem distinctione. Ceterùm, si verba commentariorum consideremus, multa ibidem figuratè dicta agnoscemus; siquidem ibi expendebantur verba psalmi 90. *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium*, ad quæ ita adnotabatur: *Multi sunt venatores in isto mundo, qui animam nostram venari conantur. Denique & Nembrod ille Gigas magnus in conspectu Dei venator fuit, & Esau venator erat, quoniam peccator erat; & penitùs non invenimus in scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem: Piscatores invenimus sanctos.*

De Commentariis in Isaiam.

Extant inter opera Hieronymi commentaria in Isaiam, de quibus licèt mentio non habeatur apud Hieronymum ipsum in catalogo, ubi sanctus Doctor de se, suisque operibus sermonem instituit, nihil tamèn prohibet, quominùs illa tamquàm germana habeantur; quia fuerunt recentiore ætate perfecta, quemadmodùm auctor professus est in præfatione

ad

ad Eustochium. Sunt illa distributa in 18. libros; atque ex illis in primis depromptus adparet canon 4. dist. 37., cum enim interpretaretur Hieronymus verba Isaiæ cap. 28. vers. 7., quæ ex versione septuaginta Interpretum ità exhibebantur: *Isti enim vino decepti sunt, errant propter siceram &c.*, in hanc sententiam erupit: *Igitur Sacerdotes, & prophetæ hæreticorum exciderunt mente propter siceram, & absorpti sunt propter vinum, quales fuerunt Prisca, & Maximilla, earumque Princeps Montanus, & quid dicerent, nesciebant. Vino inebriantur &c.* Quæ hinc sequuntur, consonant cum verbis Gratiani usquè ad illa verba *atque solvuntur.* Versiculus *secundum* spectat ad commentaria Hieronymi in Jeremiam lib. 5. ad caput 29. vers. 8. ibi: *Non vos seducant prophetæ vestri, &c.*, quemadmodùm etiàm versiculus *quicumque* legitur in eisdem commentariis in Jeremiam ad cap. 31. lib. 6. vers. 29. ibi: *Patres comederunt uvam acerbam.*

Can. 4. dist. 37.

In procœmio ad eadem commentaria in Isaiam, ad Eustochii directo, legimus verba canonis 9. dist. 38. Ibidèm in primis sanctus Doctor significat, se jam dudùm promisisse Paulæ matri Eustochii, item fratri ipsius Pammachio commentaria in Isaiam editurum, & tandèm se Eustochio reddere, quod matri ipsius, & fratri sponderat, his verbis: *Itaque & tibi, & illi per te reddo, quod debeo, obediens Christi præceptis, qui ait: Scrutamini scripturas, & quærite, & invenietis, ne illud audiam cum Judæis: erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei. Si enim juxtà Apostolum Paulum Christus Dei virtus est, Deique sapientia, & qui nescit scripturas, nescit Dei virtutem, ejusque sapientiam, ignoratio scripturarum ignoratio Christi est.*

Can. 9. dist. 38.

Canon 28. caus. 23. quæst. 5. legitur in lib. 5. Hieronymi in Isaiam ad cap. 13. in illa verba: *Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furorisque ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores ejus conterendos de ea*, quam Prophetæ sententiam ità sanctus Doctor interpretatur: *Crudelem diem vocat, non meritò sui, sed populi; non est enim crudelis, qui crudeles jugulat, sed quòd crudelis patientibus esse videatur. Nàm & latro suspensus patibulo crudelem judicem putat. Simùlque solitudo, & vastitas terræ Babylonis nunciatur, & causa vastitatis exponitur, quòd propter accolas ejus hæc omnia fiant.*

Can. 28. caus. 23. q. 5.

Canon 25. de pœn. dist. 1. pertinet ad interpretationem cap. 33. Isaiæ vers. 15. ubi dicitur, eum in excelsis habitaturum, *qui obturat aures, ut non audiat judicium sanguinis.* Gratiani verba omninò consonant cum integris Hieronymi codicibus.

Can. 25. de pœn. dist. 1.

De Commentariis in Jeremiam.

Prophetiam Jeremiæ fuisse ab Hieronymo commentariis illustratam, ipse Hieronymus testatur in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum propè finem; ubi tamèn profitetur non tàm sua, quàm Origenis in eundem Prophetam commentaria de græco in latinum translata edidisse. Hæc in extrema senectute sanctus vir elucubravit, utens opera notariorum, qui dictantis verba excipiebant, & scripto commendabant, eademque Eusebio dedicavit. Porrò idem opus distinguendum penitùs erit à commentariis in Jeremiæ threnos, seu lamentationes, quæ vulgò eidem sancto viro in codicibus editis adscribuntur; neque enim ista reverà Hieronymi sunt, cum stylus Hieronymo non conveniat, exceptis quibusdam laciniis ex aliis Hieronymi opusculis derivatis, videlicet ex epistola de interpretatione alphabeti hebraici ad Paulam Urbicam; nec non ex aliis, quemadmodùm rectè adnotavit Sixtus Senensis. Nullum, ait Sixtus, inest vel græcæ, vel hebraicæ linguæ peritiæ vestigium; structura quoquè sermonis ubiquè inæqualis; nihilque aliud præsefert liber quàm farraginem centonum, à studioso col-

collectore ex variis auctorum plurium dictis ac sententiis indigestè compositam : Neque defuerunt, qui libellum potiùs Rhabano Mauro adjudicandum voluerint, cum etiàm inter Rhabani opera reperiatur.

In commentariis Hieronymi in prophetiam Jeremiæ legitur can. 23. cau. 23. quæst. 5. ad illa Prophetæ verba cap. 22. vers. 22. *Facite judicium, & justitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris, & advenam, & pupillum, & viduam nolite contristare.* Hæc verba ad Regem Juda directa expendebat Hieronymus scribens : *Regum autèm proprium est facere judicium, & justitiam, & liberare de manu calumniatorum vi oppressos, & peregrino, pupilloque, & viduæ, qui faciliùs opprimuntur à potentibus, præbere auxilium. Et, ut curam eis præceptorum Dei majorem injiceret, intulit: nolite contristare, ut non solùm non eripiatis, sed ne patiamini quidèm per vestram conniventiam ab aliis contristari, & sanguinem innocentem non effundatis in loco isto : Homicidas enim, & sacrilegos, & venenarios punire non est effusio sanguinis, sed legum ministerium. Si, inquit, hæc feceritis, ò Reges Juda, tenebitis pristinam potestatem, & cum ambitione ingrediemini portas Hierusalem.* Nonnulla Gratianus omiserat, quæ ex istis supplenda sunt : liquet autèm, Gratianum ea ipsa, quæ omiserat in memorato canone 23., descripsisse deindè in canone 31. eadem causa, & quæstione.

Can. 23. & 31. caus. 23. q. 5.

Quanti habenda sit auctoritas canonis 16. dist. 45., ex iis, quæ nupèr animadvertebantur ad commentaria, vulgò tributa Hieronymo, in threnos Jeremiæ, satis & commodè colligitur: ceterùm quisquis ejus opusculi auctor existimetur, verba canonis leguntur in lib. 3. ad interpretationem capitis 4. Jeremiæ in illis verbis : *Recedite polluti, clamaverunt eis &c.* ; ad quæ ità scribitur : *Talis est vox superborum magistrorum, qui pecus, quod crassum est, de grege assumunt, &, quod debile, projiciunt, quod infirmum non consolidant, &, quod ægrotum, non sanant. Recedite, inquiunt, polluti, recedite, abite, nolite nos tangere, nolite in aliquo nobis communicare : insanabilia sunt vulnera vestra, & incurabiles plagæ : non estis digni communione Christiana, ut ultrà in vobis inhabitet spiritus sanctus. Facies Domini dividit eos, ac respuit, nec addet ultrà, ut recipiat, quia facies Sacerdotum vestrorum non erubuistis, nec seniorum vestrorum admonitionem mansuetè suscepistis. Talis loquela enim non illuminat cæcum, non sanat ægrotum, non curat infirmum ; sed magis occidit, atque in desperationem periclitantem mittit. Boni etenim rectores ex sua infirmitate aliorum infirmitates pensantes, magis per humilitatis, & mansuetudinis levamentum* (aliqui codices habent *linimentum*) *studeant peccantes ab erroris laqueo eruere, quàm per austeritatem in foveam perditionis nutantes propellere : undè & doctor gentium qualiter subditis suis profuerit, ostendit dicens : Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem &c.*

Can. 16. dist. 45.

De Commentariis in Ezechielem.

Quatuordecim libris complexus fuit Hieronymus interpretationem Ezechielis Prophetæ, cujus operis difficultatem in Epistola ad Eustochium, commentariis præposita, his verbis expendit : *Ezechielis difficultatem Hebræorum probat traditio ; nam nisi quis apùd eos ætatem Sacerdotalis ministerii, id est, trigesimum annum impleverit, nec principia Geneseos, nec canticum canticorum, nec hujus voluminis exordium, & finem legere permittitur, ut ad perfectam scientiam, & mysticos intellectus plenum humanæ naturæ tempus accedat.* Ex illis commentariis depromptus est canon 2. caus. 14. quæst. 3. ad interpretationem cap. 18. vers. 17. ibi: *Usuram, & superabundantiam non acceperit.* Gratiani verba omninò consonant cum integris Hieronymi codicibus.

Can. 2. caus. 14. q. 3.

Canon 29. caus. 23. quæst. 5. pertinet

Can. 29. caus. 23. q. 5.

net ad interpretationem capitis 9. vers. 1. ibi; *Appropinquaverunt visitationes Urbis, & unusquisque vas interfectionis habet in manu sua*, ad quæ ità scribebat Hieronymus: *Non dixit, habebat, ut septuaginta transtulerunt, neque enim narrat præterita, sed præsentia, futuraque demonstrat. Qui igitùr malos percutit in eo, quòd mali sunt, & habet vasa interfectionis, ut occidat pessimos, minister est Domini.*

De Commentariis in Danielem.

Quæ Hieronymus in Danielem Prophetam commentaria edidit, directa fuerunt ad Pammachium, & Marcellam; atque in ipsis non tàm Prophetæ interpretem egit, quàm libri ejusdem prophetici adsertorem. Cum enim Porphirius Danielis prophetiam tamquàm recentioris cujusdam scriptoris opusculum improbaret, nec reciperet tamquàm Danielis opus, quod inter divinas literas locum haberet, novit Hieronymus Christianæ rei maximè interesse, si opus illud, in quo adversùs Judæos mirificis vaticiniis in adventu Christi completis Christianæ religionis veritas perspicuè comprobatur, toto studio vindicaret; quamobrèm non, uti in reliquis in Prophetas alios commentariis sanctus vir ità se gesserat, singulas Danielis sententias interpretando percurrit, sed tantùm difficiliores sententias explicavit, quæ ad rem suam facere posse videbantur. Ex eo opere depromptus est canon 11. dist. 37. ad interpretationem cap. 1. Danielis vers. 8. ibi: *Proposuit autèm Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa Regis &c.*, ad quæ ait Hieronymus: *Qui de mensa Regis, & de vino potus ejus non vult comedere, ne polluatur, utique, si sciret ipsam sapientiam, atque doctrinam Babyloniorum esse peccatum, numquàm adquiesceret discere, quod non licebat. Discunt autèm, non ut sequantur, sed ut judicent, atque convincant. Quomodò si quispiam adversùs mathematicos velit scribere imperitus mathematis, risui pateat, & adversùm philosophos disputans, si ignoret dogmata philosophorum. Discunt ergò ea mente doctrinam Chaldæorum, qua & Moyses omnem sapientiam Ægyptiorum didicerat.* Quæ sequuntur in vers. *Si quando* habentur in Prologo ejusdem Hieronymi in Danielem, ubi sanctus vir, postquàm docuit Pammachium, & Marcellam, ad percipienda Danielis vaticinia plurimùm posse conferre & græcorum, & latinorum scriptorum peritiam, ità concludit: *Et si quandò cogimur literarum sæcularium recordari, & aliqua ex his dicere, quæ olim omisimus, non nostræ est voluntatis, sed, ut ità dicam, gravissimæ necessitatis, ut probemus ea, quæ à sanctis Prophetis ante sæcula multa prædicta sunt, tàm græcorum, quàm latinorum, & aliarum gentium literis contineri.*

Can. 11. dist. 37.

Canon 68. de pœn. dist. 1. legitur in commentario ad caput 4. Danielis vers. 24., & quamquàm non nihil in vetustis Gratiani codicibus depravatum agnosceretur, hodiè tamèn pòst Romanam correctionem omnia sunt ad integra Hieronymi exemplaria exacta, & emendata; dummodù animadvertas, pro voce illa *reverentiam* legendum esse *Hieremias*, quod Romani Correctores professi sunt inemendatum se reliquisse Glossarum causa. Nimium honorem detulerunt Correctores Glossographo, præsertim quòd ejus observatio tanta non sit, ut laude digna esse videatur; etenim adnotavit Glossographus: *In reverentiam, id est, contrà æquitatem reverendam, vel ad hoc ut omnes eidem revereantur tantùm.* Inanes hos Glossographi ludos capiant alii, quibus palatus alitèr sapit: mihi potiùs lubet germanæ Patrum lectioni propiùs inhærere, & obscuras quasdam voces ex integris codicibus restituere, ut vera & non commentitia obtineatur interpretatio.

Can. 68. de pœn. dist. 1.

Canon 75. de pœn. dist. 1. legitur in commentariis capitis 9. Danielis vers. 2. ibi: *Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam Prophetam, ut complerentur de-*

Can. 75. de pœn. dist. 1.

desolationis Jerusalem septuaginta anni; & posui faciem meam ad Dominum Deum rogare &c. Verba Hieronymi hùc non refero, ex eo quòd eadem ipsa penitùs sint, quæ apùd Gratianum in memorato canone exhibentur.

De Commentariis in Oseam.

Ad Pammachium directa sunt, quæ in Oseam Hieronymus edidit commentaria; profitetur autèm in iis sanctus Doctor, se secutum fuisse vestigia veterum in suscipienda interpretatione, nimirùm Apollinaris Laodiceni, Origenis, Pierii, Eusebii Cæsariensis, & Didimi præceptoris sui, non quidèm ità, ut eisdem in omnibus adhæreret, sed potiùs ut tamquàm judex, quidquid sibi videretur in singulis, liberè pronunciaret. Ex eo libro depromptus est can. 63. caus. 1. quæst. 1., qui spectat ad interpretationem capitis 6. Osee vers. 6. ibi: *Misericordiam volui, & non sacrificium, & scientiam Dei plusquàm holocausta*; ad quæ ait Hieronymus. *Quotidiè Deus & eos, qui extrà Ecclesiam sunt, & qui peccant in Ecclesia commorantes provocat ad pœnitentiam, & dicit eis: misericordiam volo, & non sacrificium, & scientiam Dei plusquàm holocausta. Illi verò offerunt panem sacrilegum, & dant eleemosinas &c.* Quæ apùd Hieronymum sequuntur, eadem omninò sunt cum verbis Gratiani.

Can. 63. caus. 1. q. 1.

Canon 33. caus. 24. quæst. 3. compositus est ex variis laciniis sententiarum Hieronymi; nimirùm priora verba leguntur in commentariis in Oseam ad interpretationem capitis 5. vers. 10. *Facti sunt Principes Juda, quasi assumentes terminum*; ad quæ ait sanctus Doctor: *Transferunt Principes Juda terminos, quos posuerunt Patres eorum, quandò immutant mendacio veritatem, & aliud prædicant, quàm ab Apostolis acceperunt.* Ad versiculi sequentis ejusdem capitis 5. interpretationem pertinent, quæ leguntur in §. *de hæreticis.* Quæ verò exhibentur in §. *Veteres* usquè in finem Gratiani canonis, interpretatio sunt capitis 9. Oseæ in illis verbis: *Speculator Ephraim cum Deo meo Propheta: laqueus ruinæ super omnes vias ejus &c.* Gratiani editio cum vulgatis Hieronymi codicibus omninò consonat.

Can. 33. caus. 24. q. 3.

Canon 14. caus. 32. quæst. 1. legitur in commentariis ad verba illa Osee cap. 1. *Et dixit Dominus ad Osee: Vade, sume tibi uxorem fornicationum &c.*, quod Dei mandatum in ipsa præfatione ad Pammachium mysticè intelligendum Hieronymus arbitratus est, scilicèt de Deo, qui Synagogæ adhæsit fornicariæ, sive Idolis ac vitiis ex Idolatria proficiscentibus servienti. Integra Hieronymi verba, ad quæ Gratianeus canon exigatur, hæc sunt: *Nec culpandus propheta interim, ut sequamur historiam, si meretricem converterit ad pudicitiam, sed potiùs laudandus, quòd ex mala bonam fecerit; non enim qui bonus permanet, ipse polluitur, si societur malo, sed qui malus est, in bonum vertitur, si boni exempla sectetur. Ex quo intelligimus, non prophetam perdidisse pudicitiam fornicariæ copulatum, sed fornicariam assumpsisse pudicitiam, quam anteà non habebat. Præsertim cum Beatus Osee non ob causam luxuriæ, non libidinis, non propria fecerit voluntate, sed Dei paruerit imperio, ut quod in isto carnaliter legimus, in Deo factum spiritualiter probaremus; qui suscepit Synagogam, hoc est, populum Judæorum, fornicationi & libidini servientem, ad quam Dominus loquitur per Ezechielem: Et tu meretrix audi verbum Domini.* Animadvertendum sanè est, hoc in loco Hieronymum non satis literæ fidisse, sed, prout fieri poterat, Osee sententiam ad mysticam significationem flectere voluisse. Hinc adnotanda sunt verba illa: *ut sequamur historiam*, quæ significant, non in ea omninò Hieronymum fuisse sententia, quâ literam sequeretur, sed potiùs indicavisse, literam sequendo, adhùc nihil offendi posse apùd Prophetam, quod minùs aptum sit divinis legibus. Ceterùm in hac literali explanatione gravissimam se pati difficultatem idem Hie-

Can. 14. caus. 32. q. 1.

ronymus profitebatur in hoc opere, ac præcipuè in memorata præfatione ad Pammachium.

Can. 74. de pœn. dist. 1. Canon 74. de pœn. dist. 1. legitur eisdem omninò verbis in commentariis Hieronymi ad caput 12. Oseæ vers. 9. ibi: *Adhùc sedere te faciam in tabernaculis, sicùt in diebus festivitatis.*

Can. 22. & 23. de pœn. dist. 4. Canon 22. & 23. de pœn. dist. 4. non satis rectè descripti sunt apùd Gratianum; potiùs enim collector imitatus videtur Glossographum in Glossa interlineari, quemadmodùm animadverterunt Correctores Romani. Ceterùm non valdè dissimilis est sententia Hieronymi in caput 8. Oseæ vers. 2. ibi: *Et ne dicant &c. Ne forsitàn, inquit, dicant in cordibus suis: Vetera nobis Deus peccata restituit, & Patrum delicta persolvimus: illi comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt, idcircò quæ nùnc, & in præsentiarum me videnti fecerunt, & quotidiè faciunt, sequenti sermone narrabo, & ostendam illis adinventiones suas, sive cogitationes, quibus mala studiosissimè consectati sunt, & quæ me præsente gesserunt, non timentes faciem meam ... Hæretici quoquè non possunt vetera contrà Deum peccata causari, cum quotidie antiquis operibus novam addant impietatem, & cum perditis pereant, suisque ligentur erroribus, & cum Deum se cælare putent, oculos ejus vitare non valeant.*

Can. 27. de cons. dist. 5. Canon 27. de cons. dist. 5. legitur in commentario in Osee cap. 7. vers. 6., ubi Hieronymus interpretatus verba illa *omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente*, intelligit de Rege Jeroboam, qui primus Idololatriæ *ignem succendit, ut panem coqueret impietatis, ut non vim faceret populo, sed suæ eum dimitteret voluntati, donèc fermentaretur omne mendacium; quidquid enim necessitate fit, citò solvitur; quod voluntate arripitur, perseverat.*

De Commentariis in Joel.

Joelis prophetiam singulari libro interpretatus fuit Hieronymus, eumque ad Pammachium direxit. Ex eo depromptus est canon 27. caus. 23. quæst. 5. ad interpretationem capitis 2. vers. 28., ubi scribit sanctus Doctor, Deum aliquando uti malorum Angelorum ministerio ad pœnas scelestis hominibus infligendas, veluti in 1. Regum cap. 26., ità concludens: *Non solùm enim homines ministri sunt, & ultores iræ ejus in his, qui malum operantur, & non sine causa portant gladium; sed etiàm contrariæ fortitudines, quæ appellantur furor & ira Dei, quos propheta declinans, ait: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Can. 27. caus. 23. q. 5.

Canon 66. de pœn. dist. 1. referendus est ad caput 1. Joelis vers. 13. ibi: *Accingite vos, & plangite Sacerdotes.* Gratiani verba omninò consonant cum vulgatis Hieronymi codicibus. Can. 66. de pœn. dist. 1.

De Commentariis in Amos.

Tribus libellis complexus est interpretationem Amos Prophetæ Hieronymus, quos ad Pammachium direxit, quosque non ipse manu propria literis exaravit, sed aliis scribentibus dictavit. Ex his commentariis sunt deprompti canones 62. caus. 1. quæst. 1. & 28. caus. 24. quæst. 1. ad interpretationem capitis 5. Amos vers. 21. & 22. ibi: *Odi, & projeci festivitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum: Quòd si attuleritis mihi holocaustomata, & munera vestra, non accipiam, & vota pinguium vestrorum non respiciam*; Ad quæ ita sanctus Doctor: *Propriè hoc contrà tribum Juda dicitur, & eos, qui ex Israel ad Dei cerimonias commigrarunt, & nihilominùs non recedebant de excelsis, colebantque idola, & peccatorum magnitudine Dei sacrificia polluebant. Numquàm enim reor, quòd de oblationibus vitulorum, quas offerebant in Dan, & Bethel, dixerit: Si obtuleritis mihi holocaustomata, & munera vestra, non suscipiam. Odit autem Deus,* (ex his, ut liquet, supplendus erit, & emendandus memoratus canon 28.) *& non solùm* Can. 62. caus. 1. q. 1. & Can. 28. caus. 24. q. 1.

lùm odit, sed & projecit festivitates eorum, qui fugiunt leonem, & incurrunt ursum, & ingrediuntur domum, & à serpente mordentur, quia non celebrant festivitates Dei, sed festivitates suas, dicente Domino: Odi & projeci festivitates vestras. Deindè pòst aliquot sententias ad clariorem rei propositæ explicationem leguntur ea, quæ apùd Gratianum referuntur in memorato canone 62., pertinentia ad hæreticos & scelestos homines, quibus ajebat Hieronymus convenire, quæ à Propheta dicta fuerant de perfidorum Judæorum oblationibus, ibi: *Horum Deus odit sacrificia, & à se projicit, & quotiescumquè sub nomine Domini fuerint congregati, detestatur fœtorem eorum, & claudit nares suas.* Et statim ità prosequitur. *Odisse autèm, & projicere &c.* Habentur hæc eisdem verbis apùd Gratianum in laudato canone 28. vers. *odisse* usquè ad illa *causasque dijudicat.* Quæ verò in fine canonis leguntur apùd Gratianum, non satis consonant cum integris Hieronymianorum codicum exemplaribus, ac propterea ità erunt emendanda: *Undè & vidua, quæ in Evangelio in corbonam duo minuta miserat, omnibus à Salvatore præfertur, qui vota pinguissima, & hostias medullatas se offerre credebant de multo dantes parum, cum illa totum, quod habuit, obtulisset.*

Can. 23. caus. 11. q. 3.

Verba canonis 23. caus. 11. quæst. 3. omninò consonant cum vulgatis Hieronymi codicibus; pertinent autèm ad interpretationem cap. 5. Amos vers. 12. ibi: *Quia cognovi multa scelera vestra, & fortia peccata vestra, hostes justi accipientes munus, & pauperes in porta deprimentes, ideò prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est.*

Can. 79. caus. 11. q. 3.

Can. 79. caus. 11. quæst. 3. pertinet ad illa verba Amos cap. 6. vers. 13. *Convertistis in amaritudinem judicium;* quæ ità Hieronymus interpretatus est: *Qui non causas in judicando, sed personas considerant, & fructum Christi justitiæ, qui est dulcissimus, vertunt in amaritudinem. Quicumque igitur aut consanguinitate, aut amicitia, aut è contrario vel hostili odio, vel inimicitiis in judicando ducitur, pervertit judicium Christi, qui est justitia, & fructum illius vertunt in amaritudinem.*

Can. 67. de pœn. dist. 1.

Canon 67. de pœn. dist. 1. referendus est ad interpretationem cap. 9. vers. 10., ubi tradebat sanctus Vir, Deum ad peccatorem summa benignitate converti, quotiescumquè peccator ad Deum per humilem pœnitentiam convertatur, ibi: *Sævit, irascitur, & dicit se illaturum esse supplicia: si agamus pœnitentiam, ipsum quoquè suæ pœnitebit sententiæ. Rursum &c.* Reliqua habentur apùd Gratianum, & consonant cum integris Hieronymi codicibus post Romanam Correctionem.

Can. 71. de pœn. dist. 1. & can. 24. de pœn. dist. 2.

Canon 71. de pœn. dist. 1. ex integris Hieronymi codicibus supplendus erit, ubi sanctus Vir interpretabatur verba illa Amos cap. 1. vers. 4. *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum.... & conteram vectem Damasci, & disperdam habitatorem de campo doli, & tenentem sceptrum de domo voluptatis &c.*, atque ità docebat: *Quod in principio dicitur, super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum, & secundum septuaginta, non aversabor eum, id est, Damasci populum, sive Syrum, hunc sensum juxta historiam habere potest: Si semèl meum esset populum persecutus, aut secundò, darem veniam; nùnc verò cum tertiò & quartò crudelis extiterit, ut captivam multitudinem plaustris ferreis tereret, nonne debeo eum plagis corripere? nonne clementiæ meæ vultum aversare ab eo? Juxta tropologiam verò hoc possumus dicere:* (his continetur Gratiani sententia) *primum peccatum est, cogitasse, quæ mala sunt. Secundum cogitationibus &c.* Atque hic idem canon apùd Gratianum iterùm laudatus est in dist. 2. de pœnit. num. 24.

De Commentariis in Abdiam.

Can. 37. caus. 27. q. 2.

Nomine Hieronymi in Commentariis in Abdiam refertur apùd Gratianum canon 37. caus. 27. quæst. 2., quem tamèn

mèn apùd Hieronymum non reperiri jam testati fuere Romani Correctores, & ego ecquidèm pòst sedulam monumenti iquisitionem testari possum. Verba quidèm illa *quapropter in filiabus vestris fornicabuntur, & sponsæ vestræ adulteræ erunt* pertinere videntur ad interpretationem capitis 4. Osee vers. 13., verùm nihil apùd Hieronymum legitur, quod cum Gratiani canone consonet. Quid ergo? Qui Gratianum pro idoneo fidejussore non habet, parum auctoritatis illi monumento inesse concludet. At si quis adeò morem gerere velit Gratiano, ut putet, adhùc ipsi esse adhærendum, dicere poterit, fortè ea contineri in Commentariis Hieronymi in Abdiam, quæ ex injuria temporum deperdita hodiè edita non habemus. Reverà duos scripsit Hieronymus libros Commentariorum in Abdiam, primum juvenili adhùc fervens ætate, alterum jam senectute confectus ad Pammachium. Posteriorem quidèm hodiè habemus: prior autèm desideratur. Referam ad hanc rem ingenuam Hieronymi confessionem, quam excipimus in præfatione posterioris Commentarii ad Pammachium his verbis: *Cum essem parvulus, ut parvulus loquebar, ut parvulus sapiebam, ut parvulus cogitabam: Postquàm factus sum vir, quæ parvuli erant, deposui.... mereri debeo veniam, quòd in adolescentia mea provocatus ardore, & studio scripturarum allegoricè interpretatus sum Abdiam Prophetam, cujus historiam nesciebam.... Sperabam in scrimiolis latere, quod scripseram, & ingenioli mei primam temeritatem ignibus voveram: cum subitò de Italia adfertur exemplar à quodam juvene tot annis, quot ego quondàm scripseram, laudante opusculum meum. Fateor miratus sum, quòd, quantumvis aliquis malè scripserit, invenit similem lectorem sui. Ille prædicabat, ego erubescebam: Ille quasi mysticos intellectus ferebat ad Cœlum; ego demisso capite confiteri pudorem meum prohibebar.... Infans eram, necdùm scribere noveram, titubabat manus, tremebant articuli. Nùnc, ut nihil aliud profecerim, saltèm Socraticum illud habeo: Scio, quòd nescio.* Aurea hac Hieronymi sententia duo nobis addiscenda traduntur. Primum est, cavendum unicuique quàm maximè fore, ne, dum in veterum, Sanctorum etiàm Patrum, monumenta animum & mentem intendimus, sine discrimine legamus, & laudemus singula, quin deciduas quandoquè aut omittamus, aut seponamus illorum sententias, modò disputantium fervori, modò immaturæ ætati scribentium condonandas: quamobrèm minùs sagax semper mihi visa fuit quorumdam Oratorum industria, qui dum solidioribus Patrum dictis uti possent ad firmandam, quam prædicant, veritatem, concisis monumentis paulò ardentibus, quasi altissimis utuntur, adeò ut si Patres præsentes audirent, quod illi *prædicant*, ipsi *erubescerent*; & dum illi *mysticos intellectus ferrent ad Cœlum, isti demisso capite confiteri pudorem suum* quodammodò *prohiberentur*. Alterum est, quod ad rem nostram facit, cum de commentario quæritur, quod Hieronymus adhùc adolescens scripsit in Abdiam, tandèm professus illud se igni devovisse, tamquàm in quo alacritas potiùs virentis ingenii, quàm doctrinæ soliditas exhiberetur, dolens etiàm quòd idem liber præ manibus cujusquam adolescentuli extaret, aut aliis versaretur. Potuit ergò liber iste ad manum usquè Gratiani, aut alterius Collectoris, qui Gratiano auctor extitit, devenire, undè decerptus fuerit laudatus Gratianeus canon 37. Verùm cum hodiè liber ille desideretur, frustrà quis conari posset, ut canonem ad suos integros codices restitueret.

De Commentariis in Jonam.

Intermiserat Hieronymus studia sua, quæ in Commentariis in Prophetas impenderat, Michæam, Naum, Abacuch, Sophoniam, & Aggæum, cum opportunius visum fuit manus ad alia opera ad-

admovere, scilicèt adversùs Jovinianum scribere, & librum de viris illustribus elucubrare, aut Apologeticum, & alia nonnulla opuscula edere. Tandèm *veluti quodam postliminio* reversus ad Prophetarum interpretationem Jonæ librum explicandum suscepit, ut ipse testatur in epistola ad Chromatium Episcopum in præfatione, huic opusculo præposita. Ex interpretatione capitis 1. vers. 12. ibi: *Et dixit* (Jonas) *ad eos: tollite me, & mittite in mare &c.* depromptus est canon 11. caus. 23. quæst. 5. Ibi autèm sanctus Doctor Jonæ verba refert ad Christi figuram, eatenùs intelligendam, quatenùs Christus Redemptor morti sese obtulit, ut omnes salvos faceret; quod nemini privato congruere posse tradit; cum nemini nostrum liceat spontè mortem sibi inferre, etiam prætextu aliis juvandi.

Can. 11. caus. 23. q. 5.

Ex eodem capite 1. vers. 7. exceptus est canon 2. caus. 26. quæst. 2. Ibidèm expenditur, quod dicitur apùd Jonam jactas fuisse sortes, ut dignosceretur subortæ procellæ causa. Id equidèm, si ordinarias rerum humanarum vires consideremus tantummodò, videbatur minùs aptè observatum, quòd nautæ, non ignorantes vim ventorum, & tempestatum repentè emergentium, quærerent auctorem instantis periculi inter eos, qui naviculo vehèrentur. Hinc ait Hieronymus, fuisse id factum singulari quodam divino judicio his verbis: *Noverant naturam maris, & tanto tempore navigantes sciebant tempestatum, ventorumque rationes, & utique si solitos, & quos aliquando experti fuerant, fluctus vidissent consurgere, numquàm sorte auctorem naufragii quærerent, & per rem incertam certum cuperent evitare discrimen. Nec statim debemus sub hoc exemplo sortibus credere, vel illud de actibus Apostolorum huic testimonio copulare, ubi sorte in Apostolatum Matthias eligitur, cum privilegia singulorum non possint legem facere communem: sicut enim in condemnationem Balaam asinâ loquitur, & Pharao, & Nabucodonosor in judicium sui somniis futura cognoscunt, & tamèn Deum non intelligunt revelantem....ità & hic fugitivus sorte deprehenditur, non viribus sortium, & maximè sortibus Ethnicorum, sed voluntate ejus, qui sortes regebat incertas.* His integra exhibetur sancti viri sententia, juxta quam clariùs explicari poterit Gratiani monumentum.

Can. 2. caus. 26. q. 2.

Supplere prætereà juvabit verba canonis 30. de pœn. dist. 3., quæ exigenda sunt ad Proœmium Hieronymi, in Jonam ad Chromatium ita scribentis: *Reverà quantum ad Historias tam Hebræas, quam Græcas pertinet, & maximè Herodotum, legimus Ninivem, regnante apùd Hebræos Josia, & Astiage Rege Medorum, fuisse subversam. Ex quo intelligimus primo tempore ad Jonæ prædicationem acta pœnitentia Ninivitas veniam consecutos, posteà verò in pristinis vitiis perseverantes Dei in se provocasse sententiam.*

Can. 30. de pœn. dist. 3.

De Commentariis in Michæam.

Amanuensium opera usus fuit Hieronymus in elucubrandis commentariis in Michæam; illis enim excipientibus, & scripto commendantibus ipse dictabat, atque perfectum libellum ad Paulam & Eustochium, piissimas, & sacrarum literarum studiosissimas fœminas, misit. Hinc depromptus est canon 4. dist. 35. ad interpretationem illorum verborum Michææ 2. vers. 9. *mulieres populi mei ejecistis de domo deliciarum suarum*; quam sententiam non de mulieribus, sed potiùs de sacerdotibus sanctus Doctor explicavit ex eo, quòd in versione Septuaginta Interpretum alitèr legeretur: ibi: *Duces populi mei projicientur de domibus deliciarum suarum.* Quamquàm verò vulgata editio Hebraicis codicibus consonet, nihilominùs Hieronymus hac in parte interpretatus est juxtà versionem Septuaginta, quò pertinet memoratus canon 4., ad quem animadvertendum est, in nonnullis Gratiani codicibus legi *fartis prædicare corporibus*, cum legatur in vulgatis Hieronymi editionibus *farsis prædicare corporibus.*

Can. 4. dist. 35.

Ca-

Can. 19. dist. 50. Canon 19. dist. 50. pertinet ad interpretationem capitis 3. Michææ vers. 5. in illis verbis: *Hæc dicit Dominus super Prophetas, qui seducunt populum meum &c.* De istis pseudoprophetis verba faciens Hieronymus ajebat: *Occidet Sol justitiæ super hujusmodi prophetas, & videbunt tenebras suas, & confundentur. Cumque divini magis, quàm Prophetæ fuerint comprobati, ridebuntur super somniis suis, & populi, qui ab eis priùs decepti fuerant, contrà eos loquentur. Tunc enim ipsi magistri pœnitentiam agent, & nemo eos exaudiet, nisi ego, quem offenderant. Et quia clemens sum, & nolo mortem peccatoris, sed cupio, ut revertatur, & vivat* (hic adfertur Ezechielis testimonium cap. 18., & exorditur Gratianus in laudato canone 19.) *cum exaudiero eos, dabo eis virtutem spiritus mei, & implebo eos judicio meo, & fortitudine, ut qui priùs populum blandimentis decipiebant, posteà verò annunciando deterreant, & ad rectam revocent viam; & qui causa erroris fuerant, incipiant mederi vulneribus, quæ intulerant, & esse occasio sanitatis. Animadverte in præsenti loco, posse aliquem docere post peccatum, si tamèn vitia pristina digna pœnitentia eluerit &c.* Cetera, quæ apùd Gratianum sequuntur, cum integris Hieronymi codicibus penitùs consonant. Gratianus hoc monumento utitur, ut demonstret, Sacerdotes etiàm post gravissima admissa crimina, & per pœnitentiam expiata, posse restitui, ut suo officio in Ecclesia fungantur. Verùm non hæc esse videtur sancti Viri doctrina, dum de hæreticis agit, qui falsa fidei dogmata olim in vulgus spargebant, deindè ad veram fidem reversi peracta digna pœnitentia veritatis prædicatores esse incipiunt, & tantò fructuosiùs divinum ministerium exequuntur, quantò mirabilior audientibus adparet illorum secuta conversio. Si licet mihi Hieronymi dictis adjicere ejusdem rei luculentissimum exemplum, quid non operatus est Paulus Apostolus in prædicatione Evangelii Christi, quem omnes pridèm Christianorum omnium infensum & acerrimum insecutorem agnoverant? Hæc igitur vera sunt, ubi de criminibus agatur, in hæresi vel infidelitate commissis, non de illis, quæ à Sacerdotibus perpetrata sunt, dum in Ecclesia Sacerdotio fungerentur.

Ad interpretationem ejusdem capitis 3. Michææ pertinent canones 23., & 24. caus. 1. quæst. 1. Ibidèm referuntur in primis verba Michææ, quemadmodùm habentur in versione Septuaginta Interpretum: *Duces eorum in muneribus judicabat &c.* ad quæ ait initio Hieronymus: *Nemo ambigit, Jerusalem propter scelera, quæ in hoc capitulo describuntur, fuisse subversam.* Deindè post aliqua, ubi tradidit aliud esse prophetiam, aliud divinationem, inquit: *Nunquàm enim divinatio in scripturis in bonam partem accipitur; non erit, ait, augurium in Jacob, neque divinatio in Israel. Videbantur sibi quidèm esse Prophetæ, sed quia pecuniam accipiebant, prophetia ipsorum facta est divinatio.* (Verba hæc leguntur in laudato canone 24., quæ meliùs descripta fuissent ferè in principio canonis 23.) *Petrus Apostolus, argentum, inquit, & aurum non habeo, poterat utique Simoni Mago vendere, quod petebat, imò poterat simulare vendentem; Spiritus enim sanctus nec venundari, nec emi potest, sed oblatam pecuniam cum offerente damnavit. Nùnc videas Prophetas Jerusalem non habere in ore prophetiam, & in Domino requiescere, & dicere: non venient super nos mala, quorum causa speculatorium Dei hostili aratro dividitur, & locus quondàm pacis ruinis plenus sit, & templum Domini in vepres spinasque convertitur, & est habitaculum bestiarum. Nec quemquam moveat illud, quod in primo Regum libro legimus &c.* Hic sequuntur verba Gratiani usquè ad versiculum *Unde in quarto libro*, quem nec apùd Hieronymum reperiri jamdiù Romani Correctores testati sunt, nec reverà Hieronymi esse stilus ipse palàm facit. Vel ergò Gratianus è penu sua versiculum adjecit, vel ab obscuri nominis auctore Hie-

Can. 23. & 24. caus. 1. q. 1.

Hieronymi sententiæ adjectum in suum codicem derivavit. Unum addo ad describendum integrum Hieronymi monumentum: nimirùm post illa verba *offerre consueverant*, ista leguntur in vulgatis sancti Doctoris codicibus: *Et tantummodò scripturam narrasse, quid illi voluerint, nec tamèn intulisse, quod ipsi aut offerre ausi fuerint, aut prophetæ acceperint.*

Can. 44. caus. 1. q. 1. Ex integris Hieronymi codicibus supplenda erit sententia canonis 44. caus. 1. quæst. 1., quæ pertinet ad interpretationem ejusdem capitis 3. Michææ vers. 9. ibi: *Quia abominamini judicium*, quæ verba expendens sanctus Doctor ait: *Potest autèm & aliter accipi, quod Principes domus Jacob, Judices domus Israel abominentur, detestenturque judicium, Dei Judiis sententiam declinantes, & omnem regulam scripturarum malis interpretationibus depravantes, isti ædificant Sion in sanguinibus, & Jerusalem in iniquitate. Cum enim scriptura jubeat: ne inducas impium in tabernaculum justorum, & virum sanguinum, & dolosum abominetur Dominus, hi quoscumque de asseclis suis ordinant clericos, & vitam eorum in scandalum populis exponentes, rei sunt infidelitatis eorum, qui scandalizantur.* Gratianus hæc verba quasi de simoniacis dicta interpretatus est, de quibus tamèn nulla mentio apùd Hieronymum habetur.

De Commentariis in Naum.

Can. 6. caus. 23. q. 5. & Can. 44. de pœn. dist. 3. Item ut Paulam & Eustochium in sacris literis institueret, Commentaria Hieronymus edidit in Prophetam Naum, quæ se elucubravisse unà cum memoratis Commentariis in Michæam idem ipse professus est in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. Ex interpretatione capitis 1. Naum vers. 9. in illis verbis *quid cogitatis contra Dominum* decerptus est can. 6. caus. 23. quæst. 5., cujus editio omninò consonat cum integris Hieronymi codicibus. Ad eundem canonem referendus est canon 44. de pœn. dist. 3., etenim hujus verba eadem sunt cum iis, quæ leguntur in laudato can. 6. vers. *quærat.*

Can 31. de pœn. dist. 3. Quæ habentur in can. 3. de pœn. dist. 31. laudantur in vetustis Gratiani exemplaribus sub hac inscriptione: *Item in principio Naum.* Reverà apud Hieronymum in principio sui commentarii in Naum, seu in proæmio ad Paulam & Eustochium, eadem verba non legimus: tantùm quædam similia exhibentur, ex quibus colligi potest, Gratianum non integrum Hieronymi edere voluisse monumentum, sed potiùs sancti viri sententiam aliis verbis proferre. Ità scribebat Hieronymus. *Juxtà Septuaginta Interpretes in ordine Prophetarum duodecim post Jonam Naum ponitur, quià videntur de eadem urbe prophetare. Scriptum siquidèm est in Jona: factus est sermo Domini ad Jonam filium Amathi dicens: Surge & vade in Niniven civitatem magnam, & prædica in ea. In Naum verò istud exordium est: Assumptio Ninive: Liber visionis Naum Helkesæi. Igitur uterque de Ninive Assyriorum Metropoli, quæ nùnc vocatur Ninus, texunt vaticinium. Porrò in Hebraico post Jonam Michæas ponitur, & Michæam sequitur Naum, qui interpretatur consolator. Jam enim decem tribus ab Assyriis deductæ fuerant in captivitatem sub Ezechia Rege Juda, sub quo etiàm nùnc in consolationem populi transmigrati adversus Ninivem visio cernitur.*

De Commentariis in Sophoniam.

Cum pluriès jam ad Paulam & Eustochium, piissimas feminas & literarum Divinarum studiosissimas, scripsisset Hieronymus, atque ad easdem nonnulla Sacrarum Scripturarum commentaria direxisset, non defuerunt viri sancto Doctori vehementer infensi, qui eundem de nimia, & arctiore cum illis necessitudine redarguerent; Quamobrem cum sanctus Vir alia ad illas dirigenda in Prophetiam Sophoniæ commentaria in promptu haberet, non primùm edere voluit, quàm in proœmio sui operis

apologia quadam se tueretur, in qua propterea plures religiosissimas fœminas laudaret, easque dignissimas diceret, quibuscum piissimi viri divinas institutiones tractarent. Memoravit inter ceteras Holdam, Deboram, Judith, Ester, Annam, Elisabeth, & Mariam in sacris etiam literis commendatas; & ex prophanis historiis memoratas voluit Aspasiam, Sapphonem, Themistam, Corneliam, & Catonis filiam conjugem Bruti, tandèm ita concludens: *Dixisse sufficiat Dominum resurgentem primùm apparuisse mulieribus, & Apostolorum illas fuisse Apostolas, ut erubescerent viri non quærere, quem jàm fragilior sexus invenerat.* Itaquè non indecorum sibi putavit Hieronymus, si, quemadmodùm alia, ita & ista in Sophoniam commentaria ad Paulam & Eustochium dirigeret, ut eas in lectione & meditatione sacrorum dogmatum detineret. Ex illis commentariis in ea parte, qua explicatur caput 3. Sophoniæ vers. 4. ibi: *Sacerdotes ejus polluerunt Sanctum*, depromptus est ca-
Can. 90. caus. 1. q. 1. non 90. caus. 1. quæst. 1.; ubi observandum est, non eam fuisse Hieronymi sententiam, ut concluderetur, Eucharistiam validè, ut ajunt Scholæ, non confici, nisi personalia consecrantis Sacerdotis concurrant merita; quamquàm enim id ex verborum cortice deduci posse quodammodò videatur, integra tamèn sancti viri sententia tantùm eò pertinet, ut tradat, improbos Sacerdotes gravissimis pœnis à Deo plectendos esse, quotiès scelerum conscii ad offerendam Eucharistiam accederent. Quod perspicuè magis deducitur ex subsequentibus verbis: etenim Hieronymus statim post verba à Gratiano descripta ità prosequitur: *Cum hæc faciant Principes, Judices, Prophetæ, Sacerdotes Hierusalem, nihilominùs clemens & justus est Dominus. Clemens in eo, quòd à sua Ecclesia non recedit: justus in eo, quòd reddit unicuique, quod meretur.*

Can. 6. caus. 23. q. 3. Canon 6. caus. 23. quæst. 3. pertinet ad interpretationem capitis 1. Sophoniæ vers. 13. *& erit fortitudo eorum in direptionem*, ad quæ ità scribit Hieronymus: *Juxtà tropologiam autèm cum venerit tempus judicii, sive uniuscujusque mortis, & egressionis à sæculo, tunc omnis fortitudo eorum in direptionem erit, ut quod male valebat, & erigebatur adversùs Dominum, infirmum, fractumque vertatur in melius. Velùt si quis fortitudinem latronis, & piratæ, & furis diripiat, infirmosque eos reddat, prodest illis sua infirmitas; debilitata enim membra, quibus priùs non benè utebantur, à malo opere cessabunt.*

De Commentariis in Aggæum.

Commentaria in Aggæum se scripsisse professus fuit ipse Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, quæ ad Paulam & Eustochium direxerat. Ex hoc libro habemus apùd Gratianum canonem 61. & 80. caus. 1. quæst. 1.; uterque autèm pertinet ad interpretationem capitis 2. vers. 5. in illis verbis: *Sic populus iste, & sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus, & sic omne opus manuum eorum, & omnia, quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt.* Canonum illorum verba in veteribus Gratiani codicibus corrupta & depravata exhibebantur, hodiè verò emendata prodierunt Romanorum Correctorum solertia. Can. 61. & 80. caus. 1. q. 1.

Ad interpretationem capitis 1. Aggæi vers. 6. ibi: *Seminastis multum, & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati &c.* pertinent verba canonis 46. de pœn. dist. 3., ubi ità scribit Hieronymus: *Si quandò videris inter multa opera peccatorum facere quempiam nonnulla, quæ justa sunt; non est tam injustus Deus, ut propter multa mala paucorum obliviscatur bonorum, sed faciet eum illa tantum metere, quæ in bonam terram seminaverit, & in sua horrea congregare*; quæ sanè verba non satis appositè Gratianus ad rem suam traduxit. Hæc est sancti Doctoris sententia. Agebatur de Judæo po- Can. 46. de pœn. dist. 3.

pu-

pulo, tempore Aggæi sub Dario adhùc presso captivitatis onere, in quo, licèt numero plures scelesti essent & peccatores, Deumque ad iracundiam provocantes, aliqui tamèn religiosi & pii Deum reconciliare toti etiam populo videbantur; quamobrèm proxima erat ex Divina Clementia redemptio populi, restitutio ejusdem in veterem patriam, & nova templi jam dudùm diruti & jacentis ædificatio. Hæc sanè non video, quomodò potuerint Gratiani proposito penitùs accommodari.

De Commentariis in Zachariam.

Can. 7. dist. 76. Tribus libellis interpretatus fuit Hieronymus Zachariæ Prophetiam, quos ad Exuperium Tolosanum Episcopum quasi *munusculum*, ut in præfatione prima dicitur, misit. Eos tamèn perficere omninò, ac perpolire non potuit, quòd urgeretur à Sisinnio Monacho, cui, dum iter suum maturaret, libros erat commendaturus. *Tanta celeritate dictamus* (verba sunt præfationis in secundum librum) *ut penè non sit emendandi spatium, dum frater Sisinnius Ægiptum ire festinat.* Et in præfatione in librum 3. *Urget me frater Sisinnius incompta & impolita transmittere, ut non dicam emendandi, sed ne relegendi quidèm habeam facultatem..... Rudes ergò non mea culpa, sed studio portitoris suscipe libros.* Profitetur prætereà Hieronymus, jam Commentaria in Zachariam elucubrata fuisse ab Origene, Hippolyto, & Didymo, subjiciens eos interpretes nihil propemodùm historiæ attigisse; quamobrèm voluit ipse historica gesta à vetustioribus omissa supplere. Ad interpretationem capitis 8. vers. 19. ibi: *Hæc dicit Dominus exercituum: jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium septimi, & jejunium decimi erit domui Juda in gaudium & lætitiam, & in solemnitates præclaras: Veritatem & pacem diligite*, pertinet canon 7. dist. 76. Nonnulla ibidèm Gratianus omisit, quæ in præsentia adjiciam, ut integra eliciatur sancti viri sententia: Ait ipse: *In hoc loco nostrorum multi multa dixerunt, & inter se dissonantia: Quidam obscuritatem silentio professi, quasi profundissimam foveam in commentariis transierunt, rectiùs arbitrantes nihil omninò quàm parum dicere. Cogimur igitùr ad Hebræos recurrere, & scientiæ veritatem de fonte magis, quàm de rivulis quærere, præsertim cum non prophetia aliqua de Christo, ubi tergiversari solent, & veritatem celare mendacio, sed historiæ ex præcedentibus, & consequentibus ordo texatur. Jejunium quarti mensis &c.* Quæ post ista sequuntur apùd Gratianum, omninò consonant cum codicibus Hieronymi, dummodò pro illis verbis Gratiani *longis à terra sancta* ista substituas: *longis ad terram sanctam.*

De Commentariis in Malachiam.

Quæ Hieronymus scripsit Commentaria in Malachiam, directa fuerunt ad Minerium & Alexandrum monachos. Professus est sanctus Vir, jam ab Origene Prophetam illum fuisse explicatum, eo tamèn interpretationis genere, quo, historicis gestis omissis, tota res ad tropologicas, & allegoricas sententias exigeretur: imò testatur, multa apùd Origenem occurrere, in quibus religiosis viris offendiculum esse posset, cum ibidèm nonnulla essent Origeniani erroris semina, de ruina animarum è Cœlo demissarum. Hinc & planiorem, seu magis historicæ veritati conformem, & ab omni Origenis errore alienam interpretationem concinnare ipse voluit, ne deesset studiis virorum piorum, mentem ad Malachiæ prophetiam intendentium, qua in re sollicitus admodùm fuit in conferendis sacris libris, sive hebraicam editionem cum editione Interpretum septuaginta. Ex his commentariis depromptus est canon 2. dist. 49., ubi sanctus Doctor interpretabatur verba illa Malachiæ cap. 1. vers. 7. *Offertis super altare meum panem pollutum, &* Can. 2. dist. 49.

dicitis, in quo polluimus &c. Gratianus in referendo Hieronymi monumento curavit potiùs, ut sententiam paucis contraheret, quàm verba ipsa describeret, quæ propterea hoc in loco sunt integra subjicienda. Scribit Hieronymus: *Panes videlicèt propositionis, quos juxtà traditiones hebraicas ipsi serere, ipsi demetere, ipsi molere, ipsi coquere debebatis, & nùnc sumitis quoscumque de medio, & voce temeraria respondetis, & dicitis: in quo polluimus eos, sive te? dum enim sacramenta violantur, ipse, cujus sunt sacramenta, violatur. Hoc autèm, quod sequitur: in eo, quod dicitis: mensa Domini despecta est, possumus ità interpretari: quòd reversi de Babylone, necdùm templo ædificato, manentes in casulis, & in ruinis urbis antiquæ altare tantùm extruxerant, non ejusdem gloriæ, cujus pristinum fuerat, & putabant deesse religionis sanctimoniam, quià deerat ædificationis ambitio. Tenues lineas duximus, quibus imprimenda est explanatio spiritualis. Corripit sermo divinus Episcopos, atque Presbyteros, & Diaconos negligentes, sive quoniàm genus Sacerdotale & Regale sumus, omnes qui baptizati in Christo Christi censemur nomine, cur despiciant nomen Dei. Et interrogantibus, in quo despexerint nomen ejus, causam demonstrat offensæ. Offertis, inquit, super altare meum panem pollutum. Polluimus panem, id est, Corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus, & dicimus: mensa Domini despecta est; non quòd hoc aliquis audeat dicere, & quòd impiè cogitat scelerata voce proferre, sed opera peccatorum despiciunt mensam Dei. Possumus & aliter dicere: Doctor Ecclesiæ, qui spiritualem conficit panem, & eum populis dividit, si vel propter humanam gloriam, vel lucra sæculi, quæ gloriam consequuntur, loquatur in populis, & divitibus blandiatur, & honorat peccatores, & juxta Jacobum suscipiat eos, qui cum annulis aureis ad se veniunt, & pauperes Sanctos reppellat, nomen Dei despicit, & panem polluit doctrinarum, & in ipsum Deum jacit contumelias; mensam scripturarum ejus mensis idolorum, sæcularisque doctrinæ putans esse communem. Si offeratis cæcum &c.* (hic est versiculus 8. Malachiæ in laudato cap. 1.) *De diversitate victimarum, & quæ vel offerri debeant, vel non offerri, in Levitico pleniùs discimus. Reversi itaquè de Babylone Sacerdotes, & Levitæ, Janitores, atque Cantores, & Nathinnei, servique Salomonis, quorum Esdras scribit Catalogum, illicitas Deo victimas offerebant, cæcas videlicèt, & claudas, ac varia debilitate confectas, hoc est enim, quod dicit languidum, uno cuncta sermone comprehendens. Si istiusmodi, inquit, duci tuo offerres munera, nonne respueret? Nonne sibi factam putaret injuriam, & hoc audetis offerre Deo, quod dare hominibus non audetis? Longum est nùnc omnium victimarum aperire mysteria. De his tantùm loquar, quæ præsenti capitulo continentur. Cæca est animæ victima, quæ non illustratur Christi lumine, nec habet oculum de Evangelio contuentem. Claudа est rogantis oratio, quæ duplici mente accedit ad precandum, & audit cum populo Judæorum: usquequò claudicatis utroque pede? & languida, & omni infirmitate cooperta, quæ non habet Christum, Dei virtutem, Deique sapientiam. Istiusmodi preces, quæ sine lumine veritatis sunt, & non habent sapientiæ firma vestigia, & debilitatibus variis contabescunt, si offerantur Ecclesiarum Principi, aut cuilibet erudito, sapientique Doctori, nonne repudiabuntur, & in contumeliam ejus recident, qui talia est ausus offerre?*

Canon 15. dist. 50. omninò consonat cum iis, quæ tradidit Hieronymus ad caput 13. Malachiæ vers. 3. ad illa verba: *Et purgabit filios Levi &c.* Verùm non satis eadem congruere videntur proposito Gratiani, dum demonstrandum erat, Sacerdotes post gravia admissa crimina olim admissos fuisse ad exercenda Ecclesiastica ministeria, si pœnitentiam egissent. Etenim vel ibidèm Hieronymus de levioribus peccatis sermonem habebat, quemadmodùm ex integro contextu deducitur, cum antè ipsa verba à Gratiano relata ita legatur: Can. 15. dist. 50.

Ip-

Ipse his, qui peccant graviter, ignis conflans est, atque consumens; qui autem levia peccata committunt, herba fullonum, ut lotis munditiam restituat; vel sancti Doctoris ità explicanda est sententia, ut intelligatur de victimis spiritualibus, quæ mysticè etiàm à Laicis offerri dicuntur post peractam pœnitentiam; siquidèm illa verba canonis, *quid de ceteris est dicendum*? ad Laicos perspicuè referuntur, de quibus propterea etiàm sequentia sunt intelligenda. Demùm quicumque integrum Malachiæ textum consideraverit, facilè deprehendet, agi ibidèm de ministris veteris testamenti per adventum Christi Domini in novo testamento purgandis, quotiès de criminibus suis pœnitentiam egerint; quæ sanè species longè distat à Gratiani proposito, cujus disputatio ad Sacerdotes novæ legis pertinet.

Ad idem caput 3. Malachiæ vers. 7. spectant verba canonis 65. caus. 16. quæst. 1., ubi pro illis verbis *me supplantatis, atque privatis .... Septuaginta transtulerunt ... & primitiis &c.* notandum est, apùd Hieronymum paulò alitèr legi, nimirùm: *me supplantatis, sive fraudatis, atque privatis .... Septuaginta interpretati sunt .... & primitivis &c.* Omitto, quæ jam à Romanis Correctoribus ex integris Hieronymi codicibus emendata fuerunt.

Can. 65. caus. 16. q. 1.

De Commentariis in Matthæum, & in Lucam.

A Commentariis in vetus testamentum editis gradum facio ad alia, quæ sanctus Vir edidit in novum; cujusmodi illa sunt in primis, quæ elucubravit in Evangelium Matthæi. Scripta sunt ista, postulante quodam Eusebio, qui propè Pascha discessurus à sancto Doctore, non alitèr abire voluit, quàm si hoc opus meditandum susciperet. Indulsit Hieronymus, & duarum hebdomadarum spatio commentaria absolvit, ita tamèn, ut, quemadmodùm ipse fatetur, sibi non superesset tempus ad emendationem, vel exactionem ad puros mundosque codices, eo vel magis, quia eo tempore jam à tribus mensibus ægrotatione languesceret, nec posset magnitudine laboris brevitatem temporis fallere. Professus est, velle se *periclitari magis apud doctos*, quàm *Eusebio sedulè postulanti quidquam negare*. Adjecit præterea, se ex viris eruditis nihil in illud opus derivare potuisse, licèt plures legisset, secutum autèm se penitùs literalem, & historicam interpretationem brevibus digestam, intermixtis identidèm spiritualis intelligentiæ veluti flosculis, uberiorem, & elegantiorem interpretationem sibi reservans in tempora commodiora. Sic demonstrata qualitate libri, undè unusquisque facilè de monumentis exindè decerptis sententiam ferat, accedo ad Gratianeos canones, ex quibus primus exhibetur canon 44. caus. 11. quæst. 3. Hunc olim valdè corruptum in codicibus Gratiani emendatum ediderunt Correctores Romani; nonnulla adhùc adjicienda ego puto, ut clarior adpareat sancti Doctoris sententia. Expendebat Hieronymus verba illa Matthæi 16. *Et tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram &c.*, ad quam rem ità scribebat. *Istum locum Episcopi, & Presbyteri non intelligentes aliquid sibi de Phariseorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur, cum apùd Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leprosis &c.* Sequuntur hic verba illa, quæ Romani Correctores ediderunt, ad quæ Gratianeus canon erit exigendus. Arguebat autèm ibidèm sanctus Vir effrænes illas quorumdam Presbyterorum, aut Episcoporum sui temporis sententias, qui putabant se jure posse & reos etiàm sine pœnitentia solvere, & innocentes temerè & sine causa damnare. Atque id, ut suspicor, pressiùs urgebat, quòd ipse Sacerdotibus nonnullis admodùm erat invisus, aliquandiù etiam dirè vexatus; quod

Can. 44. caus. 11. quæst. 3.

quod explicare malebat Eusebio Romam ituro, qua in urbe æmuli ejus doctrinæ degebant, & multa adversùs illum in vulgus spargere non dubitabant.

Can. 40. caus. 27. q. 2. Canon 40. caus. 27. quæst. 2. omninò consonat cum vulgatis Hieronymi codicibus ad interpretationem cap. 1. Matthæi in illis verbis: *Genuit Joseph Virum Mariæ*, & in illis: *Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam.*

Can. 2. caus. 32. q. 1. Omninò etiàm consonat cum vulgatis Hieronymi codicibus canon 2. caus. 32. quæst. 1. ad interpretationem verborum Matthæi cap. 19. *Dico autèm vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem &c.* Hæc ipsa Evangelii verba collocanda erunt initio memorati canonis 2. pro illis, quæ ibidèm descripsit Gratianus.

Can. 4. caus. 32. q. 2. Jam adnotaverunt Correctores Romani, canonem 4. caus. 32. quæst. 2. non penès Hieronymum, sed potiùs apùd Origenem reperiri in homilia 6. in Numeros ad caput 11. vers. 25. ibi: *Et requievit super eos Spiritus, & prophetarunt omnes.* Verùm nondùm satis hac in re in claro lumine collocatum arbitror Gratiani monumentum, nisi adhùc mentem Origenis aperiamus, ne fortè imprudens quispiam in fragmento Gratianeo consistens exindè colligat, nuptiales actus inter crimina & Deo detestabilia opera adcenseri. Explicabatur ibidèm non quælibet sancti Spiritus præsentia, sed illa, quâ quis singulari ratione per dona, quæ recentiores *gratias gratis datas* adpellant, illustratur; & tradebatur, non semper & ubique Spiritum sanctum hæc dona concedentem adesse, etiamsi agatur de prophetis, quos ceteroqui divinus idem Spiritus veluti singulares divinæ virtutis præcones assumpsit. Hùc igitur pertinet integra Origenis sententia, quam in præsenti describam, proùt apùd Origenem exhibetur, ibi: *Ego autèm licèt non usquequaquè pronunciem, puto tamèn, quod sint nonnulla etiàm communium hominum gesta, quæ, quamvis peccato careant, non tamèn digna videantur, quibus interesse putemus Spiritum sanctum. Ut verbi gratia dixerim, connubia quidèm legitima carent quidèm peccato, nec tamèn tempore illo, quo conjugales actus geruntur, præsentia S. Spiritus dubitur, etiamsi propheta esse videatur, qui officio generationis obsequitur. Sed & alia plura sunt, in quibus sufficit sola vis humana, & neque res indiget, neque decet, adesse præsentiam Spiritus sancti. Sed in hæc per excessum quemdam incurrimus, dum ostendere volumus, supèr solum Dominum, & Salvatorem meum Jesum mansisse semper Spiritum Dei, in ceteris autèm omnibus Sanctis, & sicut in septuaginta senioribus, à quibus verbi hujus processit exordium, requievisse tantùm Spiritum Dei, & operatum esse in tempore eo, quo expediebat iis, per quos operabatur, & utile erat iis, quibus ministrabatur.*

Can. 38. de pœn. dist. 3. Canon 38. de pœn. dist. 3. habetur apùd Hieronymum in commentario ad illa verba Matthæi cap. 27. *Judas ... pœnitentia ductus retulit triginta argenteos ... at illi dixerunt: Quid ad nos &c.*, ad quæ ità scribit sanctus Doctor: *Nihil profuit ei sera pœnitentia, per quam scelus corrigere non potuit. Si quandò sic frater peccat in fratrem, ut emendare valeat, quod peccavit, potest ei dimitti: Sin autem permanent opera, frustrà voce assumitur pœnitentia. Hoc est, quod in psalmo de eodem infelicissimo Juda dicitur, & oratio ejus fiat in peccatum; ut non solùm emendare nequiverit proditionis nefas, sed ad prius scelus etiam proprii homicidii crimen addiderit.* Ex his juvabit Gratianeum canonem emendare.

Ad illa verba Matthæi cap. 26. *Accipite, & comedite: hoc est corpus meum* pertinet canon 88. de cons. dist. 2., ubi exhibetur Hieronymi interpretatio. Et quidèm cum integris sancti Viri codicibus Gratianea editio consonat, dummodò pro illis verbis *in veritate sui corporis* legas *veritatem sui corporis.* Can. 88. de cons. dist. 2.

Ad eadem commentaria Hieronymi in Evangelium Matthæi referendus etiàm est

est can. 6. vers. *Finge* caus. 32. quæst. 5., licèt apùd Gratianum exhibeatur, quasi depromptus ex commentariis super Lucam; neque enim ulla sunt in Lucam Hieronymi commentaria. Sanè eadem verba habentur apùd sanctum Doctorem, ubi interpretabatur verba Matthæi cap. 11. *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Qua occasione sanctus Vir discrimen tradidit, quod intercedit inter legem veterem à Deo datam Judæis, & Legem Christi Servatoris, docens, in lege vetere executionem potiùs delictorum pœnis fuisse mulctatam; at in lege nova Evangelii respici potissimùm voluntatem in delinquentibus coercendis. Exemplum adtulit in rem propositam his verbis: *Finge in persecutione aliquam Virginem prostitutam. Hæc apùd Evangelium, quia voluntate non peccat, virgo suscipitur, in lege quasi corrupta repudiatur.*

Can. 6. § 2 caus. 32. q. 5.

De Commentariis in Epistolas Pauli, & primùm in Epistolas ad Romanos, & ad Corinthios.

Senio jam confectum, laboribusque diuturnis propemodùm fractum in plures epistolas Apostoli Pauli, postulante Heliodoro studiosissimo sui, scripsisse se testatur Hieronymus in procœmio in epistolam ad Romanos. Gratianus in can. 6. vers. *non potest* caus. 32. quæst. 5. fragmentum quoddam recensuit, quasi depromptum ex commentariis sancti Doctoris in epistolam ad Romanos. Invenitur autèm potiùs apùd Origenem, quemadmodùm jam animadverterunt Romani Correctores, una adjicientes Origenis verba, ad quæ fragmentum illud exigeretur. Fortè nomen Hieronymi irrepere potuit pro nomine Origenis, quia non pauca Origenis opera Hieronymus latinitate donavit.

Can. 6. § 1. caus. 32. q. 5.

Itaquè, cum aliud non sit apùd Gratianum, quod sit referendum ad commentaria in epistolam ad Romanos, ad canonem 3. caus. 32. quæst. 1. rectâ viâ progredior, qui Hieronymo inscribitur in commentariis epistolæ 1. ad Cor. cap. 6. vers. 18. ad ea verba: *Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est, qui autèm fornicatur, in corpus suum peccat*; quæ verba bifariàm Hieronymus explicavit. Primò enim ait, fornicationem ex eo potissimùm præ ceteris criminibus esse vitandam, quia duo simùl eodem vitio perire solent, quod in aliis privatis criminibus minimè evenit. Idcircò, qui fornicatur, dicitur in corpus suum peccare, quia in causa est, cur alius peccet, quem sibi jungendo, corpus quodammodò suum effecit juxta illud, quòd superiùs scripserat Apostolus: *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur.* Secundò ait: *Item alia expositio: De his, qui sunt in conjugio constituti, Apostolus sumit exemplum: quomodò, inquit, scriptum est, erunt duo in carne una, id est, vir & uxor unum corpus efficitur? Undè si aliquis ipsorum fuerit fornicatus, peccat in alium, quasi in proprium corpus. Residua autèm peccata specialia uniuscujusque sunt, nec alterum condemnant.* His Hieronymi verbis abusus esse videtur Gratianus in memorato canone 3., ubi diversa omninò sententia exhibetur, traditurque, uxorem adulteri adultero ipsi licitè jungi non posse, quandò sanctus Vir tantùm innuit eo in loco, virum adulterum in uxorem suam peccare, & in eandem injuriam sanè gravissimam inferre. Similia quædam etiàm sunt in Glossa ordinaria ad eundem Pauli locum, his verbis: *In conjugio positus quæcumque fecerit peccata, non infectat uxorem propriam: Si autem fornicatus fuerit cum aliis, maculat eam, ut non sit licita, sed quasi adultera, ut vir pœnitentiam accipere debet, si patitur uxorem in adulterio manere. Indè habemus, quòd nisi resipuerit vir, debet eum dimittere uxor.* Verùm, quidquid sit de hujus monumenti lectione, opus est hinc retrospicere, & quisnam fuerit horum commentariorum Hieronymo tributorum auctor, penitiùs investigare. Nimirùm sunt viri eruditissimi, qui commentaria illa,

Can. 3. caus. 32. q. 1.

quæ

quæ ad Heliodorum directa præseferuntur, Hieronymo non solùm non adscribi posse, sed nec debere scripserunt, imò & suspicati sunt, esse eadem Pelagii Hæresiarchæ. Reverà adparet in commentariis illis Heliodoro dicatis maxima styli diversitas, quotiès cum aliis Hieronymianis operibus conferantur, atque auctor ipsorum brevissimis & concisis sententiis omnia absolvit, quandò Hieronymus de more disertus agnoscitur. Prætereà auctor commentariorum in epistolam ad Romanos, qui idem est cum auctore commentariorum in epistolas ad Corinthios, in capite 7. scripsit, insanire eos, qui, peccatum originis è Protoparente nostro in posteros derivasse quasi ex traduce, dicerent; potiùs autèm dicendum esse, non alia ratione in posteros peccatum traduci, quàm quòd ad exemplum Protoparentum posteri etiàm novis se criminibus maculent; quam sanè sententiam nemo Hieronymo, facilè autèm unusquisque Pelagio adtribuet. Non adjicio plura, cum alia hujus generis argumenta à viris eruditissimis congesta jam sint, quibus adpareat, ea commentaria meritò abs Hieronymo abjudicari. Contraham orationem potiùs ad laudatum canonem 3., demonstrando, sententiam, ibidèm exhibitam, Hieronymi esse non posse; quod facilè eveniet, quotiès fragmentum illud cum aliis genuinis Hieronymi monumentis conferam. Extat inter epistolas Hieronymi epistola ad Amandum Presbyterum, qui à sancto Viro petierat, ut quædam sacrarum literarum testimonia explicarentur. Inter cetera postulavit, quomodò interpretandus esset Paulus in laudatis verbis: *Omne peccatum, quod fecerit homo, extra corpus est: Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Interrogationi ita respondit sanctus Doctor: *Sanctus Apostolus contra luxuriam disputans, & in superioribus dicens: Escæ ventri, & venter escis; Deus autem & hunc & illas destruet, consequenter venit ad fornicationem. Etenim luxuria mater libidinis est, ventremque distentum cibo, & vini potionibus irrigatum voluptas genitalium sequitur, atque, ut alibi dictum est, pro membrorum ordine ordo vitiorum est. Omne itaquè peccatum, v.gr. furtum, homicidium, rapina, perjurium, & cetera his similia, post factum pœnitudinem habent, & licet invitet lucrum, tamèn mordet conscientia. Voluptas sola ac libido etiàm in ipso tempore pœnitendi præteritos stimulos patitur, & titillationem carnis, & incentiva peccati, ut per hæc, quæ corrigi cupimus, cogitantes, rursùm sit materia delinquendi. Aliter: cetera forinsecùs sunt: Quidquid enim egerimus, in alios agimus: Fornicatio non solùm conscientiam fornicantis, sed & corpus maculat, ac secundum sententiam Domini, qua ait: Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carnem unam, etiam ipse cum meretrice unum corpus efficitur, & peccat in corpus suum, dum Corpus Christi facit esse corpus meretricis. Dicamus & aliter, ne ullam Græcorum sententiam præterire videamur. Aliud est peccare per corpus; aliud in corpore. Furtum, homicidium, & cetera absque fornicatione peccata manu administramus extrinsecùs: Fornicatio sola intrinsecùs in corpore nostro exercetur à nobis, non per corpus in alios;* & per *præpositio ministerium habet*, in *autem in se passionem. Sunt, qui ita edisserant, quòd secundum scripturam uxor viri corpus sit, & quicumque fuerit fornicatus, peccet in corpus suum, hoc est in uxorem, dum eam sua fornicatione commaculat, & facit eam non peccantem sua commixtione peccare.* Ità Amando interroganti arbitratus est se satisfecisse Hieronymus, & propositi Paulini textus absolvisse interpretationem. Rogo nùnc, quarè hoc loco alio modo interpretatus fuerit sententiam Pauli, quàm in laudatis commentariis ad Heliodorum directis eadem explicetur? Sagax profectò, & veritati admodùm conformis hæc ad Amandum missa illustratio, cur vel eadem Heliodoro perconctanti non repetitur, aut saltèm cur ad Amandum illa non mittitur,

tur, quæ ad Heliodorum scripta erat, quotiès recentior epistola ad Amandum missa esse credatur? Imò notatu dignissimum est, quòd Hieronymus postremo loco in epistola ad Amandum rejicere videatur, aut saltèm referre tamquàm non suam, sed aliorum non satis probatam opinionem, quæ ceteroqui Hieronymi esset, si ipsius essent commentaria ad Heliodorum; atque id ipsum est, quod sub Hieronymi nomine in laudato canone 3. describitur. Quæ cum ità sint, jure concludere possum, perperàm Gratianeum illum canonem Hieronymo fuisse tributum.

De Commentariis in epistolam ad Galatas.

Alia ratio est commentariorum in epistolam Pauli ad Galatas, quæ reverà Hieronymus edidit, atque ad Paulam & Eustochium religiosas feminas direxit. In iis sanctus Vir methodo analytica singulà Pauli capita explicavit, imitatus Origenem, Didymum, Eusebium Emissenum, & Theodorum Heracliotem, quemadmodùm ipse in sua præfatione confitetur; & quidem initio monet, quinam fuerit Apostoli scopus, dum non ad eos Galatas scripserat, *qui ex Judæis in Christum crediderant, & paternas putabant ceremonias observandas, sed ad eos, qui ex Gentibus fidem Evangelii receperant, & rursùm retrò lapsi quorumdam fuerant auctoritate deterriti, asserentium, Petrum quoquè, & Jacobum, & totas Judææ Ecclesias Evangelium Christi cum Lege veteri miscuisse. Ipsum etiàm Paulum aliud in Judæa facere, aliud nationibus prædicare; & frustrà eos in crucifixum credere, si id negligendum putarent, quod Apostolorum Principes observarent. Quamobrèm ità cautè inter utrumque & medius incedit, ut nec Evangelii prodat gratiam pressus pondere, & auctoritate majorum, nec præcessoribus faceret injuriam, dum adsertor est gratiæ.* Is igitùr erat præcipuus Pauli Apostoli scopus, cui Hieronymus interpretationem suam passim accommodavit.

Ex iis commentariis depromptus est canon 22. dist. 86. ad interpretationem capitis 6. vers. 2. ibi: *Alter alterius onera portate*, ad quæ ità scribit Hieronymus: *Qui clementiam non habet, nec indutus est viscera misericordiæ & lacrymarum, quamvis spiritualis sit, non adimplebit legem Christi.* Quam sententiam adhùc clariùs explicat, hæc verba subjiciendo: *Si quis infirmus in fide est, & adhùc lacte nutritur infantiæ, nec potest tam citò à legali observatione ad spiritualia sacramenta transire, vos, qui robustiores estis* (Galatas alloquitur) *ejus onera portate, ne per scientiam vestram frater pereat, pro quo Christus est mortuus.* Can. 22. dist. 86.

Canon 64. caus. 1. quæst. 1. legitur ibidèm ad interpretationem vers. 11. cap. 1. ibi: *Quod evangelizatum est à me, quia non est secundum hominem.* Verba Gratiani cum vulgatis Hieronymi codicibus omninò consonant, quemadmodùm etiàm consonant verba canonis 65. eadem causa & quæstione, ad interpretationem cap. 5. vers. 14. ibi: *Omnis enim lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Can. 64. & 65. caus. 1. q. 1.

Non est mihi elaborandum in interpretatione canonis 33. caus. 2. quæst. 7., utpotè qui apùd Hieronymum desideretur, imò nec ullo modo sancto Doctori adscribi possit, cum sanctus Vir potiùs reprehensionem Petri à Paulo factam fictione quadam contigisse arbitratus fuerit, utili simulatione, scilicet, ut *uterque populus salvus fieret, dum & qui circumcisionem laudant, Petrum sequuntur, & qui circumcidi nolunt, Pauli prædicant libertatem.* Prætereà Hieronymi proposito accommodatum non erat efferre Pauli alacritatem, dum Petro Apostolo restitit, cum professus fuerit se agere adversùs Porphyrium, qui Paulum resistentem Petro procacitatis redarguebat. Romani Correctores, Gratianei canonis originem investigantes, animadverterunt, eum desumptum fuisse ex glossa ordinaria interlineari; adjecerunt etiàm, si- Can. 33. caus. 2. q. 7.

similia quædam apùd Ambrosium recenseri, quibus profectò clariùs explicatur, quod paucis Gratianus in canone suo perstrinxerat. Ut verò magis liquidò adpareat, quod modò dixeram, Hieronymum ad simulationem quamdam vertisse, quod dicitur de Petro à Paulo correpto, sufficit mentem intendere ad canonem 21. caus. 22. q. 2., ubi Hieronymus expendit cap. 2. epistolæ ad Galatas vers. 11. & 14., atque inter cetera nonnulla adducit utilis simulationis exempla. Verba Gratiani omninò consonant cum vulgatis Hieronymi codicibus.

Can. 21. caus. 22. q. 2.

Canon 13. caus. 23. quæst. 4. pertinet ad interpretationem illorum verborum cap. 4. vers. 29., ubi de duobus Abrahæ filiis dicitur: *Is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum.* Correctores Romani ex codice Vaticano adnotaverunt, legendum esse *Lucam bovem*, ubi in vulgatis Hieronymi codicibus legitur: *Lucem bovem.* Hoc nomine designantur Elephantes; quemadmodùm enim colligitur ex Plinio lib. 8. cap. 6. Elephantes Italia primùm vidit Pyrrhi Regis bello, & Boves Lucas appellavit in Lucania visos; dicti autèm sunt boves ex eo, quòd Itali ad ea usquè tempora majus animal non nossent, quàm bovem.

Can. 13. caus. 23. q. 4.

Canon 30. caus. 23. quæst. 5. exhibet interpretationem verborum Pauli cap. 3. vers. 21. *Lex ergò adversus promissa Dei?* ad quæ ità scribit sanctus Doctor: *Nec verò existimandum, Scripturam auctorem esse peccati, quia omnia sub peccato conclusisse dicatur, cum mandatum, quod ex jure præcipitur, ostendat potiùs, arguatque peccatum, quàm sit causa peccati; quomodo & judex non est auctor sceleris nequam homines vinciendo, sed concludit eos, & nocentes sententiæ suæ auctoritate pronunciat.* Ex his liquet, Gratianum abusum quodammodò fuisse Hieronymi monumento, cum ex eo colligere voluit, judicem in eo non peccare, in quo homines improbos puniat: At Hieronymus non id scribebat, tradens potiùs, judicem, peccata scelestorum punientem, causam non præbere eorumdem scelestorum criminibus, quemadmodùm nec Deus ferendo legem causam præbet peccatis, contra editam legem admissis.

Can. 30. caus. 23. q. 5.

Canon 16. caus. 24. quæst. 3. spectat ad interpretationem verborum Pauli cap. 5. vers. 8. *Modicum fermentum totam massam corrumpit*; ad quæ tropologiam sequendo Hieronymus ità scribit: *Secandæ putridæ carnes, & scabiosum animal à caulis ovium repellendum, ne tota domus, massa, corpus, & pecora, ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat. Arius in Alexandria una scintilla fuit; sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est.*

Can. 16. caus. 24. q. 3.

Canon 27. caus. 24. quæst. 3. pertinet ad interpretationem capitis 5. vers. 20. & 21., ubi apùd Apostolum varia vitiorum genera recensentur, *dissensiones, sectæ*, (apùd Hieronymum *hæreses* appellantur), *invidiæ*, &c. Ad vocem illam *hæreses* ea subjicitur interpretatio, qualis exhibetur in memorato can. 27., ubi in postremis verbis ità legendum est ex vulgatis Hieronymi codicibus: *Et de carnis operibus est, eligens quæ pejora sunt.* Eundem versiculum 21. cap. 5. expendit Hieronymus in can. 12. caus. 32. quæst. 4., ubi *opera carnis, fornicatio, immunditia, & luxuria* juxtà mentem Apostoli recensentur. In eo canone jam animadverterunt Correctores Romani, omittendam esse vocem illam *luxuriæ*, utpotè quæ in integris Hieronymi codicibus desideretur.

Can. 27. caus. 24. q. 3.

Can. 12. caus. 32. q. 4.

De Commentariis in epistolam ad Ephesios.

Optimo etiàm jure Hieronymo tribuuntur, quæ sub ejus nomine circumferuntur commentaria in epistolam Pauli ad Ephesios, directa ad religiosissimas fœminas Paulam & Eustochium, in tres libellos digesta. In præfatione tradidit sanc-

sanctus Vir rationem, cur paulò obscuriores Apostoli sententiæ in ea epistola videantur, simulque causam scribendi ostendit, ut commodiore interpretatione unusquisque Apostoli mentem attingeret. Hinc ait de Paulo: *Scribebat ad Ephesios, Dianam colentes, non hanc venatricem, quæ arcum tenet, atque succincta est, sed illam multimammiam, quam Græci πολυμαθον vocant, ut scilicèt ex ipsa quoque effigie mentirentur, omnium eam bestiarum & viventium esse nutricem* (hujusmodi multimammiæ Deæ simulacrum Romæ repertum fuisse sub Leone X, testatur Chartharius in libro, cui titulus *Imagini degli Dei antichi* pag. *mihi* 61., ubi etiam iconem exhibet.) *Scribebat autem ad Metropolim Asiæ Civitatem, in qua ita Idololatria, & quod sempèr Idololatriam sequitur, artium magicarum præstigiæ viguerant &c.* Non est inutilis generalis hæc observatio, ut interpretaturi Gratianea monumenta, simul & Pauli epistolam, & Hieronymianas in ipsam elucubrationes faciliùs adsequamur, quippè illud esse sempèr debet accurati Interpretis officium, uti innuit idem Hieronymus in can. 3. dist. 29., cujus verba cum integris sancti Viri codicibus omninò consonant, ubi agitur de Sacrarum Scripturarum interpretatione, ut ex variis locorum, temporum, personarum, & id genus adjunctis germana auctoris sententia eruatur.

Can. 3. dist. 29.

Hinc facilè percipiemus sententiam canonis 3. dist. 37., ubi exhibetur explicatio verborum Pauli cap. 4. vers. 17. *Non ambuletis, sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui.* Illic ars dialectica reprobatur, quam Gentiles superstitionum tuendarum causa profitebantur; unà etiàm reprobatur ars physica, ex cujus principiis positis deducebantur Ephesii ad memoratam illam multimammiam Dianæ statuam colendam, quam viventium omnium productricem, seu nutricem arbitrabantur. Prætereà reprobatur ars metrica, qua divinationes, atque præstigiæ compositorum àrtificiosè verborum complexibus exercebantur, nihil enim Magis antiquius erat, quàm conciso metro obscuritate singula involvere, ut divini faciliùs viderentur. Ceterùm non erat, cur Gratianus eo fragmento uteretur, ad demonstrandum vetitam Sacerdotibus esse dialecticæ, physicæ, metricæque artis peritiam; debebat enim perpendere Collector verba Hieronymi in laudata præfatione, quæ idem ipse retulit in can. 3. dist. 29., personas scilicet, ad quas scribebatur, esse potissimùm attendendas; illis enim ars dialectica, & physica, & metrica nocere poterat, non ceteris, quibus ad assequendam rerum etiam divinarum peritiam eædem artes possunt aptissimo officio famulari. Adhùc observandum est, pro illis verbis Gratiani *dialectica arte ... in quoddam inane demergitur, qui jambum ferit, qui tantum ... ut ad alteram partem transeam &c.* in nonnullis Hieronymi codicibus legi: *In dialectica arte... quoddam inane demergit, qui jambum struit, qui tantam ... ut alteram partem transeam &c.* Dicitur ibidèm altera pars, ad quam transibat Hieronymus, quia in præcedentibus verbis ità scripserat: *Vanitas sensus, & mentis obscuritas bifariàm dividitur, in sæculi hujus negotia, & in sapientiam sæcularem: Quando & in his, quæ mundi hujus sunt, & citò transeunt, detinemur, aut non profutura cognoscimus. Nonne vobis videtur &c.* Exposuerat sanctus Vir in prioribus laudati canonis 3. verbis vanitatem sensus, prout referebatur *ad sapientiam sæcularem*; ad alteram deindè partem progressus est, prout scilicèt referebatur *ad negotia hujus sæculi.*

Can. 3. dist. 37.

Canon 5. dist. 37. spectat ad interpretationem capitis 6. epistolæ Pauli vers. 4. ibi: *Et vos Patres educate illos* (filios) *in disciplina, & correctione Domini.* Quæ verba Episcopis consideranda proponit Hieronymus, ut juxtà Apostoli monitum filios suos erudiant. Verba quidèm Gratiani consonant cum in-

Can. 5. dist. 37.

tegris sancti Doctoris codicibus; nonnullæ tamèn ibidèm occurrunt voces, quæ videntur explicatione indigere. In primis mentio ibidèm fit cujusdam *Calendariæ Strenæ*. Strena idem sonat apùd Latinos, ac munusculum quoddam datum certis diebus festivis boni ominis gratiâ, ità dictum, quasi *terna*, vel *trina*, quia ominabantur in ejus datione secundum, etiàm & tertium venturum similem diem, addita litera *S*, qui mos erat veterum, quemadmodùm adparet in nomine *litis*, & *loci*, quod aliquandò scimus ita pronunciatum *slitis*, & *sloci*. Symmachus lib. 10. epist. 28. ait *Strenas* nominatas ex eo, quòd in urbe Martia auctoritate Tatii Regis solebant ineunte anno fieri auguria exhibitis verbenis felicis arboris ex luco *Sterniæ*; de quo usu mentionem etiàm fecit Suetonius in Caligula cap. 42. Ergò *Calendariam strenam* dixit Hieronymus, quod boni ominis causa, Calendis fortè Januariis, quæ apùd veteres maximè solemnes erant ob jocos, & ludrica, concedebatur. Præterea mentio fit *Saturnalium sportularum*. Harum nomine intelligenda sunt munera quædam, quæ ultrò citròque mittere, ac recipere solebant Cives epularum, & comessationum causâ, quotiescumquè Saturnales ludi celebrarentur, in memoriam Saturnalis ætatis, qua vulgò ferebatur omnia fuisse communia, ut tradit Macrobius in lib. 1. Saturnalium cap. 7. Demùm mentio fit in eodem canone *Muneris Minervalis*; quo nomine designabantur apùd veteres munera, quæ adferri solebant præceptoribus ab iis, qui sese primùm in discipulos commendabant, quasi in honorem Minervæ, cujus imago in Scholis pingi solebat, uti scribit Varro in lib. 3. de Romana Republica cap. 2.

Can. 1. dist. 92. Ad canonem 1. dist. 92. nihil singulare occurrit, quod adnotemus. Pertinet ille ad interpretationem verborum Pauli ad Ephesios cap. 5. vers. 19. Tantùm dicam, pro illis Gratiani verbis *liniendæ sunt* legi in vulgatis Hieronymi codicibus *colliniendas*.

In canone 21. caus. 22. quæst. 5. explicantur verba illa Apostoli cap. 4. vers. 29. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem opportunitatis, ut det gratiam audientibus.* Hinc scribit sanctus Doctor: *Quotiescumquè ex sermone nostro aliquis proficit, & juxtà opportunitatem loci, temporis, & personæ ædificat audientes, bonus de ore nostro sermo processit. Quotiès verò loquimur, aut non in tempore &c.* Reliqua non persequor, cum integra apùd Gratianum legantur. Can. 21. caus. 22. q. 5.

In canone 2. caus. 32. quæst. 2. expenduntur verba Pauli cap. 5. vers. 24. ibi: *Sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus*; Et paulò inferiùs apùd Hieronymum ad interpretationem ejusdem versiculi leguntur verba canonis 70. de pœn. dist. 1., quæ hodiè à Romanis Correctoribus ritè emendata eduntur. Pro illis verbis *rugam habuit* lego adhùc in vulgatis Hieronymi codicibus *rugam habuerat*. Can. 2. caus. 32. q. 2. & Can. 70. de pœn. dist. 1.

Quod in canone 49. de cons. dist. 2. exhibetur, plurimùm valere potest adversùs recentiores hæreticos, qui perperàm de Sacrificio Missæ à Christo Servatore instituto scripserunt; etenim ibi dum Hieronymus interpretaretur verba Pauli cap. 1. vers. 7. *in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus*, ait, Christum Dei filium in redemptione nostra esse operatum, & subdit: *Dupliciter verò Sanguis Christi, & Caro intelligitur: vel spiritualis illa, atque divina, de quâ ipse dixit: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus; & nisi manducaveritis carnem meam, & sanguinem meum biberitis, non habebitis vitam æternam; vel caro & sanguis, quæ crucifixa est, & qui militis effusus est lancea.* Quid apertiùs proferri in medium potest ad duplex significandum mysterium, primum scilicet Sacrificium Christi in cruce, deindè Sacrificium ejusdem Christi in altari, utrobiquè salutem nostram Servatore ipso operante? Can. 49. de cons. dist. 2.

Ca-

Can. 81. de cons. dist. 4. Canon 81. de cons. dist. 4. refer-endus est ad caput 4. epistolæ Pauli vers. 5. ibi: *Unum baptisma.* Verba Gratiani olim depravata jacebant; hodiè verò restituta sunt, atquè ad integros Hieronymi codices exacta.

De Commentariis in epistolam ad Timotheum.

Can. 1. caus. 28. q. 3. Nulla extant apùd Hieronymum commentaria in epistolam Pauli ad Timotheum, ex quibus tamèn videtur Gratianus laudavisse verba canonis 1. caus. 28. quæst. 3. Non ignoro quidèm, sub Hieronymi nomine passim venditari commentaria in eam epistolam ad Heliodorum directa; verùm præterquamquòd jam superiùs demonstravi, eadem falsò Hieronymo fuisse tributa, uti videre est in meis animadversionibus ad canonem 3. caus. 32. quæst. 1., ibidèm verba memorati canonis 1. minimè reperiuntur. Romani Correctores observaverunt, sententiam potiùs illius canonis exhiberi in can. 1. dist. 26., deprompto ex epistola Hieronymi ad Oceanum. Non repugno; ut enim in epistola ipsa videtur quodammodò sanctus Doctor interpretatus Pauli Apostoli ad eam rem exactum testimonium, facilè evenire potuit, ut verba Hieronymi, ad Oceanum scribentis, aliam acceperint apùd Collectores canonum inscriptionem, quasi Hieronymi epistolam Pauli ad Timotheum interpretantis. Quæ verò sit sancti Viri sententia, inferiùs explicabitur ad laudatum canonem 1. dist. 26.

De Commentariis in epistolam ad Titum.

Can. 6. dist. 25. Nemini venire in dubium potest, quin sint reverà Hieronymo adscribenda commentaria ejus nomine edita in epistolam Pauli ad Titum, cum illorum commentariorum à se elucubratorum mentionem fecerit sanctus ipse Vir in Catalogo. Directa fuerunt illa ad religiosissimas feminas Paulam & Eustochium, atque uno libello exhibent Paulinæ epistolæ accuratam interpretationem. Hinc depromptus in primis fuit can. 6. dist. 25. ad illa Pauli verba cap. 1. vers. 6. *Si quis sine crimine est.* Emendanda sunt priora Gratianei canonis verba, in quibus ità legendum est juxtà vulgatos Hieronymi codices. *Primùm itaque sine crimine sit, quod puto alio verbo &c.*

Can. 10. dist. 37. Canon 10. dist 37. pertinet ad interpretationem capitis 1. vers. 1. in illis verbis: *Agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est.* Distinguit enim ibi Hieronymus duplicem veritatis agnitionem; primam, quæ naturæ vires excedit, qua scilicèt ad æternam gloriam præparamur, eamque in lectione divinarum scripturarum consistentem; alteram, quæ humana prorsùs est, ad quam pertinet studium Grammatices, Geometriæ, Arithmeticæ, & Musices. Quæ apùd Gratianum leguntur in vers. *Grammaticorum* jam animadverterunt Romani Correctores, legi apud S. Isidorum in lib. 3. de summo bono, sive sententiarum cap. 13. in fine; ubi revèra eadem penitùs verba exhibentur.

Can. 5. dist. 95. Difficilis sempèr visa omnibus fuit interpretatio canonis 5. dist. 95., ex quo videtur Hieronymus agnovisse nullum discrimen inter Presbyteros & Episcopos, quotiès ad divinam institutionem respiceretur. Hæc meo judicio esse non potuit sancti Viri sententia, qui optimè noverat ad Hierarchiam Ecclesiæ pertinere Presbyterorum & Episcoporum distinctionem. Non defuerunt, qui ignoscendum voluere Hieronymo agenti adversùs tumentes quosdam Diaconos, qui sese suprà Presbyteros efferebant, atque his propterea exhibenti Presbyteratus Ordinem quasi Episcopatui parem. Verùm, si totus Hieronymi contextus sedulò consideretur, ne levissima quidèm emerget conjectura, undè hæc interpre-

pretatio non inconveniens videri possit. Interpretabatur sanctus Doctor illa Pauli verba cap. 1. vers. 5. *Constituas per Civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi; Si quis sine crimine est, unius uxoris vir &c.* Ad quæ ità scribebat Hieronymus: *Audiant Episcopi, qui habent constituendi Presbyteros per urbes singulas potestatem, sub quali lege Ecclesiasticæ constitutionis ordo teneatur, nec putent Apostoli verba esse, sed Christi.... ex quo manifestum est, eos, qui Apostoli lege contempta Ecclesiasticum gradum non merito voluerint alicui deferre, sed gratia contrà Christum facere, qui qualis in Ecclesia Presbyter constituendus sit, sic per Apostolum suum in Ecclesia executus est.... At nùnc cernimus, plurimos hanc rem beneficium facere, ut non quærant eos, qui possunt Ecclesiæ plus prodesse, & in Ecclesia erigere columnas, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, &, ut deteriora taceam, qui ut Clerici fierent, muneribus impetrarunt. Diligentèr Apostoli verba attendamus, dicentis: Ut constituas per civitates Presbyteros, sicùt ego disposui tibi: Qui, qualis Presbyter debeat ordinari, in consequentibus disserens, hoc ait: Si quis est sine crimine, unius uxoris vir, &c., postea intulit: Oportet enim, Episcopum sine crimine esse, tamquàm Dei dispensatorem. Idem est ergò Presbyter, qui Episcopus, & antequàm Diaboli instinctu studia* (hinc exorditur Gratianus) *in religione fierent, & diceretur in populis, ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquàm verò unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur. Putat aliquis* (hæc omisit Gratianus) *non scripturarum, sed nostram esse sententiam, Episcopum, & Presbyterum unum esse, & aliud ætatis, aliud esse nomen officii. Relegat Apostoli ad Philippenses verba dicentis: Paulus, & Timotheus servi Jesu Christi omnibus Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis cum Episcopis, & Diaconis gratia vobis, & pax, & reliqua. Philippi una est urbs Macedoniæ, & certè in una Civitate plures, ut nuncupantur, Episcopi esse non poterant. Sed quia eosdem Episcopos illo tempore, quos & Presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Episcopis, quasi de Presbyteris, est locutus. Adhùc hoc alicui videatur ambiguum, nisi altero testimonio comprobetur. In actibus Apostolorum scriptum est, quòd cum venisset Apostolus Miletum, miserit Ephesum, & vocaverit Presbyteros Ecclesiæ ejusdem, quibus posteà inter ceteros sit locutus: Attendite vobis, & omni gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos pascere Ecclesiam Dei, quam adquisivit per sanguinem suum. Et hic diligentius observate, quomodò unius Civitatis Ephesi Presbyteros vocans, posteà eosdem Episcopos dixerit. Si quis vult recipere eam epistolam, quæ sub nomine Pauli ad Hebræos scripta est; & ibi æqualiter inter plures Ecclesiæ cura dividitur; Siquidèm ad plebem scribit: Parete principibus vestris, & subjecti estote; ipsi enim sunt, qui vigilant pro animabus vestris, quasi rationem reddentes, ne suspirantes hoc faciant. Siquidèm hoc utile vobis est. Et Petrus, qui ex fidei firmitate nomen accepit, in epistola sua loquitur, dicens: Presbyteros ergò in vobis obsecro Compresbyter, & testis Christi passionum, qui & ejus gloriæ, quæ in futuro revelanda est, socius sum. Pascite eum, qui in vobis est, gregem Domini, non quasi cum necessitate, sed voluntariè. Hæc propterea, ut ostenderemus, apud veteres eosdem fuisse Presbyteros, quos & Episcopos; paulatim verò, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo* (hæc descripsit in fine laudati canonis Gratianus) *Presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi Præpositus fuerit, esse subjectos, ità Episcopi noverint, se magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui, cum*

cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret. Videamus igitur, qualis Presbyter, sive Episcopus ordinandus sit: Si quis est sine crimine &c. Sunt hæc integra Hieronymi verba, ex quibus germanam ipsius sententiam colligamus; non enim ex brevissimo fragmento, quod apùd Gratianum describitur, sufficit mentem sancti Doctoris elicere. Ad interpretationem doctrinæ Apostolicæ clamabat, tales ordinandos esse Presbyteros, qui sine crimine essent, eisdemque ornati virtutibus, quibus Episcopos insignitos esse deceret. Quod ut illustraret, addidit olim Presbyteros fuisse Episcoporum adjutores, & quasi in communi regentes Ecclesiam Dei, ut propterea quandoquè in Scripturis sanctis Episcoporum nomine donarentur. Atque ex eo Sacerdotali officio jure docebat, non alios esse ad Presbyterale officium advocandos, quàm eos, quos Episcopalis & honor, & opus admitteret. Sic adversùs quorumdam Episcoporum abusus declamabat, qui in Presbyteris ordinandis plurimum favori, amicitiæ, necessitudini, muneribus, & sanguini tribuebant. Id verò sibi inter cetera objiciebat ad ordinantium Episcoporum excusationem (quod etiàm hodiè fortè objicerent Antistites illi, qui sine delectu ad Ecclesias Sacerdotes vocant, ordinantque in dedecus Sacerdotalis ordinis, ac dignitatis), nimirùm non adeò elaborandum esse in Presbyterorum ordinationibus celebrandis, cum recentiore infrà Apostolicam ætate obtinuerit, Ecclesiarum administrationem, curam, & vigilantiam ferè universam in Episcopos solos transiisse, Presbyteros tantùm vel in Sacræ Psalmodiæ recitatione detinendos esse, vel in muneribus ceteris ejus generis; quamobrèm characterum rubricarumque notitiam illis sufficere: ceterùm, ubi agitur de maturandis iis, quæ ad optimum animarum regimen conferunt, reformationem morum tàm in Clero, quàm in populo, soli Episcopo reservari; uno verbo jurisdictionem Ecclesiasticam, & potestatem omnem Episcopi, executionem & obedientiam Sacerdotum inferiorum propriam esse. Hæc sanè erant, quæ Hieronymo objiciebantur ab illis, qui in ordinatione Presbyterorum voluntati Episcopali quorumdam indulgendum esse adfirmabant, neque tales in Presbyteris qualitates necessarias arbitrabantur, quales in adjutoribus Episcoporum requiri videbantur. Non tulit Vir sanctissimus æquè ac eruditissimus & Doctrinæ Pauli Apostoli, quam expendebat, & Presbyteralis officii, quod gerebat, optimè conscius, toto orationis nervo contendens, eundem esse Presbyterum, qui & Episcopus est, non ordine quidem, quod non erat sancti Doctoris proposito necessarium dicere, sed officio, ità ut unaquæque negotia Ecclesiastica, præsertim graviora ita gerenda ab Episcopo forent, ut Presbyterorum consilium non solùm non recusare, sed & postulare Episcopus teneretur. Quod licèt sua ætate apùd plurimos non obtinuisse fateatur lugens, quum Episcopi per se solos Ecclesiastica negotia regerent, id tamèn pro opportunitate receptæ Ecclesiasticæ œconomiæ adscripsit, & consuetudini, præter dominicæ veritatis dispositionem invectæ, ut schismatum tolleretur occasio. Hæc est mea de Hieronymi doctrina sententia, in quam eo libentiùs eundum putavi, quò clariùs agnovi, Gregorium VII. ita sanctum Doctorem intellexisse in suo Concilio Romano 1. anni 1074.; ubi, postquàm in canone 14. tradiderit Pauli Apostoli doctrinam in epist. ad Timotheum cap. 3. ex qua colligitur, quænam esse debeant promovendorum Episcoporum qualitates, ità prosecutus est ex doctrina Hieronymi in can. 15. *In primo igitur notandum est, in his Apostolicis institutionibus sub nomine Episcopi etiàm Presbyteros comprehendi; inconvenienter enim Apostolus post descriptionem Episcopi statim de Diaconibus subinfert, si non*

&

& Presbyteros sub Episcopali descriptione comprehenderet, qui post Episcopum proximi, & ipsis Diaconibus indubitantèr sunt antepositi. Aut enim nusquàm de ordinatione Presbyterorum dixit, aut sub nomine Episcoporum eos descripsit. Sed incongruum esset, ut, prætermisso magistro, ministrum ejus describeret, cum tamèn magister Ecclesiasticis dispositionibus magis esset necessarius. Prætereà, cum Apostolus Tito præcipiat, ut per Civitates Presbyteros ordinet, statim eum de ordinatione eorum informans, subinfert: Oportet Episcopum sine crimine esse: Idem Timotheo scribit: Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii: cui in sequentibus statim dixit: nemini manum citò imposueris, quod propriè Episcoporum est: ergo eundem Episcopum dicit, quem & Presbyterum nominavit. Sic B. Hieronymus, & S. Ambrosius, prædictas Apostoli sententias fideliter exponentes, testantur, apùd antiquos idem fuisse Episcopum, & Presbyterum, ut nomen unum esset officii, aliud ætatis. Posteà autèm, ut Hieronymus adserit, cum unusquisque eos, quos baptizaverat, suos esse putaret, non Christi, propter auferenda schismata in toto decretum est orbe, ut unus de Presbyteris præponeretur ceteris, ad quem omnis cura Ecclesiæ pertineret. Post descriptionem autèm Episcopi, & Presbyteri cautè Apostolus subjungit de Diaconibus ità decernens: Diaconos similiter, id est, oportet esse pudicos &c. ac si diceret: Quod de Episcopis, & Presbyteris decrevi, hoc idem & de Diaconibus me sciatis decrevisse. Satis ergò evidenter patet, ut æstimo, Apostolum in superioribus suis definitionibus etiàm Presbyteros cum Episcopis & Diaconibus comprehendisse: undè & meritò quilibet eorum à sacris officiis dimoventur, quicumque ex illis in se Apostolicam informationem corrupisse probantur, &c.

Ad ea, quæ modò animadvertebam ad canonem 5. dist. 95. referendus etiàm est canon 6. caus. 8. quæst. 1., spectat enim ad eandem quæstionem propositam, & ad interpretationem Paulinæ sententiæ de Presbyterorum ordinationibus. Porrò in descriptione canonis 5. jam nonnulla exhibui, ex quibus emendari possit canon 6. laudatus; nàm pro illis Gratiani verbis, *ut non quærant eos in Ecclesia, &c.* ità legitur apùd Hieronymum: *Ut non quærant eos, qui possunt Ecclesiæ plùs prodesse, & in Ecclesia erigere columnas, sed quos vel ipsi amant &c.* Eòdem quoquè pertinet canon 14. caus. 8. quæst. 1. cujus verba leguntur apùd Hieronymum antè verba laudati canonis 6., & cum integris Hieronymi codicibus penitùs consonant.

Can. 6. & 14. caus. 8. q. 1.

Prætereà ad eundem Pauli versiculum spectat canon 20. caus. 8. quæst. 1., ubi sanctus Doctor Episcopos illos reprehendit, qui amant in Clero dominari. In quibusdam Gratiani editionibus legitur, *quia potentèr tormenta patientur*: apùd Hieronymum verò, *quia potentes potenter tormenta patientur.* Quod dicitur apùd Gratianum, rejici ab Episcopatu quosdam, *quia eos vitia liberorum impedierint*, spectat ad interpretationem verborum Pauli, ubi intèr ceteras Episcopi qualitates postulavit, *ut filios haberet fideles*; etenim præsumendum erat, non satis fidelitèr præfuturum Ecclesiæ eum, qui familiæ suæ cum fructu præesse nescivisset.

Can. 20. caus. 8. q. 1.

In canone 21. caus. 8. quæst. 1. exhibentur postrema Hieronymi verba ad caput 2. epistolæ Pauli, ubi Titum admonebat: *nemo te contemnat.* Apùd Hieronymum vox illa *Acolyti*, quæ apùd Gratianum occurrit, desideratur.

Can. 21. caus. 8. q. 1.

Consonat cum integris Hieronymi codicibus canon 22. caus. 8. q. 1., quem spectare ad interpretationem verborum Pauli in cap. 1. vers. 8. *sed hospitalem* jam observaverunt Romani Correctores.

Can. 22. caus. 8. q. 1.

Canon 84. caus. 11. quæst. 3. exhibet interpretationem cap. 1. versic. ult. ejusdem epistolæ in illis verbis: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Animadvertenda est in hoc monumento quædam editionum varietas; ubi enim Gra-

Can. 84. caus. 11. q. 3.

Gratianus legit : *Sed & illos omnes, quorum opere, vel sermone, vel cogitatione Christus negatus negat &c.* in nonnullis Hieronymi codicibus ità habetur : *sed per omnia opera, sermones, cogitationes Christus vel negatus negat &c.*

Jàm diù emendaverunt Romani Correctores tùm inscriptionem, tùm sententiam canonis 93. caus. 11. quæst. 3., ubi Hieronymus interpretabatur versiculum 9. cap. 2. epistolæ Pauli ad ea verba, quæ ità exhibentur apùd Hieronymum : *Servi dominis suis subditi sint in omnibus &c.* Hinc scribit sanctus Vir: *Subditi sint dominis suis in omnibus : In his autem omnibus, quæ non sunt contraria Deo, ut si Dominus ea jubet, quæ non sunt adversa scripturis sanctis, subjiciatur servus Domino : sin verò contraria præcipit, magis obediat spiritus, quàm corporis domino.* Quæ in Gratianeo canone sequuntur, deprompta sunt ex interpretatione cap. 3. princ. in illa verba: *Admone illos Principibus, & potestatibus subditos esse, obedire &c.*, ad quæ sanctus Vir ita scribit: *Si bonum est, quod præcipit Imperator, & Præses, jubentis obsequere voluntati ; sin verò malum, & contra Deum sapit, responde ei illud de actibus Apostolorum : Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Cetera, quæ apùd Gratianum leguntur, omninò consonant cum vulgatis Hieronymi codicibus.

Can. 93. caus. 11. q. 3.

Canon 4. caus. 14. quæst. 6. apùd Gratianum ità describitur, quemadmodùm describebatur apùd vetustiores Collectores, nimirùm Burchardum lib. 11. cap. 55. & Ivonem parte 13. cap. 41. Addi ipsis posset auctor Pœnitentialis Romani editi ab Antonio Augustino tit. 4. cap. 6. Verùm Gratiani editio cum editis Hieronymi codicibus minimè consonat : imò, si verborum Gratianeorum cortici esset inhærendum, dubitandum videretur, ne eadem quemquam in errorem facilè inducerent, quasi significent, idem esse neque gravius neque levius admissum crimen, quotiescumquè sive major sive minor rerum alienarum quantitas à fure subripiatur. Non fuit hæc Hieronymi sententia, qui non de rebus, seu de rerum quantitate, in quibus furtum committeretur, agebat, sed de qualitate personarum, quæ furtum admitterent, ad interpretationem verborum Pauli cap. 2. vers. 9. ibi apùd Hieronymum : *Servi dominis suis subditi sint....non furantes &c.* Quærebat autèm sanctus Doctor, nùm furta servorum quasi leviora flagitia essent judicanda. Dubitatio ex eo proficiscebatur, quia servi fures allegabant, non sibi adquirere, sed domino suo, quodcumque furto ab extraneis subripuissent; quòd si de rebus dominicis quæreretur, propriè in illis furtum admitti non videri, cum à servis furibus extrà familiam non adsportarentur. Scribebat ad eam rem Hieronymus, parùm aut nihil referre, an à libero homine, an à servo furtum admissum proponeretur, his verbis : *Fur autèm non solùm in majoribus* (subaudi *personis*) *sed etiàm in minoribus judicatur : non enim id, quod furto ablatum est* (id est, sive res dominica sit, sive extranei, sive in domini dominium ac potestatem evadat, sive in persona furis adquisitio rei furtivæ fiat) *sed mens furantis attenditur. Quomodò in fornicatione, & adulterio, non idcircò diversa sit fornicatio, aut adulterium, si pulchra, vel dives, deformis, aut pauper, meretrix, vel adultera sit, sed qualiscumque illa fuerit, una est fornicatio, vel adulterium, ità & in furto, quantumcumque servus abstulerit, furti crimen incurrit.* Ex his apertè liquet, corruptam apùd Gratianum fuisse Hieronymi sententiam, dum Collector à qualitate personæ furis ad quantitatem rerum furto subreptarum præcipiti ratione gradum fecit.

Can. 4. caus. 14. q. 6.

Paulò obscura nonnulli fortè videbuntur verba canonis 67. caus. 16. q. 1., ubi dicitur *sterilitatis seipsum condemnare*, qui viris evangelizantibus necessaria non tribuit. Interpretabatur Hieronymus verba Apostoli cap. 3. vers. 14 ibi : *Discant autèm & nostri bonis operi-*

Can. 67. caus. 16. q. 1.

ribus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi. Hinc sanctus Vir subjungebat: *ut non, inquit, infructuosi sint; omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Hoc autem dico, quia qui parcè seminat, parcè & metet: Apostolicis viris, & Evangelizatoribus Christi in necessariis usibus nolle tribuere, sterilitatis seipsum est condemnare.*

Can. 24. caus. 23. q. 5. Nihil est, quod singulari dignum observatione videatur in can. 24. caus. 23. quæst. 5. Consonat cum integris Hieronymi codicibus, ubi sanctus Vir interpretabatur caput 2. Pauli vers. 9. & 10.

Can. 10. caus. 24. q. 3. Maximam Hieronymi moderationem in præcavendo, ne maledictio unquàm proferatur, exhibet canon 10. caus. 24. quæst. 3., ubi sanctus Vir expendebat verba capitis 3. Paulinæ epistolæ vers. 2. ibi: *neminem blasphæmare*; ad quæ ità scribebat: *Neminem quoquè blasphæmare non simplicitèr accipitur; nec enim ait: neminem hominem blasphæmare, sed absolutè neminem, non Angelum, non aliquam creaturam Dei; omnia quippè, quæ à Deo facta sunt, valdè bona sunt. Quandò Michael Archangelus cum Diabolo disputabat de Moysi corpore, non fuit ausus inferre judicium blasphæmiæ* (referuntur hæc ad narrationem Judæ Apostoli in vers. 9. epistolæ) *sed dixit: Imperet tibi Deus. Si igitur Michael non fuit ausus Diabolo &c.* Reliqua habentur eisdem verbis apùd Gratianum, dummodò pro voce illa *Heliel* ex integris Hieronymi codicibus legamus *Ebal.* In hac porrò sententia docemur, quanta cum animi mansuetudine cum hostibus etiàm nostris agendum sit, etiamsi inimici fidei, ac religionis sint, divino enim judicio sunt relinquendi, salva tamèn illorum auctoritate, qui divino nomine in Ecclesia ipsa jurisdictione potiuntur. Ceterùm privatorum non est aut illos injuriis afficere, aut blasphæmiis lacessere.

Can. 26. caus. 24. q. 3. & can. 15. caus. 33. q. 5. Romani Correctores rectè observaverunt ad canonem 26. caus. 24. quæst. 3. aliquam esse in excussis codicibus varietatem; ista tamèn levissima prorsùs est, ex qua sententia Hieronymi nullo modo immutatur. Consonat autèm cum integris sancti Viri codicibus canon 15. caus. 33. quæst. 5., ubi Hieronymus expendit verba Pauli cap. 2. vers. 5. de mulieribus ità scribentis: *Subditas viris suis, ut verbum Dei non blasphæmetur.*

De Commentariis in epistolam ad Philemonem.

Can. 57. & 58. caus. 11. q. 3. Iterùm ad Paulam & Eustochium religiosas feminas, & divinarum literarum apprimè studiosas scripsit Hieronymus commentaria in epistolam Pauli ad Philemonem, quæ sanè & elegantia elocutionis, & sententiarum pondere à ceteris genuinis sancti Viri commentariis minimè dissonant. Ex iis deprompti sunt canones 57. & 58. caus. 11. quæst. 3. qui simùl jungendi sunt, ut de integra Hieronymi sententia constet. Expenditur ibidèm, quod ait Paulus vers. 4. ibi: *Fidem, quam habeo in Domino Jesu, & omnes sanctos ejus*; & plurima traduntur ad dignoscendum discrimen sanctitatis Christi, & ceterorum Sanctorum, undè oritur Sanctorum eorundem arctissima cum Christo conjunctio. Verba can. 57. subjicienda statim sunt pòst verba canonis 58. hac ratione & nexu sententiarum: *Si quis hominem, qui sanctus non est, sanctum esse crediderit, & Dei eum junxerit societati, Christum violat, cujus corporis omnes membra sumus. Si quis dixerit, justum injustum, & injustum justum, abominabilis uterque apùd Deum est. Similitèr, qui sanctum dicit esse non sanctum, & rursùm non sanctum asserit sanctum, abominabilis apùd Deum. Omnes credentes secundùm Apostolum &c.*

SECTIO II.

De libellis, ab Hieronymo editis ad fidei & morum institutiones.

De libris contra Jovinianum.

Studium diuturnum, assidua solertia, qua Hieronymus in divinarum literarum

rum interpretatione elaboravit, non potuit non reddere virum ad hæreses, hæreticosque conficiendos egregiè instructum. Hinc est, quòd ipse ubi adversus hæreses pro tuenda fide, ac religione pugnaverit, validissimis usus fuerit argumentis, quibus divini verbi rationes palàm explicaret; explicatasque hæreticis, contrà quos agendum erat, opponeret. Contrà Jovinianum eximio Doctori decertandum fuit, cujus errores duobus libellis adgressus est, atque expugnavit. Fuit Jovinianus Monachus primùm, deindè inter Clericos connumeratus, divitiis quidèm adfluens, parùm tamèn ingenio valens, nec eloquentia, nec eruditione pollens; atque has propositiones quatuor in medium ediderat, quemadmodùm idem Hieronymus testatur initio lib. 1. his verbis: *Dicit: virgines, viduas, & maritatas, quæ semèl in Christo lotæ sunt, si non discrepent ceteris operibus, ejusdem esse meriti. Nititur approbare, eos, qui plena fide in Baptismate renati sunt, à Diabolo non posse subverti. Tertium proponit, inter abstinentiam ciborum, & cum gratiarum actione perceptionem eorum nullam esse distantiam. Quartum, quod & extremum, esse omnium, qui suum Baptisma servaverint, unam in regno Cœlorum remunerationem.* Quatuor hæc Can. 5. & 9. dist. 27. hæreseos capita sunt, quæ evertenda sanctus Doctor duobus libellis suscepit, priore libro primum caput conficiens, in altero cetera capita. Itaquè, ut ad Gratianeos canones accedam, in lib. 1. legitur canon 5. dist. 27., ubi Hieronymus propugnabat, virginitatem potiùs, quàm nuptias à sancto Paulo laudari in cap. 7. epist. 1. ad Corinth., ità scribens: *Si autèm acceperis uxorem, non peccasti. Aliud est non peccare, aliud benefacere. Et si nupserit virgo, non peccavit: Non illa virgo, quæ semet Dei cultui dedicavit; Harum enim siqua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit.* Hæc sanè verba penitùs consonant cum fragmento Gratiani: itèm cum Pœnitentiali Romano, edito ab Antonio Augustino tit. 8. cap. 10. & quidèm Hieronymi nomine. Eodèm in loco ità progressus est sanctus Doctor. *Si autèm hoc de viduis dictum objecerit, quantò magis de virginibus prævalebit, cum etiàm his non liceat, quibus aliquandò licuit. Virgines enim, quæ post consecrationem nupserint, non tàm adulteræ sunt, quàm incestæ.* Hæc verba sunt canonis 9. dist. 27., quæ etiàm sub Hieronymi nomine recensentur apùd Antonium Augustinum in memorato Pœnitentiali Romano tit. 8. cap. 13. Videtur in his paulò acutiùs vir eximius disputavisse, dum & adulteras, & incestas consecratas virgines appellabat, quotiès lapsæ fuissent. Dandum illud est disceptanti, cujus proposito ceteroqui satis fuisset, illas reas gravis delicti nominare.

In eodem libro 1. habentur verba canonis 7. dist. 31., ubi demonstratur, quàm decorum sit, imò & necessarium Sacerdotibus continentiæ bonum; ex eo enim facilè deducebatur, continentiam nuptiis longè antecellere. Can. 7. dist. 31.

Canon 2. dist. 35. habetur in libro 1., & quidèm eisdem verbis, quibus apùd Gratianum describitur. Ibidèm respondebat Hieronymus Joviniano tradenti, sine discrimine & à cibis lautioribus abstinere, & eisdem frui unumquemque posse, ex eo, quòd post universale diluvium Deus homini carnium esum concesserit, & coturnices Judaico populo peregrinanti ministraverit. Verùm hanc ipsam disputationem fusiùs alibi Hieronymus persecutus est, nimirùm in libro 2., ex quo exceptus fuit canon 3. dist. 35. apprimè consonans vulgatis & optimis Hieronymianorum codicum exemplaribus. Can. 2. & 3. dist. 35.

De canone 20. dist. 50. vix est, quod dicere in præsentia possim. Referendus est ipse ad canonem 40. de pœn. dist. 2., ubi & idem fragmentum describitur propè finem, & sancti Viri sententia fusiùs explicatur. Tantùm dicam hoc in loco, parùm prodesse eum canonem 20. Gratiano, qui demonstraturus erat, Sacer- Can. 20. dist. 50.

cerdotes lapsos post pœnitentiam in pristinum honorem & gradum posse restitui. Rem ibidèm habebat Hieronymus adversùs Jovinianum tradentem, viros semèl baptizatos peccato ampliùs inquinari non posse. Adferebat Hieronymus ad eam rem exemplum Jesus filii Josedech, qui post adeptum Pontificatum magnum in crimen adhùc lapsus deprehenditur. Id sancto Doctori attigisse sufficiebat: an verò post pœnitentiam restituendus Jesus fuerit in pristinum, alia erat, & Hieronymo non opportuna disquisitio. Non omiserat autèm paulò anteà sanctus Doctor nonnulla adnotare, ex quibus discrimen aliquod subesse inter veteris testamenti, & novæ legis Sacerdotes dignosceretur, ità scribens: *Ceterùm quis ignorat, sub altera dispensatione Dei omnes retrò sanctos ejusdem fuisse meriti, cujus nùnc Christiani sunt? Quomodò ante Abraham placuit in conjugio, si nùnc virgines placent in perpetua castitate? Servivit ille legi, & tempori suo; serviamus & nos Evangelio, & tempori nostro*; quasi diceret, severiorem esse Evangelicæ legis disciplinam, quàm quæ olim apùd veteres obtineret.

Can. 3. vers. *quod præcipitur* caus. 14. q. 1.

Canon 3. vers. *quod præcipitur* caus. 14. quæst. 1. habetur in lib. 1. contrà Jovinianum, ad quem maximè juvabit integram Hieronymi sententiam, à Gratiano paulò corruptam, exhibere. Relato illo Apostoli Pauli testimonio: *De virginibus autèm præceptum Domini non habeo, consilium autèm do &c.*, subdit Hieronymus. *Hic adversarius tota exultatione bacchatur, hoc veluti fortissimo ariete virginitatis murum quatiens*: *Ecce, inquit, Apostolus profitetur, de virginibus Domini se non habere præceptum, & qui cum auctoritate de maritis & uxoribus jusserat, non audet imperare, quod Dominus non præcepit. Et rectè, quod enim præcipitur, imperatur, quod imperatur, necessè est fieri, nisi fiat, pœnam habet. Frustrà enim jubetur, quod in arbitrio ejus ponitur, cui jussum est. Si virginitatem Dominus imperasset, videbatur nuptias condemnare, & hominum auferre seminarium, undè & ipsa virginitas nascitur. Si præcidisset radicem, quomodò fruges quæreret? nisi antè fundamenta jecisset, qua ratione ædificium extrueret, & operturum cuncta desupèr culmen imponeret? Multo labore fossorum subvertuntur montes, terrarum penè interna penetrantur, ut inveniatur aurum. Cumque de granis minutissimis priùs conflatione fornacis, deindè callida artificis manu fuerit monile compactum, non ille beatus vocatur, qui de luto excrevit aurum, sed qui auri utitur pulchritudine. Noli igitur admirari, si inter titillationem carnis, & incentiva vitiorum Angelorum vitam non exigimur, sed docemur. Quia ubi consilium datur, offerentis arbitrium est; ubi præceptum, necessitas est servientis.*

Canon 10. caus. 31. quæst. 1. eisdem omninò verbis legitur in libro 1. contrà Jovinianum, ubi eandem rem persecutus Hieronymus ostendit, continentiam nuptiis longè præstare. Quod in canone dicitur, *Cataclysmi delevit pœna*, intelligitur de universali diluvio; siquidèm apùd Græcos *Cataclysmus* idem sonat, atque inundatio. Animadvertendum est prætereà, verba illa *quam Sancta sit digamia* dicta per ironiam ab Hieronymo fuisse.

Can. 10. caus. 31. q. 1.

Canon 12. caus. 32. quæst. 1. falsò adscriptus fuit Ambrosio, qui propterea auctori suo fuit à Romanis Correctoribus restitutus, videlicèt Hieronymo, qui in lib. 1. adversùs Jovinianum hæc habet: *Quod autem ait: crescite & multiplicamini, & replete terram*, (is erat Joviniani veluti Achilles, quo non primas tantùm, sed & secundas nuptias æquiparabat continentiæ), *necesse fuit priùs plantare sylvam, & crescere, ut esset posteà, quod posset excidi; simùlque consideranda vis verbi, replete terram. Nuptiæ terram replent, virginitas Paradisum: sed & hoc intuendum dumtaxàt juxtà Hebraicam veritatem &c.* Non persequor reliqua, eadem enim omninò sunt cum iis, quæ Gratianus edidit.

Can. 12. caus. 32. q. 1.

Canon 5. caus. 32. quæst. 4. habetur

Can. 5. caus. 32. q. 4.

tur in lib. 1. contrà Jovinianum propè finem, ubi totus Hieronymus est in expendendis conjugii incommodis, iis inter cetera, quæ proficiscuntur ex sollicita, & nimis anxia, quæ nonnullis inest, zelotypia, ibi : *Refert prætereà Seneca, cognovisse se quemdam ornatum hominem, qui exiturus in publicum fascia uxoris pectus colligabat, & ne puncto quidèm horæ præsentia ejus carere poterat; potionemque nullam, nisi alterius tactam labris, vir & uxor hauriebant; alia deinceps non minùs inepta facientes, in quæ improvida vis ardentis affectus erumpebat. Origo quidèm amoris honesta erat, sed magnitudo deformis. Nihil autèm interest &c.* Quæ sequuntur apùd Gratianum, si cum nupèr descriptis verbis, ut decet, jungantur, aperiunt, quænam fuerit in eo canone sancti Viri sententia.

Can. 6. caus. 32. q. 4.

Canon 6. caus. 32. quæst. 4. legitur in lib. 2. contrà Jovinianum, ubi Hieronymus initio demonstrat, falsam penitùs esse hæretici hominis opinionem, qua putabat, *baptizatos à Diabolo non posse tentari*. Primum id probat ex nonnullis novi testamenti monumentis; deindè respiciens ad exempla, quæ in eam rem proferri poterant ex vetere testamento, ità scribit : *Paulispèr de veteri testamento exempla distuleram, quia solent, ubicumque contra eos facit, dicere: Lex & Prophetæ usque ad Joannem. Ceterùm quis ignorat sub altera dispensatione Dei &c.* Subsequuntur hic Gratiani verba, sed fusiùs eadem res exhibetur apùd Gratianum in can. 40 de pœn. dist. 2., qui depromptus est ex eodem libro 2., ubi Hieronymus fusiore stylo ostendit, baptizatos à Diabolo tentari posse, & seduci. Jovinianus cum prævidisset, facilè adductum iri exempla etiàm ex sacris literis deprompta virorum baptizatorum, qui malorum spirituum tentationibus obnoxii fuisse deprehenduntur, distinguendum voluit duplex baptizatorum genus, quorum alii aqua tantùm, alii & Spiritu sancto baptizati dicerentur; illos quidèm, non tamèn istos tentationibus obnoxios prædicabat. Hunc errorem & indicat, & refellit Hieronymus in laudato libro ità scribens: *Secunda propositio est, eos, qui fuerint baptizati, à Diabolo non posse tentari; & ne hoc stultè dicere videretur, adjecit: quicumque autèm tentati fuerint, ostendit eos aqua tantùm, & non Spiritu baptizatos; quod in Simone mago legimus. Undè & Joannes dicit : omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniàm semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quia ex Deo natus est. Et in hoc manifesti sunt filii Dei, & filii Diaboli: Et in fine epistolæ: Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat; sed generatio Dei conservat eum, & malignus non tangit eum. Reverà fortis objectio, & quæ indissolubilis permaneret, nisi ipsius Joannis testimonio solveretur. Statim enim intulit : Filioli custodite vos à simulacris. Si omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, & à Diabolo tentari non potest &c.* Hinc exordìtur Gratianus, cujus monumentum ex illis, quæ modò descripsi, lucem non modicam haurit ad assequendam integram sancti Viri sententiam. Aliqua ibidèm Gratianus adjecit, quæ apùd Hieronymum desiderantur. Sic ubi legitur: *Nec infans, si unius quidem diei, &, habemus apùd Patrem Jesum Christum*, apùd Hieronymum habetur : *Nec si unius quidem diei, &, habemus Jesum Christum*. Post illa verba *ne deficeret fides tua*, aliqua desunt apùd Gratianum, nimirùm hæc ex integris codicibus Hieronymi supplenda : *Et in eodem loco : vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Spiritus quidèm promptus est, caro autem infirma. Quòd si antè crucem dictum responderis, certè post crucem in oratione Dominica dicimus : Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Si non peccamus &c.* Post illa verba *ipse reprobus inveniatur*, prosequitur Hieronymus referens plura Pauli Apostoli testimonia, ex quibus demonstrat, Apostolum eundem sancto sanè Spiritu baptizatum, variis

Can. 40. de pœn. dist. 2.

ten-

tentationibus fuisse subjectum, post quæ ità scribit: *Nec non ad Hebræos: impossibile est enim eos, qui semel &c.* Post illa verba; *& tantùm meminerit peccatorum*, pergit Hieronymus referendo ad eandem rem alia divinarum scripturarum testimonia, præsertim Jacobi in illis verbis: *Beatus vir, qui suffert tentationem &c.*, & deindè subdit: *liberi arbitrii nos condidit Deus &c.* Pro illis Gratiani verbis, propè finem canonis: *Vulneratus à morte Domini* nonnulli codices Hieronymiani habent: *Vulneratus à monte Domini.* Demùm, quæ apùd Gratianum legimus in vers. *transivimus*, habentur propè finem ejusdem libri 2., ubi sanctus Doctor omnia, quæ in superioribus disputaverat, paucis & epilogo facto comprehendit. Sanè in eo integro canone multa jam emendaverant Correctores Romani; verùm adhùc fassi sunt, plura ex codicibus Hieronymi posse suppleri, atque ea sunt, quæ modò ego animadvertenda censui.

Verba canonis 7. caus. 33. quæst. 5. non ità capienda sunt, ut illorum cortici adhereatur, quasi nuptæ non alitèr salutem æternam consequi possint, quàm si genuerint filios in castitate mansuros. Referenda illa sunt ad integram sancti Doctoris sententiam, & ejusdem proposito adcommodanda. Habentur in lib. 1., ubi exhibetur Jovinianus illud Apostoli ad rem suam adtulisse, quo mulieres æternam salutem consecuturæ dicuntur, si filios educassent in fide, & dilectione Christi: ergò, argumentabatur hæreticus, quæ virginitatem colunt, hoc merito privantur. Contrà Hieronymus colligebat, describens integrum testimonium Pauli, ibi: *Si ipsos erudiret in fide, & dilectione Christi, & in sanctificatione, & pudicitia*, ac subdebat: ergò mulier, salutis æternæ causâ, filios in pudicitia erudire debebit, illam pudicitiam, quam secuta non est, liberis ipsa commendans. En integrum Hieronymi monumentum. *Vide igitùr, quomodò ex hoc quoquè ipso testimonio supereris, & quod putabas esse pro nuptiis, pro virginitate sentire cogaris. Nàm, si salvatur mulier in filiorum generatione, & liberorum numerus salus matrum est, cur addidit: Si permanserint filii in charitate, & sanctificatione cum castitate? Tùnc ergò salvabitur mulier &c.* Post hæc sequuntur verba Gratianei canonis, in quo si quis adhùc non nihil asperitatis vi fomulæ contineri noverit, facilè id tribuet disputationis ardori, quo correptus Hieronymus adeò pugnavit pro continentiæ merito, ut adversùs nuptiarum bonum aliqua tradere visus fuerit. Ceterùm quamcumque suspicionem contrarii erroris à se amovit Hieronymus in Apologia horum librorum, adversùs Jovinianum scriptorum; ubi ait in principio: *Reprehendunt me quidam, quòd in libris, quos adversùs Jovinianum scripsi, nimius fuerim vel in laude virginum, vel in suggillatione nuptiarum*; & paulò inferiùs: *Sed ità nuptias recipimus, ut virginitatem, quæ de nuptiis nascitur, præferamus.*

In eodem libro 1. adversùs Jovinianum propè finem leguntur verba canonis 8. caus. 33. quæst. 5. Itèm pertinet ad eundem librum canon 9. eadem causa & quæstione, ubi Hieronymus ad rem suam expendebat Evangelicum illud: *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter Regnum Cœlorum.* Quicumque canones istos commodè & juxtà sancti Doctoris mentem interpretari voluerit, sempèr præ oculis habere debebit Hieronymi disputationem, in qua ardore quodam nonnullis visus fuit paulispèr excedere, quemadmodùm modò animadvertebam ad canonem 7. caus. 33. quæst. 5.

Verba canonis 29., & 30. de cons. dist. 5. integra habentur in lib. 2. adversùs Jovinianum, ubi sanctus Vir refellebat tertium Joviniani errorem de delectu ciborum, & jejunio, quemadmodùm superiùs observabam.

Can. 7. caus. 33. q. 5.

Can. 8. & 9. caus. 33. q. 5.

Can. 29. & 30. de cons. dist. 5.

De

De libro contrà Luciferianos.

Can. 75. caus. 1. q. 1.

Hieronymus in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum mentionem fecit opusculi sui, adversùs Luciferianos editi, quod appellavit *altercationem Luciferiani, & Orthodoxi.* Digestum est opus adinstar dialogi, in quo Orthodoxus instruit Luciferianum, eundemque satagit à suis erroribus dimovere. Quicumque habeatur Luciferiani schismatis auctor, sive ille sit Lucifer quidam Smirnensis Episcopus, sive Lucifer alter Episcopus Calaritanus, certum est, duo potissimùm fuisse capita, in quibus Luciferiani à Catholicis dissidebant. Et primò quidèm adeò aversabantur illi quotquot Episcopos in Arianam hæresim lapsos, ut illos, ad unitatem catholicam per pœnitentiam revertentes, nusquàm recipiendos dicerent, licèt remissiùs cum eisdem agendum esse singularia temporum adjuncta postulare viderentur. Deindè baptismum ab Arianis collatum detestabantur; & licèt Dominica verba, ceteraque ex Divina institutione necessaria non omissa ab Arianis fuissent, nihilominùs baptizatos ab Arianis rebaptizabant. Utrumque errorem dialogo suo refellere curavit Hieronymus, atque inter cetera ut demonstraret, Episcopos ab hæresi Ariana reversos æconomiæ causa posse in pristinum honorem, gradumque restitui, usus fuit hoc argumento. Si Laici Christiani apùd Arianos defecerint, ac deindè reversi fuerint, ad honorem baptismatis, quod ante in Ecclesia susceperant, recipiuntur: ergò etiàm ad honorem suæ consecrationis recipi poterunt Episcopi, ab hæresi Ariana reversi. Hùc spectant ea verba: *Quamobrèm oro te, ut aut sacrificandi ei licentiam tribuas, cujus baptisma probas; aut reprobes ejus baptisma, quem non existimas Sacerdotem. Neque enim fieri potest, ut qui in baptismate sanctus est, sit ad altare peccator.* Referuntur hæc verba in can. 75. caus. 1. quæst. 1.; ubi tamèn animadvertendum est, nonnulla adjecta fuisse principio, quæ non sunt Hieronymi, quæ tamèn à sententia Hieronymi non videntur aliena. Etenim sancti Viri sententia hæc erat: Idem Christus est, qui sanctificavit Baptismum Laicorum, ac qui sanctificavit ordinationem Episcoporum: ergò si admittitur, & recipitur Baptismus Laicorum ab hæresi redeuntium, admitti etiàm poterit consecratio Episcoporum ab hæresi paritèr revertentium. Non fuit tamèn Gratianus, qui additamentum fecit; fortè enim ipse ex Algero monumentum derivavit, qui in lib. 3. de Sacramento Corporis, & Sanguinis Christi, ità scripserat: *Ait Hieronymus ad Luciferianum: Sicùt hic est, qui baptizat, Christus, ità hic est, qui sanctificat. Et paulò post, oro te, inquit, ut aut sacrificandi ei licentiam tribuas, cujus baptismum probas &c.* ut suprà. Itaquè Algerus in parte verba ipsa Hieronymi exaravit, in parte sententiam veluti succo expressam paucis exhibuit; ex quo Gratianus arbitratus est, se integram sancti Doctoris sententiam, & undequaquè perfectam retulisse.

De libro de Membris Domini.

Can. 89. de cons. dist. 2.

Extat intèr opera Hieronymi libellus quidam sub hac inscriptione: *De his, quæ Deo in Scripturis sanctis attribuuntur*; undè aliàs appellatur liber *de Membris Dei*, sive *de Membris Domini.* Apùd viros eruditos vix intèr germana sancti Doctoris opera recensetur; etenim stilus ad Hieronymiano valdè dissimilis deprehenditur: deindè totus ferè liber inanibus, & penè puerilibus sententiolis scatet contrà consuetudinem scribendi gravissimi Auctoris. Hinc nonnullis visum est, illum cuidam tyroni verosimiliùs adcensendum, qui dum in meditatione divinarum literarum sese exerceret, pro viribus conatus fuerit Hieronymum imitari, suasque elucubrationes sancti Viri illustri nomine insignire

non

non dubitaverit. Propè finem ejusdem libelli leguntur integra verba canonis 89. de cons. dist. 2.

De libro de Natura rerum.

Can. 19. vers. *tribus* caus. 22. q. 4.

Nullus extat liber apùd Hieronymum, qui inscriptionem præferat, quàm Gratianus laudavit in can. 19. vers. *tribus* caus. 22. quæst. 4., *de Natura rerum.* Sententiam ejus canonis ego reperio in antiquo Pœnitentiali Romano, quod edidit Antonius Augustinus, ubi in cap. 15. tit. 2. sub Hieronymi nomine hæc leguntur. *Tria juramenta solvenda sunt. Primùm, cum quis malefacere jurat, hoc est, homicidium, vel quodlibet malum, non est servandum juramentum, vel Sacramentum, veluti si quispiam adulteræ conjunctus perpetuam cum ea permanendi fidem polliceatur: tolerabilius est non implere Sacramentum, quàm permanere in stupri flagitio; indè dicitur: omnem nodum iniquitatis dissolve. Secundò, cum incautè jurat, non putans esse peccatum. Tertiò, si mulier sita in ætate puerili in domo patris se juramento constrinxerit, si Pater statim, cum audierit, contradixerit, vota ejus, & juramenta irrita erunt.* Hæc sanè quotiès cum Gratianeo fragmento conferamus, perspicuò liquebit, invicèm penitùs consonare; licèt in Pœnitentiali fusioribus verbis sententia integra exprimatur. At utrobiquè falsa habetur inscriptio, dum caput tribuitur Hieronymo apùd Antonium Augustinum, & Hieronymo in libro de natura rerum apùd Gratianum. Singularis est ejus nominis liber apùd Bedam; quamobrèm suspicor, sententiam illam sub Hieronymi nomine primùm relatam fuisse à quodam Amanuensi intèr opera Bedæ, deindè ità prodiisse apùd Collectores iterùm sub nomine Hieronymi, sed mutuato nomine libelli Bedæ de natura rerum. Addo, nonnulla similia legi in capitulis Theodori Cantuariensis, ab Jacobo Petito editis, pagina mihi 46. numer. 18. ibi: *Vota stulta frangenda sunt, & importabilia. Mulier non debet vovere sine licentia viri sui: sed si voverit, dimitti potest.*

De sermone Dominicæ 5. post Epiphaniam.

Can. 77. de cons. dist. 2.

Sub Hieronymi nomine laudatur canon 77. de cons. dist. 2., quasi depromptus ex sancti Doctoris sermone, habito in Dominica 5. post Epiphaniam. Verùm neque Hieronymi est, neque esse potest hujusmodi monumentum, cum nulli sint Sermones Dominicales publicè ab eodem Patre habiti. Verba canonis potiùs leguntur apùd Algerum in libro 1. de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini, cap. 15., ubi tribuuntur Ambrosio, ibi: *Itèm Ambrosius Dominica 5. post Epiphaniam: Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est; nec per singulas minuitur, sed integrum se præbet in singulis.* Ceterùm neque hæc sententia apùd Ambrosium reperitur. Verosimile est, depromptam fuisse ex quodam Missali Ambrosiano, undè potuit Ambrosii nomen irrepere; etenim video eandem descriptam in *Præfatione* Missæ certo die Dominico post Epiphaniam recitata ante duodecimum sæculum, quemadmodùm colligitur ex iis, quæ tradit Guitmundus Archiepiscopus Aversanus, qui vixit anno circiter 1060. in lib. 1. de veritate Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, ibi: *Ne autèm me quis existimet hanc sententiam ex meo sensu commentatum, præfationem istam, quæ per totum penè orbem latinum inter Epiphaniam, & Septuagesimam in quadam die Dominica habetur, hic supposui hæc continentem: Æterne Deus: & sibi hanc immaculationis hostiam offerre, quæ est salutifera, & ineffabile divinæ gratiæ Sacramentum, quæ offertur à plurimis, & unum Corpus Christi sancti Spiritus infusione perficitur. Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed integrum se*

se præbet in singulis. Ex his facilè liquet, postrema hæc verba, quæ sanè eadem sunt cum Gratianeis, primùm laudata fuisse ex præfatione cujusdam Missalis Latini, in quo legebatur, fortè Ambrosiani, deindè quasi Ambrosio quidquam orante in die 5. Dominico post Epiphaniam; ac demùm pro nomine Ambrosii nomen Hieronymi irrepsisse.

SECTIO III.

De variis ad diversos scriptis epistolis.

De epistolis ad Damasum.

Damaso Pontifici Maximo charissimum Hieronymum fuisse, sanctosque æquè ac eruditissimos viros arctissimo necessitudinis vinculo junctos mutuis epistolis familiaritatem quamdam invicèm exhibuisse, nemo ignorat, qui perspectas habuerit utriusque rationes. Fuerat enim Hieronymus in Ecclesia Romana baptizatus, ibidèmque inter Presbyteros admissus, imò & apùd Damasum à secretis diù fuit; quod occasionem dedit recentioribus quibusdam Hieronymum nominandi Romanæ Ecclesiæ Cardinalem. Multa erat apùd sanctum Papam Hieronymi existimatio; quamobrèm ubi dubitatio quædam apùd Damasum emergeret in Sacris Scripturis interpretandis, non semèl illum Pontifex ipse consuluit. Hujus rei argumentum exhibet epistola Hieronymi ad Damasum scripta, ad interpretationem parabolæ Evangelicæ filii prodigi, quæ incipit *Beatitudinis tuæ*, quæ sanè epistola elegantissima est, & verè Hieronymo digna. Non est hæc perperàm confundenda cum altera epistola, quæ incipit *Omnium quidèm*, ad interpretationem ejusdem parabolæ pertinens; hæc enim vulgò ab eruditis tamquàm spuria rejicitur, vel quòd Hieronymiano stilo minimè conveniat, vel quòd inverosimile admodùm sit, duplici epistola ad eundem Damasum eandem rem Doctorem eximium tractavisse. Itaquè ex priore epistola, quæ incipit *Beatitudinis tuæ*, depromptus est canon 2. dist. 37., ubi expendebantur, quæ de prodigo filio dicuntur in Evangelio: *Et cupiebat implère ventrem suum de siliquis porcorum*, quæ Hieronymus mysticè explicavit de Sacerdotibus Dei, qui, Sacra, Domo, sive Ecclesia derelicta, extraneis sæcularibusque negotiis delectabantur, inter cetera ità scribens: *At nùnc etiàm Sacerdotes Dei, omissis Evangeliis & Prophetis, videmus comedias legere, amatoria bucolicorum versuum verba canere, tenere Vergilium, & quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluptatis.* Improbabat ibidèm sanctus Vir effrænem quorumdam sui temporis Sacerdotum licentiam, qui neglectis Ecclesiæ officiis, ameniores literas sequebantur, fortè etiàm minùs honesta legentes. Ceterùm, ubi utilitas ex lectione librorum sapientiæ etiàm sæcularis exhauriri posset, non illam improbandam Sacerdotibus Hieronymus voluit, qui in eadem epistola paulò antea ità scribebat: *Itaque & nos facere solemus, quandò Philosophos legimus, quandò in manus nostras libri veniunt sapientiæ sæcularis. Si quid in eis utile reperimus, ad nostrum dogma convertimus: si quid verò superfluum de Idolis, de amore, de cura sæcularium rerum, hæc radimus, his calvitium inducimus, hæc in anguium morem ferro acutissimo desecamus.* Can. 2. dist. 37.

Unà jungendi sunt can. 6. caus. 1. quæst. 2. & canon 68. caus. 16. quæst. 1.; quotiès enim utrumque conferamus, intuebimur, memoratum canonem 6. referri oportere ad laudatum canonem 68., in quo & ille continetur, nimirùm in postremis verbis. Verùm, quæ utrobique sententia legitur, apùd Hieronymum in epistolis ad Damasum non reperitur, quemadmodùm rectè jam animadverterunt Romani Correctores, adjicientes similia quædam legi in Regula Monachorum sub titulo de paupertate. Cum autèm regula Monacho- Can. 6. caus. 1. q. 2. & Can. 68. caus. 16. q. 1.

rum commemoratur, non est hoc in loco omittendum, duo ejus nominis opuscula inter Hieronymi monumenta recenseri. Primum est, ad Eustochium & reliquas virgines directum, quod incipit *Tepescens in membris* : Atque id opusculum, statim ac vel in una præfatione leges, ab Hieronymo facilè abjudicabis, ob inauditam stili barbariem, & immanem quamdam garrulitatem auctoris. Alterum est, quod quidam Lupus de Oliveto, Præpositus Generalis Monachorum S. Hieronymi, cum aliis quibusdam fratribus sui Ordinis sub regula S. Augustini diutiùs viventibus, cupientibusque Hieronymianam regulam in sua claustra reducere, composuit, & Martino V. Pontifici Maximo recentioribus sæculis confirmandum exhibuit, professus se illud ex variis Hieronymi dictis, libris, & monitis congesisse. Incipit : *Fratres charissimi.* Ibidèm sub titulo de paupertate, hæc leguntur : *Clerici quoquè, qui de bonis parentum sustentari possunt, si quid pauperum accipiunt, sacrilegium profectò committunt* ; quæ verba illa esse videntur, quibuscum Romani Correctores testati sunt Gratianeum canonem consonare. Ceterùm, an hæc Hieronymi reverà sint, fides esto penès regulæ auctorem, fortè etiam nimium Gratiano tribuentem, qui & verba, apùd Gratianum Hieronymo adscripta, & ipse Hieronymo statim adscripsit. Similia nonnulla ego potiùs lego apùd Hieronymum in lib. 3. in Matthæum cap. 17. in fine, ibi : *Si quis objicere voluerit, & quomodò Judas in loculis portabat pecuniam? Respondebimus, rem pauperum in usus suos convertere, nefas putavit, nobisque idem tribuit exemplum.* Porrò gravissima non desunt rationum momenta, quibus demonstretur, verba à Gratiano relata Hieronymi reverà esse non posse ; quotiès enim ea sententia consideretur, facilè ad incertum quemdam auctorem noni aut decimi sæculi referetur. Dicitur ibidèm, Ecclesiasticos redditus, ac præsertim decimas, à Laicis detineri non posse, sed viris Ecclesiasticis esse restituendas, aut saltèm Monachis, quorum usibus dicitur non injuria posse addici. Quis hinc non agnoscat, quod circa sæculum Ecclesiæ decimum recipi primum potuit in gratiam Monachorum, & ad avertendam Laicorum quorumdam perfidiam, qui non tantùm jura decimarum Clericis denegabant, sed in suos usus transferebant? Animadvertunt ad hanc rem viri eruditi, temporibus Hieronymi nondùm fuisse receptas in Ecclesia ordinarias decimarum præstandarum obligationes, licèt laudabilis jam esset decimarum præstandarum ab aliquibus consuetudo ; quemadmodùm facilè deducitur ex Augustino in Sermone 3. in psalmum 103. & in enarratione psalmi 146., undè non absimili ratione Verlinus, & Vindingus non dubitaverunt, apocryphum dicere sermonem de reddendis decimis, Augustino eidem adscriptum ; atque in hanc ipsam opinionem iverunt Parisienses operum Augustini revisores. Hinc adparet, Hieronymum non adeò adversùs quosdam acri stylo scribere potuisse, quod legimus in memorato can. 68., non posse decimas, Clericis debitas, ad Laicos derivari, *protestantibus hoc divinis auctoritatibus paternorum canonum.* Sæculo primùm septimo, aut octavo, decimæ Clericis ex sacrorum canonum definitione, & lata lege, præstari cœperunt, quas deindè nonnullorum Laicorum avaritia, aut odium adversùs Clericos, ad sui commoda, utilitatemque detorsit: quod cum vergeret in gravissimum Ecclesiasticæ disciplinæ dispendium, imò & in Ecclesiæ injuriam, sæculo decimo & sequenti nonnulli editi fuerunt canones, quibus Laici decimarum detentores ad eas restituendas Clericis adigerentur, canon 1. caus. 16. quæst. 7. Exindè acerrimæ suboriri cæperunt inter detentores decimarum Laicos & Clericos controversiæ, & jurgia, imò & in Conciliis ipsis, in quibus illud negotium age-

agebatur, excitari seditiones, quales recenset Aymoinus in vita Abbonis Floriacensis Abbatis cap. 9. ad annum 997. Cum verò circa illam ætatem passim ædificarentur Monasteria, & redditibus augerentur, pluribus in locis lis inter Laicos & Clericos fuit quasi facta transactione finita, qua nimirùm Laici decimarum jura dimitterent, & sic dimissa Monasteriis concessione Ecclesiæ donarentur, cujus transactionis vestigia manifesta sunt in cap. 19. de decimis, & cap. 2. vers. *sanè* eod. tit. in 6. Nemo non videt, quanta hac occasione esse potuerit eo tempore Monachorum solertia in hujusmodi decimis suscipiendis, quibus sanè opportunum admodùm erat Laicos omnes hortari, ut jura decimarum viris religiosis, ac regularem vitam professis, sine hæsitatione concederent, quum præsertim morosi Laici essent ex eo, quòd Clericos, decimas postulantes, crederent in divitiis affluentes, & minùs accuratos Ecclesiasticæ disciplinæ custodes. Hinc iidem Monachi & prætextu inopiæ Monasteriorum, & prætextu sanctioris vitæ, quam præ Clericis profitebantur, tum demùm necessariò dandas Clericis decimas prædicabant, quandò Clerici aliàs necessariis vitæ subsidiis destituerentur; ubi verò opibus affluerent, satius esse, si decimæ in Monasteria transferrentur. Quæ cum ità sint, gravissimæ subesse videntur conjecturæ, ut ad hæc temporum & personarum adjuncta referamus laudatum canonem 6. caus. 1. quæst. 2. & canonem 68. caus. 16. quæst. 1. Jam idipsum suspicatus est vir eruditissimus Christianus Lupus, qui in tomo 6. Scholiorum in canones, pag. mihi 90. referens verba ejusdem canonis 68. ità scribit: *Eandem epistolam apùd Gregorium IX. laudat in literis ad Bituricensis Ecclesiæ Archipresbyterum, & Scholasticum Innocentius III.* (habetur in cap. 7. de his, quæ fiunt à Præl. sine cons. Capit.; undè liquet maximam fuisse tùnc temporis Gratianei codicis auctoritatem). *Verùm pessimè adscribitur S. Hieronymo. Omninò enim scripta est longè posteriùs in gratiam Monachorum. Ejus auctor, ut hos ad decimarum possessionem redderet securiores, cum Juliano Pomerio docet, divites Clericos ex ipsis non posse sustentari.* Nihil sanè non moliti fuerunt quorumdam Monasteriorum Abbates, ut decimas in Monasteria sua transferrent, quod aliquandò adeò Episcoporum animos concitavit, ut de illis conquererentur; inter quos laudare possum Ivonem Carnotensem in epist. 192. ità scribentem: *Est tamèn, in quo Abbatibus, & Præpositis Monasteriorum parcendum esse non æstimo, si ab illis, ad quos non pertinent, id est, à Laicis, decimas, & oblationes accipiant, si inordinatè eas, à quibuscumque personis adquirant, si terminos transgrediantur antiquos, id est, si stipendia Presbyterorum antiquitùs instituta minorent, ac sibi usurpent.* Immò & Summi Pontifices, ut immoderatam illam derivandarum decimarum rationem cohiberent, fibulam quamdam apposuerunt, statuentes, ne sine Episcoporum consensione in Monasteria decimæ ampliùs transferrentur. Hinc Gregorius VII. in Concilio Romano 5. can. 9. ità statuit: *Ut nullus Abbas decimas, & primitias, & reliqua, quæ secundum statuta canonum ad Episcopos pertinent, sine auctoritate Romani Pontificis, seu Episcopi consensu, in cujus diœcesi habitat, detineat, Apostolica auctoritate firmamus.* Quoniàm verò Romani Correctores ad calcem canonis 6. caus. 1. quæst. 2. animadverterunt, quædam similia legi in glossa ordinaria, opportunum erit verba ejusdem glossæ hoc in loco describere, quæ habentur in caput 5. epist. 1. ad Timotheum in principio, ibi: *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt. Hieronymus epistolâ ad Agerachiam: Hoc est, quæ omnium suorum auxilio destitutæ sunt, & quæ manibus laborare non possunt, quas paupertas, debilitas, ætasque confixit, quibus Deus spes est, & omne opus oratio. Ex quo intelligi datur, adolescentulas viduas,*

exceptis his, quas excusat infirmitas, vel vel suo labori, liberorum, ac propinquorum ministerio delegari non recipiendas. Honor autèm in præsentiarum pro munere accipitur, ut illud: Presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo, & doctrina; & in Evangelio Dominus disserit mandatum legis, in quo dicitur, honora Patrem, non in verborum sono, quia inopia parentum cassa potest adulatione frustrari, sed in victus necessariis ministrandis debere intelligi; jubente enim Deo, ut filii alant parentes pauperes, & redderent beneficia senibus, quæ parvuli acceperant; Scribæ & Pharisæi è contrario docebant filios, ut parentibus responderent Corban, hoc est, donum, quod altari pollicitus sum, & in templi dona promisi. Si tu à me non acceperis cibos, vertetur in tuum refrigerium, atque ita fiebat, ut egentibus patre, & matre, Sacrificium offerrent filii, quod Sacerdotes, & Scribæ consumerent. Et infrà ad ea verba: *Qui benè præsunt Presbyteri &c.* legitur: *Hieronymus: Vult illis præstari carnalia, à quibus alii spiritualia consequuntur, quia occupati in doctrina necessaria sibi providere non possunt.* Quotiès verba hæc ad opera Hieronymi exigenda putes, frustrà quæres apùd sanctum Doctorem epistolam ad Agerachiam, ab auctore Glossæ commemoratam. Potiùs eadem leges in epistola Hieronymi ad Gerontiam Viam, quam sanctus Vir ad continentiam servandam excitabat, atque à bigamia avertere conabatur.

Can. 13. caus. 10. q. 1.

Extat inter opera Hieronymi epistola ad Damasum, quæ inscribitur de oblationibus altaris; ista tamèn passim ab eruditis rejicitur tanquàm spuria, & recentiori cuipiam auctori verosimiliùs tribuenda. Falsitatis conjecturæ gravissimæ sunt; etenim in ea Chrisostomi commentaria in Matthæum laudantur, quæ sanè Hieronymo nota esse non poterant. His adjici potest, ibidèm agi Clericorum causam adversùs Laicos, ut exhibeantur jam tunc temporis Laici ad oblationes altarium inhiantes, quod recentioribus sæculis obtinuisse superiùs demonstravi ad canonem 6. caus. 1. quæst. 2., & canonem 68. caus. 16. quæst. 1. Ceterùm in fine ejus epistolæ, qualicumque eadem tribuatur auctori, ità legitur: *Ergò, quia Sacerdotes pro omnibus orare solent, quorum eleemosynas, & oblationes accipiunt, qua fronte præsumunt Laici oblationes, quas Christiani pro peccatis suis offerunt, vel comedere, vel aliis concedere, cum ipsi non debeant pro populo orare? Ob hoc, Papa gloriose, mittere oportet illos præsumptores in excommunicationem perpetuam, ut ceteri metum habeant, & ampliùs hæc in Ecclesia non fiant.* Ex istis emendandus erit Gratianeus canon 13. caus. 10. quæst. 1. Non est hoc loco omittendum, in regula Monachorum, quæ vulgò collecta dicitur per Lupum de Oliveto, de qua etiàm superiùs mentionem feci, aliqua non absimilia reperiri, sub titulo de contemplatione, oratione, & lectione, ibi: *Sacerdotes quoquè pro omnibus orare debent, quoniam eleemosynas oblationesque recipiunt.* Facilè autèm suspicari possumus, Lupum in hoc fragmento laudare voluisse commentitiam Hieronymi epistolam de oblationibus altaris in verbis, modò descriptis.

Can. 14. caus. 24. q. 1.

Iterùm eruditi Hieronymianorum operum editores ab eisdem rejicienda putaverunt, quæ nihilominùs inserta sunt Symbola quatuor, quorum primum dicitur *Symbolum Damasi*, secundum *Symboli explanatio ad Damasum*, tertium *Explanatio fidei ad Cyrillum*, postremum *Symbolum Ruffini.* In omnibus perspicuæ esse videntur falsitatis notæ. Quòd tamèn ad rem meam attinet, tantùm dixero de Symboli explanatione ad Damasum, ex qua depromptus est can. 14. caus. 24. quæst. 1. Ejus Symboli Auctor ità Divinæ Incarnationis mysterium explicat, ut credas, non solùm jam notas illi fuisse Ephesini Concilii definitiones, verùm etiàm Concilii Chalcedonensis, adversùs Eutychem recentiore tempore celebrati. En verba, quæ in ea-

eadem Symboli explanatione leguntur: *Sic autèm confitemur in Christo, unam filii esse personam, ut dicamus, duas esse perfectas, atque integras substantias, id est, Deitatis, & humanitatis... Illorum quoquè similitèr execramur blasphæmiam, qui novo sensu adserere conantur, à tempore susceptæ carnis omnia, quæ erant Deitatis, in hominem transmigrasse, & rursùm, quæ erant humanitatis, in Deum esse transfusa, ut quod nulla unquàm hæresis dicere ausa est, videatur hac confusione utraque exinanita, substantia Deitatis scilicet, & humanitatis, & à proprio statu in aliud esse mutata.* Quis non videat in his expressam jam, ac refutatam Eutychis hæresim, quæ tamèn Hieronymi, & Damasi temporibus nondum erat suborta? Itaquè vel ex hoc uno conjicere possum, Symbolum illud falsò fuisse Hieronymo adscriptum; præsertim verò quòd non ignoremus, apùd veteres Symbola aliquot prodiisse recentiore manu edita, quæ priscis tribuerentur, quemadmodùm nemo ignorat, contigisse in Symbolo illo, quod vulgò tribuitur Athanasio. Sub finem memoratæ explanationis leguntur priora verba laudati canonis 14., ubi pro illis verbis *me culpare* ex vulgatis Hieronymi codicibus legendum esset *me maculare.* Versiculus autèm *Sancta Romana* ibidèm non habetur, quemadmodùm jam animadverterunt rectè Correctores Romani, sed potiùs in epistola adscripta Marco Papæ ad Athanasium, cujus verba integra hæc sunt: *De capitulorum namque veritate, & numero Nicæni Concilii, cui vos interfuisse literis vestræ fraternitatis significastis, à nostris, qui vobiscum unà interfuerunt diligentioribus requisivimus collocutionibus, qui ità, ut vestræ testatæ sunt literæ, omnem nobis ordinem exposuerunt, & vestram epistolam per omnia vestram esse testificati sunt, non ut nos aliquid sinistrum vestra ex parte arbitremur, sed nos, & vos, illosque absque ulla in posterum titubatione unum sentire optaremus, & Sancta Romana Ecclesia, quæ semper immaculata mansit, & Domino providente, & B. Petro opem ferente, in futurum manebit sine ulla hæreticorum insultatione firma & immobilis omni tempore persisteret.* Verùm nemo hodiè ignorat, epistolam hanc inter apocrypha Mercatoris monumenta passim ab eruditis omnibus rejici, postquàm Baronius, Bellarminus, Possevinus, Binius, aliique falsitatem illius invictis planè argumentis demonstraverint.

Genuina potiùs habenda est alia epistola Hieronymi ad Damasum, ex qua depromptus fuit canon 25. caus. 24. quæst. 1. Quum enim in Syriam sanctus Vir perrexisset, & quidèm in eam Provinciam, quæ erat Antiochiæ finitima, perspicuas habere potuit varias Arianorum contentiones, quibus identidèm tùnc temporis Antiochena Ecclesia quassabatur, præsertim ob varias fidei formulas, quæ in fraudem Nicænarum definitionum quotidiè Hæreticorum calliditate prodibant. Quamobrèm Hieronymus veritus, ne ex illis fidei subdolis formis deciperetur, Damasum Pontificem Maximum de ea re consulere non dubitavit. Prima epistolæ verba eadem sunt cum iis, quæ in Gratianeo canone describuntur; ubi tamèn pro verbis illis *virga ferrea, & æterno operiuntur incendio... à Sacerdote victima salutem..... determinat &c.* legendum est ex integris Hieronymi codicibus *virgam ferream, & æternum operiuntur incendium... à Sacerdote victimam salutis... disterminat &c.* Præterea arbitror, vitiatam esse editionem in illis verbis *incorrupta Patrum servatur hereditas,* ac proindè ità legendum: *incorrupta Patris servatur hereditas*; Siquidèm ibi sanctus Vir alludit ad duos Evangelicos filios, prodigum unum, & dissipatorem rei familiaris ac paternæ, cui Orientales æquiparabat; alterum frugi, & res domesticas paternasque diligentissimè custodientem, ac ministrantem, in cujus figura Occidentalem Ecclesiam, & præsertim Romanam agnovit. Qui ibidèm memorantur, Vitalis, Meletius, & Paulinus, fuerunt omnes Antiochenæ Ec-

Can. 25. caus. 24. q. 1.

Ecclesiæ Episcopi Arianorum erroribus involuti. Quid Hieronymo responsum à Damaso fuerit, ignoratur. Illud certum est, iterùm ab Hieronymo, & quidèm vividiùs, ardentiùsque, interpellatum fuisse Damasum, uti liquet ex alia edita ad Damasum epistola, qua enixè petiit edoceri, quomodò sese gereret cum Episcopis Orientalibus, quos Ariana hæresi infectos suspicabatur; atque alterius hujus epistolæ fragmentum ex-

Can. 58. de pœn. dist. 1. tat in can. 58. de pœn. dist. 1. à principio usquè ad versiculum *ubi vero*; qui potiùs est Gratiani, & perperàm adsutus monumento Hieronymi ab eo, qui in impressis Gratiani Codicibus sententias Patrum distinctis caracteribus à verbis Gratiani secrevit. Pro illis autèm verbis *cum seris ostio* legitur apùd Hieronymum *Cum servis ostio*. Ceterùm sententia Hieronymi longè distat à Gratiani proposito. Nimirùm Hieronymus ibidèm totus erat, ut propositis divinis exemplis Damasum concitaret, & flecteret, quò tandèm rescriberet, quid sibi, & qua ratione agendum cum Orientalibus esset; præsertim ubi proponeretur communicandum Meletio, Vitali, & Paulino Sectatoribus Arianorum, quod maximè cordi erat viro religiosissimo, inter homines hæreticos, & callidos fluctuanti; qui propterèà optimum duxit Damasum Pontificem, in cujus Ecclesia, ut ipse ait, baptismatis susceperat Sacramentum, consulere, & ab ejus sententia omninò pendere.

De epistola ad Amandum.

Can. 7. caus. 32. q. 7. & Can. 3. caus. 34. q. 1. Amandus quidam Presbyter Hieronymum interrogaverat de aliquibus Sacræ Scripturæ controversiis, inter quas quæsiverat, *utrum mulier, relicto viro adultero, & sodomita, & alio per vim accepto, possit absque pœnitentia communicare Ecclesiæ, vivente adhuc eo, quem priùs reliquerat*? Huic quæstioni respondit sanctus Vir verbis illis, quæ legimus in can. 7. caus. 32. q. 7. ubi pro illis *matris præstationem* scribendum erat *matris persuasionem*. Prætereà animadvertendum est, post ea verba, *& qui dimissam acceperit, adulter est*, hæc esse adjicienda ex integris Hieronymi codicibus: *Animadverte, quid dicat: qui dimissam acceperit, adulter est, sive ipsa dimiserit virum, sive à viro dimissa sit, adulter est, qui eam acceperit. Undè & Apostoli &c.* Post verba postrema ejusdem canonis sequuntur statim apùd Hieronymum verba canonis 3. caus. 34. quæst. 1., ibi: *Neque satis animadvertere potui, quid sit &c.* Adnotandum est pro illis, *adultera maritum duxerit*, legi in codicibus Hieronymi *alterum maritum duxerit*.

De epistola ad Heliodorum.

Epistolam ad Heliodorum exhortatoriam se scripsisse Hieronymus ipse testatur in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. Erat Heliodorus quondàm Hieronymi sodalis in solitudine Eremi, cujus tandèm pertæsus ad lares patrios reversus est, unde à sancto Doctore fuit suasionibus revocandus. Quid verò non molitus est Vir religiosus, ut eremiticæ vitæ desertorem ad regressum exstimularet? Prætèr gravissima rationum momenta, non defuit illi exacta dicendi ars, quemadmodùm ex lectione epistolæ facilè deprehenditur: præcipuè verò totus ipse in eo fuit, ut Heliodorum objurgaret, quòd *amplas porticus, & ingentia tectorum spatia habitaret*, quandò tamèn Christus, & Apostoli in divina doctrina instituti, omnia abjecerint, non quòd reverà ad id Christianos omnes teneri prædicaret, sed quòd indecorum erat, monasticam vitam jamdiù professos, mundanis ejusmodi illecebris detineri, atque irretiri. Ait enim: *Sed forsitàn dicturus es: Quid ergo? Quicumque in Civitate sunt, Christiani non sunt? Non est tibi eadem causa, quæ ceteris... Tu autèm perfectum te fore pollicitus es.* Atque hac occasione objicit sibi perfectionem vitæ clericalis; Quamquàm enim

Cle-

Can. 6. caus. 16. q. 1. Clerici in urbibus commorentur, illorum tamèn vitæ rationem apprimè commendat, inquiens: *Absit, ut de his quicquam sinistrum loquar, qui, Apostolico gradui succedentes, Christi Corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus.... Sed alia, ut antè perstrinxi, Monachorum est causa, alia Clericorum. Clerici pascunt oves, ego pascor: illi de altario vivunt, mihi quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad radicem, si munus ad altare non defero. Nec possum obtendere paupertatem, cum in Evangelio anum viduam duo, quæ sola sibi supererant, æra mittentem laudaverit Dominus. Mihi antè Presbyterum sedere non licet: Illi, si peccavero, licet tradere me satanæ in interitum carnis, ut spiritus, salvus fiat. Et in veteri quidem lege &c.* Hic est apùd Gratianum canon 6. caus. 16. quæst. 1., cujus verba ex integra epistola supplere propterèa juvabit. Animadvertendum autèm est, Hieronymum, dum hæc scriberet, nondùm Sacerdotio fuisse insignitum, sed juvenem adhùc, & dicendi alacritate pollentem, quemadmodùm ex integro monumento unusquisque statim eliciet.

Ulteriùs progreditur sanctus Vir, atque Heliodorum interpellat, num fortè ad Clericalem potiùs vitam anhelet, quasi excellentiorem, presertim verò ad Episcopale munus, & dignitatem? *Gaudebo*, inquit, *de ascensu, sed timebo de lapsu.* Deindè virtutes omnes recenset, quibus Episcopum esse ornatum oportet, his verbis: *Non omnes Episcopi Episcopi sunt: Attendis Petrum, sed & Judam considera* (hic est canon 29. caus. 2. quæst. 7.) *Stephanum suspicis* (virum scilicèt inter septem Diaconos ab Apostolis electum, & protomartyrem) *Sed & Nicolaum respice*, (nempè hæreticum Diaconum, jam à primis Ecclesiæ sæculis damnatum,) *quem Dominus in Apocalypsi sua damnat sententia, qui tam turpia & nefanda commentus est, ut Nicolaitarum hæresis ex illa radice nascatur. Probet se unusquisque, & sic accedat. Non facit Ecclesiastica dignitas Christianum. Cornelius Centurio adhùc ethnicus dono sancti Spiritus mundatur: Presbyteros Daniel puer judicat: Amos ruborum mora distringens repentè propheta effectus est: David pastor eligitur in Regem. Minimum discipulum Jesus amat plurimùm. Inferiùs frater accumbe, ut minore adveniente sursùm jubearis adscendere. Super quem Dominus requiescit, nisi super humilem, & quietum, & trementem verba sua? Cui plus creditur, plus ab eo exigitur. Potentes potenter tormenta patientur. Nec sibi quisquam de corporis tantùm mundi castitate supplaudat, cum omne verbum otiosum, quodcumque locuti fuerint homines, reddituri sint pro eo rationem in die judicii, cum etiàm convicium in fratrem homicidii sit reatus. Non est facile stare loco Pauli,* (postrema hæc verba jam retulerat Gratianus in can. 2. dist. 40.), *tenere gradum Petri, jam cum Christo regnantium, ne fortè veniat Angelus, qui scindat velum templi tui, qui candelabrum tuum de loco moveat. Ædificaturus turrim, futuri operis sumptus supputa. Infatuatum sal ad nihil est utile, nisi ut projiciatur foràs, & à portis conculcetur. Monachus si ceciderit, rogabit pro eo Sacerdos. Pro Sacerdotis lapsu quis rogaturus est?* Postrema hæc verba sententiam exhibent canonis 59. de pœn. dist. 1., qui fortè videtur Hieronymo tributus à Collectore, inscribitur enim *Idem*, quæ vox referri solet ad auctorem præcedentis canonis, qui Hieronymo adscribitur. In laudato canone 2. dist. 40. describuntur verba quædam in vers. *quia hinc*, quæ apùd Hieronymum non habentur, attamèn jam legebantur penès Ivonem parte 5. cap. 321. & apùd Burchardum lib. 1. cap. 207., ubi facile est animadvertere, Burchardum primò voluisse ibidèm perstringere de more suo, quod in integra propemodùm Hieronymi epistola continebatur; deindè Burchardi epitomen in suum codicem derivasse Ivonem, & ex Ivone Gratianum, quasi ipsa essent integra Hieronymi verba.

Can. 2. dist. 40.

Can. 59. de pœn. dist. 1.

Can. 29. caus. 2. q. 7.

De

De epistola ad Evagrium.

Can. 24. dist. 93. Quis fuerit Hieronymi scopus in epistola ad Evagrium, adparet liquidò ex lectione canonis 24. dist. 93. ubi tota ferè & integra epistola continetur. Invehitur Hieronymus adversùs illos, qui Diaconos Presbyteris exæquabant, atque ità de Presbyteris disputando loquitur, ut indicet, Apostolica ætate nihil penè inter Presbyteros & Episcopos discriminis intercessisse. Porrò pro verbis illis Gratiani, *regite gregem Christi, & inspicite*, legitur in epistola Hieronymi *regere gregem Christi, & inspicere.* In fine autem epistolæ, undè emendandus & supplendus erit canon Gratianeus, hæc leguntur: *Aut si ex Diacono ordinatur Presbyter, noverit se lucris minorem, Sacerdotio esse majorem. Et ut sciamus traditiones Apostolicas, sumptas de veteri testamento, quòd Aaron, & filii ejus, atque levitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vendicent in Ecclesia.* In postremis Gratiani verbis lectio paulò varia agnoscitur juxta varios codices. Mihi tamèn magis placet editio illa vulgaris Hieronymi, qua traditur, Presbyterum temporalibus lucris Diacono esse minorem, quia olim ad Diaconos temporalium rerum administratio & cura spectabat; dummodò observetur, Presbyterum Diacono ordinatione, & honore Sacerdotii sempèr habitum fuisse majorem.

De epistola ad Levitam quemdam de duobus generibus hominum.

Laudatur apùd Gratianum in can. 7. caus. 12. quæst. 1. Hieronymi epistola ad quemdam suum Levitam de duobus generibus hominum. Verùm, quemadmodùm hujusmodi epistola inter edita Hieronymi opera minimè reperitur, ita mihi perspicua sunt argumenta, quibus Gratiani fragmentum tanquàm apocryphum judicem, & potiùs incerto cuidam auctori undecimi aut duodecimi sæculi adscribam. Longè illud distare dignoscitur à ceteris Hieronymi sententiis, quòd ibidèm tradatur, Clericos ex institutione Romanæ Ecclesiæ caput radere consuevisse, & coronam deferre velùt in signum spiritualis cujusdam regni; quandoquidèm non ignoro, Hieronymum ipsum rasas cervices Ethnicis hominibus, apùd quos superstitio erat, exprobravit; Etenim in commentariis in Ezechielem lib. 13. cap. 44. ad illa verba: *Caput autèm suum non radent, neque comam nutrient*, ait: *Rasa capita habet superstitio Gentilis.* Et paulò anteà: *Juxtà quod diximus, nec calvitium novacula esse faciendum, nec ità ad pessum tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur, sed in tantùm capillos demittendos, ut oporta sit cutis.* Cui sanè sententiæ consonat Magnus Gregorius in Ezechielem capite laudato ità scribens lib. 1. epist. 24. *Quid signant capilli in capite, nisi exteriores cogitationes in mente?.... Quià ergò cuncti, qui præsunt, habere quidèm sollicitudines exteriores debent, nec tamèn eis vehementèr incumbere, Sacerdotes rectè & caput prohibentur radere, & comam nutrire, ut cogitationes carnis de vita subditorum, nec à se funditùs amputent, nec rursùs ad crescendum nimis relaxent; unde benè dicitur: Tondentes tondeant capita sua, ut videlicèt curæ temporalis sollicitudinis, & ad quantum necesse est, prodeant, & tamèn recidantur citiùs, ne immoderatiùs excrescant.... quasi capilli in capite Sacerdotis servantur, ut cutem cooperiant, & resecantur, ne oculos claudant.* Itaquè in Romana Ecclesia usquè ad tempora Gregorii Magni, sive usquè ad finem sexti sæculi ex ipsorum Hieronymi & Gregorii testimonio non fuit receptus à Sacerdotibus usus radendi comam; eove minùs recipi antiquioribus sæculis potuit, dum viri Ecclesiastici ab insequentibus Ethnicis vexarentur, ne fortè contingeret, ex singulari rasæ cervicis disciplina secerni à ceteris, & faciliùs mactari. Potiùs videtur id in more fuisse cir-

Can. 7. caus. 12. q. 1.

circa sæculum Ecclesiæ septimum, aut octavum, qua ætate cœpit rasio capitis appellari corona, & tanquàm Clericale decus, & signum potestatis spiritualis haberi. Primus Isidorus Hispalensis, qui initio septimi sæculi floruit, moribus suæ ætatis, suæque Provinciæ indulgens, tonsuræ Ecclesiasticæ originem & formam à veteribus repetiit in lib. 2. de officiis Ecclesiasticis cap. 4. ibi: *Tonsura Ecclesiastica usus à Nazaræis, nisi fallor, exortus est, qui priùs crine servato, denùo post vitæ magnæ continentiam devotione completa caput radebant, & capillos in ignem Sacrificii ponere jubebantur, scilicet, ut perfectionem devotionis suæ Domino consecrarent. Hujus ergò exempli usus ab Apostolis introductus est, ut hi, qui in divinis cultibus mancipati Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est, Sancti Dei, crine præciso innoventur.* Item post pauca: *Quòd verò detonso capite superiùs, inferiùs circuli corona relinquitur, Sacerdotium, regnumque Ecclesiæ in eis existimo figurari. Thiara enim apùd veteres constituebatur in capite Sacerdotum. Hæc ex bysso confecta rotunda erat quasi sphæra media, & hoc significatur in parte capitis tonsa. Corona autèm latitudo aurei est circuli, quæ Regum capita cingit. Utrumque itaquè signum exprimitur in capite Clericorum, ut impleatur etiàm quadam corporis similitudine, quod scriptum est Petro Apostolo docente, vos estis genus electum, regale Sacerdotium.* Post Isidorum Hispalensem complures fuerunt, qui similibus usi formulis deprehenduntur. Sic Beda, octavi sæculi auctor, lib. 4. historiæ Anglicæ cap. 1., referens Theodorum Monachum, Romæ commorantem, in Subdiaconum à Vitaliano Papa ordinatum, ait: *Qui Subdiaconus ordinatus quatuor expectavit menses, donec in corona cresceret, quo in coronam tonderi posset; habebat enim tonsura more Orientalium S. Pauli Apostoli.* Eodem octavo sæculo S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Theoria rerum sacrarum ità scribebat: *Tonsura capitis Sacerdotis, & rotunda ejus pilorum media sectio vice coronæ est spineæ, quam Christus gestavit. Duplex corona circumposita capiti Sacerdotis ex capillorum significatione imaginem refert venerandi capitis Apostoli Petri, quod, cum missus esset ad prædicationem Domini & Magistri, ei tonsum est ab iis, qui ejus sermoni non credebant, ut illuderetur ab ipsis; eique Magister Christus benedixit, & infamiam in honorem, illusionem in gloriam convertit.* Gregorius Turonensis, qui propè finem octavi sæculi vixit in lib. de vitis Patrum cap. 17. ajebat: *Igitùr S. Nicetius Episcopus ab ipso ortus sui tempore Clericus designatus est; Nam cum partu fuisset effusus, omne caput ejus, ut est consuetudo nascentium infantium, à capillis nudum quidèm cernebatur, in circuitu verò modicorum pilorum ordo adparuit, ut putares ab eisdem coronam Clerici fuisse signatam.* Sæculo nono Amalarius Fortunatus Metensis Diaconus, cujus opera habentur in Bibliotheca Patrum in lib. 4. de officiis Ecclesiasticis cap. 159. docebat, Clericalem tonsuram à sancto Petro originem habuisse. Sæculo autèm duodecimo, sive sub Gratiani ipsius ætatem, vulgò receptissimæ erant istiusmodi sententiæ, scilicèt tonsuram capillorum inductam fuisse in viros Ecclesiasticos ab ipsa Apostolica ætate, & veluti signum eximiæ potestatis. Ità Hugo Rothomagensis Archiepiscopus in lib. 3. contra hæreticos sui temporis cap. 1. ibi: *Inter omnia autèm regna mundi corona Clericalis clariùs elucescit, quorum vita Clericos illuminat, quorum doctrina alios ad vitam vocat, ut transitoria deserant &c.*, & in cap. 2. *De hac corona Clericali, de hac forma legali, de hoc signo Jesu Christi hæretici quæstionem faciunt, maximè illi, qui à Clero deciderunt, & ad hæresim transierunt. Undè, inquiunt, undè corona hæc accepit initium? Quid nobis coronæ huic? Ad hoc non eis, quia impacatis, sed catholicis respondemus: Redemptor sanè noster, & Salvator nos miseros, peccati servitute depressos, morti addictos, Satanæ vinculis adstrictos, misericordia motus noster Sama-*

ritanus, qui sine peccato est, pro nobis peccatum factus est, hostia pro peccato, redemptor noster oblatus est, pro nobis pœnam peccati suscepit, & crucem pertulit in corpore suo, mortem moriendo destruxit magnificus triumphator portans spineam coronam in capite suo.... Propterea Catholica mater Ecclesia quosdam inter se de suis fideles elegit, quibus fidei pro firmitate, pro vitæ honestate, pro splendore scientiæ gratanter imponit similitudinem coronæ Christi raso desuper capite, capillis in rotundum servatis ex æquo tonsuratis. Hoc coronæ signum, ad memoriam Christianæ libertatis assumptum, non passim de electione quæsitum, Pontificali benedictione signatum, ab Apostolis sumpsit exordium, & toto orbe sub Apostolica auctoritate stat in Ecclesia conservatum. Omnes hujusmodi pro signo cœlesti, & gratia benedictionis communi nomine vocantur Clerici; quia Dominus pars illorum est, & ipsi pars Domini, prærogativa speciali pro signo sanctitatis. Idipsum scribebat Honorius Augustodunensis, qui anno 1124. obiit, in Gemma animæ de antiquo ritu Missarum lib. 1. cap. 193. ibi: *Christus Rex, & Sacerdos fecit nos sibi & Sacerdotes, & Reges: Pars capitis rasa est signum Sacerdotale: Pars crinibus comata est signum Regale.* Fusiùs hæc omnia describenda censui, ut clariùs indè adpareret, memoratum canonem 7. falsò Hieronymo esse tributum, vel quòd tùnc temporis Clerici caput radere non solerent; vel quòd, cum caput radere in parte cœperint, iis usi primùm fuerint loquendi formulis, quales in eodem canone deprehenduntur. Hinc suspicari possum, Gratianum fortè laudatorum aut Hugonis, aut Honorii sententias scribere, non verbo tenùs, sed aliis formulis ornatas voluisse, quas deindè ex errore nominis Hieronymo adtribuerit; nequè enim ex vocum similitudine difficilè evenire potuit, ut Hieronymus pro Hugone, aut pro Honorio scriberetur. Suspicari etiàm licet, memorato Gratianeo fragmento aliquid potuisse accedere ex scriptis Isidori Hispalensis, qui nonnulla habet non dissimilia in lib. 7. originum cap. 12. ibi: *Clerus, & Clericus hinc appellantur, quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum: Cleros enim græcè sors, vel hæreditas latinè dicitur: Propterea ergò dicti sunt Clerici, quòd de sorte sunt Domini, vel quia Domini partem habent; generaliter autèm Clerici nuncupantur omnes, qui in Ecclesia Christi deserviunt.* Et in cap. 14. in fine. *Laicus popularis; Laos enim græcè populus dicitur.* Si quis adhùc velit laudatum canonem quoquo modo Hieronymo tribuere, referat illum ad sententiam Hieronymi, qualis habetur in epistola ejusdem ad Nepotianum de vita Clericorum, de qua inferiùs sermo erit instituendus; siquidèm ibi hæc habentur: *Igitur Clericus, qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse, quod dicitur: Si enim Cleros græcè sors latinè appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est. Qui autèm vel ipse pars Domini est &c.* Non persequor reliqua, utpotè quæ facilè legi possunt apùd Gratianum in can. 5. caus. 12. quæst. 1., Fortè autèm in eorum conspectu obscurus quidam auctor canonem 7. eadem causa & quæstione elucubravit, nec dubitavit eumdem tamquàm genuinum Hieronymi monumentum palàm edere.

De epistola ad Licinium.

Ex iis, qui Hieronymo non animi tantùm propensione, sed ministrati etiàm opum subsidiis faverunt, ut sanctus Vir & studiis sublimioribus divinarum literarum commodiùs vacaret, & Monachorum instituta promoveret, fuit Licinius quidam natione Bœticus, qui identidèm Hieronymum sciendi cupidus de rebus sacris atque divinis interrogabat. Hujus rei fidem indubiam facit edita Hieronymi ad eumdem epistola, in qua

Can. 6. dist. 9. Can. 4. dist. 12. & can. 11. dist. 76.

qua inter cetera hæc leguntur : *Opuscula mea, quæ non sui merito, sed tua bonitate desiderare te dicis, ad describendum hominibus tuis dedi &c.*, ex quibus colligitur, Licinium ab Hieronymo petiisse codices, quibus sanctus Vir Sacram Scripturam ex lectissimis libris derivatam latinè reddiderat; hinc ità subjicitur. *Septuaginta Interpretum editionem & te habere non dubito, & antè annos plurimos diligentissimè emendatam studiosis tradidi : Novum græcæ reddidi auctoritati. Ut enim veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est, ità novorum Græci sermonis normam desiderat.* Hæc verba sunt canonis 6. dist. 9., quem Gratianus perperàm Augustino tribuerat. Post ista statim prosequitur Hieronymus scribens : *De Sabbato quòd quæris, utrum jejunandum sit, & de Eucharistia, an accipienda quotidiè, quod Romanæ Ecclesiæ, & Hispaniæ observare perhibentur ; scripsit quidèm & Hippolytus vir disertissimus, & carptim diversi scriptores è variis auctoribus edidere. Sed ego illud te breviter admonendum puto, traditiones Ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiant, ità observandas, ut à majoribus traditæ sunt, nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subverti.* Hinc supplenda sunt verba canonis 4. dist. 12. Prosequitur Hieronymus, statim ità subjiciens : *Atque utinàm omni tempore jejunare possimus, quod in actibus Apostolorum diebus Pentecostes, & die Dominico Apostolum Paulum, & cum eo credentes fecisse legimus. Nec tamèn Manichææ hæreseos accusandi sunt, cum carnalis cibus præferri non debuerit spirituali. Eucharistiam quoquè absque condemnatione nostri, & pungente conscientia semper accipere, & Psalmistam audire dicentem : Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus ; & cum eo canere : Eructavit cor meum verbum bonum. Nec hoc dico, quòd Dominicis diebus jejunandum putem, & contextas sexaginta diebus ferias auferam ; sed unaquæque provincia abundet in sensu suo, & præcepta majorum leges Apostolicas arbitretur.* Ex his supplendus erit canon 11. dist. 76., quem Gratianus pluribus emissis exaravit. Notanda est lectionis varietas in illa Gratianea voce *quinquaginta*, pro qua in editis Hieronymi codicibus legitur *sexaginta*. Sanè, si liber de celebratione Paschæ, Hieronymo tributus, reverà Hieronymi esset, anteferendam putarem lectionem, quæ exhibet *quinquaginta*, cum in eo libro quinquaginta jejunii dies in Ecclesia recepti tùnc fuisse tradantur ; verùm, cum viri eruditi de ejusdem libelli auctoritate plurimùm dubitent, alii Augustino tribuant, alii Hieronymo, alii etiàm neutri, non est, cur in emendanda vocula torqueamur : dummodò adnotaverimus, non posse exindè solidum argumentum deduci, ad certos designandos dies, ibidèm memoratos, certam designationem impediente codicum varietate.

De epistola ad Nepotianum, De vita Clericorum.

Quis fuerit Heliodorus, Hieronymi scilicèt quondàm in Eremo sodalis, atque arctissima necessitudine junctus, jam superiùs animadverti, quum de Hieronymi ad eumdem epistola verba facerem. Heliodori ex sorore nepos erat Nepotianus, qui Hieronymum consuluit, ut præcepta sibi traderet, quibus vel Monachus vel Clericus institueretur ; atque id perfecit sanctus Vir epistola valdè eleganti, nec non ad benè formandos seu Monachorum, seu Clericorum mores apprimè utili : scribebat enim ætate jam gravis & senex, quemadmodùm ipse testatur, ac propterèa illorum optimè conscius, quæ Clericis, Monachisve prodesse possent, aut obesse. Epistola illa libelli instar obtinet, quæ propterèa non tàm Nepotiani gratiâ, quàm publico bono edita esse videtur ; & reverà Hieronymus, ad Rusticum Monachum scribens, eumdem hortatus ad tenendam Monastici ordinis rationem, monuit, ut aptam conditioni suæ vivendi normam ex libro ad Nepotia-

num addisceret, uti legimus in can. 27. caus. 16. quæst. 1. Opusculi fragmentum refertur in can. 17. dist. 32., cujus verba tum ex eadem epistola, tum ex aliis Hieronymi monumentis erunt emendanda. Nimirùm in epistola ad Nepotianum ista leguntur: *Hospitiolum tuum, aut rarò, aut nunquàm mulierum pedes terant. Omnes puellas, & virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige; ne sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas &c.* Quæ in eodem canone verba sequuntur, referenda sunt ad epistolam Hieronymi ad Oceanum, quæ tamèn perperàm sancto Viro fuit adscripta; ubi ipse fingitur Oceanum in clericali vita instituere, atque inter cetera ità scribere: *Flammigero igne percutit femina conscientiam pariter habitantis, exuritque fundamenta montium*; & infrà. *Mihi crede, non potest toto corde cum Domino habitare, qui feminarum accessibus copulatur*; & paulò post: *Feminam, quam benè videris conversantem, mente dilige, non corporali frequentes ornatu.* Prætereà aliquot Gratiani verba referenda sunt ad epistolam Hieronymi ad Rusticum Monachum, in qua ità legimus: *Habeas de foris bonum testimonium, feminæque nomen tuum noverint, & vultum tuum nesciant.* Quædam ibidèm decerpta sunt ex libro 1. contra Jovinianum, qui cum diceret, æquale esse & virginum & nuptarum meritum apùd Deum, ità ab Hieronymo reprehenditur: *Bonum est homini mulierem non tangere: Si bonum est mulierem non tangere, malum est ergò tangere. Nihil enim bono contrarium est, nisi malum: Si autèm malum est, & ignoscitur, ideò conceditur, ne malo quid deterius fiat.* Interpretabatur hoc in loco Hieronymus verba illa Pauli Apostoli: *Bonum est homini mulierem non tangere, propter fornicationes autèm unusquisque uxorem suam habeat &c.* Sanè, ut liquet, postrema hæc longè distant à proposito Gratiani, qui sermonem de Clericorum vita in dicto canone 17. credidit institutum. Illud intereà observasse sufficiat, eumdem canonem ex diversis omninò capitibus fuisse à Collectore inordinatè, & sine delectu compositum. Adde his, quæ inferiùs dicenda erunt ad canonem 11. caus. 31. quæst. 1.

Can. 17. dist. 32.

Ex eadem epistola ad Nepotianum depromptus dicitur canon 6. dist. 35. Reverà ibidèm Hieronymus ità scribit: *Vinolentos Sacerdotes & Apostolus damnat, & vetus lex prohibet: Qui altario deserviunt, vinum & siceram non bibant. Sicera Hebræo sermone omnis potio nuncupatur, quæ inebriare potest, sive illa, quæ frumento conficitur, sive pomorum succo, aut cum favi decoquuntur in dulcem & barbaram potionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctisque frugibus aqua pinguior coloratur. Quidquid inebriat, & statum mentis evertit, fuge similiter, ut vinum.* Multa, ut videtur, ex iis, quæ Gratianus descripsit, in epistola Hieronymi desiderantur; sunt autèm exhausta ex alio sancti Doctoris libro, nimirùm ex lib. 3. commentariorum epistolæ ad Galatas cap. 5. ad vocem *ebrietates*, ibi: *Undè Apostolus clamitat: & vinum, in quo est luxuria. Habet unusquisque suæ sententiæ potestatem. Ego Apostolum sequor, in vino esse luxuriam, in vino ebrietatem. Ebrietatem autèm, & luxuriam inter carnis opera numerari nec ille potest negare, qui eisdem passionibus vincitur, & licet me quidam in eo libro, quem de servanda virginitate scripsi, reprehendendum putent, quòd dixerim, adolescentulas ità vinum debere fugere, ut venenum, non me sententiæ pœnitebit.* Hoc in loco respexit Hieronymus ad epistolam, quam scripserat ad Eustochium de custodia virginitatis, ubi ità virginem alloquebatur. *Hoc primùm moneo, hoc obtestor, ut sponsa Christi vinum fugiat pro veneno.*

Can. 9. dist. 52.

In canone 9. dist. 88. nihil singulare animadvertendum occurrit. Habetur eisdèm omninò verbis in epistola ad Nepotianum.

Can. 9. dist. 88.

Ibidèm etiàm legitur canon. 7. dist. 95., in ea parte, qua Hieronymus Nepo-

Can. 7. dist. 95.

potianum hortabatur, ut avunculo suo Heliodoro Episcopo obedientiam exhiberet, his verbis: *Esto subjectus Pontifici tuo, & quasi animæ parentem suscipe: Amare filiorum, timere servorum est. Si pater sum, inquit, ubi est honor meus? Si dominus ego sum, ubi est timor meus? Plura tibi in eodem viro observanda sunt nomina: Monachus, Pontifex, Avunculus tuus, qui te jam in omnibus, quæ sancta sunt, docuit. Illud etiàm dico, quòd Episcopi sacerdotes se esse noverint, non dominos, &c.* quæ habentur apùd Gratianum usquè ad illa verba, *prior taceat*; pòst quæ statim ità prosequitur Hieronymus: *potestis enim per singulos prophetare, ut omnes discant, & omnes consolentur, & spiritus prophetarum prophetis subjectus est. Non enim dissensionis Deus, sed pacis. Gloria patris est filius sapiens. Gaudeat Episcopus judicio suo, cum tales Christo elegerit sacerdotes.* Ex iis, quæ descripta modò sunt, & supplendus est Gratianeus canon, & emendandus.

Can. 5. caus. 12. q. 1. & Can. 71. caus. 12. q. 2. Canon 5. caus. 12. quæst. 1. legitur in eadem epistola, cum qua penitùs consonat. Sic etiàm canon 71. caus. 12. quæst. 2., usquè ad versiculum *multi*, in quo ità legendum est: *Multi ædificant parietes, & columnas Ecclesiæ substruunt, marmora nitent, auro splendent laquearia. ... Et sanguis pecudum erat redemptio peccatorum.... dedicarit, cogitemus crucem ejus, & divitias lutum putabimus.* Quæ hoc in loco omisi, ità habentur apùd Gratianum, quemadmodùm apùd Hieronymum. Qui deindè sequitur versiculus *amico* legitur propè finem ejusdem epistolæ. Versiculus autèm *Crates* referendus est ad epistolam Hieronymi ad Paulinum, de qua inferiùs habebitur sermo.

De epistolis ad Oceanum, & ad Pammachium.

Ideò jungendas duxi epistolas Hieronymi ad Oceanum, & Pammachium, quia aliquandò ad utrumque simùl nonnulla directa deprehenduntur, quemadmodùm liquebit ex iis, quæ inferiùs recensebuntur. Ad Oceanum in primis plures extant Hieronymianæ epistolæ; in quarum numero est, quæ incipit *Nunquàm fili Oceane*, ac memoratur apùd Gratianum in can. 1. dist. 26. Ibidèm dirimitur celeberrima illa disputatio veterum, nùm qui antè Baptismum uni, deindè pòst Baptismum alteri junctus fuisset uxori, pro bigamo habendus foret, ac propterea à sacris ministeriis in Ecclesia arcendus. Inter Episcoporum qualitates Paulus Apostolus recensuerat eam, ut Episcopus esset *unius uxoris vir*, sive, quod idem est, minimè bigamus. Græci Patres bigamum dicere noluerunt eum, qui post Baptismum uni tantùm junctus esset uxori, licèt antè Baptismum aliam conjugem duxisset. Alitèr sentiebant Latini, quemadmodùm jam animadverti, dum expenderem canonem 4. dist. 26. inter Ambrosii monumenta. Hieronymus verò, cui ob diuturnam, quam apùd orientales contraxerat, moram maximè spectabilis erat Græcorum doctrina, Græcorum eorumdem opinioni adhærere visus est, quam propterea in ea epistola ad Oceanum ità alacritèr sustinuit, ut Latinorum contradicentium placita *Cainam hæresim, atque olim emortuam viperam* appellare non dubitaverit. Errore facti lapsus fuit in hac re Hieronymus; putabat enim, Latinos contra sentientes passim tradere, repetiti conjugii, seu bigamiæ vitium, seu, quod idem est, incontinentis animi notas in Baptimo non aboleri. Profectò sancto Viro ea potissimùm fuit ratio, quia nota quæcumque ex nuptiis contracta Baptismo deleretur, quod autèm semèl deletum erat, non posset pòst Baptismum opponi. At verò Latini nunquàm eò devenerunt, ut ista prædicarent: tantùm ajebant, in secundis nuptiis non esse eam perfectam Sacramenti conjunctionis Christi & Ecclesiæ significationem, quæ in unicis nuptiis deprehenditur. Verba, quæ à Gratiano

Can. 1. dist. 26.

re-

referuntur in laudato can. 1., non eadem sunt, quæ Hieronymiani codices exhibent. Ajebat Hieronymus: *Si Baptismus novum hominem facit, & ex toto novum creat, nihilque in eo veteris hominis reservatur, non potest novo imputari, quod in veteri quondàm fuit.* Et infrà: *Omnia scorta, & publicæ colluvionis sordes, impietas in Deum, parricidium, & incestus in parentes, atque in extraordinarias voluptates utriusque sexus, mutata natura, Christi fonte purgantur: uxoris inhærebunt maculæ, & lupanaria thalamis præferentur?* Hodiè definitam jamdiù quæstionem habemus, quemadmodùm adnotavi ad canonem 3. & 4. dist. 26.

Can. 5. dist. 35. Ea ipsa occasione, qua recensuerat Hieronymus Episcopi qualitatem ex Apostolo Paulo, ut esset *unius uxoris vir*, de alia quoquè Apostolica qualitate sermonem habuit, ut non esset *vinolentus*, ità ad eam rem scribens: *Vinolentia scurrarum est, & commessatorum, venterque mero æstuans citò despumat in libidines. In vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia est. Qui luxuriatur, vivens mortuus est: ergò, qui inæbriatur, & mortuus, & sepultus est. Noe ad unius horæ æbrietatem nudat femora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat. Lot per temulentiam nesciens libidini miscet incestum, & quem Sodoma non viceràt, vina vicerunt.* Hæc verba sunt, ad quæ exigendus erit canon 5. dist. 35.

Can. 1. caus. 28. q. 3. Ad canonem 1. caus. 28. quæst. 3. vix est, quod post explicatam hanc integram Hieronymi sententiam adjiciendum supersit. In eo tota ferè perstricta est Hieronymi epistola, quamquàm verba ipsa epistolæ ibidèm descripta non fuerint.

Can. 19. & 20. caus. 32. q. 5. Extat alia ad Oceanum Hieronymi epistola, in qua sanctus Vir Fabiolæ recèns defunctæ elogium texuit, ejusdemque virtutes laudavit. Verùm, eum novisset, Fabiolam à priore matrimonio, marito adhùc vivente, recessisse, factum illud, quoad fieri posset, excusavit his verbis: *Tanta prior maritus vitia habuisse narratur, ut ne scortum quidem, & vile mancipium ea sustinere posset. Quæ si voluero dicere, perdam virtutem fœminæ, quæ maluit culpam subire dissidii, quàm corporis sui infamare partem, & maculas ejus detegere. Hoc solùm proferam, quod verecundæ Matronæ, & Christianæ satis est. Præcepit Dominus uxorem non debere dimitti, excepta causa fornicationis; & si dimissa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris jubetur, hoc consequentèr redundat in fœminas. Neque enim adultera uxor dimittenda est, & vir mœchus tenendus. Si qui meretrici jungitur, unum corpus facit: ergò & qui scortatori, impuroque sociatur, unum cum eo corpus efficitur. Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi, aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. Apud illos viris impudicitiæ fræna laxantur, & solo stupro, atque adulterio condemnato, passim per lupanaria, & ancillulas libido permittitur, quasi culpam dignitas faciat, non voluntas. Apùd nos, quod non licet fœminis, æquè non licet viris, & eadem servitus pari conditione censetur. Dimisit ergò, ut ajunt, vitiosum, dimisit illius & illius criminis noxium: dimisit (penè dixi) quod, clamante vicinia, uxor sola non prodidit.* His ità descriptis, quibus integra exhibetur Hieronymi sententia, facilis erit interpretatio canonum 19. & 20. caus. 32. quæst. 5. ex ea epistola præcisis fragmentis depromptorum.

Can. 15. dist. 38. Non defuerunt, qui invidentes Hieronymo plura in vulgus spargerent contra libros sancti Doctoris, atque inter cetera prædicaverunt, libros adversùs Jovinianum erroribus undecumquè scatere, quasi in illis adversùs Apostolicam Pauli doctrinam nuptiæ damnarentur. Pammachius, Hieronymi amicus, affinis Paulæ, & consobrinus Marcellæ, putavit, se rem gratam sancto Viro, & honestati consentaneam, facturum, si scripta Hieronymi habentibus, & legentibus furtim universa subriperet, & ad eumdem auctorem mitteret emendanda. Id ubi novit Hieronymus, statim ad Pammachium scripsit epistolam, profitens se minimè in memoratis libris erras-

rasse, imò illos legentibus esse posse jucundos, in ea præsertim parte, in qua divinarum literarum interpretatio contineretur, subjiciens non fuisse se valdè sollicitum de elegantia sermonis, quam neglexerat, ubi prævalere debebat populo juvandi voluntas; concludit autèm iis ipsis verbis, quæ legimus in can. 15. dist. 38. *Ecclesiastica interpretatio &c.* Incipit epistola *Christiani interdùm.*

Can. 11. caus. 31. q. 1.

Verùm illa epistola, utpotè brevissima, non visa fuit sufficere, ut calumniatores refellerentur. Data accasione opusculum elucubravit Hieronymus, sive apologiam librorum suorum adversùs Jovinianum, eamdemque ad Pammachium eumdem direxit, quæ incipit *Quod ad te hùc usquè non scripsi.* Ibidèm tradidit, quemadmodùm virginitatis quidèm decus laudibus extulerit, non tamèn, ut nonnulli dictitaverant, nuptias improbaverit. Hùc pertinent verba canonis 11. caus. 31. quæst. 1., ità ex integra epistola supplenda. *Aperiant, quæso, aures obtrectatores mei, & videant me secundas, & tertias nuptias concessisse in Domino. Qui secundas, & tertias non damnavi, primum potui damnare matrimonium?* Et paulò inferiùs: *Omnia licent, sed non omnia expediunt: non damno digamos, imò nec trigamos, & si dici potest, octogamos. Aliud est non damnare, aliud prædicare: aliud veniam concedere, aliud laudare virtutem;* itèm pòst multa: *Ego etiàm nùnc libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia bigamiam, immò nec trigamiam, & ità licere quinto, & sexto, & ultrà, quomodo & secundo marito nubere; sed quomodò non damnantur istæ nuptiæ, ità nec prædicantur. Solatia miseriæ sunt, non laudes continentiæ.* Ex istis etiàm interpretari juvabit verba canonis 17. dist. 32. in fine, ibi: *Si bonum est, mulierem non tangere, malum est ergò tangere.* Hæc verò Hieronymi sententia, in libris adversùs Jovinianum pronunciata, à plurimis Hieronymo infensis torqueri solebat; hinc idem sanctus Doctor, ut se purgaret ab objectis, ità persecutus est in sua ad Pammachium apologia: *Diximus: Si bonum est mulierem non tangere, malum est ergò tangere: nihil enim bono contrarium est, nisi malum; si autem malum est, & ignoscitur, ideò conceditur, ne malo quid deterius fiat, & cetera usquè ad propositionem alterius capituli. Hoc ideò subjecimus, quia Apostolus dixerat: Bonum est homini mulierem non tangere. Propter fornication m autèm unusquisque uxorem suam habeat, & unaquæque suum virum habeat. In quo dufferunt verba mea à sensu Apostoli? Nisi fortè in eo, quod ille pronunciat, ego dubito; ille definit, ego scisitor; ille apertè dicit: Bonum est homini mulierem non tangere; ego timidè quæro, si bonum est mulierem non tangere: Si, dubitantis est, non confirmantis: Ille dicit: bonum est non tangere, ego quid bono contrarium esse possit, adjungo.*

Alia est Hieronymi ad Pammachium epistola, ex qua Gratianus excepit canonem 5. dist. 56., scripta nimirùm adversùs errores Joannis Jerosolymitani. Is est Joannes, Episcopus hujus nominis secundus, qui in Episcopatu vixit ab anno 386. usquè ad annum 416., ea ætate, qua Jerosolymitana Ecclesia ab Arianis hæreticis vexabatur, præsertim propter Hilarium Arianum Antistitem, qui adversùs Cyrilum Joannis prædecessorem subrogatus fuerat: Fides & Religio Joannis non erat sine suspicione, non solùm quòd in impia Arianorum dogmata, sed etiàm quòd propendere in errores Origenis videretur. Eum Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus, convocato & Clericorum Monachorum concilio, interpellavit, ut se de objecto hæreseos crimine purgaret; verùm Joannes diù tergiversatus suspicionem publicè adauxit, undè suborta fuit occasio Hieronymo, ut ad Pammachium scribens adversùs Episcopum illum, & ejus errores improbaret, & ejus imprudentiam redargueret. Inter ceteras Origenis sententias, quibus ille visus fuerat adhærere, ea erat, *quòd in hoc corpore quasi in carcere sunt animæ religatæ, & antequàm homo fieret in paradiso, inter ratio-*

Can. 5. dist. 56.

tionabiles creaturas in cœlestibus commoratæ sunt. Hæc refutando Hieronymus tradidit, animas hominum eo ipso tempore à Deo creari, quo corporibus adjunguntur. Qui contrà opinabantur, objiciebant, se nullo modo percipere, quomodò fieri posset, Deum creare animas, dum corpus ex adulterio gignitur, quasi Deus favere adulterio videatur. Respondebat Hieronymus his verbis: *Scio, quæ contrà hæc soleatis dicere, & adulterina nobis, atque incesta proponere, quæ longior pugna est, nec hujus temporis patitur angustias. Eadem controversia & in vos retorqueri potest, & quodcumque in conditorem præsentis temporis videtur indignum, hoc etiàm eo donante non est indignum. Nasci de adulterio non est ejus culpa, qui nascitur &c.* Hic sequuntur verba canonis 5., quæ statim ex modò traditis intelliguntur.

Deniquè alia est Hieronymi epistola ad Pammachium simùl & ad Oceanum scripta, ubi sanctus Vir exponit, quo animo Origenis studiosus fuerit, & laudator. Etenim Hieronymum plures tanquàm Origenianis opinionibus faventem existimabant, quibus opus erat satisfacere, ne fortè Hieronymus hæretici notam tacendo & dissimulando contraheret, seu ab aliis injectam à se non averteret. Itaquè in ea epistola fassus est, se aliquandò adolescentem, & minùs eruditum erravisse, dum præsertim in solis Philosophorum, & Gentilium studiis detineretur, & christiana dogmata propemodùm ignoraret. Sed deindè ait, pœnituisse se, atque sui exemplo ceteros ad imitationem provocavit, inquiens: *Secunda post naufragium tabula est, culpam simpliciter confiteri: imitati estis errantem, imitamini & correctum. Erravimus juvenes, emendemur senes; jungamus gemitus, lacrymas copulemus.* Hæc sunt, quæ descripsit Gratianus in can. 72. de pœn. dist. 1., quæ tamèn an Gratianeo proposito conveniant, lectoris prudentis esto judicium.

Can. 72. de pœn. dist. 1.

De epistola ad Paulinum de institutione Monachi.

Fuit Paulinus quidam adolescens eloquens, & Monachus, qui, cum maximè Hieronymum senem in sanctis locis agentem veneraretur, ab illo se institui in Monastica disciplina postulavit. Hunc quidam putant fuisse Paulinum illum, qui posteà Nolanæ Ecclesiæ gessit Episcopatum; illum alii, qui Antiochenæ Ecclesiæ in Syria Episcopus fuit, & de quo mentionem fecit Hieronymus idem in Epitaphio Marcellæ, & in Epitaphio Paulæ. Inter cetera ad eum rescribens sanctus Vir, monet, ne ex quadam animi levitate Monachus jejunia simulet, & vili pallio induatur, cum tamèn reverà opibus affluat, & deliciis studeat, proferens in eam rem Cratis Philosophi exemplum. Verba Hieronymi leguntur in can. 71. vers. *Crates* usquè in finem caus. 12. quæst. 2. Prætereà exoptabat vehementèr Paulinus Monachus religiosus & pius Jerosolymitanos vicos invisere, allegans decere maximè Christianum virum in ea se loca conferre, in quibus Christianæ Religionis completa fuisse mysteria crederet. Nihilominùs Hieronymus rescripsit, laudare quidèm se piissimum votum, non tamèn illud benè Monacho, & solitariæ vitæ studioso congruere. Hùc pertinent priora verba canonis 5. caus. 16. quæst. 1. usquè ad ea *sed multorum.* Quæ sequuntur in vers. *Habeto simplicitatem*, leguntur paulò inferiùs in eadem Epistola, in ea nimirùm parte, in qua Hieronymus tradit, quænam sint à Monacho observanda.

Can. 71. vers. ult. caus. 12. q. 2.

Can. 5. caus. 16. q. 1.

De epistolis ad Riparium Presbyterum.

Vigilantius quidam, natione Gallus, & in Hispania Presbyter, scripserat libellum, in quo & cultum sacris Martyrum reliquiis debitum, & nocturnas apùd Martyres fidelium vigilias reprobaverat.

Cons-

Conscius de ea re factus à Riparío Presbytero Hieronymus, statim se paratum exhibuit, ut adversùs Vigilantium scriberet, quem irridens *Dormitantium* appellavit. Id insinuat in epistola ad eumdem Riparium, quæ incipit: *Acceptis literis tuis*, in qua legitur canon 13. caus. 23. quæst. 8. ubi, quænam sit varietas codicum, jam Romani Correctores adnotaverunt. Sententia ibidèm expressa satis indicat, quo animi æstu correptus fuerit sanctus Vir, ut adversùs impium hominem pro religione pugnaret. Pugnavit autèm iterùm in alia epistola, quæ incipit *Multa in orbem monstra generata sunt*, & quidèm majore etiàm alacritate, ut vix à conviciis in adversarium jaciendis temperare potuerit. Quoniàm verò Vigilantius adversùs Monachos stylum etiàm exacuerat, id ferre Hieronymus non valuit; qui propterea Monachorum causam defendens, bona illa recensuit, quibus Monachi viventes in solitudine fruerentur. Hùc spectant verba canonis 4. caus. 16. quæst. 1. ità ex integra Hieronymi epistola legenda: *Monachus autèm non Doctoris, sed plangentis habet officium, qui vel se, vel mundum lugeat, & Domini pavidus præstoletur adventum.*

Can. 13. caus. 23. q. 8.

Can. 4. caus. 16. q. 1.

De epistola ad Rusticum Narbonensem, seu de libello de septem Gradibus Ecclesiæ.

Extat inter opera Hieronymi libellus de septem gradibus Ecclesiæ, quem eruditi viri falsò adscriptum fuisse sancto Doctori judicaverunt, & quidèm non inanibus rationum momentis. In primis enim longè diversus ab eo est Hieronymi stylus; deindè non consonant antiqui codices in designando nomine auctoris, cum in quibusdam nullum omninò nomen præseferat, in aliis tribuatur Hieronymo, nùnc ad Damasum, nùnc ad Rusticum Narbonensem scribenti. Immò in aliquot codicibus integer exhibetur, in aliquibus ità indigestus, ut multa desint, quæ in reliquis reperiuntur, nec facilè dijudicari potest, quinam sint codices præferendi. Itèm observatur, Hieronymum nullibi in suis operibus de eo libello mentionem facere, utut gravissimi momenti, quandò tamèn Hieronymus opera sua commemorare identidèm consuevit. Multa prætereà sunt, quæ digna Hieronymo non videntur; elatus enim quodammodò libri auctor se Episcopum docere jactat, imò instruendum Episcopum ità objurgat, ut de ignoratione rerum, ad munus suum pertinentium, vehementèr redarguat, ibi: *Totius tibi Ecclesiæ, prout præcipis, Sacramenta reserabo, doctrinæ ordinem, & locum custodiens, & quid qualiter observare debeas, docens.....& id, quod jampridèm in consecratione consecutum te esse credis, restat ut capias &c.* His addi potest, eo in libro septem Ecclesiæ gradus describi, Fossariorum scilicèt, id est, mortuos sepelientium, Ostiariorum, Lectorum, Subdiaconorum, Diaconorum, Sacerdotum, & Episcoporum. Verùm hæc distinctio non satis videtur apùd veteres probata, si præsertim animadvertamus, Fossariorum ordinem priscis Conciliorum canonibus esse prorsùs incognitum, de quo ceteroquin fusus ibidèm sermo instituitur. In capite 5. ejusdem libri, seu epistolæ, ubi de Diaconis agitur, leguntur verba canonis 23. dist. 93., qui tamèn ità ex integris codicibus supplendus erit, cum multa à Gratiano prætermissa noscantur. *Quintus in Diaconibus ordo Sacramenti est, quorum sors Deus est, qui recedere de templo Domini die ac nocte prohibentur, qui columna, & fundamentum veritatis sunt, qui Ecclesias Dei sustinent, qui altare Christi sunt, in quo confriuntur Sacramenta, in quo offertur ablutio. Quid ergò in templo Dei, ut ipse nosti, venerabilius Altari esse potest? Quis non se ad mensam Domini accessurus humiliet? & hi sunt* (hinc exorditur Gratianus) *quos in Apocalypsi legimus....tonitruorum. Hi in similitudinem Noe Sacramentorum justitiæ*

Can. 23. dist. 93.

præcones non habentes in se maculam, aut rugam, atque in candore lucis effecti in omni Israel Deum valent perspicere, puri mentibus, animabus candidi, virtutum operatione præclari.... & scandala resecantes, soli Deo colloquentes.... non agnoscentes. Denique & Levi, ut scriptum legimus, Sacerdotalis tribus est, & caput omnium Sacerdotum, sine hoc Sacerdos nomen non habet....& sicut in Sacerdote consecratio, ità in ministro est Sacramenti dispensatio. Illi orare, huic psallere mandatur. Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat. Ipsis etiàm Sacerdotibus propter præsumptionem.... à Diacono, ut præcedente ministerio sanctitatis humiliatus paulispèr post consecrationem, dum ministro reverentiam exhibet, quantam ministerio Dei debeat, recognoscat. Ità enim Deus noster omnipotens....Tunc deindè ut aures habeamus ad Dominum....implere videatur. Eget officio Diaconi Sacerdos, sicut & Diaconus Sacerdotis; nec dives sine paupere, nec pauper sine divite esse potest. Post consecrationem enim omnium Sacramentorum, post orationes, post recitationes nominum, post omnia mysteria deitatis, perfectio rursùs Levitis in altari datur: Diaconus ut superiùs dixi, calicem tradit, testis passionis, testis dispensationis, testis humilitatis, ne elatus in superbiam is, qui obtulit, nihil sperandum sibi à Diacono recognoscat. Ideò Levita in consecratione perfectus est, nec ultrà jam, sicut Laicus, benedicitur, quia perfectam in se habere jubetur Domini sanctitatem. Deniquè ex omnibus tribubus in Jesu Nave libro, Levitæ Civitates accipiunt, ut tu intelligas, nullum esse hominum genus, nullam terram, nullum locum, nullam gentem, quæ non huic propter Dominum servire jubeatur. De Levitis autèm decimàs decimarum accipiunt Sacerdotes, nec dare ipsis, sed accipere mandantur. Nunc autèm ex quo in Ecclesiis, si..... devenisse. Eget in sede Presbyter, in altari Levita, in secretario Subdiaconus, in lectione Lector, & in templo Ostiarius, in sepultura Fossarius, moriuntur fame, qui alios sepelire mandantur: poscunt misericordiam, qui misereri aliis sunt præcepti, & dum ista fiunt, Sacerdos, qui hoc non fecerit, condemnatur. Solus incubat divitiis, solus ministerio utitur....universos. Nam si secundum divinos libros omnia faceremus, nec deesse qui quam visibiliter poterat cunctis, & sola in Christi Ecclesia sanctitas abundaret. Hinc propter....hinc desolationum causæ, hinc origo criminis. Etenim si unusquisque ità hunc mundum visibiliter possidere mandatur, ut sua... & sicut sine his in Ecclesia non fuit, ita & sine his in Ecclesiæ ministerii dispensatione non vivat. Certè.....moderatio enim Dei preces, ac solum nostrum reditum quærit, ac nos quærit sua nos bonitate salvari...assiduè peccantium, sicut scriptum est, Deus non miseretur. His verbis emendandus æquè, ac supplendus erit Canon Gratianeus, dummodò animadvertas, me adjectis punctulis plurima omisisse, ea nimirùm, quæ apùd Gratianum leguntur optimis codicibus consona. Intereà tamèn ex iis magis magisque colligitur, opus istud falsò Hieronymo tribui, cum ibidèm exhibeantur Diaconi, ac si temporibus Hieronymi vexati à Sacerdotibus essent, & pressi, quandò tamèn aliàs sanctus Vir debuit eorumdem sui temporis Diaconorum ambitum redarguere, & potiùs de Sacerdotum conditione dolere, quemadmodùm præsertim liquet ex ejusdem epistola ad Evagrium, cujus fragmentum refertur in can. 24. dist. 93.

In sequenti capite, scilicet 6., auctor ejusdem epistolæ munera Sacerdotum, seu Presbyterorum persequitur; postquàm enim tradidit Episcoporum, & Presbyterorum unam eamdemque esse potestatem in iis, quæ ad Eucharistiam conficiendam pertinent, statim ità subjicit, undè & supplendus & emendandus erit Gratianeus canon 6. dist. 95. *Nec ego dico, præsentibus Episcopis, atque adstantibus altari, Presbyteros posse Sacramenta conficere. Sed si fortè usus exegerit, ut venientes ad Ecclesiam Sacerdotes eisdem horis, quibus aut oblatio parata non sit, aut non possit offerri, non debere Epis-* Can. 6. dist. 95.

Episcopum repudiare Eucharistiam Presbyterorum, si ponatur in altari, quam accipi oportet propter Christum, quoniàm Corpus Christi est, sicut etiàm scriptum est: Vos etiàm estis Corpus Christi, & membra ex parte. Charitas enim cooperit multitudinem peccatorum. Fides, spes, charitas, tria hæc, major his est charitas. Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non inflatur, non perperàm agit, omnia credit, omnia sustinet, charitas nusquàm excidit. Et quia scriptum est: Presbyteri duplici honore honorentur....complere; præsertim, cum in Oriente eam consuetudinem & in Illyrico, & in Italia, atque in Africa omnibus in locis temporibus Apostolorum fuisse, manifestum sit. Ac sola propter auctoritatem Summo Sacerdoti Clericorum ordinatio, & virginum consecratio reservata sit, cum basilicæ altaris, & chrismatis dedicatione, vel satisfactione, à multis disciplina Ecclesiæ vendicata concordiam Sacerdotum solveret, scandala generaret. Propter hoc & nuper Episcopalis electio ad Metropolitanum remissa est; & cum huic summa datur potestas, aliis adimitur hæc facultas. Et incipiunt etiàm Summi Sacerdotes pati, non ex jure, sed ex necessitate alium Sacerdotem. Nemo hinc Episcoporum... consecrare? Virgines etiàm Dei, licèt Apostolus dicat: de Virginibus præceptum Domini non habeo, tamèn hoc ratione faciente, si usus exegerit, per eum benedici, si necesse est, manifestum est, quia Maria Mater Domini Christi soror est Virginum (hoc in loco animadvertatur, quàm frigidæ sunt hujusmodi rationes, & Hieronymi ingenio minùs dignæ) *& Eucharistia Christi est Corpus, & minor Maria, quam Dominus. Tamèn credendum est Summi Sacerdotis judicio, & hoc faciendum, quod jusserit circa laicos, & mulieres. Jubentibus vobis injustissimè Sacerdotibus, non rectè Presbyter Dei benedictionis perdit officium....ut damna gregibus inferatis? Quoniàm cum pastoribus per potentiam vestram aufertur Deo digna diligentia, contagium quoddam, & calamitas crescit in gregibus, ac Deo nostro, non patrimonii sui damna conquiritis, dum soli vultis in Ecclesiis potentari. Denique & chrismatis ea ratio est, atque hic ordo legitimus consecrandi, baptizatum Dominum, & in similitudine columbæ in specie chrismatis à Patre unctum fuisse, manifestum est, ac plenitudo Sacramenti Corpus ejus & Sanguis ostensus. Quæ cum offerre licet, etiàm reliqua, quæ in eo sunt, consecrare, quia in Christo omnis plenitudo divinitatis corporaliter habitat. Presbyteri ergò, si necesse est, possunt chrisma conficere, quia in corpore ejus chrisma est. Siquidèm hæc regula etiàm nùnc servatur à plurimis, atque in Ecclesiis multis sic ista faciunt; tamèn meæ hoc scito esse sententiæ, nulli Episcopo supèr hoc injuriam esse faciendam, nec legem à me opponendam esse ei, qui lex est Presbyteri. Ab initio, ut legimus, negotiorum Judices esse mandati sunt Presbyteri interesse Sacerdotum consilio. Quoniàm & ipsi Presbyteri, ut legimus, Episcopi nuncupantur, secundum quod scriptum est ad Titum: Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per Civitates Presbyteros, quemadmodùm ego tibi disposui &c. Vides ergò, Presbyterum Episcopum dici, & Apostoli Pauli esse sententiam? Et alibi ad Timotheum de Ecclesiæ ordine: oportet, Episcopum irreprehensibilem esse &c. Vides ergò hic Presbyteri non fieri mentionem, sed hunc esse locum, quem Episcopatum vocat? Et alibi ad Timotheum Episcopum: Præcipe hæc, & doce: nemo adolescentiam tuam contemnat, sed forma esto fidelium in sermone, in conversatione, in charitate, in fide, castitate &c. Intelligis ergò, in Presbytero summam Sacerdotii collocari? & alibi ad majores natu: Qui vos posuit Episcopos regere Ecclesiam suam. Philippis certè una Macedoniæ Civitas est. Et cum ibi Paulus Episcopis, & Diaconibus scripsit, quid nisi eos, qui præsunt Presbyteri, Episcopos vocat? Denique & Apostolus Joannes Episcopus scribit: Senior Electæ dominæ, quam diligo in veritate; nam Presbyter ætatis est nomen, Episcopus dignitatis. Salomon quoque ait: Presbytero humilia animam tuam. Sed oderunt hoc Sacerdotes superbi.....quod in cœlis*

fit, quod majus est, ubi sedes eorum legis esse dispositas, ut terrena contemnas, ut nihil tibi de mundi istius conversatione præsumas. Ità restitui ad integra epistolæ exemplaria canonem Gratianeum, illa omittens, quæ punctulis adnotavi, in quibus Gratianea editio penitùs consonat. Ceterùm ex illis, quæ adducta sunt, facilè colligitur, nonnulla ex variis Hieronymi commentariis derivata ab opusculi auctore fuisse, imò & ex opusculis Gregorii Magni, quemadmodùm liquebit conferenti cum eo canone canonem 24. dist. 93. & canonem 1. dist. 95. Quis non agnoscat in his manum deceptoris? Agnoscitur hæc etiàm perspicuè in istis, quæ in epistola sequuntur, verbis: *Respice Jerusalem, Matrem omnium Sanctorum, ornatam Patriarchis, Prophetis, & Angelis Dei: ipsius consuetudinem sequere, ipsius Sacramenta custodi.* Duo hinc manifesta colliguntur apocryphi monumenti argumenta. Etenim in primis inverosimile prorsùs est, Hieronymum voluisse proponere exemplar Jerosolymitanæ Ecclesiæ Gallicano Episcopo valdè remoto; quomodò enim in tam dissita regione constitutus Rusticus contemplari potuisset, quos imitaretur Jerosolymitanæ Ecclesiæ mores? Deindè quis ignorat, Hieronymo suspectos fuisse de hæresi Jerosolymitanæ Ecclesiæ Clericos suæ ætatis, quandò ipse putabat, Joannem Jerosolymorum Episcopum partes hæreticorum fuisse secutum, quemadmodùm superiùs demonstravi ad canonem 5. dist. 96.

De epistola ad Rusticum Monachum.

Can. 41. caus. 7. q. 1. Jure potiùs tribuenda erit Hieronymo epistola ad Rusticum Monachum Gallicanum, quem in Monasticæ vitæ rationibus instituit. Inter cetera eum monuit, ut sibi aliquem sequendum proponeret, ne fortè vaga quadam disciplina duceretur; neque enim humili viro antiquius quidpiam esse debet, quàm ut Ducem sibi certum designet, cui tanquàm parenti & reverentiam in omnibus, & obedientiam exhibeat. Inter cetera ità scribit: *Nulla ars absquè Magistro discitur, etiàm muta animalia, & ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt, grues unam sequuntur ordine literato &c.* Quæ sequuntur apùd Hieronymum, habentur apùd Gratianum in can. 41. caus. 7. quæst. 1. quem Gratianus ad aliud demonstrandum adtulit, videlicèt ut ostenderet, unicum debere esse in unaquaque Ecclesia Prælatum, neque unum in locum viventis substitui geminato Episcopatu oportere, undè & Hieronymi verba corrumpere non dubitavit. Non sunt, fateor, hæc contraria, sed diversa. Hieronymo optimum erat dicere *in apibus principes sunt &c.* At Gratiano ità scribere non proderat, qui propterea ità verba immutavit: *In apibus princeps unus est &c.*

Ex epistola ad Rusticum laudatus fuit à Gratiano canon 7. caus. 16. quæst. 1. Verùm Romani Correctores jam observaverunt, referendum illum potiùs esse ad commentaria Hieronymi in caput 3. Isaiæ, imò & verba ipsa sancti Doctoris ad calcem canonis descripserunt, post quæ nihil hodiè adjiciendum superest. Can. 7. caus. 16. q. 1.

Ex eadem epistola ad Rusticum Monachum jure laudatus est canon 26. caus. 16. quæst. 1., cujus tamèn verba à Gratiano corrupta ità erunt ex integris codicibus restituenda: *Ità ergò age, & vive in Monasterio, ut Clericus esse mereaberis, ut adolescentiam tuam nulla sordes commaculet, ut ad altare Christi, quasi de thalamo virgo procedas, & habeas deforis bonum testimonium; feminæque nomen tuum noverint, & vultum tuum nesciant. Cum ad perfectam ætatem veneris, si tamèn vita comes fuerit, & te vel populus, vel Pontifex Civitatis in Clerum elegerit, age, quæ Clerici sunt, & inter ipsos sectare meliores, quia in omni conditione, & gradu optimis mixta sunt pessima.* Can. 26. caus. 16. q. 1.

Antè verba Hieronymi, modò descrip-

cripta, habentur ea, quæ leguntur in can. 27. caus. 16. quæst. 1., ibi : *Hæc dico, ut, etiamsi Clericatus te titillat desiderium, discas, quod possis docere &c.* Laudabat ibidèm sanctus Vir solitudinem vitæ, ejus rationem tenendam Rustico proponens, monendo, ne ad urbes frequentèr accederet, proposito veterum Patrum exemplo, qui in secreto recessu latentes eximiis virtutibus ornati sempèr fuerunt, & nunquàm externis mundi capi illecebris facilè potuerunt.

Can. 27. caus. 16. q. 1.

Itèm ex eadem epistola decerptus est canon 33. de cons. dist. 5., cujus verba cum Hieronymi codicibus penitùs consonant, dummodò pro illis *vagis cogitationibus*, & *non tamèn proptèr victus necessitatem*, potiùs ista substituas, *vanis cogitationibus*, & *non tam proptèr victus necessitatem.*

Can. 33. de cons. dist. 5.

De epistola ad Rusticum Laicum.

Ab iis epistolis, quæ ad Rusticum ab Hieronymo scriptæ perhibentur apùd Gratianum, distinguenda fuit ea, quæ directa deprehenditur ad Laicum quemdam, nomine Rusticum, undè deprompti sunt canones 23. 24. & 27. de pœn. dist. 3. Quidam, consentiente uxore sua, continentiam voverat : verum ex domestica & familiari consuetudine, insupèr habita pollicitatione, iterùm eum conjuge concubuerat. Pœnitens uxor ad sacra loca invisenda se contulerat pœnitentiæ causa, atque Hieronymo factum narraverat. Sanctus Vir ad maritum espistolam scripsit, qua eumdem ad ineundam criminis pœnitentiam hortaretur, suppresso tamèn nomine, ut nonnulli arbitrantur ; non enim est constans omnium codicum fides, ut *ad Rusticum* hujusmodi epistola ubiquè inscribatur: Rustici nomen recentiore & incerta manu adjectum nonnulli suspicantur. Supprimendi nominis causa non inanis Hieronymo fuerat, qui nomine edito peccatorem prodere verebatur, quem leni ratione erat ad pœnitentiam concitaturus. Incipit hæc epistola : *Quod ignotus ad ignotum audeo scribere &c.* In medio epistolæ, ubi Hieronymus virtutem pœnitentiæ explicat, leguntur verba canonis 24., in quibus nonnulli codices pro illis *respondit dicens : peccavi.....Rex enim erat, alium non timebat*, ità exhibent : *Respondit, peccavi ...Rex enim eram, alium non timebam.* Pòst verba postrema ejusdem canonis ità prosecutus fuit Hieronymus : *Qui enim abscondit iniquitatem suam, non prosperabitur. Achab Rex impiissimus &c.* Reliqua habentur apùd Gratianum in laudato canone 27., ubi animadvertenda est editionum varietas in ea voce Gratianea *conversio*, pro ista enim nonnulli codices habent *conversus.* Post pauca in eadem epistola leguntur verba laudati canonis 23., ubi nonnulli scribendum voluerunt : *Septiès cadit justus, & resurget &c.*

Can. 23. 24. & 27. de pœn. dist. 3.

De epistola ad Algasiam.

Dum Hieronymus in Bethlemicò secessu moraretur, minimè destitit, quominùs de Sacræ Scripturæ intelligentia hinc illinc interrogantibus responderet. Miserant ad illum ab extremis Galliarum finibus Algasia & Hebidia adolescentem Apodemium, non solùm sanctum Virum invisendi causa, sed potissimùm, ut aliquot monumentorum divinarum literarum sinceram interpretationem sancti atque eruditi Viri præsidio arriperent ; quibus ut ille satisfaceret, duas scripsit epistolas, singularem unam ad Hebidiam, alteram etiàm singularem ad Algasiam. In posteriore leguntur verba canonis 10. caus. 32. quæst. 2. ad interpretationem testimonii Matthæi, *væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus*, quam sententiam Christus Dominus dixerat, ut indicaret, qualis futura sit propè mundi finem universorum hominum desolatio. Sanctus Vir ea verba mysticè exposuit, nimirùm quasi ad eos spectantia, qui vix fidem initio conceperunt, adhùc inconstan-

Can. 10. caus. 32. q. 2.

tantes, & rudes, quos propterea sub nomine prægnantium, & nutrientium intellexit, recta quidem interpretatione, quòd istorum fides faciliùs ad ruinam parata, & ad interitum videatur. En ipsa verba Hieronymi, ad quæ exigendus est canon Gratianeus, à Collectore ipso paulò corruptus, & fortè in alienam omninò sententiam detortus. *Sicut enim semina paulatim formantur in uteris, & tamdiù non reputatur homo, donec elementa confusa suas imagines, membraque suscipiant, ità sensus ratione conceptus, nisi in opera proruperit, adhùc in ventre retinetur, & citò abortio perit, cum viderit abominationem desolationis stantem in Ecclesia, & Satanam transfigurari in Angelum lucis. De istiusmodi fœtibus Paulus loquitur, dicens: Filioli mei, quos iterùm parturio, donèc Christus formetur in vobis. Has ergò reor juxtà mysticos intellectus esse mulieres &c.*

De epistola ad Eustochium, de Custodia Virginitatis.

Epistolam, seu libellum ad Eustochium scripsisse se idem Hieronymus profitetur in libro 1. adversùs Jovinianum, ubi cum de nuptarum incommodis verba faceret, ait: *Pleniùs super hac re contra Helvidium, & in eo libro, quem ad Eustochium scripsi, arbitror absolutum.* Eustochium Paulæ filia, virginitatem professa, simùl cum matre in Bethlem migraverat, quam propterea Hieronymus velùt amantissimus institutor ad custodiam virginitatis hortabatur, monens, quid vitandum ab illis sit, qui pudici esse velint. Ex hoc libello depromptus est canon 11. caus. 32. quæst. 5., in quo, licèt multa restituerint ad integros codices Romani Correctores, adhùc observandum superest, pro illis Gratianeorum aliquot codicum verbis, *non potest post minam.....illicò audierit, descende.....non est filiæ Chaldæorum thronus &c.* legendum esse juxtà Hieronymianos integros codices: *Non potest post ruinam.....illicò audient, descende.....non est solium filiæ Caldæorum &c.*

Can. 11. caus. 32. q. 5.

Ex eodem libello depromptus est canon 19. de cons. dist. 5. his verbis supplendus: *Sint tibi quotidiana jejunia, & refectio sottetatem fugiens: nihil prodest biduo triduoque transmisso vacuum portare ventrem, si pariter obruatur, si compensetur saturitate jejunium.*

Can. 19. de cons. dist. 5.

Canon 20. de cons. dist. 5. apùd Burchardum in libro 13. cap. 24. & 25. partim laudatur sub nomine Pimenii Eremitæ, partim sub nomine Pauli Apostoli. Sub nomine Pimenii Eremitæ describitur caput 24. his verbis: *Sint tibi jejunia pura, continua, moderataque, id est, quotidiè esurire, & quotidiè prandere.* Sub nomine Pauli Apostoli describitur caput 25. his verbis: *Noli adhùc aquam bibere, sed modico utere vino propter infirmitates tuas; curat enim vulnera delinquentis, curatosque sanctificat jejunium.* Recentiores Collectores Hieronymo hæc tribuerunt, & non injuriâ; nam Burchardus in præcedente capite 23. sub nomine Pimenii etiàm laudaverat verba illa Hieronymi, quæ superiùs relata sunt ad canonem 19. de cons. dist. 5., undè, sicut illa reverà Hieronymi erant, facilè sibi persuadere potuerunt, etiàm Hieronymi esse, quæ in sequentibus capitibus recensebantur. Hinc Ivo Carnotensis eadem verba laudavit sub nomine Hieronymi ad Nepotianum scribentis in libello de vita Clericorum cap. 4. Decreti cap. 56. & 57. Quæ verba in epistola ad Nepotianum Gratianeo canoni consonent, jam Romani Correctores animadverterunt. Ego puto, adhùc nonnulla referri posse ex epistola ad Eustochium, quæ cum Gratiani canone consonant, ubi nimirùm scribit Hieronymus: *Hoc primùm moneo, hoc obtestor, ut sponsa Christi vinum fugiat pro veneno....Paulus ad Timotheum, jam noli, inquit, aquam bibere, sed vino modico utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Vide, quibus causis vini potio concedatur, ut ex hoc stomachi dolor, & frequens medeatur infirmitas.* Ex quibus

Can. 20. de cons. dist. 5.

bus adparet, laudatum canonem 20. ex pluribus Hieronymi fragmentis fuisse à Collectoribus compositum, & in eam formam redactum.

Non est omittendum hoc in loco observare, quid sentiendum sit de Hieronymi somnio, quod in hoc eodem libro ipse enarravit his verbis : *Itaque miser ego lecturus Tullium jejunabam. Post noctium crebras vigilias, post lacrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus, eruebat, Plautus sumebatur in manus. Si quando in memet reversus Prophetas legere cœpissem, sermo horrebat incultus. Et quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed solis. Dum ità me antiquus serpens illuderet, in media fermè Quadragesima medullis infusa febris corpus invasit exhaustum, & sine ulla requie (quod dictu quoquè incredibile sit) sic infelicia membra depasta est, ut ossibus vix hærerem. Interim parantur exequiæ, & vitalis animæ calor, toto frigescente jam corpore, in solo tantùm repente pectusculo palpitabat, cum subitò raptus in spiritu ad Tribunal Judicis pertrahor, ubi tantum luminis, & tantum erat ex circumstantium claritate fulgoris, ut projectus in terram sursùm adspicere non auderem. Interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi; & ille, qui præsidebat, mentiris, ait, Ciceronianus es, non Christianus. Ubi enim thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Illicò obmutui, & inter verbera (nàm cædi me jusserat) conscientiæ magis igne torquebar, illum mecum versiculum reputans : In inferno autèm quis confitebitur tibi? Clamare autèm cœpi, & ejulans dicere : miserere mei Domine, miserere mei : Hæc vox inter flagella resonabat. Tandèm ad præsidentis genua provoluti, qui adstiterant, precabantur, ut veniam tribueret adolescentiæ, & errori locum pœnitentiæ commodaret, exacturus deindè cruciatum, si gentilium literarum libros aliquandò legissem. Ego, qui in tanto constrictus articulo vellem etiàm majora promittere, dejerare cœpi, & nomen ejus obtestans dicere : Domine, si unquàm habuero codices sæculares, si legero, te negavi. In hæc Sacramenti verba dimissus, revertor ad superos, & mirantibus cunctis oculos aperio, tanto lacrymarum imbre perfusos, ut etiàm incredulis fidem facerem ex dolore. Nec verò sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpè deludimur. Testis est tribunal illud, ante quod jacui, testis judicium triste, quod timui. Ità mihi nunquàm contingat in talem incidere quæstionem, liventes habuisse scapulas, plagas sensisse post somnum, & tanto debinc studio Divina legisse, quanto non ante mortalia legeram.* Integra Hieronymi verba descripsi, ut statim adpareret, quænam fuerint facti totius adjuncta, quæque sancti Doctoris phrases ac formulæ in universa facti serie exprimenda. Præcipuus ejus scopus erat, ut Eustochium à nimia & inexpleta sæcularium lectionum cura removeret, quod & idem pluriès docuerat, ut liquet in can. 2. 3. 4. & 5. dist. 37., eaque somnii graphicè descripti elegantia putavit, facilè se piissimam ac religiosam feminam, non sublimibus rerum gravissimarum argumentis assuetam, ad divinarum literarum lectionem adducere; eamdemque à Gentilium libris, undè venenum potiùs haurire solent imbecilliores, avertere. Ceterùm non ea fuit sancti Doctoris sententia, ut generalitèr traderet, Christiano viro nullo modo licere elegantiores, & bonis moribus, aut fidei minimè adversantes, veterum ethnicorum libros evolvere, quod ad socordiæ, inertiæque præsidium nonnulli dicere non dubitarunt, in quorum ora ferè volitare consuevit, Hieronymum ea de causa divino judicio vapulasse. Hæc vel apùd ipsum Gratianum sub nomine Rhabani legimus in can. 7. dist. 37. quin tamèn solidiùs de causa judicetur. Observetur in hanc rem, quod deindè post scriptum libellum ad Eustochium tradidit idem Hieronymus in apologia adversùs Ruffinum propè finem. Oderat Ruffinus Hieronymum adeò, ut eumdem de hæresi arguere non dubitaret. Inter cetera

sanc-

sancto Viro objecerat reatum perjurii, quia cum in epistola laudata ad Eustochium professus esset jurejurando, se nunquàm ethnicorum sapientum lectioni eperam daturum, nihilominùs operam dedit, quod colligebat Ruffinus ex eo, quòd recentiores Hieronymi libri palàm prodiissent sapientum illorum sententiis quasi flosculis exornati. Ità Hieronymus de Ruffino. *Objicit mihi mixtum perjurium sacrilegio, quòd in libro, quo ad instituendam Christi virginem loquor, ante tribunal judicis dormiens pollicitus sim, nunquàm me literis sæcularibus daturum operam, & nihilominùs damnatæ eruditionis interdùm meminerim.....Nunc quod instat pro sacrilegio, atque perjurio somnii respondendum est. Dixi, me sæculares literas deinceps non lecturum; de futuro sponsio est, non præteritæ memoriæ abolitio.* Post hæc tradidit, quomodò facilè sibi fuerit ad memoriam revocare, quæ legerat, dum esset in adolescentia constitutus, ut deindè concluderet, se perjurii reum non esse, quotiès ethnicorum sapientum testimonia in suis opusculis laudaret, quæ non post jusjurandum legeret, sed recordabatur. Verùm heic non constitit Hieronymus. Ampliùs progressus est, ità scribens: *Hæc dicerem, si quidpiam vigilans promisissem. Nunc autèm novum impudentiæ genus! objicit mihi somnium meum. Utinàm celebritas loci, & Sanctorum de toto orbe conventus sineret me divinas scripturas legere. In tantum spatia non habeo externa meditandi. Sed tamèn, qui somnium criminatur, audiat Prophetarum voces, somniis non esse credendum, quia nec adulterium somnii ducit me ad tartarum, nec corona martyrii in cœlum levat. Quotiès vidi me esse mortuum, & in sepulchro positum? Quotiès volare super terras, & montes ac maria natatu aeris trasfretare? Cogat ergò me non vivere, vel pennas habere per latera, quia vanis imaginibus mens sæpè delusa est. Quanti in somni divites, apertis oculis repentè mendici sunt? Sitientes flumina bibunt, & experrecti siccis faucibus æstuant? Tu à me somnii exigis sponsionem: Ego te veriùs, strictiùsque conveniam....Non tibi sufficiunt, quæ de vigilante confingis, nisi & somnia crimineris. Tantam habes curiositatem meorum actuum, ut quid dormiens fecerim, dixerimve, discutias.* Quotiès hæc peculiaritèr, & singillatim considerata conferantur cum iis, quæ in laudata epistola ad Eustochium traduntur, perspicuè liquebit, Hieronymum ad Eustochium scribentem, non ex animo quidèm docere voluisse de iis, quæ sibi visa fuerint in somnio contigisse, sed eleganti quadam somnii narratione præparare voluisse legentem piam feminam ad rerum divinarum, neglectis ceteris, meditationem. Adde his, Hieronymo scribenti ad Eustochium vividas adhùc fuisse somnii illius imagines, præsertim infirmitate adhùc, & ægritatione corporis tabescenti; cui propterèa aliquid indulgendum erat, dum familiarem epistolam scribens, ità rem explicaverit, quasi rei pingeret veritatem. Ceterùm restitutis viribus, ubi adversùs Ruffinum dirigenda erat oratio, pro sincera animi sententia, aliud sancto Viro tradendum fuit, qui optimè noverat meditationem naturalis philosophiæ, cujus optima adhùc extant apùd sapientes Ethnicos dogmata, plurimum meditationi divinarum literarum apùd Viros prudentissimos famulari.

De epistola ad Fabiolam.

Explanato perdificili æquè ac tritissimo Hieronymi monumento, revertor in viam; Adhùc enim superest, ut pauca tradam de epistola sancti Viri ad Fabiolam, ex qua depromptus est apùd Gratianum canon 16. dist. 34. eisdem omninò verbis exhibitis, quæ apùd Hieronymum leguntur. Porrò Hieronymus in ea epistola tradebat nonnulla de veste Sacerdotali, qua veteres Judæorum Pontifices distinguebantur, sed & ea occasione præceptum Domini explicabat, quo cavebatur, ut Sacerdotes non quamcumque uxorem ducerent, non viduam, non ejectam, non meretricem, sed virgi- Can. 16. dist. 34.

ginem, quò sanè pertinet memorati canonis 16. sententia.

SECTIO IV.

De ceteris Canonibus Hieronymo adscriptis.

Quædam adhùc monumenta super-
Can. 4. dist. 27. & can. 2. caus. 17. q. 1. sunt, quæ apùd Gratianum Hieronymo adscribuntur, & quorum pleraque vix Hieronymi esse posse videntur. Hujusmodi est in primis canon 4. dist. 27., licèt enim etiàm in Pœnitentiali Romano, edito ab Antonio Augustino sub ejusdem sancti Doctoris nomine laudetur in tit. 8. cap. 9., reverà tamèn ejusdem non est, sed potiùs pertinet ad libros sancti Augustini, nimirùm ad caput 9. libri de bono viduitatis. Integram sancti Hipponensis Episcopi sententiam retulit Gratianus in can. 41. caus. 27. quæst. 1. Eadem verba iterùm descripta inveniuntur in canone 2. caus. 17. quæst. 1. sub nomine Hieronymi.

Canon 30. dist. 50. legitur tum apùd
Can. 50. dist. 50. Ivonem parte 15. cap. 90., tum apùd Burchardum in lib. 19. cap. 78. cum hac inscriptione: *Ex dictis Hieronymi*; subjectis deindè his verbis: *Quicumque dignitatem gradus divini non custodiunt, contenti fiant animam salvare, reverti enim in eum gradum, in quo anteà fuerant, difficile est.* Paulò alitèr scripsit Gratianus. Romani Correctores, qui fragmentum illud inter Hieronymi scripta reperire non potuerunt, observarunt, similia quædam legi in canonibus S. Basilii ad Amphilochium, & in Concilio Trullano. En canonem 27. ex Basilianis: *De Presbytero, qui per ignorantiam nefariis nuptiis implicatus est, definivi, quæ oporteat, esse quidem Cathedræ participem, à reliquis autem actionibus abstinere; ei enim sufficit, ut veniam consequatur. Ut is autèm alios benedicat, qui sua debet vulnera curare, non est consentaneum.* In canone 26. ex Trullanis ità legitur: *Presbyterum, per ignorantiam illicitis nuptiis implicatum, esse quidèm Cathedræ participem secundum ea, quæ sunt in sacro canone decreta, à reliquis autèm operationibus abstinere. Etenim tali satis est, si venia detur. Ut autèm alii benedicat, qui debet sua curare vulnera, est incongruum &c.* Si quis hinc eruendam putet cum Romanis Correctoribus sententiam laudati canonis 30., oportebit sanè, duo ipsum animadvertere. Primum est, agi in memoratis Basilii & Trullani Concilii canonibus de eo, qui illicitas nuptias celebraverit; quod non attingitur à Gratiano, generalitèr sententiam canonis exprimente de eo, quicumque dignitatem divini gradus non custodierit. Alterum est, agi in eisdem canonibus de eo, qui ignorantèr deliquerit; scienti enim & delinquenti juxta veterum Conciliorum definitiones nullus ampliùs honos Cathedræ servabatur; quemadmodùm rectè observaverunt ad eos canones Balsamon, Zonaras, & Aristenus, Interpretes Greci, in Pandectis Beveregianis. Laudari commodiùs potuisset canon 21. Concilii Trullani, cujus verba sicùt generaliora sunt, ità clariùs exhibent integram Gratianei monumenti sententiam, ibi: *Qui canonicorum quidèm criminum rei facti, & propterea perfectæ, ac perpetuæ depositioni subjecti in Laicorum locum detrusi sunt, si quidèm ad conversionem suam spontè respicientes peccatum delent, propter quod à gratia exciderunt, & ab eo se penitùs alienos efficiunt, Cleri habitu tondeantur. Sin autèm non sua spontè hoc elegerint, comam sicut Laici nutriant, utpote qui mundanam, seu sæcularem conversationem vitæ cœlesti præposuerint.* Ego arbitror, Burchardum, aut alium quemlibet, qui primus sub Hieronymi nomine fragmentum illud laudavit, illud ipsum reperiisse inter scripta cujuspiam Monachi, qui voluerit unà congerere dicta quorumdam veterum Patrum memorabilia. Hujus rei triplex argumentum habeo, vel scilicèt quòd in eo maxima sit styli simplicitas, & qualis veteribus Monachis esse solebat, quemadmodùm liquet ex eorum sententiis, quæ habentur

in libro de vitis Patrum ; vel quòd consueverint Monachi dicta Sanctorum Patrum colligere , quasi flosculos , ut eadem memoriæ demandarent , seu ut in eorum assidua meditatione consisterent ; vel demùm quòd Hieronymus ex illis fuerit, qui venerabiles Monachis extiterunt , sive eruditionem Viri spectes, sive ejus apùd Monachos auctoritatem, utpotè qui plures, in solitudine degentes, in vita Monastica instituerit. Hæc autèm conjectura gravior etiàm redditur in conspectu inscriptionis, quæ primùm apùd Burchardum, & Ivonem habetur, dum fragmento hæc adjecta fuit inscriptio. *Ex dictis Hieronymi.* Neque verò Monacho aut causa , aut occasio deerat, cur eam sententiam sibi utilem duceret , ac propterea suo codici insereret. Erant enim vel ab ipsis Hieronymi temporibus Monachi complures , uti idem Hieronymus in suis operibus non rarò testatur , qui ad obeunda Clericorum officia in Ecclesiis adspirabant. Eosdem sanctus Vir identidèm cohibebat, exprimens difficilem, atque arduam Clericalis vitæ rationem. Sic in epistola ad Heliodorum, qui Clericum se ordinari vehementèr optabat , plura proposuit, ut eum à suscepto consilio dimoveret , & ad vitæ solitudinem tenendam induceret ; ait enim inter cetera : *Monachus si ceciderit , rogabit pro eo Sacerdos : pro Sacerdotis lapsu quis rogaturus est* ? Undè liquet , reverà Hieronymum Monachis suis proposuisse, quàm difficile esset Clerico peccanti restitui , quod tamèn Monacho facilius erat : ac proindè non dubito , quin ex hujusmodi sententiis deprompta à recentiore quopiam Monacho sint laudati Gratianei canonis verba.

Can. 8. dist. 56. Canon 8. dist. 56. Hieronymi quidèm non est , si verba ipsa à Gratiano descripta consideres; nihilominùs tamèn quæ in eo exhibetur sententia , referri commodè potest ad varia sancti Doctoris monumenta. In primis enim in cap. 1. Evangelii Matthæi ipse hæc habet : *Notandum , in Genealogia Salvatoris nullam sanctarum adsumi mulierum, sed eas, quas scriptura reprehendit, ut qui propter peccatores venerat , de peccatoribus nascens omnium peccata deleret ; undè in consequentibus Ruth Moabitis ponitur , & Bethsabee uxor Uriæ.* Itèm in procœmio commentarii in Osee ad Pammachium ità legitur: *Intelligimus enim , quid sit Judas Patriarcha electus in Regem , nec miramur , cur ad Thamar , quasi ad meretricem , Vir sanctus introierit ; quare Samson, qui interpretatur Sol , Dalilam amaverit , quæ transfertur in pauperem , & propter eam irrisus & mortuus adversariorum millia trucidarit : Cur Salomon virum justum Booz de Rahab meretrice generavit, qui Ruth Moabitidem pinna pallii sui operiens , & jacentem ad pedes ad caput Evangelii transtulit. Quid causæ sit , ut , cum David tot habuerit uxores, nullum alium regni sui fecerit successorem, nisi eum , qui de Bethsabee procreatus est, ut non solùm meretrices , sed etiàm adulteræ Deo placere videantur.* Quæ omnia adfert Hieronymus ea occasione , qua interpretari debebat factum Osee , ex Domini præcepto uxorem fornicariam sibi jungentis , uti in cap. 1. Osee legitur, indicaturus deindè , in his figuram rerum altissimarum contineri , videlicèt Christi Domini , qui Ecclesiam sponsam suam è superstitiosis gentibus sibi sociandam elegit , eamque præ Synagoga Judæorum adamavit.

Prætereà ex aliquot Hieronymi sententiis unà congestis compositus est canon 84. caus. 1. quæst. 1. præter monumenta quædam Isidori Hispalensis, & Gregorii Magni. Ceterùm nihil est, quod in præsentia adjiciam , cum sententias Hieronymi jam superiùs exhibuerim, ubi agerem de capitibus Gratianeis , ex Gregorio Magno depromptis , part. 2. cap. 59. Can. 84. caus. 1. q. 1.

Jam superiùs non semèl animadverti, nonnulla Origenis monumenta Hieronymo apùd recentiores Collectores fuisse tributa , cujus rei causa ex eo profluit , quòd Hieronymus aliquot Origenis opera latinitate donaverit. Hinc Can. 18. caus. 8. q. 1.

mi-

mirum esse nemini debet, si canon 18. caus. 8. quæst. 1. utut sub Hieronymi nomine laudatus, potiùs sit adscribendus Origeni, apùd quem eisdem omninò verbis exhibetur in homilia 4. in librum Judicum ad interpretationem cap. 4. ibi: *Et adjecerunt filii Israel facere malignum in conspectu Domini, & Ajoth mortuus est.*

Ex Origene quoquè repetendus est canon 22. caus. 11. quæst. 3. in homilia 21. in librum Jesu Nave, atque ex interpretatione Ruffini, ubi hæc verba initio leguntur: *Filii Juda volebant disperdere, vel interimere Jebusæos de Jerusalem, & non potuerunt, propter quod habitarunt Jebusæi cum filiis Juda in Jerusalem usquè in hodiernum diem. Volumus à litera incipientes inquirere ab iis, qui putant hæc secundùm literam stare posse, quid est quòd dicitur usquè in hodiernum diem, quod verbum sempèr scriptura pro eo ponit, ut æternitatem sæculi per hoc significet, sicut & dicit: Nolite recedere à Domino in hodierno die, id est, donèc sæculum stat. Ostendat ergò &c.* Hinc exorditur Gratianus. Post illa verba *etiàm triticum* quædam Collector omisit, quæ ego adjiciam, ut integrum exhibeatur Origenis monumentum. Prosequitur Origenes; *Sicùt ergò in Evangelio permittuntur zizania simùl cum tritico crescere, eodem modo etiàm hic in Jerusalem, id est, in Ecclesia, sunt quidam Jebusæi, isti, qui ignobilem, & degenerem vitam ducunt, qui & fide & actibus, & omni conversatione sua perversi sunt. Neque enim possibile est ad liquidum purgari Ecclesiam, dum in terris est, ità ut neque impius in ea quisquam, neque peccator residere videatur, sed sint in ea omnes sancti, & beati, in quibus nulla prorsùs peccati macula deprehendatur; sed sicùt dicitur de zizania, ne fortè eradicantes zizania simùl cum illis eradicetis & triticum, ità etiàm super iis dici potest, in quibus vel dubia, vel occulta peccata sunt. Neque enim dicimus de iis, qui manifestè & evidentèr criminosi sunt, ut non de Ecclesia expellantur. Audi ergò scripturam dicentem &c.* Reliqua apùd Gratianum habentur, & quidèm consona Origenis monumento.

Can. 22. caus. 11. b. 3.

Nullo sanè jure tribui Hieronymo potuit ab auctore Palearum canon 4. caus. 14. quæst. 5., quandoquidèm apùd sanctum Doctorem opposita potiùs sententia exhibetur. Interpretatus ipse Ezechielem cap. 18. ad illa verba *Panem suum esurienti dederit*, ità scribit: *Significantèr dicitur suum, ne de rapinis, & usuris, & alieno malo quæsitum panem vertamus in misericordiam. Redemptio enim animæ viri propriæ divitiæ, quod multos facere conspicimus clientes, & pauperes, & agricolas, ut taceam de militantium, & judicum violentia, qui opprimunt per potentiam, vel furta committunt, ut de multis parva pauperibus tribuant, & in suis sceleribus glorientur.... damusque materiam miseris, ut gaudeant ad ea, quæ tribuunt, & non lugeant ad ea, quæ rapuerint.* Hic totus erat Hieronymus, ut improbaret illorum gesta, qui, postquàm rapuissent, aut furati fuissent aliena, pauperibus eadem restituebant, qua ratione, ubi pauperibus elargitio fieret, emergeret quædam donantis munificentia, & publicè laudaretur quasi liberalitatis officium, quod justitia erat exigente reddendum. Ceterùm hæc potiùs videri nobis possent à Gratianeo canone diversa, quàm contraria: nimirùm Hieronymus eo in loco urgebat eos, qui ideò furabantur, aut rapiebant, ut ex furto vel rapina eleemosynas facerent; & Gratianus tum demùm pauperibus res subreptas restitui voluit, quandò rei furtivæ aut raptæ dominus ignoratur. Itaquè opportuniùs erit suspicari canonem, à Gratiano descriptum, fortè ad Hieronymi opera referendum esse, quæ temporum injuria perierunt, præsertim ad commentaria in Leviticum, quæ hodiè ampliùs non extant; ubi sanctus Vir perspicuè docebat, quidnam à furibus agendum esset, res quæ subripuerant restituturis, quemadmodùm ipse testatur in commentariis epistolæ Pauli ad

Can. 4. caus. 14. q. 5.

Titum cap. 2. ibi : *Undè & in Moysi lege fures nonnumquàm septuplum, nonnumquàm quadruplum reddere compelluntur, & interdùm obtruncantur, interdùm venditur fur ipse pro furto, de quibus nuper vobis in Levitico exposuisse me memini.* Quòd autèm Ecclesiæ tribuenda sint, quæ incertis miserabilibus personis debentur, ut dicitur in laudato canone 4., minimè alienum est à disciplina juris, quæ Hieronymi temporibus obtinebat; siquidèm Imperator Anthemius in l. 8. cod. de Episc. & Cler. cavit, ut quotiès incertæ personæ favore piæ causæ legatum relictum deprehenderetur, illud ad manus Episcoporum deferretur, in pios usus per Ecclesiam distribuendum.

Can. 13. caus. 15. q. 1.

Jamdiù Romani Correctores animadverterunt, canonem 13. caus. 15. quæst. 1. utut Hieronymi nomine laudatum, referendum potiùs esse ad auctorem operis imperfecti in Evangelium Matthæi homil. 28. ad cap. 11., apùd quem hæc verba leguntur : *Quis nescit, quia minor est justitia legis, quam gratiæ? ... Ut puta si quis non iratus, sed propter disciplinam palmam alicui dederit, & eventu occiderit, sicut fieri solet, quantum ad gratiam innocens est, quia voluntatem, non opus requirit; quantum autem ad legem reus est, quia opera quærit. Item, si in persecutione prostituta fuerit virgo, in lege quasi non virgo jam repellitur, quia opus adspicit, non voluntatem; in gratia autèm quasi virgo suscipitur, quia non opera quærit, sed voluntatem.* Sic habetur in editione Parisiensi anni 1633. operum Joannis Chrisostomi tomo 2. in novum testamentum per Frontonem Ducæum. Similia tamèn quædam apùd Hieronymum leguntur in epistola ad Demetriadem de virginitate, ubi de pravis cogitationibus sermonem instituens sanctus Doctor ità scribit : *Hujusmodi cogitatio, etiamsi ex aliquo impedita casu non impleat voluntatem, nihilominùs actione criminis condemnatur à Domino, ut illud in Evangelio legimus : Qui viderit, inquit, mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo apùd Deum, cui nota sunt omnia, etiàm antequàm fiant. Voluntas perfecta faciendi reputatur pro opere facti.* Et in Psalmum 61. ad illa verba : *quousquè irruitis in hominem &c.* ait : *Qui voluntatem habet occidendi, etiamsi non percutiat, occidit.* Quòd si adhùc clariùs velimus Hieronymi aperire sententiam, qualis exhibetur in laudato can. 13., conferendum erit caput 11. lib. 2. in Matthæum, quod Hieronymi est; expendens enim sanctus Vir verba illa Evangelii : *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve*, ità subjicit: *Quomodò levius lege Evangelium, cum in lege homicidium, in Evangelio ira damnetur? Qua ratione Evangelii gratia facilior, cum in lege adulterium, in Evangelio concupiscentia puniatur? In lege multa præcepta sunt, quæ Apostolus non posse compleri plenissimè docet : in lege opera requiruntur, quæ qui fecerit, vivet in eis; In Evangelio voluntas quæritur, quæ, etiamsi effectum non habuerit, tamèn præmium non amittit. Evangelium ea præcipit, quæ possumus; ne scilicet concupiscamus : hoc in arbitrio nostro est. Lex cum voluntatem non puniat, punit effectum; ne adulterium facias. Finge in persecutione aliquam virginem prostitutam : Hæc apud Evangelium, quia voluntate non peccat, virgo suscipitur; in lege quasi corrupta repudiatur.* Quotiès hanc integram Hieronymi sententiam cum Gratianeo canone conferas, imò & cum fragmento operis imperfecti suprà descripto, facilè agnosces, æquè ex utroque monumento Gratianeum canonem potuisse laudari, ac propterea non injuria nomen Hieronymi præseferre.

Can. 12. caus. 22. q. 1.

Canon 12. caus. 22. quæst. 1. erat laudandus ex Capitulari Caroli Magni anni 789. cap. 62. ubi hæc leguntur: *Item habemus in lege, Domino præcipiente: Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, neque assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Ideò omninò admonendi sunt omnes diligenter, ut caveant perjurium, non solùm in Sancto Evangelio, vel in altari, seu in Sanctorum reliquiis,*

sed

sed & in communi laquela. Hæc ipsa Capitularis verba retulit Collector Capitularium in lib. 1. cap. 61. in Collectione Baluziana. Cur verò eadem Gratianus Hieronymo tribuerit, non est valdè positum in obscuro; siquidèm illa laudaverat Ivo, qui Gratianum præcessit, *ex dictis Hieronymi* in cap. 59. part. 12. Decreti; Ivonem præcesserat Burchardus, eadem usus inscriptione. Undenàm verò irrepsit erratum apùd Burchardum? Inciderat Vormaciensis Episcopus in Collectionem Reginonis, ubi lib. 2. cap. 311. hoc Capitulare Caroli Magni sine illius auctoris inscriptione commemorabatur, aut saltèm cum ea inscriptione, quæ satis perspicua non erat, quemadmodùm hodiè in editis Reginonis codicibus legitur, hoc modo: *Ex cap.*, quod non benè intelligens Burchardus, fortè etiàm ratus, aliquid omissum ab Amanuensi fuisse, respexit ad canonem præcedentem, sive 310., qui hanc habebat inscriptionem: *ex dictis Hieronymi*, proindèque non dubitavit, eamdem inscriptionem in sequentem canonem transferre. Quod si adhùc quisquam velit, Burchardum probè intellexisse caput 311. Reginonis reverà ex Capitularibus Francicis fuisse laudatum, id non ægrè admittam: tum verò animadvertam, quod alibi non semel adnotavi, Burchardum abstinuisse frequentissimè à commemorandis Capitularibus Francicis, quorum vice nomina auctorum alia descripsit; proindèque nil mirum esse debebit, si pro Capitularibus Caroli Magni in hoc canone nomen Hieronymi supposuerit.

Can. 9. caus. 26. q. 2.

Iterùm pro Origene laudatus fuit Hieronymus in can. 9. caus. 26. quæst. 2. Origenis autèm verba leguntur in homilia 5. ad caput 5. Josue ad illa verba: *Hodiè abstuli opprobrium Ægipti à filiis Israèl.* Non est tamèn concors veterum codicum Origenianorum editio; licèt enim vulgati Origenis libri cum Gratianeo canone penitùs consonent; pro iis tamèn verbis *vetustæ consuetudinis inustione suggeritur*, quædam MSS. Origenis ità exhibent: *vetustæ consuetudinis inustio te suggerit.* Quæcumque verò probanda sit lectio, eadem sempèr erit auctoris sententia. Ceterùm quædam adhùc apùd Hieronymum reperio, quæ à proposito canone non sunt aliena; nimirùm ubi sanctus Vir interpretabatur epistolam Pauli ad Galatas cap. 5. ad illa verba *Manifestam autèm sunt opera carnis &c.* ità scribens: *Primum itaque carnis opus est fornicatio: manifesta in exordio posuit, ne de mediis ambigamus. Omne enim quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autèm fornicantur, in corpus suum peccant. Et non sumus nostri, empti enim sumus pretio, glorificemus, & portemus Deum in corpore nostro. In eo fornicator majoris est criminis, quia tollit membra Christi, & facit ea membra meretricis..... Hoc unum scio, quòd qui per fidem Christi fornicatur, violat templum Dei.* Consonant hæc cum prioribus Gratianei canonis verbis: quod verò inferiùs dicitur, in Ægipto potissimùm natam esse idololatriam, apùd Hieronymum quoquè legimus in lib. 13. in Esaiam cap. 45. ibi: *Nulla gens ità Idololatriæ dedita fuit, & tam innumerabilia portenta venerata est, quàm Ægiptus &c.*

Can. 18. caus. 26. q. 7.

Nullo jure tributus fuit Hieronymo canon 18. caus. 26. quæst. 7., ubi traditur, maximam esse Dæmonis adversùs homines potestatem, de qua re non ità sanctus Vir disseruisse in germanis monumentis visus est. Nam in commentario in Jeremiam cap. 4. sermonem instituens de fortitudinibus adversariis, sive de Dæmone, ait: *Si enim in porcos non habent potestatem adversariæ fortitudines*, (alludebat hic ad caput 8. Evangelii Matthæi), *quantò magis in homines, & homines quondàm Civitatis Dei?* Potiùs fragmentum illud compositum videtur ætate Burchardi, qui primus ex Collectoribus retulit idem in lib. 10. sui codicis cap. 50., siquidèm circà octavum & nonum sæculum frequentiora haberi cœperant herbarum, lapidumve, aut si-

similium incantationum præstigia à Conciliis ejusdem temporis maximè detestata, quemadmodùm colligitur ex Concilio Turonensi 3. anni 913. in can. 42., & ex Concilio Nannetensi anni 890. can. 20. Profectò similes sententiæ vetustissimis Ecclesiasticis scriptoribus familiares non erant, sed primùm conspici potuerunt apùd scriptores septimi aut octavi sæculi, causantibus novis superstitionibus, quas Barbari è suis Provinciis in Provincias Christianas induxerant.

Can. 13. caus. 27. q. 2. & Can. 8. caus. 36. q. 2.

Canon 13. caus. 27. quæst. 2. jungendus est cum can. 8. caus. 36. quæst. 2., uterque enim, non ex Hieronymo, sed potiùs ex Reginonis Prumiensis monumentis depromptus est. In lib. 2. de Ecclesiasticis disciplinis ità habet Regino: *Tria legitima conjugia in scripturis leguntur : Primum legitimum conjugium est* (hic est canon 8. caus. 36. quæst. 2.) *virgo casta in virginitate viro data legitimè. Secundum virgo in civitate deprehensa à viro, & illi per vim copulata. Si voluerit Pater ejus, dotabit eam ipse vir, quantum judicaverit ipse Pater, & dabit prætium pudicitiæ ejus. Si autèm habuerit sponsum, antequàm deprehensa fuerit, dabitur ei. Tertium filia prædicta deprehensa, si non fuerit voluntas Patris, trahet eam à prædicto viro, & tradet eam alii, & dotabit eam, & legitima erit ei. Sed primum his duobus præfertur. Additur aliud quartum legitimum conjugium*, (hic est canon 13. caus. 27. quæst. 2.) *dum mortua fuerit uxor ejus, licet illi accipere aliam, sed non repudiatam, non desponsatam viro. Similitèr debet & mulier. Quod Paulus manifestè docet : mulier, inquit, quæ sub viro est ligata, sub lege est viri, quamdiù vivit vir ejus, & reliqua. Additur quintum : Quandò sive vir, sive mulier ex consensu religionem ceperit, licet alteri accipere novum conjugium, sed puellam, vel puerum.* Hæc autem omnia uno, ità dixerim, spiritu descripsit Regino sub hac inscriptione: *Ex dictis Hieronymi*, sejuncta deindè laudavit Ivo in parte 8. sui decreti cap. 40. & 41., & ex eo etiàm sejuncta Gratianus in memoratis cânonibus 13. & 8. Quintam conjugii speciem, quam recensuit Regino, omiserunt & Ivo & Gratianus, fortè ex eo, ut arbitror, quòd apùd Reginonem species illa tanquàm Apostolicis documentis contraria notaretur. Ait enim Regino ad calcem capitis 108. lib. 2. *Sed hæc sententia Canonicis, atque Apostolicis informatur documentis, ut suprà monstratum est.* Hæc autèm Reginonis verba uti in causa fuerunt, cur Gratianus, Ivonem secutus, quintam conjugii speciem omitteret, ità mihi occasionem præbent, integrum monumentum abs Hieronymo abjudicandi. Quomodò enim talem affingere possum sancto Doctori sententiam, quæ contraria dicitur Apostolicis & Canonicis documentis, nisi etiàm putem, Hieronymum aut divinas, Canonicasve sententias ignorasse, aut perspectas rejecisse? Quamobrèm suspicari potiùs decet, fragmentum illum à quopiam imperito septimi aut octavi sæculi scriptore (stylus enim monumenti vetustiori auctori minimè congruit) fuisse elucubratum, ac deindè evulgatum, cui ut conciliaretur auctoritas, sancti Hieronymi nomen inscribendum esse placuerit. Conabor nihilominùs, ut, quoniàm ex dictis Hieronymi laudatur, quod significat, illud ex variis Hieronymi sententiis fuisse compositum, si quid est apùd Hieronymum, aliosve etiàm scriptores Ecclesiasticos, quod cum laudato canone consonare possit, in medium adferam, atque intereà germanam interpretationem adfingam. Videtur in primis canonis auctor parùm consideratè scripsisse, & quod initio tradidit, post pauca aut retractasse, aut emendavisse; ait enim principio, tria in sanctis scripturis conjugia agnosci legitima, deindè subjicit quartum, quod apùd Paulum Apostolum memoratur. Cur non ab initio quatuor legitimorum conjugiorum species recensuit? Ait autèm, primum legitimum conjugium esse virginem castam viro datum

tum legitimè : addit Gratianus , *& reliqua , quæ sequuntur in prædictis* , quæ verba apùd Reginonem , undè primùm canon depromptus est , desiderantur. Non videtur ea sententia digna viro gravissimo , qualis erat Hieronymus, qua nimirùm idem per idem demonstretur. Quid enim , amabo , significant hæc verba , legitimum esse conjugium , quotiès virgo casta viro legitimè datur , nisi legitimum esse conjugium , quod legitimè contrahatur, quæ explicandi ratio omnia claudit involucris verborum minimè dissimilium, quibus nihil clarius explicetur , aut definiatur. Si Hieronymum consulamus , alitèr ipse sententiam suam explicabat; loquens enim de legitimo conjugio in lib. 3. in epist. ad Ephesios cap. 5. , ait: *Sicut non omnis congregatio hæreticorum Christi Ecclesia dici potest , nec caput eorum Christus est , sic non omne matrimonium , quod non viro suo secundum Christi præcepta conjungitur , ritè conjugium appellari potest.* Non omittam animadvertere , quædam similia legi in Regum Francorum Capitularibus lib. 7. cap. 179. , & sancto Augustino tribui his verbis : *Talis esse debet , quæ uxor habenda est , ut secundum legem sit casta in virginitate , & dotata legitimè , & à parentibus tradita sponso , & à Paranymphis accipienda. Et ità secundum legem , & Evangelium publicis nuptiis honestata in conjugio licitè sumenda , & omnibus diebus vitæ suæ , nisi ex consensu & causa vacandi Deo, nunquàm propter hominem separanda.* Hæc ipsa verba nomine Leonis Gratianus retulit in can. 4. caus. 30. q. 5. , ad quem arbitror voluisse eumdem Gratianum respicere in dicto can. 8. in illis verbis : *Et reliqua , quæ sequuntur in prædictis.* Prosequitur auctor canonis , & ait , secundum conjugium legitimum esse , quotiès puella rapta est per vim , & Patre consentiente raptori jungitur. Id refertur ad caput 22. Deuteronomii in illis verbis : *Si invenerit vir puellam virginem , quæ non habet sponsum , & apprehendens concubuerit cum illa , & res ad judicium venerit , dabit qui dormivit cum ea patri puellæ quinquaginta Siclos argenti , & habebit eam uxorem , quia humiliavit illam.* Hæc porrò disciplina , licèt in vetere Jadæorum lege in usu fuerit , post Evangelium tamèn , ubi honorabiliores nuptiæ esse cœperunt , canonibus Ecclesiasticis antiquata fuisse videtur, quod facilè constabit unicuique consideranti canonem 65. Concilii Meldensis , & canonem 8. Concilii Troslejani , qui refertur in can. 11. caus. 36. quæst. 2. Tertium conjugium legitimum est , (sequitur Regino , & cum ipso Gratianus,) quotiès puella rapta est , & pater non consentit eam raptori nubere; tunc enim poterit rapta alteri se conjugi sociare. Hoc iterùm spectat ad legis veteris disciplinam; videlicèt Exodi cap. 22. vers. 16. & 17. ibi : *Si seduxerit quis virginem necdùm desponsatam , dormieritque cum ea , dotabit eam , & habebit eam uxorem. Si pater virginis dare noluerit , reddet pecuniam juxta modum dotis , quam virgines accipere consueverunt.* Quartum conjugium (pergit Regino , & Gratianus in d. can. 13.) est , quotiès , defuncto conjuge , conjux superstes novum conjugium init. Id perspicuè traditur ab Apostolo Paulo in cap. 7. epistolæ ad Romanos, ubi eadem ferè Gratiani verba leguntur : ibi : *Quæ sub viro est mulier , vivente altero , alligata est legi : si autèm mortuus fuerit vir ejus , soluta est à lege viri. Igitur , vivente viro vocabitur adultera , si fuerit cum alio viro : si autem mortuus fuerit vir ejus , liberata est à lege viri , ut non sit adultera , si fuerit cum alio viro.* Eadem ferè tradit Apostolus in 1. ad Cor. cap. 7. propè finem , quæ expendens Hieronymus ait : *Secundum legem libera facta est à vinculo conjugali , quod si nec tunc continere voluerit , conceduntur illi etiàm secundæ nuptiæ , tantùm , ut infidelium ritu non nubat.* Similia alibi inveniuntur apùd Hieronymum , cujus sententia clarissima etiàm legitur in lib. 1. adversus Jovinianum , ubi viduarum

rum conjugia tanquàm divinitùs permissa non improbantur. Adhùc dicendum superesset de quinta conjugii specie, quam Gratianus omisit, licèt apud Reginonem, uti adnotavimus, exhibeatur. Verùm, cum non ego Reginonem sequar, sed Gratianum, vix aliqua ad hanc rem tantùm attingam, ne aliquid inobservatum omittere videar in integro textu, Hieronymo adscripto. Ait Regino ex Hieronymo, legitimum conjugium esse, si conjux ex alterius consensu religionem profiteatur, & qui in sæculo remanet alteri copuletur, dummodo tamèn conjux, qui superinducitur, puer sit, vel puella. Id fateor etiàm traditum fuisse in Concilio Compendiensi cap. 13. At Regino ipse adnotavit: *Sed hæc sententia Canonicis, atque Apostolicis infirmatur documentis, ut suprà monstratum est.* Duo heic continentur. Primum, ex consensu conjugis posse conjugem à matrimonio resilire, & religiosam vitam amplecti. Id sanè Sanctorum Patrum definitionibus est consentaneum, uti constat ex Basilio in regulis, fusiùs disputatis, in responsione ad interrogationem 12., ex Augustino in epistol. 46., ex Gregorio lib. 9. Regesti epistol. 39. & aliis pluribus. Alterum, posse conjugem in sæculo superstitem novas nuptias celebrare. Hoc verò est, quod sacris canonibus non semèl improbatum agnoscimus, licèt tamèn alicubi, præsertim apùd Græcos observatum quandoquè fuerit. Exhibeo in hanc rem verba Theodori Cantuariensis, quæ habentur in ejus Pœnitentiali, edito ab Jacobo Petito cap. 11., ibi: *Legitimum conjugium non licet separare sine consensu amborum: potest tamèn alter alteri licentiam dare accedere ad servitutem Dei in Monasterio, & sibi nubere, si in primo conjugio erat, secundum Græcos, & tamèn non est canonicum: sin tamèn in secundo erat, non licet tertio, vivente viro, vel uxore.* Atque hæc dicta sufficiant, ut observetur, alitèr in proposita quæstione Græcos, alitèr sensisse Latinos; ac proinde, qui fragmentum memoratum Hieronymo tribuit, facilè sibi persuadere potuit, Hieronymum Græcorum secutum fuisse sententiam, utpotè qui Orientalium disciplinis imbutus Græcorum opinamentis facilè adhærebat. Ceterùm in codicibus Hieronymi hujusmodi sententia minimè reperitur.

Can. 69. de pœn. dist. 1. habetur in glossa ordinaria ad cap. 3. Judicum ad illa verba: *Et clamaverunt ad Dominum.* Verba Glossographi hæc sunt: *Origenes homiliæ 3. in librum Judicum. Vide benignum Dominum misericordiam cum severitate miscentem, & pœnæ modum justa & clementi deliberatione pensantem. Non in perpetuum tradit delinquentes, sed quanto, inquit, tempore servierunt Baalim, tanto serviunt Chusam Rasathaim, id est, octo annis. Disce hæc, qui errasse te cognoscis, & quanto tempore peccasti, tanto humilia te ipsum Deo in confessione pœnitentiæ. Non expectes, ut humiliet te Chusan Rasathaim, & invito necessitas extorqueat pœnitentiam. Præveni tortoris manus, quia si te ipse correxeris, pius est Dominus, qui vindictam temperet ei, qui illam pœnitendo prævenit. Notandum autèm, quia dum servirent Chusan Rasathaim, & non clamarent ad Dominum, nemo suscitatus est, qui salvare eos posset. Cum ergò clamaverunt, suscitavit eis Salvatorem Othoniel, qui interpretatur tempus mihi Dei, per quem ille populus de servitute ereptus est, & pax populo reddita, quam superbia, & diversa plebis flagitia fugaverant.* Eadem propemodùm exhibentur apùd Origenem loco laudato; cum tamèn nonnulla sint in recentioribus Origenis editionibus immutata, opportunum erit integrum illius Viri monumentum hoc in loco describere, his verbis: *Vide benignum Dominum misericordiam cum severitate miscentem, & ipsius pœnæ modum justa & clementi libratione pensantem. Non in perpetuum tradit delinquentes, sed quanto, inquit, tempore servierunt Baalim, tanto etiàm serviunt Chusarsaton, hoc est, octo an-*

Can. 69. de pœn. dist. 1.

annis. Disce hæc & tu ò auditor, quisquis ille es, qui tibi conscius es alicujus erroris. Et quanto tempore errare te nosti, quanto tempore deliquisti, tanto nihilominùs tempore humilia te ipsum Deo, & satisfacito ei in confessione pœnitentiæ. Non expectes, ut humiliet te Chusarsaton, & invito necessitas extorqueat pœnitentiam, sed ipse præveni tortoris istius manus, quia si te ipse emendaveris, si te ipse correxeris, pius est Deus, & misericors, qui vindictam temperet ab eo, qui illam pœnitentiam prævenit. Sed illud consideremus, quia donèc servierunt Chusarsaton ii, qui traditi fuerant pro delictis, & non clamaverunt ad Dominum, nemo suscitatus est, qui salvare eos posset. Cum autèm clamaverunt ad Dominum, tùnc suscitavit Dominus Salvatorem Israel, & salvavit eos. Salvatorem autèm dicit Gothoniel, qui interpretatur tempus mihi Deus. Per hunc ergò Gothoniel prior ille populus de servitute humilitatis ereptus est, & reddita est pax populo, quam superbia dudùm, & diversa plebis facinora fugavere. Nemo planè miretur, hæc Origenis verba tributa fuisse Hieronymo apùd Gratianum; siquidem id non semèl contigit, quòd Hieronymus studiosissimus Origenis fuerit, & nonnulla auctoris ejusdem commentaria latinitate donaverit.

Can. 73. de pœn. dist. 1. Extant inter opera Hieronymi commentaria in lamentationes Jeremiæ, quæ tamèn viri eruditi, quemadmodùm jam superiùs animadverti, à genuinis sancti Doctoris operibus abegerunt. Referam tantùm, quid in hac re judicaverit Sixtus Senensis Bibliothecæ Sanctæ lib. 4. ità de Hieronymo scribens: *In commentationibus Threnorum præter præfationes quasdam ad Eusebium, partim ex epistola Hieronymi de interpretatione Alphabeti Hebraici ad Paulam Urbicam, partim ex aliis ejusdem scriptis collectas, nihil habetur, quod Hieronymianum ingenium spiret. Nam præterquamquòd nullum his insit vel græcæ, vel hebraicæ intelligentiæ vestigium, structura quoquè sermonis ubiquè inæqualis apertè clamat, nihil aliud esse hoc opus, quàm farraginem centonum, à studioso Collectore ex variis diversorum auctorum dictis, & ex Gregorii potissimùm sententiis, atque integris capitulis coacervatam. Nec vereor affirmare coacervationis hujus adunatorem fuisse Rhabanum Maurum, in cujus operibus, Basileæ excussis, hi tres libri habentur. Hos typographi, ut Hieronymi scripta in majorem molem aucta plausibiliùs publicarent, & majori pretio venditarent, Hieronymi tomis inseruerunt, recisis ex initio præfationis Rhabani aliquot lineis, quo minùs impostura à cæcis emptoribus deprehenderetur.* Post hoc gravissimi Viri judicium, non erit cur ampliùs hæsitemus in abjudicandis ab Hieronymo verbis canonis 73. de pœnit. dist. 1., quæ adamussim leguntur in capite 3. memoratorum commentariorum ad verba Jeremiæ: *Recordare Domine paupertatis &c.* Atque hac in re eadem fuit Romanorum Correctorum sententia, qui minimè dubitaverunt ad eumdem canonem ità subjicere: *Caput hoc est in commentariis ad caput 3. Lamentationum Jeremiæ, qui non sunt B. Hieronymi, sed Rhabani.*

Canon 86. de pœnit. dist. 1. non Hieronymo tribuendus erat, sed Alcuino, qui in libro de Divinis Officiis cap. 13. ità scribit: *Mensuram verò temporis in agenda pœnitentia idcircò non satis attentè præfigunt canones pro unoquoque crimine, sed magis in arbitrio Antistitis relinquunt, quia apùd Deum non tantùm valet mensura temporis, quàm doloris, nec abstinentia ciborum, quàm mortificatio vitiorum. Sed & hoc sciendum est, ut cum venerint servi, vel ancillæ ad pœnitentiam, non eos cogatis tantum jejunare, quantum divites, quia non sunt in sua potestate, ideoque medietatem pœnitentiæ eis imponite.* Paulò superiùs autèm hæc leguntur: *Indicat eis Sacerdos abstinentiam, sive observantiam, perpendens subtiliter personæ qualitatem, modum culpæ, intentionem animi, & corporis valetudinem, vel imbecillitatem.* In hæc incidit Collector canonum, & paucis immutatis verbis integram sententiam descripsit in lauda- Can. 86. de pœn. dist. 1.

to canone 86. : cum verò putaret, non satis auctoritatis inesse illi monumento, si Alcuinum laudaret tanquàm recentiorem auctorem, supposuit venerabile Hieronymi nomen, quod sanè non absre omninò adjectum videbatur, cum initio dicti capitis 13. Alcuinus exordiatur nonnulla referens Hieronymi verba, ibi : *In primis præmonere debet Sacerdos omnes Christianos ex Sacris Scripturarum testimoniis, quatenùs in capite jejunii, hoc est, hodiè, ad veram confessionem, veramque pœnitentiam festinantiùs accedant. De hac Hieronymus inquit : utinàm tam citò convertantur peccatores ad pœnitentiam, quàm citò Dominus præparatus est etiàm mutare præfinitam sententiam : Non enim temporis longitudinem requirit Deus, sed affectu sinceritatis plenitudo pensatur.* Credidit fortè Collector, ea, quæ sequebantur apùd Alcuinum, paritèr Hieronymi esse, aut saltèm sub Hieronymi nomine potuisse laudari. Correctores Romani insupèr animadverterunt, ejusdem canonis sententiam haberi in Capitularibus Francorum, quemadmodùm reverà habetur in lib, 5. cap. 133. & in lib. 7. cap. 21. editionis Baluzianæ : Itèm legi in epistola Basilii ad Amphilochium, nec non in Synodo Metensi. Addere potuissent epistolam Leonis Magni, ex qua depromptus est canon 2. caus. 26. quæst. 7., verùm hæc parùm in præsentia prosunt, quum germanum canonis exemplar invenerim. Est prætereà quidam Liber Pœnitentialis editus ab Henrico Canisio cum notis Jacobi Basnage in tomo 2. parte 2. pag. 130. ex scrinio Romanæ Ecclesiæ, & tributus auctori noni sæculi, ubi eadem verba recensentur, & quidèm sub nomine Hieronymi.

Can. 1. caus. 33. q. 4.

Canon 1. caus. 33. quæst. 4. exhibetur in quodam sermone de Esu Agni, quem falsò tributum fuisse Hieronymo universi rerum antiquarum eruditi testantur. Verba canonis integra ità legenda sunt : *Ut autèm sciamus, fratres charissimi, quoniàm, quicumque uxori debitum reddit, vacare non potest orationi, nec de carnibus Agni comedere, Moysi præcipitur, ut populus, qui adscensurus erat ad montem Oreb, ante tres dies purificetur, & David cum venisset ad Abimelech Sacerdotem, interrogatus, si mundi sunt pueri, respondit purificatos eos esse ab heri, & nudius tertius. Si autèm panes propositionis non poterant ab his, qui uxores suas tetigerant, comedi, quantò magis panis ille, qui de Cœlo descendit, non potest ab his, qui conjugalibus paulò ante hæsere complexibus, violari, atque contingi ? Non quòd nuptias condemnemus ; hoc enim non dicimus ; sed quòd eo tempore, quo carnes Agni manducaturi sumus, vacare operibus carnis non debeamus.* Erat hæc pia exhortatio ad fideles directa in vigilia Paschæ opera & studio pii cujusdam Antistitis, cujus sanè sententia penitùs cum monumentis Patrum veterum consonabat. Imò, si Hieronymi opera respiciamus, facilè & apùd ipsum nonnulla similia reperiemus. Ait ipse in sua Apologia pro libris editis adversùs Jovinianum. *Paulus Apostolus dicit : quandò coimus cum uxoribus, nos orare non posse. Si per coitum, quod minus est, impeditur, id est, orare, quantò plus, quod majus est, id est, Corpus Christi prohibetur accipere?... Diximus in eodem volumine panes propositionis ex lege non potuisse comedere David, & socios ejus, nisi se triduo mundos à mulieribus respondissent ; non utique à meretricibus, quod damnabatur à lege, sed ab uxoribus, quibus licitè jungebantur.* Si quis hæc cum memorato Gratiani canone conferat, facilè intelliget, licèt verba Hieronymo tribui nequeant, eadem tamèn à sententia Hieronymi non esse aliena.

Can. 18. de cons. dist. 5.

Canon 18. de cons. dist. 5. legitur in quadam homilia, quæ habetur inter opera S. Augustini, rejecta tamèn à Maurinis Monachis, in appendicem tomi 5. tanquàm ea, quæ falsò Augustino tributa fuerit. Est numero quinta de Quadragesima, seu sermo 144., hac adjecta censura : *Dubiam relinquunt*

Lo-

Lovanienses, suppositiitiam adserunt Verlinus, & Vindingus: Hieronymo in Remigiano codice, in aliis ferè MSS. Augustino tribuitur &c. Gratiani verba cum ipsa homilia penitùs consonant. Non est tamèn, cur ulteriùs investigemus causam, quòd sub Hieronymi nomine recenseatur, cum ex Maurinis intelligimus, in aliquibus MSS. codicibus sermonem adscriptum fuisse Hieronymo; quod occasionem dedit primùm Burchardo, ut monumentum Hieronymi nomine commemoraret, & ex Burchardo Ivo, & Gratianus.

Deniquè canon 24. de cons. dist. 5. legitur in Regula Monachorum, per Lupum de Oliveto collecta, de qua jam superiùs habenda mentio fuit, ubi collector plures Hieronymi sententias hinc illinc decerptas consarcinavit. Ceterùm Gratianea editio ne cum ea quidèm Regula pœnitùs consonat. Describere juvabit ex Lupo ea, ad quæ Gratianeus canon exigatur. In titulo de temporis jejuniis hæc habentur: *Non tibi immoderata imperamus jejunia, & enormem ciborum abstinentiam, quibus statim corpora delicata franguntur. Philosophorum quoquè sententia est, moderatas esse virtutes, excedentes modum atque mensuram inter vitia deputari &c.* Hæc verba deprompserat Lupus cum pluribus sequentibus ex epistola Hieronymi ad Lætam de institutione filiæ. In titulo de contemplatione, oratione, & lectione hæc subjicit Lupus: *Psallite sapientèr; nam clamor in scripturis non est vocis, sed cordis. Sed numquid verborum multitudine flecti Deus, ut homo potest? Non enim verbis, sed corde orandus est Deus. Melius est septem psalmorum decantatio cum puritate, & serenitate, & spirituali hilaritate, quàm totius psalterii modulatio cum anxietate cordis, & tristitia.* Hæc videntur consonare cum iis, quæ ex Hieronymo retulit Gratianus in can. 1. dist. 92. Cetera, quæ sequuntur in vers. *dum igitur* usquè in finem canonis, neque apùd Lupum, neque alibi apùd Hieronymum habentur; imò in commentariis Hieronymi in Isaiam ad illa verba capitis 61. *Ego Dominus, odio habens rapinam holocaustorum*, non ea interpretatio præsefertur, quæ minùs aptè apud Gratianum affingitur; ut proindè concludere possimus, integrum hunc canonem cuipiam recentiori Monacho fortè 10., aut 11. sæculi tribuendum esse, exercitationis causa aliquot Hieronymi sententias suis sententiis interserenti, quod sanè moris erat, & admodùm familiare Monachis illius ætatis: Quæ observatio verosimilis admodùm redditur ex eo, quòd jam similis & propè eadem sententia habeatur in opusculo Monachi cujusdam, ubi referuntur fragmenta Theonæ Abbatis in Bibliotheca Patrum tomo 7. Lugdunensis editionis cap. 22. pag. 225. ibi: *Illas etenim jejuniorum victimas, quas nobis violenta viscerum convulsione inconsideratè extorquentes Domino rectè offerre nos credimus, ille, qui diligit misericordiam, & judicium, execratur dicens: Ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocaustum.* Unum adhùc hoc in loco animadvertendum reor, videlicèt expungendum esse ab hoc canone versiculum *dum igitur*, usquè ad illa verba *audiant itaquè*; est enim ille omninò extra rem adjectus, & fortè potuit è marginalibus notis in textum irrepere.

Cap. 24. de cons. dist. 5.

CAPUT XIV.

De Didymo.

Postremam manum admovit Gratianus suo decreto laudando Didymum in libro de Spiritu sancto adversùs Græcos.

(*Can.* 40. *de cons. dist.* 5. *ex integris codicibus supplendus.*

SUB finem sæculi Ecclesiæ quarti floruit in Ecclesia Orientali Didymus Alexandrinus, Vir, licèt utroque lumine orbatus, omni tamèn doctrinarum, optimarumque virtutum genere cumulatissimus, & posteritati venerabilis; uti enim scribit Sixtus Senensis, Antonius Magnus Monachorum Pater cum eo Alexandriam ingressus ajebat: *Nihil, ò Didyme, turbet te corporalium oculorum jactura; talibus enim destitutus es oculis, quibus & muscæ, & culices videre possunt; sed lætare, quòd oculos habes, quibus Angeli vident, & Deus consideratur, & lux illius apprehenditur*; ad quam sententiam allusisse videtur S. Hieronymus, qui in præfatione libri de Spiritu sancto ad Paulinianum ait: *Didymus verò meus, oculum habens sponsæ de cantico canticorum, & illa lumina, quæ in candentes segetes sublimari Jesus præcepit, procùl altiùs intuetur, & antiquum nobis morem reddit, ut videns vocetur propheta.* Porrò ad Didymi laudem dicere sufficiat, plurimùm ei Hieronymum debuisse, quem diù Didymus in rerum Divinarum disciplinis, & sapientia instituit. Quod spectat ad ejus librum de Spiritu sancto, liber is est maximè elegans, & Catholicæ Doctrinæ egregium exemplar, ex quo quotquot deindè, præsertim ex Latinis, de Spiritu sancto scripserunt, universi ferè non mediocrem lucem habuerunt, ut aptè, appositèque, & juxtà Divinarum Scripturarum traditionem dissererent. Paucis id exponit laudatus Hieronymus in præfatione ad eumdem librum, ità scribens: *Certè, qui hunc legerit, Latinorum furta cognoscet, & contemnet rivulos, cum cœperit haurire de fontibus. Imperitus sermone est, & non scientia, Apostolicum Virum ex ipso sermone exprimens tàm sensuum nomine, quam simplicitate verborum.* Hieronymus ipse librum illum latinitate donavit, uti testatur in lib. 1. apologiæ suæ adversùs Ruffinum; cum enim aliqua de Spiritu sancto scribere meditaretur, tandèm agnovit, se nec saniùs quidpiam, neque aptiùs posse dicere, quàm quod Didymus docuisset; propterèaque ad Paulinianum librum eumdem direxit latina interpretatione editum, professus se in ea materia accuratum potiùs Didymi interpretem agere voluisse, quàm ad nova scribenda manum animumque intendisse. Itaquè summæ auctoritatis opus illud est, sive auctorem respicias, sive interpretem: habetur autèm excusus inter opera Hieronymi, atque in tres libellos distributum, in quorum secundo leguntur verba canonis 40. de cons. dist. 5. Canonis hujus initium, quemadmodùm jam adnotaverunt Romani Correctores, est ex integris libri exemplaribus supplendum. Ità legendum erit: *Ad Deum quoquè Patrem quidam allegans preces loquitur: dirige me in veritate tua, hoc est, in unigenito tuo, propria voce testante: Ego sum veritas, quam perfectionem tribuit Deus mittens Spiritum veritatis, qui credentes in totam dirigit veritatem. Dehinc in consequentibus de Spiritu veritatis, qui à Patre mittatur, & sit Paracletus Salvator, qui & veritas ait: Non enim loquitur à semetipso, hoc est, non sine me, & sine meo, & Patris arbitrio, quia inseparabilis à mea, & Patris est voluntate, quia non ex se est, &c.* Quæ apùd Gratianum sequuntur, omninò consonant cum libro Didymi juxtà laudatam Hieronymi interpretationem.

CA-

CAPUT XV.

De Felice Selemselitano.

Felici Selemselitano Episcopo tribuitur apùd Gratianum.

(*Can.* 2. *caus.* 3. *quæst.* 8. *referendus ad can.* 4. *caus.* 15. *quæst.* 7.)

CConcilio Africano, sive Carthaginensi vulgo II. interfuit Felix Selemselitanus, in Proconsulari Africæ Provincia Episcopus, cujus nomine refertur laudatus canon 2. caus. 3. quæst. 8.: ibidèm autèm verba exhibentur, quæ ipse in Concilio pronunciavit canone 10. Integrum jam monumentum retuli in parte 1. cap. 15. ad canonem 4. caus. 15. quæst. 7., ubi & ejusdem Concilii tradita ratio fuit: quamobrèm nihil in præsentia superest, quod singulari dignum animadversione videatur.

CAPUT XVI.

De Joanne Chrisostomo.

Nonnulla sunt apùd Gratianum relata sub Chrisostomi nomine monumenta.

Ex Epist. ad Theodorum Lapsum.
- *Can.* 28. *de pœn. dist.* 3, *ad optima exemplaria exigendus.*

Ex Commentario, seu homilia in Psalmum 50.
- *Can.* 24. *caus.* 27. *quæst.* 2. *perperàm Chrisostomo tributus.*

Ex opere imperfecto in Matthæum.
- *Can.* 5. *dist.* 40. *ex integris exemplaribus supplendus.*
- *Can.* 12. *dist.* 40. *ex integris codicibus supplendus, atque emendandus.*
- *Can.* 11. *dist.* 88. *ex integris codicibus supplendus, atque emendandus.*

Apocryphi omnes.
- *Can.* 86. *caus.* 11. *quæst.* 3. *ferè consonat cum vulgatis codicibus.*
- *Can.* 12. *caus.* 26. *quæst.* 7. *ex vulgatis codicibus emendandus.*
- *Can.* 1. *caus.* 27. *quæst.* 2. — *Can.* 4. *caus.* 27. *quæst.* 2. — *Can.* 9. *caus.* 31. *quæst.* 1. — *simùl jungendi, & ad integros codices exigendi.*
- *Can.* 1. *caus.* 32. *quæst.* 1.
- *Can.* 10. *caus.* 32. *quæst.* 5. — *Can.* 87. *de pœn. dist.* 1. — *ferè consonant cum integris exemplaribus.*

Ex Commentariis in Matthæum.
- *Can.* 4. *dist.* 56.
- *Can.* 14. *caus.* 23. *quæst.* 8. — *Can.* 42. *caus.* 27. *quæst.* 2. — *Can.* 43. *caus.* 27. *quæst.* 2. — *exhibent integram Chrisostomi sententiam.*
- *Can.* 2. *dist.* 42. *paulò varius in variis exemplaribus.*
- *Can.* 24. *caus.* 11. *quæst.* 3. *paulò varius in variis exemplaribus.*
- *Can.* 31. *caus.* 11. *quæst.* 3. *ex optimis codicibus emendandus.*

Can.

Ex Commentar. in Epist. Pauli ad Hebræos.
- *Can. 26. caus. 13. quæst. 2. omninò consonat cum Chrisostomi sententia.*
- *Can. 77. de pœn. dist. 1. paulò varius in diversis codicibus.*
- *Can 36. de pœn. dist. 3. paulò varius in diversis codicibus.*
- *Can. 128. de cons. dist. 4. paulò varius in diversis codicibus.*
- *Can. 28. de cons. dist. 5. paulò varius in diversis codicibus.*

Ex homil. de pœnitentia.
- *Can. 40. de pœn. dist. 1.*
- *Can. 8. de pœn. dist. 3.*

} *incertæ auctoritatis, atque ad integros codices exigendi.*

Ex homilia ad Populum Antiochenum.
- *Can. 48. de pœn. dist. 3. non dissonat à germanis Chrisostomi sententiis.*

Adjiciuntur.
- *Can. 4. caus. 32. quæst. 1. exigendus ad canones Concilii Nannetensis.*
- *Can. 6. caus. 33. q. 4. referendus ad commentaria Hieronymi.*
- *Can. 41. de pœn. dist. 1.*
- *Can. 4. de cons. dist. 4.*

} *sunt potiùs Chromatii.*

MEdio quarto Ecclesiæ sæculo in Antiochena urbe natus Joannes, ob elegantem dicendi formam Chrisostomus appellatus, sub Viris doctrina clarissimis solidæ doctrinæ jecit fundamenta, in humanioribus literis Græcorum perpolitus, in Sacrarum Scripturarum interpretatione acutissimus, in publicis orationibus recitandis æquè elegans, & disertus, in vindicandis fidei dogmatibus singulari pollens alacritate, &, quod potissimùm est, morum integritate apùd omnes maximè venerabilis. Raptus primùm divino spiritu, eremiticam vitam aliquandiù coluit, quam agens mirum est, quantùm in rerum Divinarum meditatione profecerit; deindè in Antiochena Ecclesia inter Clericos cooptatus, præsertim ubi Sacerdotali dignitate insignitus fuit, verè Sacerdotem Domini egit prædicatione divini verbi, gravitate morum, & exemplo: tandèm ad Constantinopolitanam Ecclesiam translatus gessit Episcopatum; in quo tamèn multa ab hæreticis passus est, præsertim ab Arianis, quorum impia dogmata detestabatur; atque eò usquè vexatus, ut ejectus ab Episcopatu fuerit, & in exilium missus, ubi curis, & molestiis gravissimis concussus, nunquàm tamèn animo fractus, occubuit circa annum 405. Innumera propemodùm sunt, quæ ipse, sive antequàm Clericali honore potiretur, sive postquàm Antiochenæ Ecclesiæ adscriptus fuit, sive postquàm Constantinopolitanum Episcopatum gessit, bono publico Ecclesiæ scripsit. Verùm multa deperdita fuisse Eruditi Viri lugent, quemadmodùm etiàm lugent, alia multa ex aliis exhausta fontibus obscurorum auctorum in Chrisostomi libros aut perfidia, aut oscitantia fuisse traducta. Meum non est singula percurrere, ac scrutari; non defuerunt, qui gravissimo judicio germana à spuriis, aut incertis secernere conati sunt. Quoad fieri potuit in expendendis Gratiani capitibus, usus ego sum editione Maurinorum, præsertim quòd attinet ad latinam interpretationem: nihil tamèn omittens, ubi opus erat, quominùs aliarum vetustiorum editionum ratio haberetur.

De epistola ad Theodorum lapsum.

Theodorus quidam, qui posteà Mopsuestenus Episcopus fuit, cum olim monasticam vitam professus esset, ab eremo recessit, & sæcularibus curis animum apposuit. Eum gravissimè redarguit Chrisostomus, acres adjiciens stimulos, ut pœnitentia ductus ad pristinam vitæ rationem reverteretur, & quidèm duas

Can. 28. de pœn. dist. 3.

duas edens Parenæses, sive exhortationes. Ad eam, quæ apùd Maurinos primo ordine collocatur in tomo 1., pertinet canon. 28. de pœn. dist. 3., cujus sententia his verbis exhibetur: *Hujusmodi quippè est Dei ergà hominem clementia; numquàm aversatur sinceram pœnitentiam: sed etiamsi quis in extremum improbitatis pertigerit, & hinc ad virtutis viam redire voluerit, ipsum suscipit, & amplexatur, nihilque non agit, ut eum in pristinum statum restituat; quodque majoris est clementiæ, & si quis non integram pœnitentiam exhibeat, brevem tamèn illam, & ad modicum exhibitam non abnuit, sed magnam huic mercedem tribuit; quod sanè manifestum est ex iis, quæ de populo Judæorum dicit Isaïas Propheta his bervis: Propter peccatum paulisper contristavi eum, & percussi eum, & averti faciem meam ab eo, contristatus est, & ambulavit mœstus, & sanavi eum, & consolatus sum eum. Testis autèm nobis erit impiissimus Rex ille, qui ab uxore quidèm peccatis traditus est; at ubi primùm luxit, & sacco indutus facinora sua damnavit, ita sibi Dei misericordiam conciliavit, ut omnia sibi imminentia mala evitaret. Nam Deus Eliæ dixit: Vidisti, quomodò compunctus Achab à facie mea? Non inducam malum in diebus ejus, eo quòd fleverit à facie mea.* Hinc liquet, quomodò suavitèr sanctus Vir Theodorum ad pœnitentiam adducere conabatur; sperandum enim ajebat fidenti animo de divina clementia; quemadmodùm etiàm multo antè pressiùs dixerat, ibi: *Si enim Diabolus tantum potuit, ut te à vertice illo, & fastigio virtutis in extremum malitiæ detruderet, multo magis te Deus poterit in pristinam reducere libertatem.* Nùm Theodorus Chrisostomo morem gesserit, non satis constat; quamquàm enim inter opera Joannis epistola quædam habeatur Theodori lapsi, quasi Chrisostomo respondentis, illa tamèn tamquàm apochrypha à viris eruditissimis omninò rejicitur.

De Commentario, seu Homilia in Psalmum 50.

Inter homilias, seu commentaria in Psalmos prodiere apùd Joannem Chrisostomum homiliæ duæ in Psalmum quinquagesimum; & quamquàm posterior paulò elegantior sit, & non adeò à sancto Viro aliena videatur, utraque tamèn & à Maurinis, & ab eruditis aliis hodiè rejecta dignoscitur, tanquàm apocrypha. Dubitavit in primis de earum auctoritate Savilius; deindè Fronto Dutætus apertè repudiendas scripsit, à cujus sententia Maurini recedere non potuerant, cùm illis futilia multa, & indigna Chrisostomo reperiantur, imò nec stylus cum ceteris sancti Doctoris operibus ulla ratione conveniat. Secunda homilia, ut modò dixi, paulò elegantior est, quia in illa adsuta fuerint nonnulla fragmenta ex aliis Chrisostomi operibus transducta, imò & multa ex Theodoreti in eumdem Psalmum 50. commentariis derivata. Latina interpretatio est Jacobi Billii, ad quam si exigamus canonem 24. cau. 27. q. 2. depromptum ex homilia 1., ubi auctor eos, qui abstinere conjugii usu facilè nequeunt, ad utendum conjugio hortatur, ità legendum erit: *Cogita Pauli sententiam, & quidnam dicat, quia multi continentiæ student, & honestas, & pudicas uxores habent, ac præter earum voluntatem continentiam colunt, eorumque philosophia adulterii causam affert, proindè ait: unusquisque uxore sua fruatur. Nec pudore suffunditur, verùm ingreditur, ac noctu, & diu in lecto sedet, ac maritum & uxorem retinet, sicque eos inter se copulat, atque alta voce clamat: nolite fraudere invicèm, nisi ex consensu. Continentiæ studes, nec cum marito somnum capere vis, nec ille te fruitur? Abscedit jam, & peccat, ac deinceps illius peccatum continentiæ tuæ adscribitur.* Can. 24. caus. 27. q. 2.

De

De opere imperfecto in Matthæum.

Duo in vulgatis Chrisostomi codicibus prodierunt sub ejusdem sancti Antistitis nomine commentaria in Evangelium Matthæi: quorum primum Græco-latinum adparet, ac reverà Chrisostomi est; alterum latinum tantùm, quod appellatur *opus imperfectum*, & passim ab eruditis universis hodiè rejectum inter spuria ejusdem sancti Doctoris monumenta, ex quibus post Erasmum, Sixtum Senensem, Baronium, & Tillemontium laudare meritò possum Maurinos Monachos, qui commentarium illud in postremam partem tomi 6. velut apocryphum abjiciendum esse voluerunt. Imò & passim traditum novimus, auctorem libri Latinum credi, & eum, qui hæreticus fuerit, Arianorum præsertim erroribus involutum. Summa rationum, quibus id demonstretur, hæc est: In primis stylus perplexus est, atque admodùm rudis, & penitùs à Chrisostomi dictione alienus; qui, si apprimè consideretur, per se indicabit, non latinam ibidèm interpretationem exhiberi ad Græcas phrases exactam, sed latinam ab initio scripturam. Deindè auctor passim reprobat illorum fidem, qui Sanctæ & Divinæ Trinitatis, seu trium Personarum fatebantur æqualitatem; & tradit, filium esse Patre longè minorem, quod Ariani blasphæmabant. Prætereà Donatistas secutus auctor docuit, Baptisma ab hæreticis collatum esse penitùs irritum, atque, ab eisdem baptizatos, iterùm esse Christi lavacro abluendos. Non memoro alia benè multa, quæ facilè unusquisque inveniet apud Maurinos in eleganti Diatriba, ad idem commentarium præhabita. Adeò vera hæc sunt, ut non defuerint viri solliciti, quorum studio liber emendaretur, undè in aliquot commentarii editionibus multa desiderantur, quæ aliis exhibentur, quia aliquot prodierunt expurgatiores. Quid tamèn prodest hæreticorum purgare libros, ut Sanctis Patribus auctoribus digni videantur, quandò hujusmodi librorum Sancti iidem Patres auctores minimè fuerunt. Satius mihi videtur unà cum suis germanis auctoribus improbare volumina, ne eorumdem ulla penitùs ratio habeatur. Videtur liber ille viris doctis circa sæculum Ecclesiæ septimum editus, & quidèm statim adjecto Chrisostomi nomine, ut liber faciliùs reciperetur apud eos, penes quos maxima erat Chrisostomi existimatio. Distinguitur autèm in homilias 54. non quidèm in omnia Matthæi capita, sed in aliqua tantùm, undè operis imperfecti nomen accepit. Mirum sanè est, apùd Gratianum pauca exhiberi fragmenta, ex germanis Joannis commentariis in Matthæum deprompta, è contrario multos esse canones, qui ad commentarium, seu opus imperfectum, falsò Chrisostomo tributum, referantur.

Itaque in primis ad homiliam 40. hujus operis referendus est canon 5. dist. 40. Expendebat auctor caput Matthæi 21. vers. 44. ibi: *Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum*; docens, in eo lapide Christum Domini imaginem esse agnoscendam, eos autèm dici super lapidem cadere, qui contra *Christianitatem* agunt; ac propterea eos, qui Christo adversantur, non Christo lapidi nocere, sed frangi ipsos, aut comminui. Ad quam rem, ità scribit: *Quod cadit super lapidem, non tantùm se frangit quantùm est lapidis virtus, sed quantùm fortiter ipsum ceciderit. Fortiter autèm cadit* (id est, faciliùs comminuitur) *quod cadit, propter duas causas, aut propter pondus suum, aut propter altitudinem suam.* Et paulò inferiùs: *Homo Christianus fortiter cadit in peccato propter duas causas, aut propter magnitudinem peccati, aut propter altitudinem dignitatis, ut puta si sit Clericus, aut continens vidua, aut Monachus, aut virgo, id est, qui se Deo tradit. Propter magnitudinem autèm peccati, ut pu-* Can. 5. dist. 40.

puta si quis homicidium fecerit, aut adulterium, aut aliud aliquid de gravibus peccatis, ille talis etsi de humili loco cadit, id est, etsi laicus sit, aut sæcularis, fortitèr perit propter pondus peccati.

Can. 12. dist. 40. Can. 12. dist. 40. ex eodem libro depromptus est. Si enim priora verba consideremus, habentur illa in homil. 43. ad caput 23. Matthæi ibi: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi*, quæ interpretatus auctor operis imperfecti, ita scribit: *Id est, multi sacerdotes, & pauci sacerdotes. Multi nomine, & pauci opere. Videte ergò, quomodò sedeatis super eam; quia Cathedra non facit sacerdotem, sed sacerdos Cathedram: non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Non omnis sacerdos sanctus est, sed omnis sanctus sacerdos. Qui benè sederit super Cathedram, honorem accipiet ab illa; qui malè sederit, injuriam facit Cathedræ. Ideòque malus sacerdos de sacerdotio suo crimen adquirit, non dignitatem. In judicio enim sedens, si quidem benè vixeris, & benè docueris, omnium judex es: si autèm benè docueris, & malè vixeris, tui solius condemnator est. Nam benè vivendo, & benè docendo populum instruis, quomodò debeat vivere; benè autèm docendo, & malè vivendo, Deum instruis, quomodò te debeat condemnare.* Quæ sequuntur apùd Gratianum in vers. *quicumque desideravit*, repetenda sunt ex homilia 36. ad verba illa Matthæi cap. 20. vers. 25. *Scitis, quia principes gentium dominantur eorum.... non ità erit inter vos*, quæ ità explicantur: *Quicumque ergò desiderat primatum cœlestem, sequatur humilitatem terrestrem; quicumque autèm desiderat primatum in terra, inveniet confusionem in Cœlo; ut jam inter servos Christi non sit de primatu certamen; nec festinet unusquisque eorum, quomodò aliis major appareat, sed quomodò omnibus inferior videatur; quoniàm non qui major fuerit in honore, ille est justior; sed qui justior fuerit, ille est major. Conversatio ergò melior est desideranda, non dignior gradus.* Ex istis erit & supplendus Gratianeus canon, & emendandus.

Ex eodem libro homilia 38. ad cap. 21. Matthæi, ad illa verba vers. 12. *Et ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo &c.* depromptus est canon 11. dist. 88., in quo cum multa sint emendanda, supplendave, exhibere hoc in loco juvabit integram auctoris sententiam, ubi scribit: *Et ejiciebat vendentes, & ementes de templo, significans, quia homo mercator vix, aut nunquàm potest Deo placere; & ideò nullus Christianus debet esse mercator; aut, si voluerit esse, projiciatur de Ecclesia Dei, dicente propheta; quia non cognovi negotiationes, introibo in potentias Domini. Quemadmodùm enim qui ambulat inter duos inimicos, ambobus placere volens, & se commendare, sine maliloquio non potest esse; necesse est enim, ut & isti malè loquatur de illo, & illi malè loquatur de isto: sic, qui emit, & vendit, sine mendacio & perjurio esse non potest: necesse est enim, ut negotiatoribus hic juret, quia non tantum valet res, quantum comparat eam, & ille juret, quia plus valet res, quàm vendit. Sed est nec stabilis substantia eorum. Talium enim substantia aut ipsis viventibus peritura est, aut à malis heredibus dissipanda est, aut ad extraneos & inimicos hereditas ipsorum ventura est. Non potest ad bonum proficere, quod congregatur de malo. Quemadmodùm si triticum, aut aliquam bladi speciem cernas in cribro, dum hùc illùcque jactas eam, grana omnia paulatim deorsùm cadunt, & in fine in cribro nihil remanet, nisi stercus solùm; sic & substantia negotiatorum, dum vadunt & veniunt inter emptionem, & venditionem, minuitur, & in novissimo nihil illis remanet, nisi solum peccatum. Ergò ostende nobis, quis est negotiator? Omnes enim homines videntur negotiatores. Ecce, qui arat, comparat boves, ut spicas vendat; & qui operatur lignum, comparat lignum, ut utensilia vendat; & linteonarius comparat linteamina, ut vendat, & ostendat; & fœnerator mutuat pecuniam, ut tollat usuras. Et quomodò antiqui Judæi, & Apostoli artificia laudaverunt. Quia magis sunt sine peccato, sicut & Paulus fuit sutor tabernaculorum, &* Can. 11. dist. 88.

ipse mandat, dicens: Curent & nostri bonis operibus præesse; Apostoli quidam, sicut legimus, piscatores fuerunt. Ego ostendam, qui non est negotiator, ut, qui secundum regulam istam non fuerint, intelligas omnes negotiatores esse, id est, quicumque rem comparat, non ut ipsam rem integram, & immutatam veniat, sed ut opus faciat ex ea, ille non est negotiator, quia qui materiam operandi sibi comparat, undè faciat opus, ille non rem ipsam vendit, sed magis artificium suum; id est, qui rem vendit, cujus æstimatio non est in ea ipsa re, sed in artificio operis, illa non est mercatio, ut puta, faber comparat ferrum, & facit ferramentum: sed ferramentum illud non tantum habet ferri, quantum valet, sed secundum opus ferramenti appretiatur. Qui autèm comparat rem, ut illam ipsam integram, & immutatam dando lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei ejicitur. Undè super omnes mercatores plus maledictus est usurarius. Si enim qui rem comparatam vendit, mercator est, & maledictus, quanto magis maledictus erit, qui non comparatam pecuniam, sed à Deo donatam sibi, dat ad usuram? Secundò, quia mercator dat rem, ut jam illam non repetat, iste autèm postquàm fœneravit, & sua iterùm repetit, & aliena tollit cum suis. Adhùc dicit aliquis: Qui agrum locat, ut agrariam recipiat, aut domum, ut pensiones recipiat, nùm est similis ei, qui pecuniam dat ad usuram? Absit. Primùm quidèm, quoniam pecunia non ad aliquem usum deposita est, sicut ager, vel domus, sed ad pretium emendi, vel vendendi. Secundò, quoniam qui agrum habet, arat eum, & fructum capit ex eo: similitèr &, qui domum habet, usum mansionis capit ex ea. Ideò, qui locat agrum, vel domum, usum dare videtur, & pecuniam accipere; & quodammodò quasi commutare videtur lucrum cum lucro: pecuniam autèm, si repositam in sacculo teneas apud te nullum usum capis ex ea. Tertiò: ager vel domus utendo veterascit; pecunia autem cum fuerit mutuata, nec minuitur, nec veterascit. Et mensas nummulariorum subvertit. Pecunia spiritualitèr homines intelliguntur, quia sicut nummus habet charagma Cæsaris, sic homo habet charagma Dei; & quemadmodum solidus, qui non habet charagma Cæsaris, reprobus est, ità & homo, qui non ostendit in se imaginem Dei, reprobus æstimatur. Unde Esaias dicebat ad Hierusalem: Pecunia tua reproba est, caupones tui miscent vinum aqua &c. Ideò ergò mensas nummulariorum evertit, significans, quia in templo Dei non debent esse nummi, nisi spirituales, id est, qui Dei imaginem habent; & non illi nummi, id est, non illi homines, qui terreni Regis imaginem portant, id est, Diaboli. Nàm, sicut homo bonus in se imaginem Dei ostendit, sic & homo malus imaginem Diaboli habet. Aut certè mensas spiritualitèr dicit scripturas nummulariorum, id est, sacerdotum. Verè enim sacerdotum illorum scripturæ eversæ sunt, ut jam nemo eorum pascantur in eis, succedente novo testamento priori.

Ex homilia 25. ad caput 10. Matthæi vers. 28. ibi *Et nolite timere eos, qui occidunt corpus* depromptus est canon 86. caus. 11. quæst. 3., ubi pro illis verbis: *prædicetis omnibus... defendere convenit*, legendum est ex vulgatis codicibus: *prædicetis in omnibus.... defendere oportet.* Can. 86. caus. 11. q. 3.

Canon 12. caus. 26. quæst. 7. depromptus est ex homilia 43. ad interpretationem verborum Matthæi cap. 23. vers. 4. *Alligant enim onera gravia, & importabilia &c.* Sanè pro illis verbis, quæ in nonnullis Gratiani codicibus occurrunt: *Sed ut dicentes...pœna peccati futuri. Sicut enim fascem super humeros adolescentis, quem non potest... sub pondus... pœnitentiæ imponis... rationem reddere.. circa alienam benignus*; ista leguntur in vulgatis codicibus: *Sed ut docentes... pœna peccati futuri. Si enim fascem super humeros adolescentis, quam non potest... sub pondere... pœnitentiæ ponis.. rationem dare... circa alienam autèm benignus.* Can. 11. caus. 26. q. 7.

Simùl jungendi sunt plures canones, utpotè qui ex eadem homilia 32. deprompti sunt ad interpretationem capi- Can. 1. & 4. q. 7.

tis

tis 19. Matthæi, ubi nonnulla traduntur de libello repudii, apùd veteres Judæos à Mose concesso, & tandèm in nova lege improbato ex Christi Domini definitione. Ii sunt canon 1. & 4. caus. 27. quæst. 2. canon 9. caus. 31. quæst. 1. & can. 1. caus. 32. quæst. 1. Describam nùnc integram auctoris sententiam, ad quam etiàm laudatos omnes canones exigam. Scribit ille, Judæos alloquens, libello repudii usos: *Hac ratione permisit, vos dare libellum repudii, quia melius judicavit permittente lege matrimonia solvi, quàm odio compellente homicidium fieri. Permisit vobis mala facere, ne faceretis pejora..... sic permissum est dari repudium, malum quidèm, tamèn licitum à creatione. Et Apostoli præceperunt secundas adire nuptias* (hùc referenda sunt verba dicti canonis 9. caus. 31. quæst. 1.) *propter incontinentiam hominum. Nam secundam quidèm accipere, secundum præceptum Apostoli est; secundum autèm veritatis rationem verè fornicatio est: Sed dum permittente Deo, publicè, & licentèr committitur, fit honesta fornicatio. Propterea benè dixit, quia Moses hoc permisit, non præcepit. Aliud est præcipere, aliud est permittere. Quod enim præcipimus, semper placet; quod autèm permittimus, nolentes præcipimus, quia malam voluntatem hominum ad plenum prohibere non possumus. Amen dico vobis, quicumque dimiserit uxorem suam, nisi fornicationis causa, mœchatur. Omnis res, per quas causas nascitur* (hic est canon 4. caus. 27. quæst. 2., cujus priora verba translata sunt à Gregorio IX. in suam collectionem in capit. 1. de reg. juris) *per easdem absolvitur. Matrimonium enim non facit* (& ista recensentur in can. 1. caus. 27. q. 2.) *coitus, sed voluntas; & ideò illud non solvit separatio corporis, sed separatio voluntatis. Ideò, qui dimittit conjugem suam, & aliam non accipit, adhùc maritus est. Nam, etsi corpore jam separatus est, tamèn adhùc voluntate conjunctus est. Cum ergò aliam acceperit, tunc plenè dimittit. Non ergò, qui dimittit, mœchatur, sed qui alteram ducit. Sicùt autèm* (sunt hæc verba laudati canonis 1. caus. 32. quæst. 1.) *crudelis est, & iniquus, qui castam dimittit, sic fatuus est, & injustus, qui retinet meretricem; nam patronus turpitudinis ejus est, qui crimen celat uxoris.* Aliqua sanè sunt ad hos canones animadvertenda. In primis adnotandum occurrit, quod de secundis nuptiis improbandis traditur, quæ ab auctore operis æquè interdictæ dicuntur, ac interdictum erat repudium, à Mose permissum. Aliud profectò suadet & Apostolica Pauli doctrina, & doctrina Chrisostomi, quemadmodùm prudentissimè adnotandum voluerunt Romani Correctores ad memoratum canonem 9. caus. 31. quæst. 1. Quid verò aliud sperandum erat ab auctore operis imperfecti, Marcionis, Tatiani, & Montani erroribus involuto? Qui, si primas nuptias velùt à malo principio inventas detestabatur cum ducibus suis, secundas probare minimè potuit, quidquid Paulus Apostolus tradidisset. Deindè animadvertendum est, multum discriminis interesse inter verba, à Gratiano descripta in principio canonis 4. caus. 27. quæst. 2. translata deindè in capitulum 1. de regulis juris apùd Gregorium IX., & verba auctoris operis imperfecti, modò descripta: ubi enim scripserunt Gratianus, & ex Gratiano Gregorius IX. *Omnis res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur*, scripsit auctor imperfecti: *Per easdem absolvitur*, quasi diceret, matrimonium ut solo consensu contrahitur, ità solo consensu absolvi, id est, perfici, compleri, atque consistere. Ejus sententia erat, ut traderet, dimissa uxore ex causa adulterii, adhùc consistere prius conjugium; quia, licèt corpore uxor à marito divideretur, juncta adhùc erat voluntate, quousquè nec dimissa alteri jungeretur, nec dimittens alteram duceret. Tum demùm, ajebat, omninò dissolutum matrimonium videri, quandò altera à dimittente duceretur. At hæc proposi-

Can. 1. & 4. caus. 27. q. 2.
Can. 9. caus. 31. q. 1. &
Can. 1. caus. 32. q. 1.

tio, qua secundæ nuptiæ à dimittente contrahendæ improbabantur, toto cœlo distat à Gratiani principio, quod initio laudati canonis præstituitur; quasi indicare velit Gratianus, eodem modo dissolvi conjugium sola consensione, quemadmodùm ab initio sola consensione contrahitur, quod sanè & Ecclesiasticis, & Divinis institutionibus adversaretur. Sed nolo in adsequenda viri hæretici mente diutiùs immorari; quamquàm, ut liquet, hac in re in sanam omninò doctrinam flecti quodammodò posset.

Can. 10. caus. 32. q. 5. Ex eadem homilia 32. ad interpretationem ejusdem capitis Matthæi vers. 12. ubi bonum continentiæ laudatur, depromptus est canon 10. caus. 32. quæst. 5., ibi: *Tanquàm si dicat aliquis: Quid dicis Domine? Si ex quacumque causa contigerit homini uxorem non habere, an continentiæ habebit mercedem? non sempèr. Sicut enim peccatum &c.* Quæ apùd Gratianum sequuntur, omninò consonant cum vulgatis codicibus, dummodò pro voce illa *debilitati* legas *debilitatis*. Adnotaverunt Maurini Monachi, ad illa verba, *sine opere*, in pluribus legi *sine corpore*, unà autèm adjecerunt perperàm ità legi, quamobrèm à Gratianea editione hac in parte recedendum non erit.

Can. 87. de pœn. dist. 1. Verba canonis 87. de pœn. dist. 1. referenda sunt ad homiliam 40. in caput 21. Matthæi, ubi auctor operis imperfecti dolet conditionem Clericorum illorum, qui, dum quotidiana rerum divinarum lectione exercentur, si fortè in crimina incidant, & in iis diutiùs consistant, difficili ratione ad pœnitentiam excitantur. Pro illis Gratiani verbis *non adeò dolet &c.* legendum est *non ideò dolet &c.*

De genuinis Chrisostomi Commentariis in Matthæum.

Expeditus ab apocryphis commentariis in Matthæum, quæ Chrisostomo perperàm inscripta fuerunt, ad alia commentaria in idem Evangelium Matthæi gradum facio, in nonaginta homilias distributa; quæ sanè, ut præclarissima sunt, & verè Chrisostomo digna, ità eidem sancto Doctori jure optimo, nemine dissentiente, adjudicantur. A Maurinis Monachis exhibentur ista & græcè & latinè in tomo 7. suæ editionis; & traduntur tanquàm ea, quæ Antiochiæ, dum Presbyteri munere auctor fungeretur, adornata fuerint ab anno 390. ad annum 398. Ibidèm Chrisostomus non tam concionatorem egit, mores populi Antiocheni corruptos data occasione carpentem, quàm sedulum & accuratum interpretem, explicando ea testimonia, quæ difficultatem aliquam paterentur. Utar hac etiàm in parte eorumdem Maurinorum latina interpretatione, tanquàm ea, quam constat esse omnium accuratissimam, & ad optimos codices maximè exactam. Ad homiliam 3., in qua explicatur caput 1. Matthæi, pertinet in primis canon 4. dist. 56., ubi Chrisostomus, de Divini Verbi miranda incarnatione verba faciens, Christi humilitatem prædicat, in eo, quòd de improbis abavis, aut majoribus, originem trahere voluerit, ut quantò probrosior ejus antiqua origo demonstraretur, eò vehementior ejus ergà homines, hominumque salutem amor exhiberetur. Quam ad rem ità ajebat: *Illudque ex ipso generationis exordio prædicavit, se de nullo, quod ad nos pertineat, erubescere; per hæc nos edocens, ne unquàm de majorum nostrorum nequitia erubescamus, sed unam solùm quæramus virtutem. Nam, qui illam sectatur, etiamsi alienigenam progenitorem habeat, etiamsi matrem meretricem, vel alio modo despiciendam, nihil hinc nocumenti passurus est. Nam, si fornicatorem, qui resipuerit, nullo prior vita dedecore afficit, multo minùs vir probus ex meretrice, vel adultera natus, parentum improbitate dehonestabitur.* Can. 4. dist. 56. Et multo pòst ad eamdem rem: *Non potest enim, non potest utiquè quispiam ex virtute, aut ex nequitia majorum aut probus, aut improbus*

bus esse, aut gloriosus, aut inglorius. Verùm, si quid mirum dictu proferendum, ille majori fulget splendore, qui ex non probis majoribus ortus, probus tamèn effectus est. Si conferas hæc cum memorato canone 4., integram profectò, licet aliis verbis expressam, Chrisostomi sententiam invenies.

Can. 14. caus. 23. q. 8. Ex homilia 17. in caput. 5. Matthæi depromptus est canon 14. caus. 23. quæst. 8., ubi Chrisostomus, inhærens doctrinæ Christi Domini, tradebat, multa fuisse veteribus Judæis concessa, quæ Christianis denegari deindè decuit, cum nonnulla ex opportunitate temporum varietati subjaceant. Atque inter cetera ità scribebat: *Cædes, quam inventum esse diaboli in confesso apùd omnes est, opportuno tempore facta interfectorem Phineem Sacerdotii honore decoravit. Quòd enim cædes sit opus diaboli, audi quomodò dicat ipse: vos opera patris vestri* (Joannes in Evangelio cap. 8. vers. 41. & 44.) *vultis facere, ille homicida erat à principio. Sed homicida fuit etiam Phinees, & reputatum est ei ad justitiam, inquit. Abraham verò non homicida solùm, sed etiam filii interfector factus, quod pejus erat, sic magis Deo placuit. Petrus verò duplicem cædem fecit, attamen spirituale erat id, quod factum est. Ne itaquè simpliciter res examinemus, sed etiàm tempus, & causam, & voluntatem, & personarum differentiam, & illa omnia, quæ unà concurrunt, accuratè exploremus, neque enim potest veritas alio attingi modo; studeamusque, si velimus regnum adsequi, supra vetera præcepta aliquid operari, quia non possumus aliter cœlestia obtinere.* Iterùm hæc cum verbis Gratiani collata demonstrant in laudato can. 14. Chrisostomi sententiam, licèt aliis verbis expressam.

Can. 42. & 43. caus. 27. q. 2. Ex homilia 4. in caput 1. Matthæi multa fragmenta congesta sunt in can. 42. caus. 27. quæst. 2., quæ tamèn integram exhibent Chrisostomi de B. Mariæ virginitate sententiam. Verba Chrisostomi apùd Maurinos ista sunt: *Ideò, cum priùs præparasset auditorem ad aliquid eorum, quæ ex more veniunt, audiendum, & in hac cogitatione retinuisset, tùnc percellit rem admirandam subjungens his verbis: antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Non dixit: antequàm duceretur in domum sponsi, intùs enim jam erat. Nàm mos priscis erat, sponsas ut plurimùm domi tenere, imò etiàm nunc id videre est, & Loti generi cum ipso habitabant. Habitabat ergò & ipsa cum Josepho.* Deindè pòst multa, interpretatus illa verba Evangelii: *Hæc autèm eo cogitante, Angelus in somnis adparuit Joseph*, inquit: *Viden Viri moderationem! non modò non punivit, sed nemini dixit, ac ne illi quidèm, quæ in suspicionem veniebat, sed rem secum cogitabat, & secessus causam virgini obtegere studebat. Neque enim dixit, ipsum voluisse illam ejicere, sed dimittere; usquè adeò benignus, & moderatus vir erat.* Iterùm inferiùs expendens verba Angeli, qui in somnio adparuerat Beato Joseph, inquit: *Conjugem verò hic sponsam vocat; quemadmodùm & generos vocare solet Scriptura sponsos ante nuptias. Quid verò significat illud accipere? Domi retinere; jam enim illam animo dimiserat. Hanc dimissam retine, quam tibi Deus tradit, non parentes. Tradit autèm, non ad nuptias, sed ut cum illa habites; tradit porrò per vocem meam, ut illam posteà Christus tradidit discipulo, ità & nunc Josepho traditur.* Eadem ferè sententia legitur in homilia 5. ad idem caput 5. Mattæi, ubi Chrisostomus ait de Josepho, & B. Maria: *Nam si cognovisset eam, & uxoris loco habuisset, quomodò illam, quasi nullum habentem virum, discipulo commendasset, jubens eam in sua accipere?* Relata isthæc sunt in canonem 43. caus. 27. quæst. 2.

De Commentariis in epistolam Pauli ad Hebræos.

Extat inter homilias Chrisostomi Commentarium, in homilias 34. distri-

tributum, in epistolam Pauli ad Hebræos sub hac inscriptione: *Interpretatio in epistolam ad Hebræos, edita ex notis post obitum ejus à Constantino Presbytero Antiocheno*, refertur autèm in tom. 12. Maurinorum editionis. Constantinum eumdem putant esse Viri eruditi cum Constantio Antiocheno Presbytero, valdè familiari, & arctissimo necessitudinis vinculo cum sancto Antistite junctò, qui nimirùm Chrisostomum Cucusi exulantem adiit, ejusdemque lateri diù adhæsit: quin negotium facessat, Constantinum in editis Commentarii codicibus legi; facilè enim contingere potuit, ut ex oscitantia Amanuensium Constantini nomen pro nomine Constantii legeretur. Dicitur interpretatio edita ex *notis* Chrisostomi, quod ità Viri gravissimi intelligunt, quasi deprompta illa fuerit ex brevioribus quibusdam characteribus, & notis, quas sanctus Antistes in scriniolo servabat, ut commodiùs celeriùsque, quid sibi orandum esset, memoria teneret, aut versaret. Edita autèm est post obitum sancti Viri ab eo, qui maximè Chrisostomi opera venerabatur, nec nisi ægrè pati poterat, tanti Antistitis opera ad posteros non traduci. Quamquàm verò Erasmus illud opus à Chrisostomo abjudicandum scripserit, Erasmi tamèn opinio unà cum auctore suo interiit; neque enim ea placere potuit Viris eruditissimis, qui & agnoverunt, levissimis conjecturis, & facilè refutandis, Erasmum inductum fuisse, & in opere statim stylum, & dicendi morem Chrisostomo familiarem non deprehendere non potuerunt. Unusquisque sanè fatetur, maximam esse variorum codicum varietatem; Ceterùm id contigit in universis propemodùm sancti Doctoris opusculis, quæ, sicut passim præ plurimorum manibus versabantur, transcribebantur, & novis interpretationibus adornabantur, ità non potuerunt non esse quibusdam vicissitudinibus obnoxia. Jam vetus prodiit latina ejusdem libri interpretatio, auctore Mutiano Viro disertissimo, ex mandato Cassiodori, qui idipsum testatus est in cap. 8. de divinis lectionibus. Maurini Monachi Mutiani interpretationem ad oram ediderunt, in sua tamèn editione aliam latinam interpretationem secuti. Ego in describendis Gratiani monumentis utramque, ubi opus fuerit, subjiciam, animadvertens initio, homilias istas recitatas fuisse ab Joanne Chrisostomo, jam Episcopatum adepto, quemadmodùm & ipsi Maurini professi fuerunt.

Ad homiliam 11. in caput 6. Pauli referendus est canon 2. dist. 42., ubi increpat sanctus Antistes eos, qui eleemosynam pauperibus sive Monachis, sive Laicis, denegabant, eo prætextu, quòd non certò scirent, reverà illos necessariis vitæ subsidiis indigere, & passim tradebant, non primùm à quoquam faciendam eleemosynam esse, quàm de misera petentis conditione certior redditus fuerit. Hæc sunt verba Chrisostomi apùd Maurinos: *Cessemus ab hac importuna, satanica, & perniciosa curiositate: Nam si se in Cleri quidèm numerum dicat esset relatum, aut si se nominet Sacerdotem, diligentèr inquire, & sis curiosus. Non est enim expers periculi, quæ sine examine illic fit communicatio; de rebus enim magnis est periculum. Quod si cibum petat, nihil examines. Non enim das, sed accipis. Exquire si vis, & scrutare, quomodò Abraham se exhiberet hospitalem in omnes, qui accedebant. Si de iis, qui ad ipsum confugiebant, curiosè esset scrutatus, hospitio non excepisset Angelos. Fortassè enim non existimans illos esse Angelos, cum aliis illos quoquè expulisset. Sed quoniàm omnes excipiebat, excepit etiàm Angelos. Num ex vita eorum, qui accipiunt, tibi mercedem dat Deus? Ex libero animi instituto, ex multa liberalitate, & munificentia, ex benignitate, & bonitate.* Paulò alitèr interpretatus est Mutianus his verbis: *Quiescamus ab hac absurda curiositate, & diabolica, & peremptoria. Si enim in Clero electum se esse dicat, si Sacerdotem nominet,* Can. 2. dist. 42.

net, scrutare: non enim sine periculo in talibus indiscussa communicatio est. Circa majora periculum vertitur; non enim das, sed accipis. Si verò pro nutrimento postulat, nihil examines. Quomodò Abraham hospitalitatem circa omnes transeuntes ostendebat. Si scrutator fuisset circa refugientes ad se, nunquàm Angelos hospitio recepisset. Fortassis enim non putans eos Angelos esse, cum reliquis repelleret: Sed quoniam omnes suscipiebat, suscepit & Angelos. Non enim ex vita accipientium à te mercedem tibi retributurus est Deus; sed ex voluntate, ex honorificentia multa, ex misericordia, ex bonitate.

Can. 24. caus. 11. q. 3. Ad canonem 24. caus. 11. q. 3. subjecerunt Correctores Romani græcum ipsum Chrisostomi monumentum, depromptum ex homil. 25. ad caput 11. Epistolæ Pauli. Maurini ità ediderunt: *Nec Paulum quidèm vereris, qui ad mensam Græcorum, si velimus, citra impedimentum nobis permittit accedere, ad avarorum autèm, & eorum, qui damnis ditantur alienis, ne volentes quidèm sinit. Nam ait: si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator: fratrem hic dicens absolutè quemvis fidelem, non eum, qui est Monachus. Nam quid est, quod facit fraternitatem? Lavacrum regenerationis, posse Deum Patrem vocare. Quamobrèm catechumenus quidèm, etiamsi sit Monachus, non est frater. Fidelis autèm, etiamsi mundanus sit, seu sæcularis, est frater. Si quis, inquit, frater nominatur. Nam nec ullum quidèm tunc erat Monachi vestigium. Sed mundanis, seu sæcularibus hæc omnia dicebat hic Beatus. Si is, inquit, qui frater nominetur, sit fornicator, aut avarus, aut ebriosus, cum hujusmodi nec cibum sumere. Sed non ità cum agit de Græcis, seu Gentilibus. Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne, quod vobis adponitur, comedite. Si quis autèm, inquit, frater nominatur, & sit ebriosus, papè, quàm exactè loquitur, & accuratè: nos autem non solùm non fugimus ebriosos, sed etiam eos adimus, eorum, quæ ab ipsis adponuntur, futuri participes.* Paulò alitèr Mutianus interpretatus est, ibi: *Et neque Paulum revereris, ad mensam quidèm Paganorum si volueris ire, sine ulla prohibitione permittentem: ad mensam autèm avarorum, & aliena auferentium neque volentem permittere. Si enim quis frater, inquit, nominatur inter vos. Fratrem in hoc loco omnem fidelem simplicitèr intellige, non Monachum tantùm. Quid autèm est, quod facit fraternitatem, nisi lavacrum regenerationis, quod facit vocare Deum, Patrem? Proindè, inquit, catechumenus est, ac si monachus sit, non est frater: qui verò fidelis est, ac si sæcularis sit, frater est. Si quis, inquit, frater nominatur. Neque vestigium tunc Monachi erat, sed omnia ad sæculares tunc loquebatur Beatus Paulus. Si quis, inquit, frater nominatus, fuerit fornicator, aut avarus, aut ebriosus, cum hujusmodi nec cibum sumere. Cum autèm de Paganis ageret, non ità: Sed, si quis vos vocaverit ex infidelibus, paganos significans, si vultis ire, omne, quod adponitur vobis, comedite. Si quis frater, inquit, nominatur ebriosus. O quanta integritas? nos autèm non solùm non fugimus ebriosos, sed etiàm imus ad eos, participantes cum eis.* Ibidèm totus erat Chrisostomus, ut improbaret avaritiam illorum, qui nihil pauperibus tribuerent, totum sibi, suisque deliciis vindicarent; imò & mores illorum, qui cum avaris communionem inire non verebantur.

Canon 31. caus. 11. quæst. 3. referendus est ad homiliam 4. in caput 2. epistolæ Pauli, ubi cum Chrisostomus objurgasset gravissimis verbis consuetudinem populi, qui defunctos vehementèr admodùm lugebat, quasi de resurrectione desperaret, adversùs contumaces potestate clavium, sibi à Deo commissa, se usurum esse minatus est: quam ad rem ait juxta Maurinorum editionem: *Nemo vincula contemnat ecclesiastica: non est enim homo, qui ligat, sed Christus, qui nobis dedit hanc ligandi potestatem, & efficiens, ut homines in sua potestate habeant tantum honorem.* Apùd Mutianum eadem ferè sunt verba: dumtaxàt discrimen intercedit in postremis, ibi: *Sed Chris-* Can. 31. caus. 11. q. 3.

Christus, qui nobis hanc potestatem dedit, & dominus fecit homines tanti honoris. Ex quibus sanè juvabit Gratianeum canonem emendare.

Can. 26. Caus. 13. q. 2. Iterùm in homilia 26. ad interpretationem cap. 11. epistolæ Pauli argnit Chrisostomus fideles, nimiùm anxios de morte suorum, deque eorumdem cadaveribus, inquiens inter cetera: *Ubicumquè fuerimus sepulti, Domini est terra, & plenitudo ejus. Id planè fit, quod fieri oportet: lugere autèm, & plangere, & deflere eos, qui excesserunt, ex pusillo & abjecto oritur animo.* Mutianus ità fuit interpretatus. *Ubicumquè enim sepeliamur, Domini est terra, & plenitudo ejus, scilicèt, quod oportet fieri, efficitur. Lugere autèm, & deplorare, & lamentari eos, qui de hac vita discedunt, ex pusillanimitate contingit.* Hic est canon 26. caus. 13. quæst. 2.

Can. 77. de pœn. dist. 1. Canon 77. de pœn. dist. 1. refertur ad homiliam 9. ad caput 6. epistolæ Pauli, his verbis apùd Maurinos. *Et post orationem adeò intensam multa opus est eleemosyna. Hoc enim est, quod reddit admodùm validum medicamentum pœnitentiæ; & sicut in medicorum adjumentis est medicamentum, quod multas quidem capit herbas, sed unam, quæ obtinet principatum; ita etiàm in pœnitentia, ipsa est herba, quæ principatum magis obtinet, & ipsa est universum. Audi enim, quid divina dicat scriptura: Date eleemosynam, & omnia erunt vobis munda.* Gratianeus canon potiùs consonat cum interpretatione Mutiani, ibi: *Post orationem autèm sic intensam opus est eleemosyna multa. Medicamentum enim fortius, quod maximè operetur in pœnitentiam, hoc est: & sicut in præceptis medicinæ & adjutoriis est medicamentum, multas quidèm herbas accipiens, unam autèm dominantissimam; sic & in pœnitentia ista herba dominantior, & potentior est, & universum ipsa efficit. Audi enim, quid dicit divina Scriptura; Date eleemosynam, & erunt vobis omnia munda.* Romani Correctores ad eumdem canonem græcum textum adjecerunt, & suam latinam græci textus interpretationem.

Can. 36. de pœn. dist. 3. Canon 36. de pœn. dist. 3. habetur in homil. 31. ad caput 12. Pauli, ubi Chrisostomus, postquàm tradidit, quædam esse peccata gravissima, undè homo per pœnitentiam difficili ratione resurgat, explanat veræ ac germanæ pœnitentiæ qualitates; & postquàm exposuit, quomodò cum fructu Petrus Apostolus pœnitens peccati maculam deleverit, de falsa Judæ, & Esau pœnitentia ità scribit juxtà Maurinos; *Pœnitentiam quoquè egit Judas, sed malè: se quippè strangulavit. Pœnitentiam quoque egit, sicut dixi, Esau: Imò verò nec egit quidem pœnitentiam; ejus enim lacrymæ non erant pœnitentiæ, sed potius insultationis, & iræ. Idquè ostendunt ea, quæ sequuntur.* Et post pauca: *Ne igitur negemus peccata nostra, rogo, neque simus impudentes, ne vel inviti demus pœnas. Audivit Cain à Deo: ubi est Abel frater tuus, & dicit: Nescio: Numquid ego sum custos fratris mei? Vides, quomodò hoc gravius peccatum fecerit. Sed non sic ejus Pater, qui cum audisset, Adam ubi es? inquit, audivi vocem tuam, & timui, quoniàm sum nudus, & me abscondi. Magnum est bonum, assiduè meminisse peccatorum. Delicto nihil ita medetur, ut assidua recordatio.* Paulò alitèr Mutianus, ibi: *Etiàm Judas pœnituit, sed malè, laqueo se namque suspendit. Pœnituit etiàm, sicut jam dixi, & Esau, sed malè, magis autem iste neque pœnituit. Lacrymæ quippè illæ non erant pœnitentiæ, sed animi violenti, & indignationis exortæ, quod ex ejus operibus aperitur.* Et post pauca. *Non igitur negemus, obsecro, peccata nostra, neque nos impudentia duros efficiat: spontè nostra peccata puniamus, ne pendamus non spontè supplicia. Audivit Cain à Deo, ubi est Abel frater tuus? Et dixit: Nescio: numquidnam ego custos sum fratris mei? Vides, quomodò ex hoc peccatum ampliùs operatus est. Nonne & pater ejus similiter? audiens enim etiam ipse, Adam ubi es? dixit: Audivi vocem tuam Domine, & timui, quoniàm nudus sum, & abscondi me. Magnum bonum*

est,

est, ut quis peccata sua agnoscat, & memoriam eorum perseverantèr retineat. Nullum invenitur delictorum tale remedium, sicut eorum continuata memoria. Hanc Mutiani interpretationem Gratianus secutus fuisse videtur.

Can. 128. de cons. dist. 4. Adversùs eos, qui baptisma differebant in postremum vitæ tempus, ut faciliùs naturæ corruptæ indulgerent sub spe remissionis peccatorum in finem vitæ obtinendæ, oravit Chrisostomus in homilia 13. ad caput 7. epistolæ Pauli, ad quam referendus est canon 128. de cons. dist. 4. his verbis apùd Maurinos. *Nàm quandò quispiam ideò peccat, ut sanctum baptisma accipiat in extrema respiratione, sæpè non assequetur. Mihi credite: Non vos terrens dico, quod sum dicturus. Novi multos, quibus hoc accidit, qui propter illuminationis quidèm expectationem multa peccabant; in fine autèm decessus excesserunt inanes. Deus enim propterèà dedit baptisma, ut solveret peccata, non ut peccata augeret. Si quis autèm eo utatur, ut securè magis peccet, hoc est causa socordiæ, & negligentiæ.* Mutiani interpretationem sequutus est Gratianus, apùd quem tamèn ubi legitur *ut solvat peccata.....sit negligentiæ causa*, si ad Mutianeam interpretationem exigere fragmentum velimus, legendum erit: *Ut abluat peccata....fit negligentiæ causa.*

Can. 28. de cons. dist. 5. In homilia 29. ad caput 12. epistolæ Pauli improbat Chrisostomus eos, qui delicias corporis quærentes sese voluptatibus potiùs obruunt, quàm reficiunt, atque inter cetera de moderatione in cibis servanda ità scribit juxtà editionem Maurinorum. *Quod sufficit, est & alimentum, & voluptas. Nihil enim adeò efficit voluptatem, ut cibus rectè confectus. Nihil adeò efficit voluptatem, nihil adeò acumen sensuum, nihil est, quod mordum æquè propulset. Ergò quod sufficit, est & alimentum, & voluptas, & sanitas. Quod verò est plus, quàm par sit, est & damnum, & molestia, & morbus. Nam quæ facit fames, facit etiàm saturitas, atque adeò graviora. Nam illa quidèm paucis diebus abducit, & liberat hominem; hæc verò corpus arrodens, & putrefaciens, longo tradit morbo, & deindè morti gravissimæ.* Hæc verba sunt, quæ Gratianus describere voluit in can. 28. de cons. dist. 5., ubi secutus est Mutiani interpretationem.

De homiliis de Pœnitentia.

Nonnullæ quidèm sunt apùd Chrisostomum homiliæ, quæ titulum præseferunt de pœnitentia, quæ inter germana sancti Viri opera recensentur; ad illas tamèn minimè pertinent, quæ Gratianus descripsit in can. 40. de pœn. dist. 1., atque iterùm in can. 8. de pœn. dist. 3. Habentur ista potiùs in homilia quadam, decem homiliis Chrisostomi de pœnitentia subjecta in editione Parisiensi anni 1687. tom. 5. sub hac inscriptione: *Divi Joannis Chrisostomi de pœnitentia sermo.* Incipit autèm *Provida mente &c.* Certum sanè non est, esse sermonem istum reverà Chrisostomo tribuendum, propterèà Maurini Monachi eum omittere minimè dubitaverunt. Si, quæ à Gratiano in duobus memoratis fragmentis exhibentur, negotium quoddam facessere possent interpreti canonum Ecclesiasticorum, è re esse ducerem, de illo sermone aut admittendo, aut rejiciendo disserere: at quoniam, quæ ibidèm traduntur, & plana sunt, & à rectis Patrum, imò ipsius etiàm Chrisostomi sententiis minimè aliena, satis mihi videtur verba integra sermonis describere, quicumque tandem auctor habeatur, ad quæ deindè Gratianei canones exigantur. Ità ibidèm legitur: *Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libentèr sufferre: Si violentus quærat, quæ habet, non vetat si vestem dirimat, non refragatur: percutienti maxillam præbet alteram: jam angariatus ultrò adjicit, castigatus gratias agit, provocatus tacet, exasperatus blanditur: superiori supplex est, inferiori subjicet, in corde ejus contritio est, in ore ejus confessio, in opere tota humilitas. Hæc est perfecta, & fructifera pœnitudo.*

Can. 40. de pœn. dist. 1 & Can. 8. de pœn. dist. 3.

De homiliis ad populum Antiochenum.

Can. 48. de pœn. dist. 3.

Ex homilia 67. ad populum Antiochenum à Gratiano laudatur canon 48. de pœn. dist. 3., quandò tamèn certò scimus, ad eum populum multo pauciores homilias à Chrisostomo fuisse directas; ea nimirum occasione, qua Antiocheni, seditione facta, imperialem indignationem in se vehementissimè concitaverant. At, cum ab editoribus operum Chrisostomi post illas ad Antiochenos homilias adsutæ deindè aliæ fuerint, priorum homiliarum inscriptio visa est etiàm ad posteriores pertinere; quamobrem qui ex posterioribus homiliis fragmenta decerpserunt, facilè in errorem inducti sunt, ut crederent se posse sic decerpta fragmenta laudare quasi ex homiliis ad Antiochenos. Itaquè homilia illa 67. refertur integra apùd Maurinos propè finem tomi 12., numero 42., imò nec facilè sibi persuaserunt eruditi editores, eamdem homiliam reverà Chrisostomi esse; sed potiùs esse videtur recentioris alicujus auctoris, qui, collectis hinc illinc variis fragmentis ex homiliis Chrisostomi, eam consarcinaverit, & operibus sancti Antistitis inseruerit. Priora homiliæ ejusdem verba hæc sunt, ad quæ erit Gratianeus canon exigendus: *Nemo, dilecti, videns improbos prosperè agentes, turbetur. Non est hic retributio, neque malitiæ, neque virtutis. Quod si aliquando aut nequitiam puniri, aut virtutem remunerari contingat, id non secundum meritum fit, sed simpliciter, & ceu gustus quidem, aut indicium judicii est, ut, qui non credunt resurrectioni, ex iis etiàm, quæ hic fiunt, ad sanam mentem reducantur. Cum ergò viderimus improbum deliciis affluentem, ne concidamus: cum viderimus probum malè patientem, ne turbemur. Illic enim sunt coronæ, illic supplicia, & alioquin non potest malus per omnia malus esse, sed potest ille quædam habere bona: neque bonus per omnia bonus esse, sed quædam habere peccata potest. Cum ergò feliciter agit improbus, in malum capitis sui id vertitur. Ut enim paucorum bonorum, quæ fecit, hic mercede recepta, illic demùm puniatur, ideò id hic accepit. Beatus ille maximè est, qui hic punitur, ut omnibus depositis peccatis probatus, purus, & innoxius abeat.* Non est sanè in hac parte, cur gravitèr de auctore hujus homiliæ conqueramur; descripsit enim eadem ferè ipsa verba Chrisostomi, qualia habentur in genuina ipsius homilia 5. ad caput 3. epistolæ Pauli ad Hebræos, ità latinè exhibita apùd Maurinos. *Ne ergo turbemur: nemo videns, malos benè rem suam gerere, conturbetur. Nequè vitii, nequè virtutis est hic remuneratio. Si quandò autem fiat & vitii, & virtutis remuneratio, non tamèn fit pro meritis, sed solummodò tanquàm gustus judicii, ut, qui resurrectioni minùs credunt, hic quoquè castigentur. Quandò ergò viderimus sceleratum divitem, ne animo concidamus. Quandò viderimus bonum malè patientem, ne conturbemur. Nam illic sunt coronæ, illic supplicia. Alioquin autèm fieri non potest, ut & malus sit omni ex parte malus, sed potest ipse quoquè habere bona aliqua; neque ut bonus sit omni ex parte bonus, sed potest etiàm ipse habere aliqua peccata. Quando ergò rem suam benè gerit sceleratus, scito, hoc evenire in malum ejus capitis. Ut enim paucorum illorum hic accepta remuneratione, illic deindè perfectè puniatur, ea de causa hic accipit. Et ille est maximè beatus, qui hic punitur, ut omnibus depositis peccatis, probatus hinc abeat, & purus, & nulli culpæ affinis.* Non adjicio hoc in loco latinam veterem interpretationem Mutiani, de qua superiùs jam mentionem habui; etenim, præterquamquòd à versione Maurinorum minimè sententia distet, exhibetur ferè eisdem verbis apùd Gratianum in laudato canone 48.

De ceteris capitibus Chrisostomo adscriptis.

Sunt adhùc nonnulla expendenda mo-

monumenta, quæ à Gratiano perperàm adtributa fuerunt Chrisostomo. Hujusmodi in primis est canon 4. caus. 32. quæst. 1., ad quem jure optimo observaverunt Romani Correctores, ea verba pertinere potiùs ad quemdam Pœnitentialem librum, cujus generis innumeri propemodùm prodierunt media Ecclesiæ ætate, & in quibus in omnibus ferè capitibus adjici solebant nomina vetustissimorum Ecclesiæ Patrum. Addiderunt prætereà, nonnihil simile haberi in Concilio Nannetensi, de quo jam sermonem habui in parte 1. cap. 58. Ejus Synodi canone 12. ità definitum invenio. *Si cujus uxor adulterium perpetravit, & hoc à viro deprehensum fuerit, & publicatum, dimittat uxorem, si voluerit, propter fornicationem : illa verò septem annis publicè pœniteat. Vir verò ejus, illa vivente nullatenus aliam accipiat. Quod si voluerit adulteram sibi reconciliare, licentiam habeat ; ità tamèn, ut paritèr cum illa pœnitentiam agat, & exacta pœnitentia, post septem annos ad communionem uterque accedat. Similis forma & in muliere servabitur, si eam vir ejus adulteravit.*

Can. 4. caus. 32. q. 1.

Prætereà jure adnotaverunt Romani Correctores canonem 6. caus. 33. quæst. 4. non reperiri apùd Chrisostomum, sed potiùs apùd Hieronymum ad interpretationem capitis 2. Joelis ibi : *Egrediatur quoquè sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo, ut in tempore jejunii, vocationis, & cœtus, sanctificationis Ecclesiæ, electionis senum, congregationis parvulorum, & sugentium ubera non serviat sponsus, & sponsa operi nuptiali, quibus & lege permissum est, ut ad bella non procedant; undè & Apostolus recedendum parumpèr à coitu præcipit, ut vacare possimus orationi. Ergò qui in castigatione victus, & jejunio, atque eleemosynis dicit se agere pœnitentiam, frustrà hoc sermone promittit, nisi egrediatur de cubili suo, & sanctum purumque jejunium pudica expleat pœnitentia.*

Can. 6. caus. 33. q. 4.

In capite sequenti commodiùs agendum videtur de canone 41. de pœn. dist. 1., cujus verba repetuntur in canone 4. de cons. dist. 4. ; non enim Chrisostomi sunt canones isti, sed potiùs Chromatii. Erratum apùd Gratianum profluit ex nominum similitudine, ex qua Amanuenses facilè pro Chromatio Chrisostomum scripserunt, quemadmodùm etiàm contigit in inscriptione canonis 10. de cons. dist. 4., cujus auctor olim in editionibus Gratiani Chrisostomus legebatur; ubi tamèn hodiè emendatum agnoscimus.

Can. 41. de pœn. dist. 1. & Can. 4. de cons. dist. 4.

CAPUT XVII.

De Chromatio.

Post monumenta Chrisostomi statim subjicio Canones, qui Chromatio aut inscripti fuerunt, aut inscribi debuerunt, cum erratum aliquandò fuerit à Gratiano, qui promiscuè nomine & Chrisostomi & Chromatii ex quadam vocis similitudine usurpavit.

Ex Commentariis in Matthæum.

- *Can. 12. caus. 22. q. 5. ex integris codicibus supplendus.*
- *Can. 13. caus. 22. q. 5. pertinet ad auctorem operis imperfecti in Matthæum.*
- *Can. 41. de pœn. dist. 1.* } *continent veluti quoddam homiliæ Chromatii breviarium.*
- *Can. 4. de cons. dist. 4.* } *continent veluti quoddam homiliæ Chromatii breviarium.*
- *Can. 10. de cons. dist. 4. consonat cum homilia Chromatii.*

FLoruit initio sæculi quinti Chromatius, Patria Romanus, & Aquilejensis Episcopus, quem sanctus Hieronymus in præfatione Paralipomenon

Episcoporum sui temporis sanctissimum, atque doctissimum appellavit. Ejus opera non integra ad nos usquè pervenerunt, sed quædam potiùs fragmenta, quæ extant in Bibliotheca Patrum, inter quæ habetur egregia sanè, & laudè dignissima, homilia in quintum caput, & partem capitis 6. in Matthæi Evangelium ex qua nonnulla deprompsisse sanctum Augustinum facilè percipiet is, quicumque Augustini opera cum eo Chromatii sermone contulerit studiosè. Ex eo sermone depromptus est canon 12. caus. 22. quæst. 5., qui olim apùd Gratianum sub nomine Chrisostomi laudabatur, & solertia Romanorum Correctorum in præsentia Chromatio restitutus dignoscitur. Sanè Gratiani verba cum monumento Chromatii consonant. Verùm nonnulla ex integro Chromatii capite supplenda sunt initio canonis. Chronatius ad ea verba capitis 5. Matthæi *Ego autèm dico vobis non jurare omninò*, ait: *Idcircò Dominus non solùm perjerare, sed etiam jurare nos prohibet, ne nùnc tantùm videamur verum dicere, cum juramus, ne quos veraces in omni sermone esse constituit, putaremus, sine juramento licitum esse mentiri; juramenti enim hæc causa est &c.* Quæ sequuntur, integra exhibentur apùd Gratianum.

Can. 12. caus. 22. q. 5.

Romani Correctores cum emendaverunt inscriptionem canonis 12. caus. 22. quæst. 5., & pro nomine Chrisostomi rectè nomen Chromatii substituerunt, minimè immutaverunt inscriptionem sequentis canonis 13., ubi legitur *Idem*, quod sanè ante emendationem Romanam significabat, Chrisostomum esse ejusdem canonis 13. auctorem. Hodiè verò, retenta hujusmodi inscriptione, non Chrisostomi, sed Chromatii esse videtur. Perperàm tamèn; nam apùd Chromatium minimè legitur; nequè aliàs tribuendus est Chrisostomo, nisi ab eo, qui operis imperfecti Chrisostomum esse credat auctorem. Reverà similis sententia habetur apùd auctorem operis imperfecti hom. 12. ad caput 5. Matthæi

Can. 13. caus. 22. q. 5.

his verbis in editione Maurinorum: *Sicùt, qui irascitur fratri suo sine causa, occidit eum in corde suo; & si non occiderit eum propter metum vindictæ, aut propter impotentiam suam, etiàm homicida est apud Deum, qui non magis opus considerat, quàm affectum: sic, qui concupiscit mulierem alienam, jam mœchatus est eam in corde suo; & si non habuerit eam, causa aliqua obsistente, etiàm adulter est apud Deum, qui magis adspicit voluntatem, quàm opus, quoniàm opus ei adulterii committendi defuit, non voluntas.* Deindè post pauca de jurejurando in eadem homilia verba faciens, ait: *Verbo hominibus satisfacimus, conscientia autèm Deo.* Ex his omnibus videtur memoratus canon compositus, & Chrisostomo, quem passim Gratiani temporibus auctorem operis imperfecti credebant, adscriptus. Non ommittam tamèn animadvertere, quædam apùd Tertullianum legi ab eodem Gratiani monumento non absimilia, in libro de Idololatria propè finem; cum enim quidam improbi homines, dummodò verbis nihil pronunciarent, scripto tamèn pejerandi animum proderent, ità à Tertulliano urgebantur: *Præscribit Christus, non esse jurandum. Scripsi, inquit, sed nihil dixi. Lingua, non litera occidit. Hic ergò naturam, & conscientiam advoco*: Et pòst pauca: *Si, inquit, conscientia, vel malitia in cor hominis ascendit, pro facto teneris. Cavisti igitùr, quod in cor tuum planè ascendit.*

Can. 41. de pœn. dist. 1., seu can. 4. de cons. dist. 4.

Verba canonis 41. de pœn. dist 1., quæ à Gratiano repetita legimus in can. 4. de cons. dist. 4., videntur ad Chromatium referenda, quamquàm Gratianus ex errore nominum illa Chrisostomo adscripserit. Sunt autèm veluti breviarium quoddam homiliæ Chromatii, quæ habetur in Bibliotheca Patrum tom. 5. pag. 989. Lugdunensis editionis anni 1677. ad illa verba Matthæi cap. 3. *Ego à te debeo baptizar*; ubi fusiùs traditur, qualis sit Baptismatis à Christo consecrati virtus, atque ità concluditur: *Quia per salutarem Baptismum aquæ, es-*

essemus & filii Dei futuri, & donis sancti Spiritus munerandi, per quem est Patri, & Filio laus, & gloria in sæcula seculorum. Non immoror diutiùs in recensendo integro Chromatii monumento, vel quòd nimis prolixum sit, vel quòd in laudatis Gratiani fragmentis nihil occurrat, quod difficultatem faciat; sed potiùs quod & cum Chromatii, & cum universorum veterum Patrum sententia apprimè conveniat.

Can. 10. de cons. dist. 4. Ad eamdem Chromatii homiliam pertinet canon 10. de cons. dist. 4., licèt Gratianus canonem eumdem sub Chrisostomi nomine descripserit. Verba homiliæ hæc sunt: *Quia ergò novum Baptisma daturus erat ad generis humani salutem, & remissionem peccati, prior ipse baptizari dignatus est, non ut peccata deponeret, qui peccatum solus non fecerat, sed ut aquas Baptismi sanctificaret ad diluenda peccata credentium; namquàm enim aquæ Baptismi purgare peccata credentium potuissent, nisi tactu Dominici corporis sanctificatæ fuissent.*

CAPUT XVIII.

De Attico.

Unum tantùm sub Attici nomine extat Gratianeum monumentum.

(*Can. 2. dist. 73. falsò tamèn Attico adscripsus.*

FUit quidèm Atticus Sebastenus ex iis Constantinopolitanæ Ecclesiæ Clericis, qui Chrisostomo, in exilium ejecto, infensos se exhibuerunt, imò & adhùc vivente Chrisostomo circa annum 405. Constantinopolitanum Episcopatum adeptus, undè apùd occidentalem Ecclesiam pro schismatico haberi ab initio debuit; verùm labentibus temporibus post Chrisostomi obitum non mediocria præbuit & pœnitentiæ, & sanctitatis specimina, eamque ob rem Cœlestinus Papa in epistola ad Theodosium juniorem, quæ habetur apùd Labbæum inter acta Concilii Ephesini, eumdem adpellat *reverendissimæ memoriæ virum, catholicæ fidei propugnatorem fortissimum.* Obiit ipse circa annum 425. Apud Gratianum tribuitur ipsi exemplar quoddam formatarum epistolarum in canon 2. dist. 73., quod tamèn apùd Labbæum, ubi plurium formatarum epistolarum exemplaria recenset, potiùs tribuitur VVolfeoni Constantiensi Episcopo his verbis: ΠΥΑΠ: *Sanctissimo in Christo Fratri, summaque dulcedine amplectendo Bernalto Argentariensis Civitatis Episcopo VVolfeon Constantiensis Ecclesiæ Præsul perpetuæ beatitudinis optat in Christo salutem.* ΤΕΝΣ. *De cetero noverit Fraternitas vestra, quòd iste Clericus nomine Anno nostra parecia instructus &c.* Quæ sequuntur consonant cum iis, quæ apùd Gratianum habentur in laudato canone 2., dummodò excipias postrema verba, pro quibus ità legitur apùd Labbæum: *Continet hæc formata epistola summam numeri MCCCXXV.* Ex quibus colligitur, tria menda apùd Gratianum occurrere: Primùm in nomine *Attici*, cujus loco inscribendum erat nomen *VVolfeonis*, secundum in nomine *Ermani*, cujus loco inscribendum erat nomen *Annonis*; postremum in numeralibus notis 1315., quarum loco adponendus erat numerus 1325. Putat Labbæus, referendam eam formulam esse ad annum 817., ex eo quòd in ea tempora inciderit Episcopatus *VVolfeonis*, & eo anno fuerit indictio de-

decima, qua formata eadem scripta fertur, undè facilè colligitur, formam illam longè ab Attici ætate distare. Sanè ne ipse quidèm Gratianus eam tamquam Attici formulam agnovisse videtur: Etenim ante Romanam Correctionem in codicibus Gratianeis ità legebatur in canonis inscriptione: *Incipit epistola formata à* 318. *Episcopis, & Abbatibus Constantinopol. Urbis Episcopo edita*; Correctores Romani pro illis *& Abbatibus* ista substituerunt *& ab Attico* ajentes: *Restitutus est locus ex conjectura, quod perrarò factum est, quoniàm evidenti ratione nitebatur.* Ego potiùs ita restituendam Gratianeam Epigraphen puto: *Incipit epistola formata à* 318. *Episcopis, & à VVolfeone Constantiensis Urbis Episcopo edita.* Voces, ità immutatæ, aut veritati magis consonant, aut verosimili ratione juvantur. Siquidèm facilè contingere potuit, ut pro voce *Constantiensis* legeretur *Constantinopolitanæ*, præsertim si, de more Amanuensium, breviata vox scripta proponatur hoc modo *Constant.* Item facilè contingere potuit, ut pro illis *à VVolfeone* scriberetur *ab Abbatibus*, cum literæ *B*, & *V.* promiscuè à veteribus usurparentur; nec inverosimile videtur, imperitum Amanuensem pro illis verbis *à BBolfeon* transcripsisse *ab Abbatibus*. His puto restitutum auctori suo monumentum. Nondùm tamèn ab Attico discedendum puto, qui quamdam formatam epistolam scripsisse fertur, licèt diversam à Gratianeo exemplari, undè Romani Correctores facilè induci potuerunt, ut Attici nomen inscriberent. Formula Attico tributa refertur à Gratiano, suppresso tamèn Attici nomine, in principio dist. 73. item in collectione vetere Conciliorum, ad calcem Concilii Chalcedonensis, apud Labbæum, quam describere hoc in loco non piget, cum plurimùm prodesse possit ad adsequendam rerum antiquarum notitiam. *Atticus Episcopus qualitèr epistola fiat: Græca elementa, literarum numeros etiam exprimere nullus, qui vel tenuitèr græci sermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis epistolis canonicis, quas mos latinus formatas appellat, aliqua fraus falsitatis temerè præsumeretur, hoc à Patribus* 318. *Niceæ congregatis, saluberrimè inventum est, & constitutum, ut formatæ epistolæ hanc calculationis, seu supputationis habeant rationem, id est, ut assumantur in supputationem prima græca elementa Patris, & Filii, & Spiritus sancti, hoc est* ΠΤΑ, *quæ elementa & octogenarium, & quadrigentesimum, & primum significant numerum. Petri quoquè Apostoli prima litera, id est* Π, *quæ numerum* 80. *significat. Ejus quoquè qui scribit epistolam prima litera; cui scribitur secunda litera; accipientis tertia litera, civitatis quoque, de qua scribitur, quarta; & indictionis, quæcumque est temporis, idem qui fuit numerus assumatur, atque ita his omnibus græcis literis, quæ, ut diximus, numeros exprimunt, in unum ductis, unam, quæcumque fuerit collecta, summa epistola teneat: hanc qui suscipit, omni cum cautela requirat expressè: addat præterea separatim in epistola nonagenarium & nonum numerum, qui secundum græca elementa significat* AMEN. *Valete in Domino.* Hæc eadem recitantur à Reginone in lib. 1. cap. 33. sub nomine Nicænæ Synodi. Sanè, hanc formulam Attici non esse, tria potissimùm demonstrant. Primum, quia eadem non invenitur in vetustis Attici exemplaribus, quæ misit ad Carthaginensem Ecclesiam, ad quam ceteroquin misit acta seu sanctiones Nicæni Concilii, postulantibus Patribus Africanis. Secundò, Attico non satis convenire posse videtur solemnis illa præfatio, qua testatur, Græco Alphabeto numeros designari; frustrà enim ea admonitio Græcis exhibebatur, cum apud illos esset id in vulgari prudentia positum. Postremò nec facilè potuit Atticus eam formulam Concilio Nicæno tribuere, quando ea in actis Concilii non reperitur, neque Atticus errare potuit in re facti ea ætate, qua vivebat, nimirùm non longè dissita à Concilii Nicæni temporibus.

Quid-

Quidquid tamen sit de illius formulæ auctore, certum profectò est, hujusmodi formulas apùd veteres fuisse receptas, octavo præsertim sæculo, & nono. Apud latinos formatæ appellabantur, erantque sive Clericis, sive Laicis Christianis Viatici loco, quoties de una in aliam Diœcesim proficiscerentur, cum per eas commendarentur peregrinantes Episcopo illi, in cujus Diœcesim se recepissent, & in Ecclesiæ communionem ibidem etiam admiterentur. Hinc Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmen. ajebat: *Nobis totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat.* Antiquissima quidèm in Ecclesia fuit harum epistolarum disciplina, utpotè de quibus mentionem fecerunt Concilium Antiochenum can. 7. & 8., & Concilium Carthaginense anni 397. can. 28.: at simpliciores admodùm erant, & tum demùm singularem induere cœperunt formulam, quandò æquè illis hæretici usi sunt, & falsarii prodierunt, qui spurias pro genuinis obtrudebant. Hinc formatæ certis numeris signatæ, nimirùm græcis. Siquidèm apùd Græcos numeri per Alphabeti literas exprimuntur ità, ut prima litera primum numerum significet, secunda secundum, tertia tertium, quarta quartum, quinta quintum, sexta sextum, septima septimum, octava octavum, nona nonum, decima decimum, undecima vigesimum, duodecima trigesimum, tertiadecima quadragesimum, quartadecima quinquagesimum, quintadecima sexagesimum, sextadecima septuagesimum, octavadecima nonagesimum, nonadecima centesimum, vigesima ducentesimum, prima vigesima tercentesimum, atque ità de ceteris centesimum numerum adjiciendo. Quibus suppositis, numeri Græci ità in formulis adponebantur: Primò literæ initiales *Patris*, *& Filii*, *& Spiritus sancti*, *quæ sunt ista* ΠΤΑ, redduntque numerum 80. 400. 1. secundò initialis litera Petri Apostoli Π, reddens numerum 80. Tertiò vox AMEN, quæ reddit hos numeros 1., 40., 8., 50., atque isti omnes numeri erant formatis omnibus communes reddentes simùl juncti 600.. Erant alii numeri unicuique formatæ singulares, & proprii, quatuor. Primus desumebatur ex litera initiali nominis scribentis, secundus ex litera secunda nominis illius, ad quem scribebatur, tertius ex tertia litera nominis illius, qui in formata commendabatur, seu peregrè proficiscentis; quartus demùm ex quarta litera urbis, à qua mittebatur, quibus omnibus postremo loco jungebatur numerus annorum indictionis, qua scribebatur; quos sanè numeros liquet non omnibus formatis esse potuisse communes. Exemplum est in memorata epistola VVolfeonis, his Græcis literis expressa VENΣ: V designabat primam literam nominis VVolfeonis, E secundam literam nominis Bernalti, ad quem scribebatur, N tertiam literam nominis Anno, cujus gratia scribebatur, Σ quartam literam Urbis Constantiensis, à qua scribebatur; qui Græci numeri juncti unà cum decima indictione reddunt numerum 665., qui numerus erat proprius & singularis epistolæ VVolfeonis. Quòd si jungamus numerum, formatis omnibus communem 660., reddetur summa 1325., quam adnotatam reperimus in laudato canone 2. dist. 73., quem, his omnibus prænotatis, atque accuratè perpensis, unusquisque facili negotio interpretabitur.

CA-

CAPUT XIX.

De Augustino.

Tanquàm ex uberrimo fonte plurima exhausit Gratianus ex operibus Augustini, cujus monumenta ex ordine distributa in sequentibus exhibeo.

Sectio 1. de libellis, ad interpretationem Scripturarum pertinentibus.

Ex Lib. de Genesi ad literam.
- *Can.* 31. *de pœn. dist.* 2. *ex libris Retractationum Augustini explicandus.*

Ex Lib. quæstionum super Genesim.
- *Can.* 1. *dist.* 14. *ex integris codicibus emendandus.*
- *Can.* 18. *caus.* 22. *q.* 2. *cum integris codicibus consonat.*
- *Can.* 22. *caus.* 22. *q.* 2. *ex integris codicibus emendandus.*
- *Can.* 12. *caus.* 33. *quæst.* 5. *rectè jam à Romanis Correctoribus emendatus.*

Ex Lib. quæstionum Exodi.
- *Can.* 12. *caus.* 14. *quæst.* 5. *ex integris codicibus emendandus.*
- *Can.* 13. *caus.* 14. *q.* 5. *referendus ad can.* 11. *caus.* 32. *q.* 4.
- *Can.* 14. *caus.* 23. *q.* 5. *jungendus cum can.* 12. *caus.* 14. *q.* 5.
- *Can.* 8. *caus.* 32. *q.* 2. *ex integris codicibus supplendus.*

Ex Lib. quæstionum Levitici.
- *Can.* 4. *caus.* 15. *q.* 1. *ad integram Augustini sententiam exigendus.*
- *Can.* 8. *caus.* 22. *q.* 5. *ex integris exemplaribus supplendus, atque emendandus.*
- *Can.* 1. *caus.* 35. *q.* 7. *ad integram Augustini sententiam exigendus.*

Ex Lib. quæstionum Numerorum.
- *Can.* 1. *caus.* 15. *q.* 1. *ex integris codicibus emendandus.*
- *Can.* 3. *caus.* 23. *q.* 2. *ferè consonat cum integris exemplaribus.*
- *Can.* 14. *caus.* 32. *q.* 2. } *simùl jungendi, atque ex integris codicibus emendandi.*
- *Can.* 15. *caus.* 32. *q.* 2. }
- *Can.* 11. *caus.* 33. *q.* 5. } *simùl jungendi, atque ad integros codices exigendi.*
- *Can.* 16. *caus.* 33. *q.* 5. }
- *Can.* 26. *de cons. dist.* 2. *ex integris codicibus emendandus.*

Ex Lib. quæstionum Deuteronomii.
- *Can.* 5. *caus.* 26. *q.* 2. *consonat cum integris Augustini codicibus.*
- *Can.* 11. *caus.* 32. *q.* 4. *ex integris codicibus supplendus.*
- *Can.* 43. *de pœn. dist.* 3. *est potiùs Gregorii Magni.*
- *Can.* 7. *de pœn. dist.* 4. *consonat cum integris Augustini codicibus.*
- *Can.* 14. *caus.* 33. *q.* 5. *jam à Romanis Correctoribus emendatus.*

Ex Lib. quæstionum in Josue.
- *Can.* 2. *caus.* 23. *q.* 2. *ex integris codicibus emendandus.*

Ex enarrationibus in Psalmos.

In Psalm. 4.
- *Can.* 14. *caus.* 22. *q.* 2. *ex integris codicibus supplendus.*

In Psalm. 10.
- *Can.* 88. *caus.* 1. *q.* 1. *consonat cum integris Augustini codicibus.*

In Psalm. 21.
- *Can.* 51. *de cons. dist.* 2. *non congruit proposito Gratiani.*

Can.

In Psalm. 23. (*Can. 1. caus. 22. q. 2. ex integris codicibus emendandus.*

In Psalm. 30. } *Can. 1. caus. 26. q. 2. ad integram Augustini sententiam exigendus.*

In Psalm. 31. (*Can. 5. de pœn. dist. 1. ex integris codicibus supplendus.*

In Psalm. 32. (*Can. 34. caus. 23. q. 4. ex integris codicibus supplendus.*

In Psalm. 33. (*Can. 92. de cons. dist. 2. ex variis fragmentis inordinatè congestus.*

In Psalm. 36. } *Can. 53. caus. 11. q. 3.* } *consonant cum integris Augustini codicibus.*
Can. 1. caus. 14. q. 3.

In Psalm. 37. } *Can. 54. caus. 11. q. 3. ferè consonat cum integris Augustini codicibus.*

In Psalm. 48. (*Can. 67. de cons. dist. 2. ex integris codicibus emendandus.*

In Psalm. 54. (*Can. 44. de cons. dist. 2. ex variis laciniis compositus.*

In Psalm. 70. } *Can. 12. dist. 88.* } *ex integris codicibus emendandi.*
Can. 35. de pœn. dist. 1.

In Psalm. 81. (*Can. 11. caus. 23. q. 3. ex integris codicibus emendandus.*

In Psalm. 102. } *Can. 8. dist. 86.* } *jungendi cum can. 10. ead. dist. 86.*
Can. 9. dist. 86.
Can. 90. caus. 11. q. 3. ex integris codicibus supplendus.

In Psalm. 103. (*Can. 79. caus. 1. q. 1. à Romanis Correctoribus restitutus.*

In Psalm. 108. } *Can. 1. caus. 23. q. 3. ex integris codicibus supplendus.*
Can. 1. de pœn. dist. 4. ex integris codicibus emendandus.

In Psalm. 147. (*Can. 10. dist. 86. jungendus cum can. 8. & 9. ead. dist. 86.*

In Psalm. 149. (*Can. 1. caus. 33. q. 5. ex integris codicibus emendandus.*

Ex Lib. quæstionum Evangelicarum. } *Can. 4. dist. 41. ex integris codicibus supplendus.*
Can. 16. caus. 23. q. 5. ex integris codicibus emendandus.

Ex Commentar. super Matthæum. } *Can. 45. caus. 11. q. 3. perperàm Augustino tributus.*

Can. 49. caus. 11. q. 3. consonat cum integris Augustini codicibus.
Can. 51. caus. 23. q. 4. ex integris codicibus emendandus.
Can. 29. caus. 24. q. 1. consonat cum integris Augustini codicibus.

Ex Lib. de Sermone Domini in monte. } *Can. 5. caus. 28. q. 1. ex retractationibus Augustini saniùs intelligendus*
Can. 18. caus. 32. q. 5.
Can. 1. caus. 32. q. 6. } *simùl jungendi.*
Can. 4. caus. 32. q. 7.
Can. 6. caus. 32. q. 7.
Can. 21. de pœn. dist. 2. vix lectione varius.

Ex tractatibus, seu in Evangelium, seu in Epistolam Joannis.
Can. 1. dist. 8. ferè consonat cum integris Augustini codicibus.
Can. 2. dist. 41. pertinet ad lib. 2. de vita contemplativa apùd B. Prosperum.
Can. 1. dist. 81. immutato sententiarum ordine exaratus.
Can. 7. dist. 86. ad integram Augustini sententiam exigendus.
Can. 30. caus. 1. q. 1. ex integris codicibus emendandus.
Can. 46. caus. 1. q. 1. ex integris codicibus emendandus.
Can. 54. caus. 1. q. 1. } *cum integris Augustini codicibus consonant.*
Can. 56. caus. 1. q. 1.
Can. 30. caus. 2. q. 7. proposito Gratiani non congruit.

Can. 36. *caus.* 2. *q.* 7. *consonat cum integris Augustini codicibus.*
Can. 19. *caus.* 8. *q.* 1. *ferè consonat cum integris Augustini codicibus.*
Can. 33. *caus.* 11. *q.* 3. *consonat cum integris Augustini codicibus.*
Can. 85. *caus.* 11. *q.* 3. *ex integris codicibus supplendus.*
Can. 12. *caus.* 12. *q.* 1. } *consonant cum integris Augustini codicibus.*
Can. 17. *caus.* 12. *q.* 1. }
Can. 11. *caus.* 22. *q.* 2. *ex integris codicibus supplendus.*
Can. 3. *caus.* 23. *q.* 4. *jungendus cum can.* 12. *caus.* 12. *q.* 1.
Can. 39. *caus.* 23. *q.* 4. *ex integris codicibus supplendus.*
Can. 36. *caus.* 23. *q.* 5. *consonat cum integris Augustini codicibus.*
Can. 6. *caus.* 24. *q.* 1. *ad integros Augustini codices exigendus.*

Sequuntur ex tractat. in Joannem.

Can. 2. *caus.* 32. *q.* 4. *ex integris codicibus emendandus.*
Can. 23. *de pœn. dist.* 1. *referendus ad plura Augustini monumenta.*
Can. 27. *de pœn. dist.* 1. *ferè consonat cum integris Augustini codicibus.*
Can. 3. *de pœn. dist.* 2. *ex integris codicibus supplendus.*
Can. 8. *de pœn. dist.* 2. *ex integris codicibus supplendus*
Can. 16. *de pœn. dist.* 2. *vers.* si quis. *jungendus cum can.* 18. *ead. dist.*
Can. 17. *de pœn. dist.* 2. *jam à Romanis Correctoribus emendatus.*
Can. 18. *de pœn. dist.* 2. *jungendus cum can.* 16. *ead. dist.*
Can. 7. *de pœn. dist.* 3. *consonat cum integris Augustini codicibus.*
Can. 11. *de pœn. dist.* 4. *ex integris codicibus emendandus.*
Can. 47. *de cons. dist.* 2. } *simùl jungendi, atque ad integros codices exigendi.*
Can. 59. *de cons. dist.* 2. }
Can. 63. *de cons. dist.* 2. } *simùl jungendi, atque ad integros codices exigendi.*
Can. 64. *de cons. dist.* 2. }
Can. 66. *de cons. dist.* 2. *ex integris codicibus emendandus.*
Can. 81. *de cons. dist.* 2. *ex integris codicibus emendandus.*
Can. 1. *de cons. dist.* 4. *pertinet ad auctorem Glossæ ordinariæ.*
Can. 26. *de cons. dist.* 4. *ex integris codicibus supplendus, atque emendandus.*
Can. 27. *de cons dist.* 4. *cum integris codicibus penitùs consonat.*
Can. 39. *de cons. dist.* 4. *ex variis Augustini fragmentis compositus.*
Can. 140. *de cons. dist.* 4. *consonat cum integris Augustini codicibus.*

Ex Lib. in Epistolas Pauli.

Can. 25. *de cons. dist.* 5. *consonat cum integris Augustini codicibus.*

Ad Corinthios.

Can. 17. *caus.* 23. *q.* 4. *exigendus ad sermonem* 351. *de utilitate pœnitentiæ.*
Can. 13. *caus.* 31. *q.* 1. *referendus ad lib. de bono viduitatis.*
Can. 5. *caus.* 32. *q.* 7. *referendus ad tib. de serm. Domini in monte.*

Ad Galatas.

Can. 17. *vers.* 1. *caus.* 26. *q.* 7. *jam à Romanis Correctoribus emendatus.*

Ad Titum.

Can. 2. *dist.* 26. *ex integris Augustini codicibus emendandus.*
Can. 2. *caus.* 28. *q.* 3. *idem est cum can* 2. *dist.* 26.
Can. 16. *dist.* 37. *ex integris codicibus supplendus.*

Can.

x Lib. quæstionum veteris, & novi testamenti.

Can. 10. dist. 88. *ex integris codicibus supplendus.*
Can. 96. caus. 1. q. 1. *non dissonat à germanis Augustini sententiis.*
Can. 5. caus. 15. q. 1. *ad integram auctoris sententiam exigendus.*
Can. 9. caus. 32. q. 2. *ex integris codicibus emendandus.*
Can. 5. caus. 33. q. 4. *jungendus cum can.* 10. *dist.* 88.
Can. 13. caus. 33. q. 5. } *ab Augustini sententiis alieni.*
Can. 17. caus. 33. q. 5. }

Sectio 2. de Canonibus, depromptis ex variis homiliis, sive sermonibus.

Ex libello de decem chordis.

Can. 5. caus. 32. q. 6. *consonat cum integris Augustini codicibus.*

Ex reliquis homiliis.

Can. 6. dist. 34. *dubiæ auctoritatis, & ad integros codices exigendus.*
Can. 3. dist. 41. *ex integris codicibus supplendus.*
Can. 23. dist. 45. *apocbryphus, sed ab Augustini sententiis non alienus.*
Can. 8. dist. 71. *apocrhyphus, sed ab Augustini sententiis non omninò alienus.*
Can. 49. caus. 1. q. 1. *perperàm à Gratiano explicatus.*
Can. 58. caus. 1. q. 1. } *simùl jungendi, atque ad integros*
Can. 81. caus. 1. q. 1. } *Augustini codicibus exigendi.*
Can. 8. caus. 1. q. 1. *ad varia Augustini monumenta exigendus.*
Can. 94. caus. 1. q. 1. *apocrhyphus.*
Can. 1. caus. 2. q. 1. } *unà jungendi cum can.* 27. *caus.* 2.
Can. 18. caus. 2. q. 1. } *q.* 7. *& can.* 85. *de pœn. dist.* 1.
Can. 19. caus. 2. q. 1. *ex integris codicibus supplendus.*

Sequuntur ex homiliis.

Can. 27. caus. 2. q. 7. *jungendus cum can.* 1. *&* 18. *caus.* 2. *q.* 1. *& can.* 85. *de pœn. dist.* 1.
Can. 37. caus. 2. q. 7. *incerti auctoris.*
Can. 32. caus. 11. q. 3. *apùd Augustinum desideratur.*
Can. 48. caus. 11. q. 3. *à Romanis Correctoribus restitutus.*
Can. 97. caus. 11. q. 3. *ferè consonat cum integris Augustini codicibus.*
Can. 1. caus. 14. q. 5. *ad integram Augustini sententiam exigendus.*
Can. 3. caus. 14. q. 5. } *incertæ auctoritatis.*
Can. 6. caus. 14. q. 5. }
Can. 14. caus. 14. q. 5. *ad integram Augustini sententiam exigendus.*
Can. 66. caus. 16. q. 1. *Cæsario potiùs, quàm Augustino tribuendus.*
Can. 8. caus. 16. q. 7. *perperàm Augustino tributus.*
Can. 4. caus. 22. q. 1. } *simùl jungendi; itèm jungendi*
Can. 14. caus. 22. q. 1. } *cum can.* 10. *caus.* 22. *q.* 5.
Can. 3. caus. 22. q. 2. }
Can. 9. caus. 22. q. 2. *ad integram Augustini sententiam exigendus.*

Sequuntur ex homiliis.

Can. 3. caus. 22. q. 4. } simùl jungendi, atque ex integro sermone supplendi.
Can. 4. caus. 22. q. 4. }

Can. 5. caus. 22. q. 5. consonat cum integris Augustini codicibus.

Can. 6. caus. 22. q. 5. ex integris Augustini codicibus emendandus.

Can. 10. caus. 22. q. 5. jungendus cum can. 4. & 14. caus. 22. q. 1. & can. 3. caus. 22. q. 2.

Can. 2. caus. 23. q. 1. consonat cum integris Augustini codicibus.

Can. 5. caus. 23. q. 1. perperàm tributus Augustino.

Can. 1. caus. 23. q. 4. referendus ad tres canones hic sequentes.

Can. 4. caus. 23. q. 4. } simùl jungendi sunt; unà etiàm cum can. 1. ead caus. & q.
Can. 8. caus. 23. q. 4. }
Can. 9. caus. 23. q. 4. }

Can. 11. caus. 23. q. 4. consonat cum integris Augustini codicibus.

Can. 12. caus. 23. q. 4. ex integris codicibus supplendus.

Can. 8. caus. 24. q. 3. Gratiani proposito minimè consonat.

Can. 2. caus. 32. q. 6. à Romanis Correctoribus emendatus.

Can. 29. de pœn. dist. 1. paulò varius in diversis codicibus.

Can. 44. de pœn. dist. 1. jungendus cum can. 6. dist. 34.

Can. 63. de pœn. dist. 1. } simùl jungendi, & ad integros Augustini codices exigendi.
Can. 81. de pœn. dist. 1. }

Can. 84. de pœn. dist. 1. ex pluribus Augustini monumentis compositus.

Can. 85. de pœn. dist. 1. jungendus cum can. 1. & 18. caus. 2. q. 1. & can. 27. caus. 2. q. 7.

Can. 13. de pœn. dist. 2. perperàm Augustino tributus.

Can. 20. de pœn. dist. 2. ex integris codicibus emendandus.

Can. 32. de pœn. dist. 2. perperàm tributus Augustino.

Can. 10. de pœn. dist. 3. dubiæ auctoritatis.

Can. 3. de pœn. dist. 4. ex integris codicibus supplendus.

Can. 4. de pœn. dist. 4. exigendus ad sententiam can. 3. ead. dist.

Can. 2. de pœn. dist. 7. } simùl jungendi, atque ex integris codicibus emendandi.
Can. 3. de pœn. dist. 7. }
Can. 4. de pœn. dist. 7. }

Can. 2. caus. 33. q. 4. dubiæ auctoritatis, & variæ lectionis.

Can. 46. de cons. dist. 2. ex Augustini monumentis emendandus.

Can. 58. de cons. dist. 2. } simùl jungendi, & ex integro sermone supplendi.
Can. 70. de cons. dist. 2. }
Can. 75. de cons. dist. 2. }

Can. 90. de cons. dist. 2. ex integro sermone supplendus.

Can. 78. de cons. dist. 4. falsò tributus Augustino.

Can. 105. de cons. dist. 4. falsò tributus Augustino.

Sec-

Sectio 3. de libris, editis ad institutiones fidei, aut morum; itèm adversùs hæreticos.

Ex Lib. de Doctrina Christiana.
- *Can. 6. dist. 19. ex integris Augustini codicibus emendandus.*
- *Can. 1. dist. 41. paulò varius in diversis codicibus.*
- *Can. 6. caus. 26. q. 2. ex integris codicibus supplendus.*
- *Can. 33. de cons. dist. 2. ferè cum integris codicibus consonat.*

Ex Lib. de Dogmatibus Ecclesiasticis.
- *Can. 3. de pœn. dist. 3. Pelagianum hominem habet auctorem.*
- *Can. 13. de cons. dist. 2. partim Augustini est, partim Pelagiani auctoris.*
- *Can. 28. de cons. dist. 4. Pelagianum hominem habet auctorem.*

Ex Lib. de Disciplina Christiana.
- *Can. 6. caus. 1. q. 3. ex integris codicibus supplendus.*

Ex Lib. de diversis Ecclesiæ observationibus.
- *Can. 6. caus. 23. q. 1. referendus ad can. 3. caus. 23. q. 1. aut ad can. 13. caus. 23. q. 5.*

Ex Enchiridio.
- *Can. 11. dist. 38. ferè consonat cum integris operis exemplaribus.*
- *Can. 11. dist. 45. consonat cum integris libri exemplaribus.*
- *Can. 23. caus. 13. q. 2. consonat cum integris libri exemplaribus.*
- *Can. 4. caus. 22. q. 2. ex integris codicibus emendandus.*
- *Can. 6. caus. 22. q. 2. consonat cum integris libri exemplaribus.*
- *Can. 7. caus. 22. q. 2. jungendus cum can. 4. ead. caus. & quæst.*
- *Can. 17. caus. 26. q. 7. consonat cum integris libri exemplaribus.*
- *Can. 18. de pœn. dist. 3.* } *consonant cum integris libri*
- *Can. 19. de pœn. dist. 3.* } *exemplaribus.*
- *Can. 20. de pœn. dist 3. ex integris exemplaribus emendandus.*
- *Can. 133. de cons. dist. 4.* } *consonant cum integris libri*
- *Can. 134. de cons. dist. 4.* } *exemplaribus.*
- *Can. 135. de cons. dist. 4. ex integris exemplaribus emendandus.*

Ex Lib. de catechizandis rudibus.
- *Can. 12. dist. 38. ex integris codicibus emendandus.*

Ex Lib. de Fide Christiana.
- *Can. 8. dist. 11. exigendus ad epistolam Augustini ad Januarium.*
- *Can. 55. caus. 1. q. 1.* } *sunt potiùs Fulgentii Ruspensis.*
- *Can. 3. caus. 15. q. 1.* }

Ex Lib. de Fide & operibus.
- *Can. 18. caus. 23. q. 4. jam à Romanis Correctoribus emendatus.*
- *Can. 4. caus. 28. q. 1. ex integris codicibus emendandus.*
- *Can. 5. caus. 34. q. 1. consonat cum integris Augustini codicibus.*

Ex Lib. de vera Religione.
- *Can. 3. dist. 4. consonat cum integris Augustini codicibus.*
- *Can. 14. dist. 38. ex integris codicibus supplendus, atque emendandus.*

Can.

Ex Lib. de utilitate credendi.
- *Can. 28. caus. 24. q. 3. consonat cum integris Augustini codicibus.*

Ex Lib. de Symbolo.
- *Can. 62. de cons. dist. 4. ex integris codicibus supplendus, atque emendandus.*

Ex Lib. ad Neophytos.
- *Can. 73. de cons. dist. 4. falsò tributus Augustino.*

Ex Lib. de Civitate Dei.
- *Can. 11. dist. 9. parùm congruit proposito Gratiani.*
- *Can. 11. caus. 8. q. 1. ex integris codicibus emendandus.*
- *Can. 8. caus. 15. q. 1. consonat cum optimis libri exemplaribus.*
- *Can. 9. caus. 23. q. 5.* / *Can. 13. caus. 23. q. 5.* — *simùl jungendi.*
- *Can. 37. caus. 23. q. 5. jam à Romanis Correctoribus emendatus.*
- *Can. 33. caus. 23. q. 8. partim ad Hieronymi, partim ad Augustini sententias exigendus.*

Sequuntur

Ex Lib. de Civit. Dei.
- *Can. 7. caus. 26. q. 2.* / *Can. 14. caus. 26. q. 5.* — *ad varia tum Rabani, tum Augustini monumenta exigendi.*
- *Can. 3. caus. 32. q. 5.* / *Can. 4. caus. 32. q. 5.* / *Can. 5. caus. 32. q. 5.* — *simùl jungendi, & ad integros Augustini codices exigendi.*
- *Can. 1. caus. 35. q. 1. ex integris codicibus emendandus.*
- *Can. 32. de cons. dist. 2. ad varia Augustini loca jam exactus.*

Ex Lib. de Unitate Ecclesiæ.
- *Can. 40. §. de persecutione caus. 23. q. 4.* / *Can. 35. caus. 23. q. 5.* — *incertæ auctoritatis.*

Ex Lib. de Summo Bono.
- *Can. 47. caus. 11. q. 3. consonat cum integris Augustini codicibus.*

Ex Lib. de Trinitate.
- *Can. 3. dist. 9. ferè consonat cum integris Augustini codicibus.*
- *Can. 95. caus. 1. q. 1. perperàm Gratiani proposito accommodatus.*
- *Can. 60. de cons. dist. 2.* / *Can. 30. de cons. dist. 3.* — *consonant cum integris Augustini codicibus.*

Ex Lib. contra Secundinum.
- *Can. 51. caus. 11. q. 3. parùm accommodatus proposito Gratiani.*

Ex Lib. contra Manichæos.
- *Can. 9. dist. 11. exigendus ad libros contra Faustum.*
- *Can. 4. caus. 23. q. 1. ex libris contra Faustum emendandus.*
- *Can. 31. caus. 24. q. 3. referendus ad libros de Civitate Dei.*
- *Can. 40. caus. 24. q. 3. referendus ad librum de Genesi contra Manichæos.*

Ex Lib. contra Faustum.
- *Can. 13. dist. 37. ex integris codicibus emendandus.*
- *Can. 6. dist. 56. consonat cum integris Augustini codicibus.*
- *Can. 8. caus. 8. q. 1. ex integris codicibus emendandus.*
- *Can. 2. caus. 14. q. 1. ex integris codicibus emendandus.*
- *Can. 9. caus. 15. q. 1. consonat cum integris Augustini codicibus.*
- *Can. 36. caus. 23. q. 4. ex integris codicibus emendandus.*
- *Can. 44. caus. 23. q. 4. jungendus cum can. 36. ead. caus. & quæst.*
- *Can. 15. caus. 23. q. 5. ex integris codicibus emendandus.*
- *Can. 7. caus. 32. q. 4. ex integris codicibus emendandus.*
- *Can. 28. de pœn. dist. 1. ex Augustini codicibus emendandus.*

Can. 15. caus. 35. q. 2. ex integris codicibus supplendus.

Ex Lib. contra adversarium Legis, & Prophetarum.

Can. 12. caus. 31. q. 1. } simùl jungendi, & ad propositum Augustini exigendi.
Can. 1. caus. 32. q. 4. }

Can. 4. dist. 8. } pertinent potiùs ad Episcopos Concilii Carthaginensis sub Cypriano.
Can. 6. dist. 8. }

Can. 7. dist. 8. partim Cypriani, partim Augustini sententiam exhibet.

Can. 8. dist. 9. ex integris codicibus supplendus.

Can 9. dist. 56. ad integ am Augustini sententiam exigendus.

Can. 32. caus. 1. q. 1. à Romanis Correctoribus emendatus.

Can. 33. caus. 1. q. 1. paulò varius in aliis codicibus.

Can. 35. caus. 1. q. 1. ex integris Augustini codicibus emendandus.

Can. 37. caus. 1. q. 1. consonat cum integris Augustini codicibus.

Can. 38. caus. 1. q. 1. emendandus ex integris Augustini codicibus.

Ex Lib. de Baptismo contra Donatistas.

Can. 39. caus. 1. q. 1. ex integris Augustini codicibus supplendus.

Can. 47. caus. 1. q. 1. in parte Augustini est, in parte Gratiani.

Can. 48. caus. 1. q. 1. ex integris Augustini codicibus emendandus.

Can. 74. caus. 1. q. 1. ex integra Augustini sententia explicandus.

Can. 35. caus. 2. q. 7. ex integris Augustini codicibus supplendus.

Can. 21. caus. 6. q. 1. à Gratiani proposito alienus.

Can. 14. caus. 23. q. 4. exhibet potiùs Cypriani sententiam.

Can. 20. caus. 24. q. 1. ab Augustino retractatus.

Can. 21. caus. 24. q. 1. perperàm olim cum can. 20. Hieronymo tributus.

Can. 40. caus. 24. q. 1. jam à Romanis Correctoribus emendatus.

Can. 68. de cons. dist. 2. consonat cum integris Augustini codicibus.

Can. 31. de cons. dist. 4. ex integris Augustini codicibus supplendus.

Can 32. de cons. dist. 4. ex integris Augustini codicibus emendandus.

Can. 34. de cons. dist. 4. in parte ab eodem Augustino retractatus.

Can. 40. de cons. dist. 4. ex integris Augustini codicibus emendandus.

Can. 41. de cons. dist. 4. ex variis Augustini capitibus emendandus.

Can. 42. de cons. dist. 4. ex integris Augustini codicibus emendandus.

Can. 45. de cons. dist. 4. jam à Romanis Correctoribus emendatus.

Can. 46. de cons. dist. 4.
Can. 47. de cons. dist. 4.
Can. 48. de cons. dist. 4.
Can. 50. de cons. dist. 4.
} consonant cum integris Augustini codicibus.

Can. 72. de cons. dist. 4. recta interpretatione expendendus.

Can. 77. de cons. dist. 4. jungendus est cum can. 34. de cons. dist. 4.

Sequuntur ex Lib. de Bapt. cont. Donat.

Can. 149. de cons. dist. 4. ex integris Augustini codicibus supplendus.

Can. 151. de cons. dist. 4. ex integris Augustini codicibus supplendus.

Ex Epist. 105. ad Donatistas.

Can. 98. caus. 11. q. 3. ex duobus Augustini monumentis compositus.

Can. 2. caus. 23. q. 6. ex integris codicibus emendandus.

Ex Epist. 152. ad eosdem.

Can. 7. caus. 23. q. 4. plures Africanos Antistites habet auctores.

Ex alia Epistola ad eosdem.

Can. 43. de cons. dist. 4. partim pertinet ad epistolam ad Vincentium Donatistam, partim ad epist. ad Bonifacium.

Ex Lib. de Baptismo contra Petilianum.

Can. 49. de cons. dist. 4. ex Augustini monumentis emendandus.

Ex Lib. contra Cresconium.

Can. 52. caus. 23. q. 4. à Romanis Correctoribus emendatus.

Can. 25. de cons. dist. 4. consonat cum integris Augustini codicibus.

Can. 83. de pœn. dist. 1. ex integris Augustini codicibus emendandus.

Can. 2. de cons. dist. 4. ex integris Augustini codicibus emendandus.

Can. 8. de cons. dist. 4. ad integros Augustini codices exigendus.

Can. 132. de cons. dist. 4. ex integris Augustini codicibus emendandus.

Ex Lib. de Baptismo parvulorum, se de Peccatorum meritis, & remissione.

Can. 136. de cons. dist. 4.
Can. 137. de cons. dist. 4.
} simùl jungendi, atque emendandi.

Can. 138. de cons. dist. 4.
Can. 139. de cons. dist. 4.
} simùl jungendi, atque emendandi.

Can. 141. de cons. dist. 4. ad integros Augustini codices exigendus.

Can. 142. de cons. dist 4. ex integris Augustini codicibus emendandus.

Can. 143. de cons. dist. 4. ad integros Augustini codices exigendus.

Can. 144. de cons. dist. 4. consonat cum integris Augustini codicibus.

Can. 146. de cons. dist. 4. ex integris Augustini codicibus emendandus.

Can. 78. caus. 1. q. 1. consonat cum integris Augustini codicibus.

Can. 97. caus. 1. q. 1. ex integris Augustini codicibus emendandus.

Ex

Ex Libris contra Epistolam Parmeniani.
- Can. 98. caus. 1. q. 1. ex integris Augustini codicibus emendandus.
- Can. 5. caus. 23. q. 4. / Can. 6. caus. 23. q. 4. — simùl jungendi.
- Can. 19. caus. 23. q. 4. / Can. 32. caus. 23. q. 4. — simùl jungendi.

Ex Lib. contra Vincentium Victorem, seu de anima.
- Can. 4. dist. 9. ex Augustini codicibus emendandus.
- Can. 148. de cons. dist. 4. ex integris Augustini codicibus supplendus.

Ex Lib. contra literas Petiliani.
- Can. 7. dist. 10. consonat cum integris Augustini codicibus.
- Can. 36. caus. 1. q. 1. Gratiani proposito minimè congruit.
- Can. 87. caus. 1. q. 1. ad integram Augustini sententiam exigendus.
- Can. 4. caus. 23. q. 3. ex integris Augustini codicibus supplendus.
- Can. 40. caus. 23. q. 4. ex integris Augustini codicibus supplendus.
- Can. 10. caus. 23. q. 5. ad integram Augustini sententiam exigendus.
- Can. 33. caus. 23. q. 5. ex integris Augustini codicibus emendandus.
- Can. 34. caus. 23. q. 5. / Can. 2. caus. 23. q. 7. — consonant cum integris Augustini codicibus.

Ex Lib. de libero arbitrio.
- Can. 41. caus. 23. q. 5. ad integros Augustini codices exigendus.
- Can. 6. princ. caus. 32. q. 5. ex variis sententiis compositus.
- Can. 30. de pœn. dist. 1. à Gratiano perperàm explicatus.
- Can. 7. de cons. dist. 4. ex integris codicibus emendandus.

Ex lib. de Gratia, & libero arbitrio.
- Can. 16. princ. de pœn. dist. 2. ex Augustini codicibus supplendus.
- Can. 145. de cons. dist. 4. ex Augustini codicibus emendandus.

Ex Lib. de Prædestinatione, & Gratia.
- Can. 22. caus. 23. q. 4. perperàm adscriptus Augustino.

Ex Lib. contra duas Epistolas Pelagianorum.
- Can. 130. de cons. dist. 4. ex integris codicibus supplendus.

Ex Lib. de Correptione, & Gratia.
- Can. 20. caus. 23. q. 4. consonat cum integris exemplaribus.
- Can. 17. caus. 24. q. 3. jam à Romanis Correctoribus emendatus.
- Can. 25. de pœn. dist. 2. / Can. 26. de pœn. dist. 2. / Can. 27. de pœn. dist. 2. — ex integris Augustini codicibus supplendi.
- Can. 41. de pœn. dist. 2. ex integris codicibus emendandus.
- Can. 42. de pœn. dist. 2. / Can. 8. de pœn. dist. 4. — ex integris codicibus supplendi.

Ex Lib. contra Julianum.
- Can. 11. caus. 32. q. 1. ex Augustini codicibus emendandus.
- Can. 10. caus. 32. q. 4. ex Augustini codicibus emendandus.

Can. 35. *de cons. dist.* 4. } *simùl jungendi, & juxtà Augustini propositum explicandi.*
Can. 114. *de cons. dist.* 4. }

Ex Lib. sententiarum Prosperi.

Can. 71. *caus.* 1. *q.* 1. *juxtà sententias Prosperi explicandus.*
Can. 37. *de cons. dist.* 2. }
Can. 41. *de cons. dist.* 2. } *sunt potiùs Lanfranci Cantuariensis.*
Can. 48. *de cons. dist.* 2. }
Can. 52. *de cons. dist.* 2. }
Can. 65. *de cons. dist.* 2. *ad germana Augustini monumenta facile exigendus.*
Can. 150. *de cons. dist* 4. *ad germana Augustini monumenta facilè exigendus.*

Ex Lib. ad Orasium.

Can. 29. *de cons. dist.* 4. *falsò tributus Augustino.*

Ex Lib. de Mendacio, & contra Mendacium.

Can. 8. *caus.* 22. *q.* 2. *ex integris Augustini codicibus emendandus.*
Can. 15. *caus.* 22. *q.* 2. *jure à Romanis Correctoribus emendatus.*
Can. 17. *caus.* 22. *q.* 2. *ex integris Augustini codicibus emendandus.*

Ex Lib. de Sancta Virginitate.

Can. 3. *caus.* 14. *q.* 1. *non benè congruit Gratiani proposito.*
Can. 6. *vers. ult. caus.* 32. *q.* 5. *consonat cum integris Augustini codicibus.*

Ex Lib. de Continentia.

Can. 42. *de pœn. dist.* 1. *ex Augustini codicibus emendandus.*

Ex Lib. de Bono viduitatis.

Can. 2. *dist.* 27. *apocryphus, & ad integrum Augustini monumentum exigendus.*
Can. 56. *caus.* 11. *q.* 3. *ex integris Augustini codicibus supplendus.*
Can. 33. *caus.* 27. *q.* 1. *ex integris codicibus emendandus.*
Can. 41. *caus.* 27. *q.* 1. *à Romanis Correctoribus jam emendatus.*

Ex Lib. de Bono conjugali.

Can. 3. *dist.* 56. *consonat cum integris Augustini codicibus.*
Can. 9. *caus.* 14. *q.* 5. *jungendus cum can.* 5. *caus.* 32. *q.* 2.
Can. 20. *caus.* 22. *q.* 4. } *simùl jungendi, & ad integros Augustini codices exigendi.*
Can. 21. *caus.* 22. *q.* 4. }
Can. 21. *caus.* 27. *q.* 1. *referendus ad can.* 41. *caus.* 27. *quæst.* 1.
Can. 3. *caus.* 32. *q.* 2. *consonat cum integris Augustini codicibus.*
Can. 5. *caus.* 32. *q.* 2. *jungendus cum can.* 9. *caus.* 14. *q.* 5.
Can. 6. *caus.* 32. *q.* 2. *jungendus cum can.* 21. *caus.* 22. *q.* 4.
Can. 8. *caus.* 32. *q.* 4. *jungendus cum can.* 3. *dist.* 56.
Can. 1. *caus.* 32. *q.* 7. *ex integris codicibus Augustini supplendus.*
Can. 11. *caus.* 32. *q.* 7. *ex integris Augustini codicibus emendandus.*
Can. 27. *caus.* 32. *q.* 7. *ex integris Augustini codicibus supplendus.*

Ex Lib. contra Jovinianum.

Can. 14. *caus.* 32. *q.* 7. *ad varias Augustini sententias exigendus.*

Can.

Ex Lib. de Nuptiis, & concupiscentia.

- *Can. 9. caus. 27. q. 2. ex integris Augustini codicibus supplendus.*
- *Can. 10. caus. 27. q. 2. jungendus cum canone præcedente.*
- *Can. 2. caus. 31. q. 1. jungendus cum can. 28. caus. 32. q. 7.*
- *Can. 7. caus. 32. q. 2. ex optimis codicibus emendandus.*
- *Can. 28. caus. 32. q. 7. jungendus cum can. 2. caus. 31. q. 1.*
- *Can. 6. de cons. dist. 4. cum integris Augustini codicibus consonat.*

Ex Lib. de Adulterinis conjugiis.

- *Can. 6. caus. 28. q. 1. tribuendus potiùs auctori libri Pastoris.*
- *Can. 8. caus. 28. q. 1. consonat cum integris Augustini codicibus.*
- *Can. 9. caus. 28. q. 1. ex integris Augustini codicibus supplendus.*
- *Can. 7. caus. 32. q. 1. paulò varius in diversis codicibus.*
- *Can. 8. caus. 32. q. 1. ab Augustino alibi retractatus.*
- *Can. 16. caus. 32. q. 5. consonat cum integris Augustini codicibus.*
- *Can. 4. caus. 32. q. 6. ex integris codicibus supplendus.*
- *Can. 2. caus. 32. q. 7. jam à Romanis Correctoribus emendatus.*
- *Can. 10. caus. 32. q. 7. ex integris Augustini codicibus supplendus.*
- *Can. 11. caus. 32. q. 7. pertinet ad librum de bono conjugali.*
- *Can. 1. caus. 32. q. 8. consonat cum optimis Augustini codicibus.*
- *Can. 9. caus. 33. q. 2. ex integris Augustini codicibus supplendus.*
- *Can. 12. caus. 33. q. 4. ex integris codicibus emendandus.*

Ex Lib. de conflictu vitiorum, & virtutum.

- *Can. 13. caus. 22. q. 2.*
- *Can. 20. caus. 27. q. 1.*

} *falsò adscripti Augustino.*

Ex Lib. de fide pactionis, & consensus.

- *Can. 51. caus. 27. q. 2. falsò adscriptus Augustino.*

Ex Lib. de Patientia.

- *Can. 49. de pœn. dist. 3. consonat cum aliis Augustini monumentis.*

Ex Lib. de Pœnitentiæ Medicina.

- *Can. 96. de cons. dist. 4. referendus est ad can. 81. de pœn. dist. 1.*
- *Can. 75. caus. 11. q. 3. jungendus cum can. 18. caus. 2. q. 1.*

Ex Lib. de vera & falsa Pœnitentia.

- *Can. 5. dist. 25. consonat cum aliis germanis Augustini monumentis.*
- *Can. 88. de pœn. dist. 1. jungendus cum can. 1. dist. 6. de pœn.*

Apocryhi omnes.

- *Can. 4. de pœn. dist. 1. ex optimis exemplaribus emendandus.*
- *Can. 5. de pœn. dist. 3. consonat cum optimis exemplaribus.*
- *Can. 32. de pœn. dist. 3. ex optimis exemplaribus emendandus.*
- *Can. 42. de pœn. dist. 3. consonat cum optimis exemplaribus.*
- *Can. 45. de pœn. dist. 3.*
- *Can. 1. de pœn. dist. 5.*

} *siuùl jungendis & emendandi.*

- *Can. 1. de pœn. dist. 6. jungendus cum can. 88. de pœn. dist. 1.*
- *Can. 6. de pœn. dist. 7. consonat cum integris exemplaribus.*
- *Can. 4. dist. 86.*
- *Can. 1. caus. 5. q. 5.*

} *referendi ad epistolam ad Seleucianam, in qua non de Clericis agitur, sed de Sanctimonialibus.*

- *Can. 10. caus. 12. q. 1. ex integrisi Augustini codicibus emendandus*

Ex Lib. de vita communi Clericorum.
- *Can.* 11. *caus.* 12. *q.* 1. *referendus ad laudatam epistolam ad Seleucianam.*
- *Can.* 18. *caus.* 12. *q.* 1. *consonat cum optimis exemplaribus.*
- *Can.* 8. *caus.* 13. *q.* 2. *ex integris codicibus supplendus.*
- *Can.* 43. *caus.* 17. *q.* 4. *jungendus cum can.* 8. *caus.* 13. *q.* 2.
- *Can.* 12. *caus.* 32. *q.* 5. *referendus ad laudatam epistolam ad Seleucianam.*

Ex Regula Monachorum.
- *Can.* 7. *dist.* 42. *ad integros Augustini codices exigendus.*

Ex Lib. de agenda cura pro mortuis.
- *Can.* 19. *caus.* 13. *q.* 2. *consonat cum integris Augustini codicibus.*
- *Can.* 29. *caus.* 13. *q.* 2. *ex optimis exemplaribus emendandus.*

Ex Lib. de natura, & divinat. dœmonum.
- *Can.* 1. *caus.* 26. *q.* 3.
- *Can.* 2. *caus.* 26. *q.* 3.
- *Can.* 3. *caus.* 26. *q.* 3.

unà jungendi.

Sectio 4. de variis Epistolis, ad plures directis.

Ex Epist. ad Armentarium, Riparium, & Paulinam.
- *Can.* 6. *caus.* 33. *q.* 5. *in inscriptione emendandus.*

Ex Epist. ad Aurelium Episcopum.
- *Can.* 1. *dist.* 44.
- *Can.* 36. *caus.* 16. *q.* 1.

consonant cum integris Augustini codicibus.

Ex Epist. ad Auxilium, seu Auxentium; item ex Epistol. ad Classicianum.
- *Can.* 1. *caus.* 24. *q.* 3. *ex integris Augustini codicibus emendandus.*
- *Can.* 10. *caus.* 1. *q.* 4. *referendus ad can.* 1. *caus.* 24. *q.* 3.
- *Can.* 87. *caus.* 11. *q.* 3. *ad integra Augustini monumenta exigendus.*

Ex Epist. ad Bonifacium Comitem.
- *Can.* 1. *dist.* 9. *consonat cum can.* 98. *caus.* 11. *q.* 3.
- *Can.* 23. *dist.* 50.
- *Can.* 24. *dist.* 50.

non sunt Augustini, sed veluti sequentis canonis breviaria.

- *Can.* 25. *dist.* 50. *perperàm à Gratiano explicatus.*
- *Can.* 28. *caus.* 12. *q.* 1. *referendus ad can.* 3. *caus.* 23. *q.* 7.
- *Can.* 2. *caus.* 23. *q.* 3. *ex integris Augustini codicibus emendandus.*

Ex Epist. 50.
- *Can.* 24. *caus.* 23. *q.* 4. *ex variis Augustini epistolæ fragmentis compositus.*
- *Can.* 42. *caus.* 23. *q.* 4.
- *Can.* 43. *caus.* 23. *q.* 4.
- *Can.* 48. *caus.* 23. *q.* 5.

jam à Romanis Correctoribus emendati.

- *Can.* 1. *caus.* 23. *q.* 6. *juxtà præcipuum Augustini propositum explicandus.*
- *Can.* 3. *caus.* 23. *q.* 7. *jungendus cum can.* 28. *caus.* 12. *q.* 1.
- *Can.* 4. *caus.* 23. *q.* 7. *ad integros Augustini codices exigendus.*

Ex Epist. 70.
- *Can.* 2. *caus.* 17. *q.* 2. *ex integris Augustini codicibus emendandus.*

Ex Epist. 187.
- *Can.* 8. *caus.* 17. *q.* 4. *perperàm Augustino tributus.*

Ex Epist. 205. — Can. 3. caus. 23. q. 1. consonat cum integris Augustini codicibus.

Ex Epist. ad Bonifacium Episcopum. — Can. 8. caus. 1. q. 4.; Can. 33. de cons. dist. 4.; Can. 76. de cons. dist. 4.; Can. 129. de cons. dist. 4. — simùl jungendi, atque ad integram Augustini epistolam exigendi.

Ex Epist. ad Casulanum. — Can. 7. dist. 11. ad integram Augustini epistolam exigendus.

Can. 80. caus. 11. q. 3. est potiùs Isidori Hispalensis.

Ex Epist. ad Clerum, & Populum Hipponensem. — Can. 9. dist. 47. cum integris Augustini codicibus consonat.

Can. 12. caus. 2. q. 1.; Can. 50. caus. 11. q. 3. — simùl jungendi, atque ex integra epistola supplendi.

Ex Epist. ad Donatum Presbyterum. — Can. 38. caus. 23. q. 4. à Romanis Correctoribus jam emendatus.

Can. 54. caus. 23. q. 4. referendus ad can. 38. caus. 23. q. 4.

Ex Epist. ad Donatum Proconsulem. — Can. 3. caus. 23. q. 5. ex integra epistola supplendus.

Ex Epist. ad Ecditiam. — Can. 4. caus. 33. q. 5.; Can. 5. caus. 33. q. 5. — simùl jungendi, & ad Augustini codices exigendi.

Ex Epist. ad Emeritum. — Can. 34. caus. 1. q. 1. consonat cum integris epistolæ exemplaribus.

Can. 3. caus. 23. q. 3. à Romanis Correctoribus jam emendatus.

Ex Epist. ad Eudoxium. — Can. 30. caus. 16. q. 1. consonat cum integris epistolæ exemplaribus.

Ex Epist. ad Eusebium. — Can. 39. caus. 24. q. 1. ex integra epistola supplendus.

Ex Epist. ad Festum. — Can. 25. caus. 23. q. 4. ex integra epistola supplendus.

Ex Epistola ad Fortunatianum. — Can. 10. dist. 9. cum optimis epistolæ exemplaribus consonat.

Ex Epistola ad Fortunatum. — Can. 21. de cons. dist. 4.; Can. 36. de cons. dist. 4.; Can. 37. de cons. dist. 4. — perperàm Augustino tributi.

Ex Epistola ad Glorium, Eleusium, & alios. — Can. 29. can. 24. q. 3. hodiè consonat cum epistola Augustini.

Ex Epistola ad Januarium. — Can. 11. dist. 12. ex integra epistola supplendus.

Can. 12. dist. 12. paulò varius in diversis codicibus.

Can. 3. caus. 26. q. 2. paulò varius in diversis codicibus.

Can. 84. vers. ult. de pœn. dist. 1. ad integros codices exigendus.

Can. 13. vers. 1. de cons. dist. 2. in inscriptione emendandus.

Can. 54. de cons. dist. 2. ex integra epistola emendandus.

Ex Epistola ad Hieronymum. — Can. 5. dist. 9. ex integra epistola emendandus.

Can. 7. dist. 9. cum integris epistolæ exemplaribus consonat.

Can. 34. caus. 2. q. 7. ad integram Augustini sententiam exigendus.

Can. 19. de pœn. dist. 2. ex integra epistola supplendus.

Ex Epistola ad Irenæum. — Can. 45. de cons. dist. 2. referendus ad enarrationem in Psalmum 98.

Can. 57. de cons. dist. 2. referendus ad tractatum in evangelium Joannis.

Can.

Ex Epistola ad Julianum Comitem.
- *Can. 2. de pœn. dist. 2. ad sententias Paulini Forojuliensis exigendus.*

Ex Epistola ad Lotharium.
- *Can. 38. caus. 23. q. 5. pertinet ad epistolam, scriptam ad Nectarium.*

Ex Epistola ad Macedonium.
- *Can. 62. dist. 50. exigendus ad can. 22. de pœn. dist. 3.*
- *Can. 71. caus. 11. q. 3. referendus ad can. 15. caus. 14. q. 5.*
- *Can. 11. caus. 14. q. 4. jungendus cum can. 15. caus. 14. q. 5.*
- *Can. 15. caus. 14. q. 5. à Romanis Correctoribus emendatus.*
- *Can. 1. caus. 14. q. 6. ex integra epistola supplendus.*
- *Can. 4. caus. 23. q. 5. à Romanis Correctoribus emendatus.*
- *Can. 5. caus. 23. q. 5. ex Gratiani commentariis depromptus.*
- *Can. 17. caus. 23. q. 5. cum integra epistola consonat.*
- *Can. 18. caus. 23. q. 5. ex integra epistola emendandus.*
- *Can. 19. caus. 23. q. 5. cum optimis codicibus consonat.*
- *Can. 22. de pœn. dist. 3. idem est cum can. 62. dist. 50.*
- *Can. 33. de pœn. dist. 3. paulò varius in diversis codicibus.*

Ex alia Epist. ad Macedonium.
- *Can. 53. caus. 23. q. 4. consonat cum optimis epistolæ exemplaribus.*

Ex Epistola ad Marcellinum Comitem.
- *Can. 1. caus. 23. q. 5. ad optimos codices exigendus.*
- *Can. 2. caus. 23. q. 5. consonat cum optimis epistolæ exemplaribus.*

Ex Epistola ad Maximinum.
- *Can. 108. de cons. dist. 4. consonat cum integris epistolæ exemplaribus.*

Ex Epistola ad Onoratum.
- *Can. 9. caus. 32. q. 5. ad integram Augustini sententiam exigendus.*

Ex Epistola ad Pascentium.
- *Can. 3. caus. 32. q. 6. à Gratiani proposito alienus.*

Ex Epistola ad Petrum Diaconum.
- *Can. 3. de cons. dist. 4. est potiùs Fulgentii Ruspensis.*

Ex Epistola ad Possidium.
- *Can. 38. de cons. dist. 5. à Gratiani proposito alienus.*

Ex Epistola ad Publicolam.
- *Can. 2. 3. 5. 6. 7. 8. 15. & 16. caus. 22. q. 1. ex auctorum codicibus supplendi.*
- *Can. 8. caus. 23. q. 5. ex integris codicibus emendandus.*
- *Can. 10. caus. 26. q. 2. ex integra epistola supplendus.*

Ex Epistola ad quemdam Comitem.
- *Can. 7. caus. 3. q. 7. est potiùs Paulini Forojuliensis.*

Ex Epistola ad Seleucianam.
- *Can. 97. de cons. dist. 4. ad integram Augustini sententiam exigendus.*
- *Can. 147. de cons. dist. 4. varius in diversis codicibus.*

Ex Epistola ad Severum.
- *Can. 22. caus. 22. q. 4. perperàm Augustino adscriptus.*

Ex Epistola ad Valerium.
- *Can. 7. dist. 40. ex Augustini proposito explicandus.*

Ex Epistola ad Victorianum.
- *Can. 7. caus. 32. q. 5. paulò varius in diversis codicibus.*

Ex Epistola ad Vincentium Rogatistam.

- *Can. 9. dist. 9. à Romanis Correctoribus emendatus.*
- *Can. 31. caus. 1. q. 1. consonat cum integris epistolæ exemplaribus.*
- *Can. 1. caus. 1. q. 4.*
- *Can. 2. caus. 1. q. 4.*
- *Can. 2. caus. 5. q. 5.*
- *Can. 10. caus. 23. q. 4.*
- *Can. 37. caus. 23. q. 4.*

  simùl jungendi, & juxtà Augustini propositum explicandi.
- *Can. 41. caus. 23. q. 4. consonat cum optimis codicibus.*
- *Can. 3. caus. 23. q. 6. jungendus cum can. 37. caus. 23. q. 4.*
- *Can 1. caus. 23. q. 7.*
- *Can. 38. caus. 24. q. 1.*

  simùl jungendi, & juxtà Augustini propositum explicandi.
- *Can. 43. de pœn. dist. 1. ex optimis exemplaribus emendandus.*

Sectio 5. de ceteris Augustini monumentis.

Ex Lib. Soliloquiorum.

- *Can. 22. caus. 2. q. 7. perperàm Augustino adscriptus.*

Ex Lib. Confessionum.

- *Can. 2. dist. 8. jungendus cum can. 13. caus. 32. q. 7.*
- *Can. 8. caus. 26. q. 2. ex optimis codicibus emendandus.*
- *Can. 39. caus. 27. q. 2. ex Augustini proposito explicandus.*
- *Can. 13. caus. 32. q. 7. jungendus cum can. 2. dist. 8.*

Adjiciuntur.

- *Can. 6. dist. 9. est potiùs Hieronymi.*
- *Can. 5. dist. 38. est potiùs Abytonis Basileensis.*
- *Can. 29. caus. 1. q. 1. perperàm adscriptus Augustino.*
- *Can. 6. caus. 2. q. 1. non est Augustini, cujus tamèn sententiis consonat.*
- *Can. 32. caus. 2. q. 7. referendus vel ad Eucherium, vel ad Isidorum Hispalensem.*
- *Can. 81. can. 11. q. 3. consonat cum aliquot Augustini monumentis.*
- *Can. 87. caus 11. q. 3. referendus ad epistolam ad Auxilium.*
- *Can. 92. caus 11. q. 3. est potiùs Ambrosii.*
- *Can. 3. caus. 13. q. 2. perperàm adscriptus Augustino.*
- *Can. 16. caus. 13. q. 2. ad dialogos Gregorii Magni referendus.*
- *Can. 1. caus. 17. q. 1. est potiùs Cassiodori.*
- *Can. 10. caus. 22. q. 4. consonat cum sententiis Augustini.*
- *Can. 19. caus. 22. q. 5. referendus ad varios Toletanos canones.*
- *Can. 2. caus. 23. q. 4. consonat cum sententiis Augustini.*
- *Can. 23. caus. 23. q. 4. referendus ad sententias SS. Prosperi, & Fulgentii.*
- *Can. 35. caus. 23. q. 4. referendus ad Bedæ commentaria.*
- *Can. 50. caus. 23. q. 4. referendus ad Gregorium Magnum.*
- *Can. 15. caus. 26. q. 7. est potius Concilii Turonensis.*
- *Can. 16. caus. 26. q. 7. consonat cum variis Augustini sententiis.*
- *Can. 3. caus. 27. q. 2. consonat cum variis Augustini sententiis.*
- *Can. 16. caus. 27. q. 2. perperàm tributus Augustino.*
- *Can. 23. de pœn. dist. 1. pertinet ad tractatum in Joannem.*
- *Can. 14. de pœn. dist. 2. consonat cum aliis Augustini sententiis.*
- *Can. 30. de pœn. dist. 2. ad Augustini monumenta exigendus.*
- *Can. 10. de pœn. dist. 4. consonat cum pluribus Augustini monumentis.*

Can.

Can. 36. de cons. dist. 1. referendus ad epistolam ad Onoratum.
Can. 52. de cons. dist. 1. est Theodulphi Aurelianensis.
Can. 36. de cons. dist. 2. est potiùs Bedæ.
Can. 47. de cons. dist. 2. pertinet ad tractatus in Joannem.
Can. 61. de cons. dist. 2. est potius Bedæ.
Can 62. de cons. dist. 2. referendus ad can. 36. de cons. dist. 2.
Can. 67. de cons. dist. 2. referendus ad enarrationes in Psalmos.
Can. 72. de cons. dist. 2. est potiùs Paschasii Abbatis.
Can. 131. de cons. dist. 4. jungendus cum can. 36. de cons. dist. 2.

AUrelii Augustini, Hipponensis in Africa Episcopi, qui à principio quinti sæculi usquè ad ejus dimidium occidentalem Ecclesiam suo etiàm nomine præclarissimam reddidit, nemo est, qui non sempèr veneratus fuerit & ingenii alacritatem, & dicendi copiam, & rerum propè omnigenam eruditionem cum eximia morum integritate conjunctam. Paucis multa de eo complexus est Cassiodorus in lib. divinarum lectionum cap. 22. ità scribens: *Ipse etiàm Doctor eximius Beatissimus Augustinus, bellator hæreticorum, defensor fidelium, & famosorum palma certaminum in quibusdam libris nimia difficultate reconditur, in quibusdam sic est planissimus, ut etiàm parvulis probetur acceptus, cujus aperta suavia sunt, obscura verò magnis utilitatibus farcita pinguescunt. Hujus autèm ingenii vivacitatem si quis nosse desiderat, libros ipsius confessionum legat, ubi se refert omnes mathematicas disciplinas sine Magistro comprehendisse, quas aliis sub doctis expositoribus vix datur attingere.* Jure propterèà hac in parte gratulandum mihi erit Gratiano, quòd ingentem capitulorum copiam ex tanto Doctore exhaustam studiosis sacrorum canonum cultoribus exhibuerit; quamquàm aliàs & quædam interseruerit vel non satis probè, integrèque descripta, vel spuria, vel etiàm ab ejusdem sententiis penitùs aliena. Singulorum emendationem libentissimè adgredior, quòd in deliciis sempèr habuerim, , in sancti Viri lectione, & grata ejusdem operum meditatione versari: utar autèm editione Maurinorum, tanquàm omnium emendatissima.

SECTIO I.

De libellis, ad interpretationem divinarum literarum pertinentibus.

Multa in primis sunt, quæ sanctus Hipponensis Antistes edidit ad divinarum literarum interpretationem. Usus est ipse versione Interpretum septuaginta, quæ sicuti ea ætate venerabilis erat apùd universos, ità apùd Augustinum jure optimo erat maximi facienda: præsertim quòd interpretationes aliæ passim corruptæ, & depravatæ prodiissent. Sixtus Senensis in lib. 4. Bibliothecæ sanctæ prædicat Augustinum tanquàm *in divinis scripturis longè omnium eruditissimum, & in earum explanatione, ultrà quam dici queat, incomparabili subtilitate sublimem.* Quamquàm verò ipsius opera penè universa exhibeant divinarum literarum pro data occasione editam interpretationem, aliqua tamèn sunt, quæ ex professo ad explicationem divini verbi elucubravit.

De libro de Genesi ad Literam.

Ex libro Augustini de Genesi ad literam laudatur canon 31. de pœn. dist. 2., & quidem ex lib. 6. cap. 34. & seq.; quo in loco sanctus Vir refellebat quorumdam errorem, tradentium, corpus Adæ in Paradiso immutandum fuisse, quotiès Adam non deliquisset, his verbis, paulò alitèr apud Gratianum digestis. *Quomodò ergò, inquiunt, renovari dicimur, si non hoc recipimus, quod perdidit primus homo, in quo omnes mo-* Can. 31. de pœn. dist. 2.

riun-

riuntur ? Hoc planè recipimus secundum quemdam modum. Non itaquè immortalitatem spiritualis corporis recipimus, quam nondùm habuit homo ; sed recipimus justitiam, ex qua per peccatum lapsus est homo. Et infrà : *Dicit itèm Apostolus : Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ejus, induite novum, qui renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem ejus, qui creavit eum. Hanc imaginem in spiritu mentis impressam perdidit Adam per peccatum, quam recipimus per gratiam justitiæ, non spiritale, atque immortale corpus, in quo ille nondùm fuit, & in quo erunt omnes Sancti resurgentes à mortuis ; hoc enim præmium est illius meriti, quod amisit. Proindè illa stola prima, aut ipsa justitia est, undè lapsus est, aut si indumentum corporalis immortalitatis significat, etiàm hanc ille sic amisit, cum propter peccatum ad eam pervenire non potuit.* Ceterùm in his expendendis animadvertendum est, librum de Genesi ad literam non certas exhibere Augustini sententias, cum idem sanctus Vir professus fuerit lib. 2. Retractat. cap. 24., se in eo libro plura quæsiisse, quàm invenerit, atque ex inventis pauca firmavisse, multa in medio reliquisse. Imò, quod singulare est in verbis modò laudatis observandum, Augustinus idem in dicto cap. 24. Retractationum scripsit, suam sententiam moderaturus : *In sexto libro quod dixi, Adam imaginem Dei, secundum quam factus est, perdidisse peccato, non sic accipiendum est, tanquàm in eo nulla remanserit, sed quòd tam deformis, ut reformatione opus haberet.*

De libro quæstionum supèr Genesim.

Iterùm Augustinus cum adgressus fuisset interpretationem, non tàm libri Geneseos, quàm sequentium sex librorum veteris testamenti, variasque quæstiones enodavisset, professus est in lib. 2. Retractationum cap. 55., ea, quæ ibidèm disputata fuerant, magis quæsita fuisse, quàm dissoluta ; quamvis multa plura pertractata exhibeantur, ut possint etiàm soluta & exposita non immeritò judicari. Hinc facilè colligitur, quænam ferenda sententia sit de monumentis, depromptis ex quæstionibus super Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, & Josue, de quibus inferiùs agendum erit. Ex libro 1. Quæstionum super Genesim quæst. 42. depromptus est canon 1. dist. 14., ubi expenditur factum Loth, de quo in cap. 19. Genes. vers. 8. ; illud autèm ait Augustinus imitandum nemini esse. Verba illa priora canonis *Quod ait Sodomitis Loth* in codicibus Augustini desiderantur, in quibus etiàm pro illis Gratiani verbis, *tantum in viros istos ne faciatis iniquum*, legitur : *tantum in viros ne faciatis iniquum.* Can. 1. dist. 14.

In eodem libro quæst. 145. ad interpretationem capitis 44. vers. 15. Genes. leguntur verba canonis 18. caus. 22. q. 2., quæ cum integris codicibus penitùs consonabunt, si omittas particulam *autèm*, quæ legitur in principio apùd Gratianum. Non ità sanè consonant verba canonis 22. eadem causa, & quæstione ; etenim apùd Augustinum in quæst. 26. ad interpretationem cap. 12. Genes. vers. 12. & 14. ità legitur: *Quomodò accipiatur, quòd Abraham veniens in Ægiptum celare voluit, uxorem suam esse Saram secundum omnia, quæ de hac re scripta sunt, utrum hoc convenerit tam sancto Viro, an subdefectio fidei ejus intelligatur, sicut nonnulli arbitrati sunt, jam quidèm, & contra Faustum de hac re disputavi, & diligentiùs à Presbytero Hieronymo expositum est.* Et pòst pauca: *Tacens, quòd uxor esset, sed non mentiens, quòd soror esset, ut caveret quod poterat, quantùm homo poterat, & Deo commendaret, quod cavere non poterat, ne si & illa, quæ cavere poterat, Deo tantùm dimitteret, non in Deum credere, sed Deum tentare potiùs inveniretur.* Similia propemodùm sunt, quæ habentur in lib. 22. contra Faustum cap. 33. & 34., atque aliis in locis ; ad quæ Romani Cor- Can. 18. & caus. 22. q. 2.

rectores non dubitaverunt concludere, canonem etiàm posse referri.

Canon 12. caus. 33. q. 5. legitur in Can. 12. caus. 33. q. 5. q. 153. ejusdem libri, verbis tamèn à Gratiano corruptis, quæ proindè rectè Romani Correctores ad fidem optimorum exemplarium restituerunt.

De libro Quæstionum Exodi.

Can. 12. & 13. caus. 14. q. 5. Juxtà propositam methodum in libro 2. Quæstionum interpretatus fuit Augustinus librum Exodi, cujus in quæst. 39. legitur canon 12. caus. 14. quæst. 5. his verbis: *Deus ad Moysen: loquere ergò secretò in aures populi, & petat unusquisque à proximo vasa aurea & argentea &c.* Reliqua omninò consonant cum Gratianeo canone. De canone sequenti, seu 13. nihil occurrit, quod specialitèr sit adnotandum, postquàm Romani Correctores observaverunt, ejus verba parùm integrè fuisse descripta, potiùs autèm referenda esse ad canonem 11. caus. 32. quæst. 4. Tantùm adjiciam, eumdem canonem 13. descriptum exhiberi in Pœnitentiali Romano Antonii Augustini tit. 4. cap. 3., paululùm immutatis postremis verbis, ibi: *Qui furtum prohibuit, sed sub furti nomine rapinam intelligi voluit; à parte enim totum significavit, quidquid aufertur.*

Can. 14. caus. 23. q. 5. Canon 14. caus. 23. quæst. 5. jungendus est cum nupèr laudato can. 12. caus. 14. quæst. 5., post cujus verba, *sed Deo jubenti ministerium præbuerunt*, statim prosequitur Augustinus: *Quemadmodùm cum minister judicis occidit eum &c.*

Can. 8. caus. 32. q. 2. In eodem libro quæst. 80. legitur canon 8. caus. 32. quæst. 2. ad interpretationem capitis 21. Exodi, vers. 22. de muliere prægnante percussa, quæ, si abortivum fecisset, non damnabatur morte; sed quanti maritus postularet, & arbiter judicaret, luebat qui percussisset, & causam abortui præbuisset. Verba, in canone descripta, eadem sunt cum Augustinianis; quamquàm tamèn Gratianus nonnulla in fine omiserit, propterea ex Augustino supplenda, ibi: *Quia nondùm dici potest anima viva in corpore, quod sensu caret, si talis est in carne nondùm formata, & ideò nondùm sensibus prædita.* Ex hac tum sacrarum veterum literarum institutione, tum præclarorum Patrum interpretatione, puto receptum recentioribus etiàm Constitutionibus rectè fuisse, ut in luendis certis pœnis, abs jure definitis, distinctio probaretur inter fœtum animatum, & inanime, quemadmodùm traditur in cap. 20. de homicidio.

De libro Quæstionum Livitici.

Quæ de superioribus libris habita ratio fuit ab Augustino, eadem adparet in libro Quæstionum in Leviticum, ex quo depromptus est canon 4. caus. 15. quæst. 1. quæst. 74. ad interpretationem capitis 20. Levitici vers. 15. & 16. ibi: *Qui cum jumento, & pecore coierit, morte morietur: pecus quoquè occidite. Mulier, quæ succubuerit cuique jumento, simùl interficitur cum eo*, quæ verba in editione, qua utebatur Augustinus, paulò alitèr describebantur, quemadmodùm liquet ex laudato canone 4. Proponebat ibidèm sanctus Vir quæstionem, cur in ea specie pecus quoquè occidendum esset. At, quod Augustinus quærendo scribebat, & interrogando, Gratianus ità recensuit, quasi quidquam sanctus Antistes definivisset. Verba Augustini post sententiam in Levitico expressam hæc sunt: *Quæritur, quomodò sit reum pecus, cum sit irrationale, nec ullo modo legis capax? An quemadmodùm transferuntur verba modò locutionis, quæ græcè appellatur metaphora, ab animali ad inanimale, sicut dicitur improbus ventus, vel iratum mare, ità & hoc translatum est à rationali ad irrationale? Nàm pecora indè credendum est jussa interfici, quia tali flagitio contaminata indignam refricant facti memoriam?* Hùc usquè Augustinus, non definiens quidquam, sed dubitando controversiam paulispèr explanans. Can. 4. caus. 15. q. 1.

Ex eodem libro quæst. 1. depromptus

Can. 8. caus. 22. q. 5. tus est canon 8. caus. 22. quæst. 5. ad interpretationem cap. 5. vers. 1. Levitici, quod in editione Augustini ità exprimebatur. *Si autèm anima peccaverit, aut audierit vocem jurationis, & ipse testis fuerit, aut viderit, aut conscius fuerit, si non nuntiaverit, & accipiet peccatum.* Ad hæc ità scribebat sanctus Antistes: *Hoc est, si non utiquè nuntiaverit, accipiet peccatum? Quod enim additum est Et, locutionis est usitatæ in scripturis. Verùm iste sensus, quia obscurus est, exponendus videtur; hoc enim videtur dicere &c.* Hinc exorditur Gratianus, cujus verba cum Augustini codicibus consonant, dummodò pro verbis illis *testis fuit.... solvat à peccati vinculo....sive ad corrigendum, sive....adhibeat disciplinam*, legatur, *testis fuerit.....solvat etiàm à peccati vinculo... sive ad corrigendum eum, sive... adhibeat medicinam.*

Can. 1. caus. 35. q. 7. Verba Augustini, quæ habentur in can. 1. caus. 35. quæst. 7. ideò Gratianus retulit, ut ostenderet, filios, ex incestu natos, verè filios appellari non posse, & legitimo succedendi jure carere; quod tamèn vereor, ne Augustinus adfirmaverit potiùs in conspectu Romani juris, quod Augustini ejusdem ætate vigebat, quàm in conspectu Judaicæ disciplinæ, quæ satis comperta in hac parte non est. Sanè sanctus Antistes non adfirmando id tradidit, sed dubitando, neque Gratianus benè distinxit inter dubitantem & adfirmantem. Verba Augustini hæc sunt in quæst. 76. *Quicumque dormierit cum cognata sua, turpitudinem cognationis suæ revelavit, sine filiis morientur. Quæritur quousquè sit intelligenda ista cognatio?* Et post pauca: *Sed quid est, sine filiis morientur? Cum filii ex hujusmodi conjunctionibus &c.* Reliqua eadem sunt, quæ Gratianus descripsit.

De libro Quæstionum Numerorum.

Eadem methodo prosecutus fuit Augustinus Quæstiones in Numeros, ubi quæst. 24. ea tradidit, quæ leguntur in can. 1. caus. 15. quæst. 1., his verbis: *Quod præcipitur, quomodò expientur peccata, quæ non sponte committuntur, merito quæritur, quæ sint ipsa peccata nolentium? utrùm, quæ à nescientibus committuntur, an etiàm possit rectè dici peccatum esse nolentis, quod facere compellitur. Nàm & hoc contra voluntatem facere dici solet, sed utiquè vult propter quod facit, tanquàm si pejerare nolit, & facit, cum vult vivere, si quisquam, nisi fecerit, mortem minetur.* Maurini Monachi ad illa verba *tanquàm si pejerare* ità notant: *editi, & manuscripti, uno excepto Corbejensi codice, carent his verbis: tanquàm si pejerare nolit, & facit.* Hæc necessariò sunt animadvertenda, ut priora Gratiani verba emendentur; cetera enim, quæ in Gratianeo canone consequuntur, omninò consonant cum vulgatis Augustini codicibus. Can. 1. caus. 15. q. 1.

Canon 3. caus. 23. quæst. 2. legitur in quæst. 44. ad caput 21. vers. 24. & 25. Numerorum; ubi tamèn adnotandum est, verba illa *à filiis Israel contra Amorrhæos* adjecta fuisse à Gratiano, ad clariorem brevioris fragmenti explicationem. Can. 3. caus. 23. q. 2.

Simùl jungendi sunt canones 14. & 15. caus. 32. quæst. 2., quorum in primo verba Numerorum cap. 30. recensentur ab Augustino explicata; in secundo subsequitur Augustini ejusdem interpretatio. Hodiè verba canonis 14. exacta leguntur ad recentiorem veteris testamenti editionem, in qua tamèn habetur *voti rea erit*, ubi Gratianus scripsit: *non rea erit.* Vetus scripturæ divinæ editio, quam sequebatur Augustinus, ità exhibebat: *Si autèm mulier voverit votum Domino, aut definiverit definitionem in domo patris sui in juventute sua, & audiverit pater ejus vota ejus, & definitiones ejus, quas definivit adversùs animam suam, non stabunt, & Dominus emundabit eam, quia abnuit pater ejus.* Quibus expressis sequitur statim Augustini quæst., ad quam exigendus est can. 15. Can. 14. & 15. caus. 32. q. 2.

ibi : *Quoniàm quidèm de muliere , quæ adhùc in juventute sua in domo patris est, loquitur , merito hic quæritur etiàm de voto virginitatis ; mulieres quippè etiàm virgines in scriptura appellari solere notissimum est ; & videtur etiàm Apostolus de patre loqui , cum dicit : servet virginem suam , & det nuptui virginem suam , & cetera hoc modo.*

Can. 11. & 26. caus. 33. q. 5. In quæst. 59. ad interpretationem cap. 30. vers. 11. & seq. Numerorum, ubi perspicuè traditur , uxorum vota perfici consensione maritorum , legitur eisdem omninò verbis canon 11. caus. 33. quæst. 5. , cum quo jungendus erit canon 16. eadem causa & quæstione, cujus verba paulò anteà leguntur , ibi: *Feminam sub patre , antequàm nubat , & sub viro nuptam , noluit lex ità vovere aliquid Deo adversùs animam suam , id est, in aliquarum rerum licitarum , atque concessarum abstinentia , ut in eisdem votis feminea valeat* (aliqui codices , testantibus Maurinis Monachis , habent *non valeat*, aliqui etiàm *non prævaleat*) *auctoritas , sed virilis , ità ut , si adhùc innupta jam concesserat pater vota persolvere , si , antequam persolverit , nupserit , & viro ejus hoc cognitum non placuerit , non persolvat, & sit omninò sine peccato , quia mundavit eam , sicut dicit , id est , mundam judicavit. Neque hoc contra Deum fieri putandum est , cum ipse Deus hoc præceperit , hoc voluerit.*

Can. 26. de cons. dist. 2. Canon 26. de cons. dist. 2. legitur in quæst. 40. , ubi expendebantur verba capitis 6. Numerorum , ità descripta in editione , quam sequebatur Augustinus : *Et dixit Dominus ad Moysen , & ad Eleazarum filium Aaron sacerdotem: Tollite thuribula ærea è medio exustorum , & ignem alienum hunc semina ibi : quia sanctificaverunt thuribula peccatorum horum in animabus suis , & fac ea laminas ductiles, circumpositionem altari , quoniam oblata sunt ante Dominum , & sanctificata sunt, & facta sunt in signum filiis Israel.* His exhibitis , & exposita priore divinæ sententiæ parte , ad posteriorem gradum faciens sanctus Antistes , ait : *Et quod addidit ; quia sanctificaverunt thuribula peccatorum horum in animabus suis , locutionè quidèm inusitata expressa sententia est. Sed, notandum novo modo dicta sanctificata pœna eorum &c.* Reliqua , quæ apùd Gratianum sequuntur , consonant cum Augustini codicibus , dummodò pro illis *sed hoc potiùs attendi &c.* , legas : *sed hoc potiùs cogitari , & attendi &c.* Romani Correctores ad illa verba *pro animabus suis* animadverterunt , legi apùd Augustinum *in manibus suis.* Verùm pro Gratianea lectione stat Maurinorum editio , qui ne verbum quidèm adjecerunt de aliorum codicum varietate.

De libro Quæstionum Deuteronomii.

Liber quintus quæstionum in Eptatheucum varias continet quæstiones in Deuteronomium ; & quæst. 19. legitur canon 5. caus. 26. quæst. 2. ad interpretationem cap. 13. vers. 1. 2. & 3. ibi : *Si surrexerit in medio tui Prophetes , aut qui somnium vidisse se dicat , & prædixerit signum , atque portentum , & evenerit , quod locutus est , & dixerit tibi: Eamus , & sequamur Deos alienos , quos ignoras , & serviamus eis ; non audies verba Prophetæ illius , aut somniatoris.* Hæc si cum Gratianeo canone conferas, agnosces , Augustinum ibidèm divinam sententiam explicavisse. Can. 5. caus. 26. q. 2.

Canon 11. caus. 32. quæst. 4. legitur in quæst. 37. ad verba illa Deuteronomii cap. 23. *Non erit meretrix de filiabus Israel , & non erit fornicans à filiis Israel ;* quibus descriptis , ità prosequebatur Augustinus. *Ecce, ubi manifestè prohibuit fornicari & viros & feminas etiàm cum alienis conjugibus , peccatum esse demonstrans misceri non conjugibus suis, quando & meretrices esse ,* (hinc exorditur Gratianus) *& ad meretrices accedere prohibet Dominus , quarum publicè venalis est turpitudo. In decalogo autèm mœchiæ nomine non videtur hoc apertè prohibuisse, quoniàm mœchia non nisi adulterium intel-* Can. 11. caus. 32. q. 4.

li-

ligi solet; *undè* (postrema hæc Gratianus omisit) *quid nobis videretur, ibi tractavimus.* Hæc sanè verba à Gratiano omissa, in causa fuerunt, cur Gratianus idem, aut qui Gratiano auctor extitit, aliò respiceret, sive ad monumentum illud, quod aliàs à se editum Augustinus ipse fatetur. Illa est quæstio 71. lib. 2. in Exodum, ubi expenditur, quidnam mæchiæ nomine in divino Decalogo intelligatur: *Item quæri solet, utrùm mæchiæ nomine etiàm fornicatio teneatur? Hoc enim græcum verbum est, quo jam scriptura utitur pro latino. Mæchos tamèn Græci non nisi adulteros dicunt. Sed utiquè ista lex non solùm viris in populo, verùm etiàm feminis data est. Neque enim quia dictum est: non concupisces uxorem proximi tui, nihil hinc sibi præceptum putare debet femina, & tanquàm licitè concupiscere virum proximæ suæ.... sed utrùm, si faciat, qui uxorem non habet, cum femina, quæ virum non habet, ambo præcepti hujus transgressione teneantur, merito quæritur. Si enim non tenentur, non est prohibita in decalogo fornicatio, sed sola mæchia, id est, adulterium, quamvis omnis mæchia etiàm fornicatio esse intelligitur, sicut loquuntur scripturæ: Dominus enim dicit in Evangelio: Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mæchari. Hic utiquè fornicationem appellavit, si cum alio peccet, quæ virum habet, quod est mæchia, id est, adulterium. Omnis ergò mæchia etiàm fornicatio dicitur in scripturis. Sed utrum &c.* Hic sequuntur, quæ Gratianus descripsit in vers. *omnis mæchia* usquè in finem.

Can. 43. de pœn. dist. 3. Canon 43. de pœn. dist. 3. licèt Augustino à Gratiano tribuatur in Canticum Deuteronomii, Augustini tamèn reverà non est, sed potiùs Gregorii Magni, qui in lib. 18. Moralium cap. 12. agens de peccatoribus, quos Deus in hac vita corripuit, & tandèm inemendatos æternis cruciatibus damnat, ait: *His flagella ab hac vita inchoant, & in æterna percussione perdurant, undè per Mosen Dominus dicit:* (Deuteron. 32.) *ignis exarsit ab ira mea, & ardebit usquè ad inferos deorsùm. Quantùm ad præsentem etenim percussionem spectat, rectè dicitur: ignis exarsit ab ira mea; quantùm verò ad æternam damnationem, mox subditur: & ardebit usquè ad inferos deorsùm.* Et infrà. *Eorum percussio, hic cœpta, illic perficitur, ut incorrectis unum flagellum sit, quod temporaliter incipit, sed in æternis suppliciis consummatur.*

Canon 7. de pœn. dist. 4. legitur in quæst. 42. ex quæstionibus Augustini in Deuteronomium ad ea verba capitis 24. *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur*; quam Dei sententiam de pœna mortis æternæ sanctus Doctor intelligit, allato ad eam rem exemplo originalis culpæ, cujus causa temporali quidèm morti sumus obnoxii, non verò regenerati spiritualem mortem patimur. Can. 7. de pœn. dist. 4.

Canon 14. caus. 33. q. 5. legitur in q. 33. ad explicationem cap. 22. vers. 13. & seq. in Deuteronomio, ubi non plectitur pœna talionis vir accusans feminam, etiamsi fuerit de calumnia convictus. In Gratianea canonis editione nonnulla erant olim depravata; quæ tamèn jam Romani Correctores emendaverunt. Can. 14. caus. 33. q. 5.

De libro Quæstionum in Josue.

Post explicatos priores quinque veteris testamenti libros ampliùs progressus est Augustinus simili quæstionum methodo librum Josue interpretando. Eò pertinet canon 2. caus. 23. quæst. 2. depromptus ex quæstione 10. ubi priora verba ità describuntur apùd Maurinos: *Quod Deus jubet, loquens ad Jesum, ut constituat sibi retrorsùs insidias, id est, insidiantes bellatores ad insidiandum hostibus. Hinc admonemur, non injustè &c.* Can. 2. caus. 23. q. 2.

De Enarrationibus in Psalmos.

Non ordinato opere, servataque methodo adgressus fuit Augustinus enarrationes in Psalmos, sed data occasione,

ne, atque ut privato studio identidèm indulgeret, modò unum, modò alterum Psalmum expendendo. Licèt enim hodiè in vulgatis Augustinianorum operum editionibus ità enarrationes illæ compositæ sint, ut Psalmorum ordini adcommodentur, alitèr tamèn ab initio res se habebat. Hinc vel dicendum est, post obitum Augustini ordinatè illas fuisse dispositas, vel ab ipsomet Augustino, postremam ætatem agente, cujus rei argumentum est, quòd Augustinus in libris Retractationum, ubi de suis operibus singulis mentionem habet, enarrationes in Psalmos silentio præterierit. Ceterùm opus istud, etsi præclarum sua origine sit, & Augustino dignum, in quo arcana Psalmistæ sententia egregiè illustratur, tamèn fato subjacere debuit, cui obnoxiæ fuere universæ propemodùm sancti Viri homiliæ, id est, ut scriptores habuerint minùs integros, quemadmodùm inferiùs suo loco de Augustini homiliis, & sermonibus adnotabitur. Quod puto etiàm in causa fuisse, cur editæ enarrationes Hieronymo satis placere non potuerunt, quemadmodùm jam observavit Sixtus Senensis.

Can. 14. caus. 22. q. 2. Ex enarratione in Psalmum 5. depromptus est canon 14. caus. 22. q. 2. ad interpretationem illorum verborum: *perdes omnes, qui loquuntur mendacium*; & quidèm Gratianeus canon consonat cum codicibus editis Augustini, dummodò pro verbis illis *secundum autèm ideò minus est*, legamus, *secundum autèm ideò minus est*. Quædam tamèn sunt, quæ Gratianus omisit, proindè supplenda; cum post verba illa: *pro corpore alterius*, ità sequatur apùd Augustinum: *si autèm hoc nondùm potest, vel sola hujus necessitatis habet mendacia, ut etiàm ab istis, si sola remanserint, liberari mereatur, & Spiritus sancti robur accipere, quo, quidquid perpetiendum est, pro veritate contemnat. Duo sunt omninò &c.* Itèm pòst illa verba *posse repetere*, prosequitur Augustinus: *Verum autèm occultavit & Dominus*, cum reliquis, quæ Romani Correctores jam adjecerunt.

Ex enarratione in Psalmum 10. depromptus est canon 88. caus. 1. q. 1., & quidèm eisdem penitùs verbis ad interpretationem illorum: *justus autèm quid fecit?* quæ Augustinus Christo Servatori adcommodat, concludens, nobis maximè cavendum esse, ne Dominum peccando lædamus. Can. 88. caus. 1. q. 1.

Ad expositionem Psalmi 21. in præfatione secunda enarrationis pertinet canon 51. de cons. dist. 2.; qui, licèt Augustinianis codicibus consonet, Gratiani tamèn proposito minimè congruit; etenim non mentio ibidèm fit de quotidiana Christi oblatione, quemadmodùm in inscriptione canonis exprimitur; sed de annua commemoratione passionis Christi, quam statis temporibus celebrare solet Ecclesia. Can. 51. de cons. dist. 2.

Canon 1. caus. 22. quæst. 2. pertinet ad iterpretationem illorum verborum Psami 23. *Et non juravit in dolo proximo suo*; ubi cum Augustinus expenderet, quisnam ex Psalmistæ sententia ad divina gaudia sit perventurus, ait: *Et non juravit proximo suo in dolo; & ideò sine dolo, sicut simplicia, & non fallentia sunt æterna, ità se præbuit proximo. Hic accipiet benedictionem à Domino &c.* Verba Gratiani, paulò alitèr expressa, ex istis erunt emendanda. Can. 1. caus. 22. q. 2.

Verba Augustini Gratianus perperàm intellexit, & perperàm intelligenda exhibuit in can. 1. caus. 26. quæst. 2., quasi liceat christiano viro ad sortes confugere ex sancti Doctoris sententia. Scribit Augustinus in concione 2. in Psalmum 30., illa verba *in manibus tuis sortes meæ* explicaturus: *Quæ sunt istæ sortes? Quare sortes? Audito nomine sortium, non debemus sortilegos quærere: Sors enim non aliquid mali est, sed res est in dubitatione humana divinam indicans voluntatem. Nam & sortes miserunt Apostoli, quando Judas, tradito Domino, periit....electi sunt duo judicio humano, & electus de duobus unus judicio divino. De duobus consultus est Deus, quemnam ipsorum esse vellet, & cecidit sors super Matthiam.* Can. 1. caus. 26. q. 2.

thiam. Quid igitur est, in manibus tuis sortes meæ? Sortes dixit, quantum ego existimo, gratiam, qua salvati sumus. Quare sortis nomine appellat gratiam Dei? Quia in sorte non est electio, sed voluntas Dei. Itaquè Augustinus non propriè de sortibus egit, deque iis divinas literas interpretatus est, sed impropriè, videlicèt de divina Gratia, cujus vires hominibus compertæ non sunt. Hinc frustrà laboravit Gratianus, dum ad calcem laudati canonis 1. conferendam voluit Augustini sententiam cum similibus Patrum veterum monumentis, ut sanam illi interpretationem adfingeret.

Can. 5. de pœn. dist. 1. Canone 5. de pœn. dist. 1. exhibentur illa ipsa verba, quæ Gratianus descripserat post canonem 4. caus. 17. q. 1. At verò Augustinus ipse paulò diversis verbis suam sententiam expressit in Psalmum 31. ibi: *Pronuntiabo adversùs me injustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. Dixi: quid dixisti? Non jam pronuntiat, sed promittit se pronuntiaturum, & ille jam dimittit: Attendite, fratres, magna res, dixi pronuntiabo, non dixi pronuntiavi, & tu dimisisti. Dixi: pronuntiabo, & tu dimisisti; quia eo ipso, quòd dixit; pronuntiabo, ostendit, quia nondùm pronuntiaverat, sed corde pronuntiaverat. Hoc ipsum dicere, pronuntiabo, pronuntiare est, & tu remisisti impietatem cordis mei. Confessio verò mea ad os nondùm venerat. Dixerat enim: pronuntiabo adversum me; verumtamèn Deus audivit vocem cordis mei. Vox mea in ore nondùm erat, sed auris Dei jam in corde erat.* Adparet ex his, Gratianum paucis Augustini doctrinam perstringere voluisse.

Can. 34. caus. 23. q. 4. Paulò etiàm alitèr, ac legatur in integris Augustini codicibus, exhibetur in can. 34. caus. 23. quæst. 4., & obscurioribus verbis involvitur sancti Doctoris sententia. Expendit ille verba Psalmi 32. *diligit misericordiam, & judicium*, & in concione 1. ità eadem interpretatur, quasi Deus non omnem misericordiam diligat, sed quæ sit cum justitia conjuncta. Finge enim verò, ait ipse, divitem adversùs pauperem judicio contendere, ac malam esse pauperis causam; vera non erit, neque Deo placebit misericordia, qua motus judex in mala causa pauperi faveat; post quæ ità prosequitur: *Illud est, ubi fallitur, veluti qui vult placere Deo, si personam pauperis in judicio accipiat, & dicat: favi pauperi. Imò si teneres utrumque, & misericordiam, & judicium, placeres Deo. Primò qualem misericordiam fecisti in eum, cujus iniquitati favisti? Ecce saccello pepercisti: cor percussisti: pauper iste iniquus remansit, & tanto iniquior, quanto te quasi hominem justum favere vidit iniquitati suæ.*

Canon 92. de cons. dist. 2. ex pluribus Augustini monumentis in Psalmos compositus est; cujus initium repetitur ex interpretatione Psalmi 33. in recentioribus Gratiani exemplaribus, at in antiquis repetitur ex homilia 2. in Psalmum 32. Ivo Carnotensis laudat quasi ex homilia 11. in Psalmum 33. Habetur autèm in concione 2. Psalmi 33. in illis verbis: *Accedamus ad eum, ut illuminemur, non quomodò ad eum accesserunt Judæi, ut tenebrarentur. Accesserunt enim illi ad illum, ut crucifigerent; nos ad eum accedamus, ut corpus, & sanguinem ejus accipiamus.* Deindè propè finem ejusdem concionis ista sequuntur: *Verè magnus Dominus, & misericordia ejus vera, quia nobis dedit manducare corpus suum, in quo tanta perpessus est, & sanguinem bibere.* Versiculus *jam nùnc securi* laudatur quasi ex enarratione in Psalmum 45., verùm in ea nihil tale continetur, præsertim quòd ad Judæos dirigatur, quemadmodùm apùd Gratianum habetur. Nihil aliud legitur ad eam rem pertinens, quàm in his verbis: *Fratres ergò securi simus in tranquillitate cordis, nutriamus bonam conscientiam de pane Domini.* Versiculus *ipsum sanguinem* legitur in enarratione in Psalmum 65. ibi: *De ipsis Judæis dixit hoc Apostolus, & factum est in eis: Resurrexit Dominus, & multi crediderunt: Non intellexerunt, cum cru-*

Can. 92. de cons. dist. 2.

crucifigerent ; tamèn posteà crediderunt in eum , & donatum est eis tam magnum delictum. Et pòst pauca : *Et ipsum sanguinem , quem per insaniam fuderunt , per gratiam biberunt.* Vides indè , parùm hæc convenire Gratiani proposito, cum Gratianus de Eucharistia suscipienda agat , & Augustinus ageret de Judæis, quibus sanguis Christi profuit , licèt ab eisdem effusus. Versiculus *de carne* legitur integer in enarratione in Psalmum 98. Versiculus *David* habetur in 1. Concione in Psalmum 33. , ubi Augustinus instituit comparationem inter Davidem , qui apùd Achis Regem Geth quasi stultus rejectus fuerat, lib. 1. Regum cap. 21. , & Christum , quem Judæi quasi fatuum rejecerunt , in eo præsertim , quòd Christus promiserat , carnem suam manducandam , bibendumque sanguinem præbiturum.Ulteriùs ibidèm pergit Augustinus tradens , Davidem , ut fatuus videretur coram Achis, *se in manibus suis tulisse* , quæ sanè formula legebatur in ea sacrarum literarum editione , qua sanctus Antistes utebatur: Ceterùm alia est formula recentioris vulgatæ editionis , ibi : *& collabebatur inter manus eorum* , quæ significat , Davidem instar amentis lusisse corpore suo inter circumadstantium manus. Porrò ex interpretatione Augustini symbolum quoddam Christi perspicuum eruebatur , dum scripsit de Davide. *Tympanizabat ad ostia civitatis , & ferebatur in manibus suis. Hoc verò , Fratres , quomodò posset fieri in homine , quis intelligat ? Quis enim portatur in manibus suis ? Manibus aliorum potest portari homo , manibus suis nemo portatur. Quomodò intelligatur in ipso David secundum literam non invenimus , in Christo autèm invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quandò commendans ipsum corpus suum , ait: Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus manibus suis.* Hæc sanè ratio fuit, quarè Hieronymus in epistolis ad Augustinum hæc commentaria in Psalmos in nonnullis à recta linea discrepare dixerit , & idcircò non satis sibi placere, quòd Augustinus interpretando vulgatam divinarum literarum editionem sequeretur , quam corruptam tunc fuisse Hieronymus noverat. Ceterùm ex laudatis Augustini verbis invictum omninò argumentum deducitur , ad demonstrandam doctrinam Ecclesiæ de reali præsentia Corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ. Versiculus *quousquè* legitur in tractatu 31. in Joannem , ubi docebat Augustinus , complures ex Judæis , qui Christum afflixerant , ad Christi fidem fuisse conversos his verbis. *Viderunt Christum suo scelere morientem , & crediderunt in Christum suis sceleribus ignoscentem. Quousquè biberent sanguinem , quem fuderant , de sua salute desperaverunt.* Versiculus *Judæi* postremus laudatur quasi ex enarratione in Psalmum 54. : verùm mihi videtur potiùs referendus esse , atque exigendus ad enarrationem in Psalmum 100. , in qua interpretatus illa verba *superbo oculo , & insatiabili corde huic non convescebar* , ità scribebat Augustinus : *Habet epulas suas cor pium , habet epulas suas cor superbum. Nàm propter cibos ipsos cordis superbi , ideò dixit : insatiabili corde. Cor superbum undè pascitur ? Si superbus est , invidus est...& si invidus est , malis alienis pascitur. Undè dicit Apostolus : si mordetis , & comeditis invicem , videte , ne ab invicem consumamini. Videtis ergò comedentes , nolite his convesci , fugite convivium. Neque enim se satiant gaudendo de malis alienis , qui insatiabili corde sunt. Cave , ne capiaris in epulis eorum laqueo Diaboli. Cibis talibus pascebantur Judæi , quandò crucifixerunt Dominum : sed quia pascebantur tanquàm de pœna Domini , nam & nos de Cruce Domini pascimur , quia corpus ipsius manducamus.* Et paulò infrà : *Habent ergò impii epulas suas ; habent & pii epulas suas. Audi epulas piorum : Beati , qui esuriunt, & sitiunt justitiam , quoniàm ipsi saturabuntur.* Sic restitutus est Gratianeus canon, in quo multa congesta sunt, partim quidèm Gratiani proposito accommodata, par-

partim verò aliena, uti statim liquebit singula consideranti.

Ex interpretatione in Psalmum 36. concione 3. deprompti sunt duo canones, nimirùm can. 53. caus. 11. q. 3. & canon 1. caus. 14. quæst. 3., uterque autèm consonat cum integris Augustini codicibus, dummodò ratio habeatur eorum, quæ Romani Correctores ad laudatum canonem 53. adjecerunt.

Can. 52. caus. 11. q. 3. & can. 1. caus. 14. q. 3.

Canon 54. caus. 11. quæst. 3. legitur in enarratione in Psalm. 38., cujus verba penitùs consonant cum integris Augustini codicibus, dummodò pro voce illa, *prævalebit*, legamus *prævaluit*.

Can. 54. caus. 11. q. 3.

Ex enarratione in psalmum 48. depromptus fuit canon 67. de cons. dist. 2., ubi Augustinus totus in eo est, ut demonstret, malis bonos in Ecclesia esse permixtos, & quidèm non solùm in verbo Dei excipiendo, sed & in sacræ Eucharistiæ communione, à qua occulti peccatores in Ecclesia non arcentur, quamquàm moneantur, ne ad illam accedant metu divini futuri judicii, & pœnæ. Verba Augustini, paulò alitèr exhibita apùd Gratianum, hæc sunt: *Exigitur de manducante, quod manducat: non prohibetur manducare à dispensatore, sed moneatur timere exactorem.*

Can. 67. de cons. dist. 2.

Ex pluribus Augustini monumentis depromptus est canon 44. de cons. dist. 2., cujus initium pertinet ad interpretationem illorum verborum Psalmi 54. *molliti sunt sermones ejus super oleum*; ubi demonstrabat sanctus Vir, nonnulla esse in Evangelio Christi, quæ primo quidèm adspectu duriuscula videantur, paulatim tamèn divina explanatione emolliuntur, ibi: *Quædam in scripturis dura videbantur, cum obscura essent, exposita mollita sunt. Nàm & prima hæresis in discipulis Christi velut ad duritiem sermonis ipsius facta est; cum enim diceret: nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit vitam in se; illi non intelligentes, dixerunt ad invicem: Durus est hic sermo, quis potes eum audire? Dicentes, quia durus est sermo hic, separaverunt se ab illo. Remansit cum illis duodecim.* Quæ apùd Gratianum sequuntur, referenda sunt ad enarrationem in Psalmum 98. ibi: *Cum remansissent cum illo discipuli duodecim, illis recedentibus suggesserunt illi tanquàm dolentes illorum mortem, quod scandalizati sunt in verbo ejus, & recesserunt: ille autèm instruxit eos, & ait illis: Spiritus est, qui vivificat, caro autèm nihil prodest: verbum, quæ locutus sum vobis, spiritus est, & vita. Spiritalitèr intelligite, quod locutus sum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritalitèr intellectum vivificabit vos: & si necesse est, illud visibilitèr celebrari, oportet tamèn invisibilitèr intelligi.* Quæ deindè sequuntur apùd Gratianum, legimus in tract. 28. in Joannem ibi: *Caro non prodest quidquam, sed quomodò illi intellexerunt, carnem quippè sic intellexerunt, quomodò in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodò spiritu vegetatur.* Sunt hæ omnes Gratiani quædam excursiones, qui per varios Augustini libros expatiatus multa congessit. Sed non heic perstitit; nàm sequentes versiculi ad alia sunt referendi. Sic versiculus *sciens autèm* legitur in tract. 27. in Joannem, ibi: *Sciens autèm Jesus apùd semetipsum, quia murmurarent de eo discipuli ejus: Sic enim apùd se ista dixerunt, ut ab illo non audirentur, sed ille, qui eos noverat in se ipsis, audiens apùd semetipsum, respondit, & ait: Hoc vos scandalizat, quia dixi: Carnem meam do vobis manducare, & Sanguinem meum bibere, hoc vos nempè scandalizat. Si ergò videritis filium hominis ascendentem, ubi erat priùs? Quid est hoc? Hinc solvit, quod illos moverat? Hinc aperuit, undè fuerant scandalizati? Hinc planè, si intelligerent. Illi enim putabant, eum erogaturum corpus suum, ille autèm dixit, se adscensurum in Cœlum, utiquè integrum: Cum videritis filium*

Can. 44. de cons. dist. 2.

lium hominis adscendentem, ubi erat priùs, certè vel tunc videbitis, quia non eo modo, quo putatis, erogat corpus suum; certè vel tunc intelligetis, quia gratia ejus non consumitur morsibus. Deindè versiculus *donèc sæculum* legitur in tract. 30. in Joannem his verbis, quæ à Gratiano non satis integrè fuere descripta: *Quod enim pretiosum sonabat de ore Domini, & propter nos scriptum est, & nobis servatum, & propter nos recitatum, & recitabitur etiàm propter posteros nostros, & donèc sæculum finiatur. Sursùm est Dominus, sed etiàm hic est veritas Dominus. Corpus enim Domini, in quo resurrexit, uno loco esse potest, veritas ejus ubiquè diffusa est.*

Sine ullo sententiarum ordine descriptus etiàm fuit canon 12. dist. 88. referendus ad enarrationem in psalmum 70., ubi totus est Augustinus, ut pravas negotiatorum artes, in mendacia, & perjuria pronas, improbet. Expendit Augustinus verba illa Psalmi: *Os meum annuntiabit justitiam tuam, tota die salutare tuum, quoniàm non cognovi literaturam,* vel, quemadmodùm alii codices exhibebant: *quoniàm non cognovi negotiationem*, & ait: *Audiant negotiatores, & mutent vitam.... mutentur, si peccatum est negotiatio. Hinc aviditate nescio quâ adquirendi, ò negotiator, quandò damnum passus fueris, blasphæmas, & non erit in te, quod dictum est: tota die laudem tuam. Quandò autèm pro pretio rerum, quas vendis, non solùm mentiris, verùm etiàm falsum juras, quomodò in ore tuo tota die laus Dei? vel quandò, si Christianus es, & ex ore tuo blasphæmatur nomen Dei, ut dicatur: Ecce quales sunt Christiani! Ergò si propterea iste tota die laudem Dei dicit, quia non cognovit negotiationes, corrigant se Christiani, non negotientur. Sed ait negotiator: Ecce ego adfero quidèm ex longinquo merces ad ea loca, in quibus non sunt ea, quæ adtulero, unde vivam, tanquàm mercedem laboris mei peto, ut cariùs vendam, quàm emerim; undè enim vivam, cum scriptum sit: Dignus est operarius mercede sua? Sed agitur de mendacio, de perjurio, hoc vitium meum est, non negotiationis; neque enim non, si vellem, possem agere sine isto vitio. Non ergò culpam auctor ad negotium transfero, sed si mentior, ego mentior, non negotium; possem enim dicere, tanto emi, tanto vendam, si placet, eme; non enim istam veritatem audiens emptor repelleretur, & non omnes potiùs adcurrerent? Quia plus fidem, quàm mercedem diligerent. Hoc ergò, inquit, me mone, ne mentiar, ne perjurem, non ut abjiciam negotium, undè me transigo. Quò enim vocas, quando hinc revocas? Fortè ad artem aliquam? Ero sutor, calceamenta faciam hominibus. Mendaces enim & ipsi non sunt? Perjuri & ipsi non sunt? Et Paulò infrà. Quomodò ergò revocas à negotiatione? An ut agricola sim, & adversùs Deum tonantem murmurem, ut grandinem timens sortilegum consulam; ut quæram, quid faciam contra Cœlum; ut optem pauperibus famem, quò possim vendere, quod servavi? ad hoc me adducis? Sed non ea faciunt, inquis, agricolæ boni: nec illa negotiatores boni. Quid enim? etiam filios habere malum est, quia quandò eis caput dolet, malæ & infideles matres ligaturas sacrilegas, & incantationes quærunt? Ista hominum, non rerum peccata sunt. Quære ergò, Episcope, quemadmodùm intelligas negotiationes, quas legisti in Psalterio, ne fortè non intelligas, & me à negotiatione prohibeas.* Hæc erant, ut legenti patet, negotiatorum objecta, quibus deindè ità respondit Augustinus. *Quæramus ergò, quas dixerit negotiationes; quas verè qui non cognovit, tota die laudat Deum. Negotiatio & in græca lingua ab actu dicitur, & in latina. Negotiatio sive actus, sive negotium discutiatur qui sit; quid enim negotiatores actuosi ex eo, quod agunt, præsumunt, opera sua laudant, non perveniunt ad gratiam Dei. Ergò contra illam gratiam sunt negotiatores, quam commendat hic Psalmista. Illam enim gratiam commendat, ut nemo de suis operibus glorietur: quomodo quodam loco dicitur: Medici non resuscitabunt: deserere debent homines medicinam? Sed quid est hoc? Sub isto nomine intelliguntur superbi, polli-*

Can. 12. dist. 88. & can. 35. de pœn. dist. I.

cen-

centes salutem hominibus, cum Domini sit salus. Quomodò ergò contra medicos, id est, superbos salutis pollicitatores vigilat hoc, quod dictum est: tota die salutem tuam, sic contra negotiatores, id est, qui de actu suo, & operibus gaudent, vigilat hoc, quod dictum est: os meum annunciabit justitiam tuam, id est, non meam. Qui negotiatores, id est, quasi de actu suo sibi placentes? qui ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Merito, & negotium dictum est, quod neget otium. Quantum mali est, quod neget otium? Merito Dominus expulit illos de templo &c. Deindè pòst aliqua progreditur Augustinus ad explicandam aliam Psalmi lectionem, quæ est: *Quoniàm non cognovi literaturam*, inquiens: *Quoniàm non cognovi literaturam, ubi alii codices habent, negotiationem, ibi alii literaturam. Quomodò concordant, invenire difficile est; & tamèn interpretum diversitas fortè sensum ostendit, non errorem inducit &c.* Postrema verba illa eadem sunt, quæ Gratianus initio canonis exaravit. Quomodò verò Augustinus rem universam confecerit, non sum sollicitus in præsentia investigare, contentus meo proposito satisfecisse, dum corruptissimum canonem ad optimorum codicum fidem & integritatem exegi, undè quisque agnoscat & aliud Gratiani erratum, qui monumentum illud adtulit, ut Clericorum negotiationes improbatas diceret, quandò Augustinus ne verbum quidèm de Clericis negotiatoribus adjecit, tantùm generalitèr negotiatores illos reprehendit, qui à mandatis divinis, ea professione suscepta, revocabantur. Ex eadem enarratione in Psalmum 70. depromptus etiàm est ex concione 2. can. 35. de pœn. dist. 1., cujus tamèn verba Gratianus perstrinxerat, ità propterèa ex integris codicibus emendanda. Ait Augustinus de Lazaro ad vitam revocato: *Resuscitatus est, Domino præsente; sed & vixit, Domino absente; quamquàm eum Dominus corporalitèr resuscitasset, quantum ad visibilia pertinet, ceterùm præsentia majestatis suæ illum suscitavit, quia præsentia nunquàm recedit... Non sic anima suscitatur. Suscitat illam Deus; moritur, si discesserit Deus.*

Canon 11. caus. 23. quæst. 3., quod pertinet ad priora verba, repetendus est ex enarratione in Psalmum 81., ibi: *Hæc dicta sunt, ut sciretur in eo populo, in quo natus, & occisus est Christus, nec illos fuisse immunes à tanto scelere, qui, cum essent, tantæ multitudinis, ut eos, sicut Evangelium loquitur, timerent Judæi, & propterèa in Christum manus mittere non auderent, posteà conniverunt, eumque interimi à malignis, & invidis Judæorum principibus permiserunt; qui, si voluissent, timerentur sempèr, & nunquàm in eum sceleratorum prævalerent manus.* Posteriora autèm illa canonis verba *Qui desinit obviare, cum potest, consentit*, apùd Augustinum non leguntur, sed adjecta videntur à Collectoribus, deprompta ex aliis veteribus monumentis, quemadmodùm adparet, si eadem conferantur cum can. 3. 4. 5. dist. 83. & can. 3. dist. 86., qui ad Pseudo-Isidorianas epistolas pertinent. Can. 11. caus. 23. q. 1.

Ad Psalmi 102. enarrationem referendi sunt canones 8. & 9. dist. 86., ubi plura adversùs venatoriam artem Augustinus orabat. Sed jam, ubi superiùs de capitibus Ambrosii dissererem ad canonem 12., & 13. dist. 86., animadverti, quidnam nomine artis venatoriæ intelligeretur, quam Sancti Patres velut *artem nequissimam* detestabantur. Nimirùm pugna erat illa cum feris bestiis in Amphitheatro ut plurimùm miscenda, quod sanè magis magisque perspicuum fit in conspectu verborum illorum Augustini: *ipsam nequitiam publicam spectaculis omnium.* Imò & idipsum clarius adparebit, quotiès cum iis jungatur canon 10. dist. 86. depromptus ex enarratione in Psalmum 147. ibi: *Ergò, fratres mei, quale spectaculum erit in visione Dei? vident homines venatorem, & delectantur. Væ miseris, si non se correxerint. Qui enim vident venatorem, &* Can. 8. 9. & 10. dist. 86.

delectantur, videbunt Salvatorem, & contristabuntur. Quid illis miserius, quibus Salvator saluti non erit? Non ergò mirum, quia illis, quibus voluptati est homo pugnans, non erit saluti Deus liberans. Quid aliud exhibent istæ loquendi formulæ spectaculi divinæ visionis cum hominum venatorum spectaculo in oppositum comparati, nisi venationem illam, quâ homines in Amphitheatro, vel in Circo cum bestiis non sine gravissimo vitæ discrimine decertabant.

Can. 90. caus. 11. q. 3. Ex enarratione in eumdem Psalmum depromptus est canon 90. caus. 11. q. 3., cui major lux accedet, quotiès integra Augustini verba hoc in loco exhibeantur, ibi: *Ubi autèm potentiores aliquos injuriosos passus fueris, ubi tibi nec corrigere disciplina licet, nec fortè etiàm monere, aut præcipere, tolera, securus tolera: audi Evangelium, quo luctum est: Beati eritis, cum vos persecuti fuerint homines, & dixerint adversùs vos omne malum, mentientes propter nomen meum. Et ibi addidit propter quid, ne merito tuo accipias maledicta, non causa justificationum Dei. Non enim, qui maledictus fuerit, justus est; sed qui justus est, & injustè maledicitur, & si injustè maledicitur, præmium illi redditur.*

Can. 79. caus. 1. q. 1. Canon 79. caus. 1. quæst. 1. jam Romanorum Correctorum operâ ad optimorum codicum fidem exactus est; cum enim olim laudaretur, quasi ex tractatu Augustini in epistolam Joannis, jure optimo laudatur ex enarratione in Psalmum 103. vers. *Qui tegis aquis superiora ejus*, ubi eadem omninò verba leguntnr.

Can. 1. caus. 23. q. 3. Canon 1. caus. 23. quæst. 3. legitur in enarratione in Psalmum 108., verbis tamèn alitèr dispositis, ac clariore expressa sententia ad illa verba: *Pro eo, ut diligerent me, detrahebant mihi.* Ipsa Augustini verba hæc sunt: *Sex sunt in isto genere differentiæ, quæ commemoratæ animadverti facilè possunt; reddere bona pro malis; non reddere mala pro malis; reddere bona pro bonis; reddere mala pro malis; non reddere bona pro bonis; reddere mala pro bonis. Horum duo prima bonorum sunt, & eorum duorum prius melius: postrema duo malorum, & eorum posterius deterius. Duo media quodammodò mediocria, sed eorum prius propinquum bonis, posterius propinquum malis. Hæc in scripturis sanctis oportet attendere. Reddidit bona pro malis ipse Dominus, qui justificat impium, & pendens in cruce, dixit: Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Cujus vestigia sequutus S. Stephanus fixo genu oravit pro lapidantibus, dicens: Domine ne statuas illis hoc delictum.* Et paulò infrà: *mala pro malis non esse reddenda, Paulus apostolus dicit: nulli malum pro malo reddentes.* Itèm paulò infrà: *Duorum postremorum illud mitius ad novem leprosos pertinet, qui cum mundati essent à Domino: gratias Domino non egerunt. Illud verò ultimum, quo nihil est pejus, ad hoc pertinet, de quibus in isto Psalmo legitur: Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi.* Et inferiùs: *Duo verò media, quæ diximus hominum quodammodò esse mediorum, ità se habent, ut eorum prius, quod est reddere bona pro bonis, habeant & boni, & mediocritèr boni, vel mediocritèr mali. Ideò Dominus hoc non reprehendit, sed non vult in eo solo discipulos suos permanere, quos vult ad majora provehere, quibus dicit: Si dilexeritis eos, qui vos diligunt, id est, si reddideritis bona pro bonis, quam mercedem habebitis? id est, quid magnum facietis? Nonne & publicani hoc faciunt? Vult autèm illos & hoc facere: & longè amplius, id est, ut non solùm amicos, verùm etiàm inimicos diligant. Posteriùs autèm, quod est reddere mala pro malis, habent & mali, vel mediocritèr mali, vel mediocritèr boni, usquè adeò, ut lex eis dederit ulciscendi modum, oculum pro oculo, dentem pro dente: quæ, si dici potest, injustorum justitia est, non quia iniquum est, ut recipiat unusquisque, quod fecerit, alioqui lex nequaquàm id constitueret; sed quia ulciscendi libido vitiosa est, magisque ad judicem pertinet, inter malos hoc discernere, quàm bonum hominem sibi expetere.* Et

pòst

pòst multa : *Reverà paucorum est dignoscere, quomodò placeat pœna iniquorum accusatori, inimicitia se saturare cupienti, & quàm longè alio modo placeat judici, recta voluntate peccata punienti. Ille quippè reddit malum pro malo; iste autèm, etiàm cum vindicat, non reddit malum pro malo, quoniàm justum reddit injusto; quod autem justum est, utique bonum est. Punit ergò non delectatione alienæ miseriæ, quod est malum pro malo, sed delectatione miseriæ, quod est malum pro malo, sed delectatione justitiæ, quod est bonum pro malo.*

Can. 1. de pœn. dist. 4. Ex eadem enarratione in Psalmum 108. depromptus est canon 1. de pœn. dist. 4. ad interpretationem illorum verborum : *Fiant nati ejus in interitum*, quæ ut conciliaret cum alio Divinæ Scripturæ monumento, *anima quæ peccaverit, ipsa morietur*, ità Augustinus ajebat : *Hoc quippè dictum est* (subaudi de filiis, qui ob peccata parentum minimè puniuntur) *de his, qui convertuntur ad Deum, & non imitantur mala parentum suorum, quod ipse Propheta evidenter ostendit; dicit enim, parentum iniquitates eis non obesse, qui justitiam faciendo dissimiles fuerint. Illud autèm, quod dictum est : Reddam peccata parentum in filios, additum est, qui oderant me, hoc est, sicut me oderant, & parentes eorum, ut quemadmodùm bonorum imitatio facit, ut etiam propria peccata deleantur, sic malorum imitatio facit, ut non solùm sua, sed etiàm eorum, quos imitati sunt, merita sortiantur. Si ergò Judas teneret illud, ad quod vocatus est &c.* Reliqua, quæ sequuntur apùd Gratianum, cum Augustini codicibus optimè consonant. Versiculus *tradidit eum* ad monumenta Rhabani exigendus est, ac propterèa suo loco inferiùs & commodiùs explicabitur. Monere intereà juvat, canonem istum parùm congruere proposito Gratiani, cum Gratianus ex eo colligat, peccata semèl dimissa aliquandò in delinquentibus reviviscere; at Augustinus sermonem habuit de parentum peccatis, quæ in filiis reviviscere quodammodò dicuntur, quandò delicta parentum filii imitando sequuntur.

Deniquè canon 1. caus. 33. q. 5. referendus est ad enarrationem in Psalmum 149. propè finem, ubi Augustinos interpretabatur verba illa : *Ad alligandos Reges eorum in compedibus &c.*; eaque occasione docebat, viros esse suis uxoribus quasi compedibus alligatos, nec posse ab illis sejungi; quò pertinent verba illa : *Dicam quod plus est: Sed dicat* (vir), *continere jam volo, nolo jam uxorem, non potes. Quid si tu vis, & illa non vult? Numquid per continentiam tuam debes illam facere fornicariam? Si aliis nupserit, te vivo, adultera erit. Non vult tali lucro Deus compensare tale damnum. Redde debitum; & si non exigis, redde. Pro sanctificatione perfecta Deus tibi computabit, si non quod debetur, exigis, sed reddis, quòd debetur uxori.* Ideò integra Augustini verba descripsi, ut Gratiani editio in aliquibus depravata facilè emendetur. Can. 1. caus. 33. q. 5.

De libro Quæstionum Evangelicarum.

Duobus editis libellis Dominica Evangelia interpretatus est Augustinus, non quidèm analytica methodo, sed modò unum, modò alterum Evangeliorum locum, data acceptaque occasione, expendens, id est, prout aut de variis quæstionibus ad Evangelium pertinentibus interrogabatur, aut varia Evangelii monumenta explicari adjuncta temporum singularia postulabant. Horum libellorum mentionem fecit in lib. 2. Retractat cap. 12., atque in libro 2. quæst. 11. leguntur verba canonis 4. dist. 41., ubi sanctus Vir interpretabatur caput 7. Evangelii Lucæ vers. 32. & seq., in quo recensetur Pharisæorum improbitas in vexandis, redarguendisque Viris sanctissimis, qualis erat Joannes præcursor, quem pœnitentiam rigidam agentem *Dæmonium ha-* Can. 4. dist. 41.

habere dicebant; imò & ipso Servatore Christo insequendo, tanquàm familiaritatem cum peccatoribus ineunte. Ad eam rem scribit Augustinus: *Quod ait: lamentavimus, & non plorastis, ad Joannem pertinet, cujus abstinentia à cibo & potu luctum pœnitentiæ significabat. Quod autem ait: Cantavimus tibis, & non saltastis, ad ipsum Dominum, qui utendo cum ceteris cibo & potu lætitiam regni figurabat. At illi nec humiliari cum Joanne, nec cum Christo gaudere voluerunt, dicentes illum Dœmonium habere; istum voracem, & ebriosum, & amicum publicanorum, & peccatorum. Quod autem subjungit: & justificata est sapientia ab omnibus filiis suis &c.* Hinc exorditur Gratianus, cujus verba cum editis Augustini codicibus penitùs consonant, dummodò animadvertamus, in illis verbis *ante ora positas epulas* varietatem esse codicum, quorum aliqui ità exhibent: *ante horam positas epulas.*

Can. 16. caus. 23. q. 5. In libro 1. quæst. 10. legitur canon 16. caus. 23. q. 5. ad interpretationem parabolæ Matthæi cap. 3. de tritico à zizaniis expurgando, ibi: *Omnis immunditia in segete zizania dicuntur, quod primò separata zizania dicuntur, quia tribulatione præcedente separabuntur impii à piis, quod per bonos Angelos intelligitur fieri, quia officia vindictæ possunt implere boni bono animo, quomodò lex,* (in quibusdam codicibus legitur, *quomodò Rex*), *quomodò judex.*

De Commentario super Matthæum.

Can. 45. caus. 11. q. 3. Auctor Palearum canoni 45. caus. 11. q. 3. hanc inscriptionem adjecit: *Item Augustinus super Matthæum.* Nullus est Augustini liber hac singulari inscriptione donatus: undè facilè intelligimus, fragmentum illud ad aliquem Augustini libellum referri oportere, in quo non propositum esset Evangelium Matthæi explicandi, sed quoddam ejusdem Evangelii fragmentum data occasione explanaretur. Ecquidèm ego puto, nullo modo jure tribui Augustino canonem posse, gnarus contrariam apùd Augustinum reperiri sententiam, eamque ipsam, quæ in illo canone exhibetur, doctrinæ veterum Patrum adversari. Quid enim significant postrema illa verba? *Sit ergò irreprehensibilis, qui alterum ligat, aut solvit.* Nùm Augustino opinionem affingemus, quâ crederet, potestati Episcopalis ordinis, quæ in ligando solvendoque ex Christi institutione consistit, mores alicujus improbos obesse? Id ipsum erat, quod adversùs Donatistas præsertim crebrò inficiatus est Augustinus. Ubicumquè sanctus Vir explanavit verba Christi Domini, Apostolos suos alloquentis; *Quæcumque ligaveritis super terram &c. Quæcumque solveritis super terram &c.* tantum abest, ut in eam, quam auctor Palearum exhibuit, opinionem inclinaret, quin potiùs contrarium omninò profiteretur. Duo vix possunt in medium proferri Augustini monumenta, ad quæ vix trahi potest laudatus canon, rectè tamèn, & commodiore ratione, quàm postulet verborum cortex, interpretandus. Illa hoc in loco describam, ut quicumque Gratianei codicis auctoritate tenentur, ad eadem illum canonem exigere rectè possit. Primum est in enarratione in Psalmum 101. concione 2. ibi: *Cum audis, hominem pœnitere peccatorum suorum, jam revixit: cum audis, hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulchro eductus, sed nondùm solutus est. Quando solvitur? A quibus solvitur? Quæ solveritis, inquit, in terra, erunt soluta & in cœlo. Meritò per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest, suscitari autem ipse mortuus non, nisi intùs clamante Domino, potest. Hæc enim Deus interiùs agit, loquimur ad aures vestras: undè scimus, quod agatur in cordibus vestris? Quod autèm intùs agitur, non à nobis, sed ab illo agitur.* Fortè ad hunc locum respexit auctor Paleæ, dum parum valere scribit ad impetrationem veniæ Sacerdotum officium.

cium. Ceterùm adhuc longè ab hac propositione distat Augustinus; qui, etsi soli Deo tribuat præventionis gratiam, qua primùm peccator movetur ad vitam, & ad quam minimè pertinet potestas clavium, Ecclesiasticis administris divinitùs tradita, exindè tamèn perspicuè fatetur, necessariam esse præterea Ecclesiasticam potestatem, qua, quicumque divina gratia ad resurgendum movetur, à peccatorum nexu liberè omninò solvatur. Alterum Augustini monumentum habetur in sermone nùnc 99., aliàs homilia 23. ex 50., ubi agens sanctus Antistes de peccatorum remissione adversùs Donatistas, qui remitti tantùm peccata dicebant per Sacerdotes suo schismati adhærentes, eosdem gravissimis argumentis refellit, scribens extrà Ecclesiam difficiliùs posse remitti peccata, quandoquidèm peccatorum remissionem operatur sanctus Spiritus, qui extrà Ecclesiam non inhabitat. Ait Augustinus de Donatistis: *Respondent, nescientes, sicut ait Apostolus, neque quæ loquuntur, neque de quibus adfirmant, respondent, & dicunt: Si non dimittunt homines peccata: Falsum est ergò, quod ait Christus: quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cœlo. Nescis quare hoc dictum sit quomodò dictum sit. Daturus erat Dominus hominibus Spiritum sanctum, & ab ipso Spiritu sancto fidelibus suis peccata dimitti. Nam quis es, homo, nisi æger sanandus? vis mihi esse medicus? mecum quære medicum. Nam hoc ut evidentiùs ostenderet Dominus, ab Spiritu sancto, quem donavit fidelibus suis, dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco sic ait resurgens à mortuis: accipite Spiritum S., continuò subjecit: sicui dimiseritis peccata, dimittuntur ei, hoc est, Spiritus dimittit, non vos. Spiritus autem Deus est. Deus ergò dimittit, non vos. Sed ad Spiritum quid estis vos? Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? & iterum: nescitis, quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis à Deo? Deus ergò habitat in templo sancto, hoc est, in sanctis fidelibus, in Ecclesia sua, per eos dimittit peccata, quia viva templa sunt.* Si quis animadvertat, qualis fuerit in his Augustini scopus, qui Donatistas redarguebat, negantes, in Ecclesia Dei, in qua Spiritus sanctus inhabitat, remitti peccata, & tradentes, tantùm obtineri in suo schismate, & conventu peccatorum remissionem, facilè percipiet, quàm perperàm auctor Palearum torserit Augustini monumentum, si ad hunc Augustini locum Gratianeus canon sit referendus.

De libro de Sermone Domini in Monte.

Ex pluribus Christianæ Philosophiæ præceptis, quibus Christus Dominus Apostolorum suorum animos imbuit, vividiora sunt, quæ ipse seorsim discipulis, in monte convenientibus, tradidit, apùd Matthæum expressa in cap. 5. 6. & 7. Evangelii. Etenim ibi quasi epilogo contracta exhibetur Christiani hominis institutio. Ea Matthæi capita contemplatus Augustinus, antiquissimum illud habuit, ut eadem præ ceteris commentario interpretaretur, quod perfecit elegantèr duobus libellis, in quorum primo caput 5., in altero capita 6. & 7. exposuit; atque illorum meminit in lib. 1. Retractationum cap. 9., nonnulla ibidèm adjiciens, ut quæ minùs aptè, aut perspicuè tradiderat, clariùs explicaret, aut etiàm emendaret. Singula heic non refero aut explicata, aut emendata. Siquæ apùd Gratianum occurrent, quæ ab Augustino aut explicata aut emendata fuerunt, in subjectis animadversionibus minimè præteribo. In libro 2. cap. 18. ad interpretationem illorum verborum capitis 7. *Nolite judicare, ut non judicemini*, legitur can. 49. caus. 11. q. 3. cujus editio cum Augustini codicibus optimè consonat. Can. 49. caus. 11. q. 3.

Canon 51. caus. 23. q. 4. legitur in lib.

Can. 51. caus. 23 q. 4. lib. 1. cap. 20. ad illa verba Matthæi cap. 5. vers. 39. *Ego autèm dico vobis, non resistere malo &c., & qui voluerit tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium &c.*, quod cum duriusculum præceptum videretur, ab Augustino explicatur. Editio Gratiani in aliquibus ab Augustini codicibus dissonat; etenim priora verba ità potiùs legenda sunt. *Neque hic ea vindicta prohibetur, quæ ad correctionem valet; etiàm ipsa enim pertinet ad misericordiam, nec impedit illud propositum &c.* Item pro verbis illis *vapulabit paucis, vapulabit multis....quamquàm optimè scirent...quo & viventibus....si viverent, diminueretur.. Non temerè....consulendo rebus humanis...præbuerant &c.* legitur in integris Augustini codicibus: *Vapulabit pauca, vapulabit multa... qui jam optimè scirent...quod & viventibus....si viverent. Non temerè....consulendi rebus humanis...præberent.* Reliqua, quæ Romani jam Correctores emendaverunt, missa facio.

Can. 29. caus. 24. q. 1. Canon 29. caus. 24. q. 1. legitur in cap. 5. libri 1. ad caput 5. vers. 11. & 12. Matthæi: *Beati estis, cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint*; quæ Christi Domini verba Augustinus ea moderatione interpretatur, ut tradat, non sufficere ad promissam beatitudinem consequendam persecutionibus subjacere, sed prætereà requiri, illas propter justitiam pati; eamque ob rem nihil gloriandum esse Donatistis, qui, licèt à Catholicis vexarentur, non proindè beati ex sententia Evangelii dici poterant, quòd non ideò vexarentur, quia justitiam colerent; atque his brevitèr prænotatis facilè canon 29. intelligetur.

Can. 5. caus. 28. q. 1. Canon 5. caus. 28. q. 1. legitur in lib. 1. cap. 16. ad interpretationem vers. 32. cap. 5. Matthæi: *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari*; quæ Christi verba conatus est Augustinus conciliare cum verbis Apostoli Pauli, tradentis, etiàm propter infidelitatem uxorem posse dimitti, & ait, infidelitatem fornicationis speciem esse, ac propterea in exceptione à Christo adjecta contineri. Verba quidèm Gratiani cum editis Augustini codicibus consonant; nolim tamèn, ut, quoniàm Augustinus fornicationis nomen etiàm latiùs interpretatur, ut eo nomine etiàm veniat avaritia, aut similis quædam depravati animi adfectio, quisquam putet, etiàm ob avaritiam, aut simili vitio laborantem, uxorem posse ex Augustini sententia dimitti. Convertendus hoc in loco animus est ad Augustini retractationes, in quibus moderatus admodùm est, quod eo in loco disputationis fervore correptus parùm consideratè provexerat. Ait enim sanctus Vir in lib. 1. Retractat. cap. 19. *De præcepto, quo prohibetur uxor dimitti, nisi propter fornicationem, hic scrupulosissimè disputavi. Sed quam velit Dominus intelligi fornicationem, propter quam liceat dimittere uxorem, utrùm eam, quæ damnatur in stupris, an illam, de qua dicitur: Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te, in qua utiquè & ista est (neque enim non fornicatur à Domino, qui tollens membra Christi facit ea membra meretricis) etiàm cogitandum est, atque requirendum. Neque volo in re tanta, tamque ad dignoscendum difficili, putare lectorem, istam sibi nostram disputationem debere sufficere, sed legat & alia, sive nostra, qua posteà scripta sunt, sive aliorum meliùs considerata, atque tractata, vel ipse, si potest, ea, quæ hic meritò movere possunt, vigilantiore, atque intelligentiore mente discutiat. Non quia omne peccatum fornicatio est, neque enim omnem peccantem Deus perdit, qui quotidiè Sanctos suos exaudit, dicentes: dimitte nobis debita nostra, cum perdat omnem, qui fornicatur ab eo; sed quatenùs intelligenda, atque limitanda sit hæc fornicatio, & utrùm etiàm propter hanc liceat dimittere uxorem, latebrosissima quæstio est. Licere tamèn propter istam, quæ*

in

in stupris committitur, nulla quæstio est. Et ubi dixi, hoc permissum esse, non jussum, non attendi aliam scripturam, dicentem: qui tenet adulteram, stultus, & impius est. Nec sanè adulteram dixerim fuisse deputandam illam mulierem, etiàm, posteaquàm audivit à Domino: nec ego te damnabo: Vade, deinceps jam noli peccare; si hoc obedientèr audivit. Optandum equidèm esset, quempiam ex Glossographis ad dictum canonem adnotavisse hæc generalitèr saltèm, ne passim in ejusdem canonis conspectu Augustino ea opinio tribuatur, quam sanctus Vir in suis retractationibus aut moderari studuit, aut emendare.

Can. 18. caus. 32. q. 5. Canon 18. caus. 32. q. 5. legitur in eodem lib. 1. cap. 18. ubi eamdem Christi Domini sententiam Augustinus expendit de uxore non dimittenda. Priora illius canonis verba ità legenda sunt: *Si uxorem quisque habeat, sive sterilem, sive deformem corpore &c.* His jungendus est canon 6. caus. 32. q. 7. sive sententiæ, sive verborum similitudinem quamdam ibidèm inesse consideres; habetur autèm in lib. cap. 14. iis ipsis verbis, quæ apùd Gratianum exhibentur. Ad eamdem quoquè materiem pertinent canon 1. caus. 32. q. 6. in lib. 1. cap. 16., & canon 4. caus. 32. q. 7. in cap. 14. ejusdem libri, quorum canonum verba cum verbis Augustini penitùs consonant.

Can. 1. caus. 32. q. 6. Can. 4. & 9. caus. 32. q. 7.

Can. 21. de pœn. dist. 2. Canon 21. de pœn. dist. 2. legitur in eodem lib. 1. cap. 12., ubi vix quædam leviores vocularum immutationes deprehenduntur; nam, ubi legitur apùd Gratianum: *Si tribus gradibus, & altera quasi jam prolata extra portam*, lego in codicibus editis Augustini, *sicut tribus, gradibus, & altera jam prolata, quasi extra portam.*

De Tractatu sive in Evangelium, sive in epistolam Joannis.

Quo tempore Hipponensis Ecclesia diro intestino schismate quatiebatur, consistentibus in illa duobus Episcopis, quorum alterum sibi elegerant Donatistæ, Catholici alterum, videlicèt Augustinum, manum admovit Augustinus idem ad scribendam, elucubrandamque interpretationem Evangelii Joannis; quod sanè minimè perfecit, quòd, cum adhùc nonnulla adjicere meditaretur, quemadmodùm & in aliis homiliarum libris, ut ipse testatur in epist. 224. ad Quodvultdeum, morte præoccupatus fuit: quamobrèm ne in libris quidèm Retractationum, in quibus universa opera sua sanctus Vir memoravit, imò & ad germanam sui sententiam exegit, nullam ejus operis fecit mentionem. Non consonant codices universi in exhibenda operis inscriptione; alicubi enim dicitur *Tractatus in Joannem*, alibi: *Homiliæ in Joannem*, alibi: *Aurelii Augustini Doctoris Hipponensis Episcopi Homiliæ in Evangelium Domini Jesu secundum Joannem incipiunt, quas ipse colloquendo priùs ad populum habuit, & inter loquendum à Notariis exceptas, eo, quo habita sunt, ordine verbum ex verbo posteà dictavit.* Ità monent Maurini Monachi, quibus veteres codices perspecti fuerunt. Hinc facilè colligitur, qualis habenda sit hujus tractatus auctoritas. Idipsum dicendum est de sermonibus decem in epistolam Joannis ad Parthos, quos Possidius memoravit in indiculo c. 9., cujus ea, quæ apùd Gratianum extant, fragmenta, simùl colligam hoc in loco; eo vel maximè quòd sermones isti eodem anno fuere compositi, quo editus est tractatus in Evangelium, imò & inter sermones in Evangelium interjecti. Eos habuit Augustinus Paschali tempore, quo sollicitus maximè fuit, ut populum suum ad spirituale gaudium, & hilaritatem concitaret, quemadmodùm ipse testatur in prologo eorumdem sermonum, inflammando fideles ad mutuam charitatem, ac benevolentiam, quam Joannes Apostolus in epistola sua prædicaverat. Itaquè in primis ex tractatu 6. ad caput 1. Joannis depromptum

tum legimus apùd Gratianum canonem
Can. 1. dist. 8. 1. dist. 8., ubi Augustinus videtur conqueri de Donatistis, Hippone consistentibus, quòd sibi prædia omnia Ecclesiastica adsererent, ac vindicarent. Quod quidèm, ait sanctus Antistes, parum sua interesse, utpotè quòd de rebus ageretur non divino, sed humano jure possessis. Gratianea lectio ferè consonat cum editis Augustini codicibus, in quibus pro illis Gratiani verbis: *Quo jure defendis villas Ecclesiæ, divino, &c.* Et: *jura autèm humana jura Imperatorum sunt*, potiùs legitur: *Quo jure defendis villas, divino &c.* Et: *jure ergò humano, jure Imperatorum.* Cetera jam satis fuerunt à Romanis Correctoribus emendata.

Can. 2. dist. 41. Canon 2. dist. 41. licèt tribuatur Augustino, quasi depromptus ex ejus interpretatione in epistolam Joannis, ibidèm tamèn minimè reperitur, quemadmodùm jam rectè animadverterunt Correctores Romani, unà indicantes, pertinere potiùs illum ad librum 2. de vita contemplativa cap. 12. inter opera B. Prosperi, ubi eadem ferè verba exhibentur. Ceterùm adnotare non desinam, esse potuisse Gratiano, aut antiquioribus Collectoribus, verosimilem causam, cur canonem Augustino adsererent, cum in expositione epistolæ Joannis tract. 3. plura Augustinus expenderit, ad eamdem rem pertinentia, scilicèt de recto rerum humanarum usu, ibi: *Væ tibi, si amaveris condita, & deserueris conditorem. Pulchra tibi sunt, sed quantò est pulchrior, qui ista formavit? Intendat charitas vestra, similitudinibus enim potestis instrui, ne subrepat vobis Satanas, dicens, quod solet dicere: Benè sit vobis in creatura Dei. Quarè illa fecit, nisi ut benè vobis esset? Et inebriantur, & pereunt, & obliviscuntur Creatorem suum, dum non temperanter, sed cupidè utuntur, Creator contemnitur; de talibus dicit Apostolus, coluerunt, & servierunt creaturæ potiùs, quàm Creatori, qui est benedictus in sæcula. Non te prohibet Deus amare ista, sed non diligere ad beatitudinem, sed adprobare, & laudare, ut ames Creatorem.* Ecquidem, si quis hæc cum verbis memorati canonis conferat, eamdem ferè inveniet utrobique sententiam.

Canon 1. dist. 81. legitur in tractatu 41. in Joannem, ubi tamèn adnotandum est, ea, quæ leguntur in vers. *Crimen*, esse iis, quæ anteà apùd Gratianum exhibentur, præponenda, ut Gratianea editio cum Augustini editionibus consonet. Can. 1. dist. 81.

Canon 7. dist. 86. habetur in tract. 100. ad caput 16. Joannis, ubi Augustinus interpretatus Christi verba, de Spiritu S. loquentis *ille me clarificabit*, sive *glorificabit*, tradidit, generalitèr laudis nomen bifariàm apùd homines intelligi, primò de laude per errorem data, veluti cum ab hominibus etiàm minùs decora laudantur, ex. gr. cum laudibus excipiuntur histriones mimicis artibus intenti (atque hùc pertinet memorati canonis sententia); secundò cum pro merito laus exhibetur, qualem deindè eam esse concludit, quam ex virtute advenientis sancti Spiritus se Christus esse prædixerat accepturum. Can. 7. dist. 86.

Canon 30. caus. 1. q. 1. legitur in tract. 5. ad caput 1. Evangelii Joannis, ubi Augustinus tradit, justos quidèm ex Christi præcepto eos esse debere, qui ad Ecclesiastica ministeria eliguntur; nihilominùs tamèn non contaminari Sacramenta Christi, si ab improbis dispensentur. Integra Augustini verba, ad quæ exigendus erit paulò corruptus Gratiani canon, hæc sunt: *Si fuerit minister justus, computo illum cum Paulo, computo illum cum Petro, cum istis computo justos ministros; quia verè justi ministri gloriam suam non quærunt, ministri enim sunt, pro judicibus haberi nolunt, spem in se poni exhorrescunt. Ergò computo cum Paulo justum ministrum. Quid enim dicit Paulus? Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Qui verò fuerit superbus minister, cum Diabolo computatur, sed non* Can. 30. caus. 1. q. 1.

con-

contaminatur donum Christi. Quod per illum fluit, purum est &c. Omitto reliqua, quia eadem ipsa sunt, quæ Romani Correctores jam ad calcem ejusdem canonis adjecerunt. Hæc, & plura similia adversùs Donatistas dicta leguntur in can. 39. dist. 4. de consecr.

Can. 46. caus. 1. q. 1. Ad eamdem rem pertinere videtur canon 46. caus. 1. q. 1., cujus verba leguntur in cap. 1. tract. 5. in Joannem, ibi : *Dedit Judas* (subaudi baptismatis Sacramentum), *& non baptizatum est post Judam : Dedit Joannes, & baptizatum est post Joannem ; quia si datum est à Juda, baptisma Christi erat : quod autèm à Joanne datum est, Joannis erat. Non Judam Joanni, sed baptismum Christi, etiàm per Judæ manus datum, baptismo Joannis, etiàm per manus Joannis dato, rectè præponimus.* Et pòst pauca : *Quos enim baptizavit Joannes &c.* Reliqua integra habentur apùd Gratianum, cum quibus etiàm conferre juvabit, quæ descripta sunt in can. 26. & 39. de cons. dist. 4. & laudato can. 30. caus. 1. q. 1.

Can. 54. & 56. caus. 1. q. 1. Nihil singulare animadvertendum occurrit seu ad canonem 54., seu ad canonem 56. caus. 1. quæst. 1. Consonat uterque cum integris Augustini codicibus, prior cum capite 11. tractatus 80., posterior cum capite 3. tractatus 13.

Can. 30. caus. 2. q. 7. Parùm congruit Gratiani proposito canon 30. caus. 2. q. 7., qui legitur in cap. 1. tract. 6. in Evangelium Joannis. Hæc adjecta fuit epigraphe in editionibus Gratianeis : *Non Episcopi nomen, sed vita reverentiam meretur.* At verò aliud eo in loco tractabat Augustinus, ubi comparabat Schismaticos cum Catholicis, similitudine quadam inducta corvorum, & columbarum, sub nomine corvorum Schismaticos, columbarum Catholicos designaturus, his verbis : *Si ergò sic oportebat demonstrari Spiritum sanctum venientem super Dominum* (videlicèt sub specie columbæ), *ut intelligat unusquisque, si habeat Spiritum sanctum, simplicem se esse debere, sicut columbam, habere cum fratribus veram pacem, quam significant oscula columbarum. Habent enim oscula & corvi ; sed in corvis falsa pax, in columba vera pax. Non omnis ergò, qui dicit : Pax vobiscum, quasi columba audiendus est : undè ergò discernuntur oscula corvorum ab osculis columbarum ? Osculantur corvi, sed laniant : à laniatu innocens est natura columbarum. Ubi ergò laniatus, non est vera in osculis pax. Illi habent veram pacem, qui Ecclesiam non laniaverunt ; nam corvi de morte pascuntur : Hoc columba non habet : de fructibus terræ vivit, innocens ejus actius est.*

Can. 36. caus. 2. q. 7. Canon 36. caus. 2. q. 7. integer legitur in tract. 30. ad caput 6. Joannis, ubi Augustinus docebat, in judiciis non habendam esse personarum rationem, sed potiùs causæ justitiam perpendendam ; neque enim, ajebat, patre adversùs filium contendente, patri favendum erit temerè litiganti, ne paternæ reverentiæ quidquam detrahi videatur.

Can. 19. caus. 8. q. 1. Can. 19. caus. 8. q. 1. legitur ad expositionem capitis 10. Joannis tract. 46. ad illa Christi verba : *Ego sum Pastor bonus* ; sed ubi Gratianus exorditur : *Sunt in Ecclesia quidèm præpositi*, legendum erit : *Sunt in Ecclesia quidam præpositi &c.*

Can. 33. & 85. caus. 11. q. 3. De canone 33. caus. 11. q. 3. nihil est, quod specialitèr sit animadvertendum. Legitur integer in tract. 28. ad caput 7. Joannis. At in verbis canonis 85. eadem causa, & quæstione observandum est, illa ad duo Augustini disjuncta monumenta exigi oportere. Nàm, quod in principio legitur, referendum est ad tract. 113. in caput 18. Joannis, ubi sermo fit de Petro Apostolo, qui, testante Evangelista, se Christum ignorare professus fuerat ; quam ad rem ait Augustinus : *Sanè in ista, quæ jam cœpta est, negatione Apostoli Petri debemus advertere, non solùm ab eo negari Christum, qui dicit, eum non esse Christum, sed ab illo etiàm, qui cum sit, negat se esse Christianum &c.* Reliqua, quæ apùd Gratianum legimus, cum Augustini codicibus consonant. Versiculus autèm *ti-*

mendo referendus est ad tractatum 66. ad interpretationem capitis 14. Joannis, ubi quoquè explicatur dictum Petri Domino promittentis, se moriturum priùs, quàm Dominum abdicaturum.

Can. 12. & 17. caus. 12. q. 1.

Canones 12. & 17. caus. 12. quæst. 1. rectè consonant cum editis Augustini codicibus, scilicèt prior cum tract. 50. ad caput 12., posterior cum tract. 62. ad cap. 13. Joannis.

Can. 11 caus. 22. q. 2.

Can. 11. caus. 22. quæst. 2. referendus est ad tractationem 43. ad cap. 8. Joannis de illis Christi verbis : *Ego novi eum*, (scilicèt Patrem); *& si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax*; ad quæ ait Augustinus : *Secundum carnem judicantibus potuit & hinc arrogans videri, quia dixit : ego novi eum. Sed videte, quid sequatur : Si dixero, quia non novi eum, ero similis vobis mendax : Ergo arrogantia non ità caveatur, ut veritas relinquatur*; quibus verbis, ità descriptis, facilè erit integram Augustini sententiam consequi.

Can. 3. caus. 23. q. 4.

Canon 3. caus. 23. quæst. 4. legitur eisdem omninò verbis in tract. 50. ad cap. 12. Joannis paulò ante verba canonis 12. caus. 12. quæst. 1. cum quo erit ille conferendus, cum utrobiquè eadem materies pertractetur.

Can. 39. caus. 23. q. 4.

Canon 39. caus. 23. quæst. 4. legitur in tract. 10. ad caput 2. Joannis, ubi tamèn nonnulla sunt, quæ apùd Gratianum omittuntur. Nàm pro illis verbis : *Verberetur Agar, & ponat cervicem*, legendum est : *Verberetur Agar, cognoscat se Agar, & ponat cervicem.* Itèm pòst illa verba : *Undè spiritualitèr nati sunt*, hæc erunt adjicienda : *Legimus Danielis visiones, & gesta prophetica. Tres pueri in igne laudaverunt Dominum. Miratus est Nabuchodonosor Rex laudantes Deum pueros, & circa eos ignem non nocentem. Et cum admiratus esset, quod ait Nabuchodonosor Rex, non vel Judæus, vel circumcisus, ille, qui statuam suam erexerat, & ad eam adorandam omnes cogerat, tam laudibus trium puerorum commotus, ubi vidit majestatem Dei præsentis in igne, quid ait ? Et ego proponam decretum omnibus tribubus, & linguis in omni terra. Quale decretum ? Quicumque dixerint blasphemiam &c.* Prætereà pòst verba illa *à gehennarum igne liberatur*, hæc alia erunt adjicienda : *Nàm tres illi pueri, fratres mei, liberati sunt ab igne temporali, numquid non ipse est Deus Machabæorum, qui & trium puerorum ? Illos ab igne liberavit, illi in tormentis igneis corpore defecerunt, sed in legitimis mandatis animo permanserunt. Illi apertè liberati sunt, occultè coronati sunt. Plus est liberari de flamma gehennarum, quam de fornace potestatis humanæ. Si ergò Nabucodonosor Rex laudavit, & prædicavit, & gloriam dedit Deo, quia liberavit de igne tres pueros, & tantam gloriam dedit, ut decretum mitteret per regnum suum : quicumque dixerint blasphemiam in Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, in interitum erunt, & domus eorum in perditionem, quomodò isti Reges non moveantur &c.* Pòst sententiam Augustini, ità ad integros codices exactam, nemo erit qui commodè Gratianeum canonem non interpretetur, & facilè non intelligat, agi ibidèm de Donatistis, qui, quoniàm diù in Ecclesia Dei turpitèr grassabantur, erant publicorum Magistratuum sententia gravissimè coercendi, imò & à malo avocandi.

Can. 36. caus. 23. q. 5.

Canon 36. caus. 23. quæst. 5. legitur eisdem omninò verbis in tractatu 7. in epistolam Joannis.

Can. caus. 24. q. 1.

Canon 6. caus. 24. quæst. 1. referendus est ad tractatum 50. in Joannem, ubi Augustinus expendit verba Christi, Judam alloquentis : *Me autèm non semper habebitis*, quæ sanè, ait, æquè ad proditorem Apostolum, ac ad reliquos improbos homines pertinere; atque ad eam rem demonstrandam similitudinem adfert, petitam ex verbis directis ad Apostolum Petrum, *quæcumque ligaveris &c. quæcumque solveris, &c.*, ut, Quemadmodùm dum ista Petrus audivit, Sanctam Ecclesiam repræsentavit, ità illa, audita abs Juda, perfidos homines omnes afficerent. Hùc sanè spectat in-

integer Gratiani canon, cujus sententiam magis intelliget, quicumque ex Augustini codicibus in fine canonis ista subjiciet: *In Judæ persona significati sunt in Ecclesia mali, ipsis dictum est: me autèm non semper habebitis.* Adnotandum prætereà est, pro illis Gratiani verbis, *utiquè quæ in terra ligantur*, legi apùd Augustinum, *ut quæ in terra ligantur.*

Can. 2. caus. 32. q. 4. Ex duobus Augustini monumentis ajunt Correctores Romani, se emendavisse canonem 2. caus. 32. quæst. 4., scilicèt tum in tractatu 11. in Joannem, tum ex lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 16. & 17. Sanè priora canonis verba leguntur in memorato tract. 11., quemadmodùm & verba vers. *Invenimus*, & vers. *Invenis*, qui tamèn ità exhibendus erit ex integris Augustinianorum codicum exemplaribus: *Jam ergò invenimus fratres, & de bonis bonos, de libera Isaac, & de malis malos, de ancilla Ismael. De bonis malos, Esau de Rebecca, & de malis bonos ubi invenimus? Restat Jacob, ut in tribus Patriarchis quatuor genera istorum perfectio concludatur. Habuit uxores Jacob liberas, habuit ancillas. Pariunt liberæ, pariunt & ancillæ, & fiunt duodecim Israel. Si numeres omnes, de quibus nati sunt, non omnes de liberis, non omnes de ancillis, sed tamèn omnes ex uno semine. Quid ergò fratres mei? Numquid, qui nati sunt de ancillis, non simùl possederunt terram promissionis cum fratribus suis? Invenimus ibi bonos filios Jacob natos de ancillis, & bonos filios Jacob natos de liberis &c.* Reliqua rectè exhibentur apùd Gratianum, usquè ad illa verba: *Confirmavit ei à Domino Angelus dictum uxoris ejus.* Quæ deindè sequuntur, deprompta sunt ex lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 16. & 17., ubi eadem omninò verba leguntur subjecta, quemadmodùm jam animadverterunt Romani Correctores, verbis illis, quæ describuntur in can. 151. de cons. dist. 4., *Et in libro tuo omnes scribentur.*

Can. 23. de pœn. dist. 1. In canone 23. de pœn. dist. 1. non quidèm ipsa Augustini verba exhibentur, sed potiùs paucis perstricta sententia ex pluribus Augustini monumentis derivata, nimirùm ex tractatu 114. in Joannem, ex enarrationibus in psalmos 56. & 63., & ex lib. 3. de consensu Evangelistarum cap. 13., quorum locorum testimonia hic integra non refero, vel quòd admodum prolixa sunt, vel quòd nihil aliud pluribus exhiberetur, quàm quod paucis in Gratianeo canone contineatur. Eadem ipsa Gratiani verba primus videtur descripsisse Regino in lib. 2. cap. 49. de Ecclesiast. discipl., sub nomine Fulgentii Ferrandi, in cujus tamèn operibus, hùc usquè editis, nihil tale invenitur: primus nomine Augustini retulit Burchardus lib. 6. cap. 31.

Can. 27. de pœn. dist. 1. Canon 27. de pœn. dist. 1. legitur eisdem ferè verbis apùd Augustinum in tract. 42. in Joannem. Dixi: eisdem ferè verbis; quia pro illis Gratianeis *Machæra acuta* legitur in codicibus Augustini *Gladius acutus*, quibus canonis editio magis consona redditur recentiori Divinæ scripturæ editioni.

Can. 3. de pœn. dist. 2. Canon 3. de pœn. dist. 2. habetur in tract. 8. in epistolam Joannis, ubi Augustinus antithesim quamdam inter virtutem charitatis & vitium cupiditatis instituebat, his verbis: *Radicata est cupiditas? Species potest esse bonorum factorum, verè opera bona esse non possunt. Radicata est charitas? Securus esto, nihil malè procedere potest.*

Can. 8. de pœn. dist. 2. Canon 8. de pœn. dist. 2. jam à Romanis Correctoribus exhibitus est ad integros Augustini libros exactus, nimirùm ad tractatum 3. in eamdem Joannis epistolam. Priora tamèn canonis verba Romani Correctores omiserunt, ità describenda. *Unctionis Sacramentum est virtus ipsa invisibilis; unctio invisibilis Spiritus sanctus; unctio invisibilis charitas illa est &c.*

Can. 16. vers. *Si quis* can. 17. & 18. de pœn. dist. 2. In eamdem Joannis epistolam tract. 5. legitur canon 16. vers. *Siquis* eisdem omninò verbis, ubi multò post etiàm legitur canon 18. eadem dist., ibi: *Interrogatis vos, & dicitis mihi, quomodò possum habere istam charitatem? Noli citò de*

te

te desperare. Fortè nata est, sed nondùm perfecta est, nutri eam, ne effocetur. Præterea in eamdem epistolam Joannis tract. 9. legitur canon 17. dist. 2. de pœn., cujus verba jam à Romanis Correctoribus emendata exhibentur.

Can. 7. de pœn. dist. 3. De canone 7. de pœn. dist. 3. nihil singulare adnotandum occurrit. Habetur ille in tract. 124. in Evangelium Joannis.

Can. 11. de pœn. dist. 4. Canon 11. de pœn. dist. 4. legitur in tract. 68. in Joannis Evangelium ad verba cap. 14. vers. 2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt, si quò minùs dixissem vobis, quia vado parare vobis locum.* Ad hoc caput sibi objicit sanctus Vir, quomodò intelligendus sit Christus, qui se locum ait paraturum, quandò jam dixerat multas esse mansiones. Ait autèm, mansionum nomine divinam æternam prædestinationem designari, quæ tamèn adhùc sit complenda per operationem divinam, quâ loca præparari dicuntur. Verba Gratiani adhùc dissonant in aliquibus à verbis Augustini, quæ hoc in loco describam. Ait S. Vir de Christo Domino: *Quò vadit, & parat locum, si jam multæ mansiones sunt, si quominùs dixissem: vado parare; aut si adhùc parandus est, cur non merito dixisset, vado parare? An istæ mansiones & sunt, & parandæ sunt?.....Ergò & fecit ea, & facturus est ea, nam neque facta sunt, si ipse non fecit, neque futura sunt, si ipse non fecerit. Fecit ergò ea prædestinando, facturus est operando, sicut discipulos quandò elegerit satis indicat Evangelium; tunc utiquè, quandò eos vocavit, & tamèn ait Apostolus: elegit nos ante mundi constitutionem, prædestinando utiquè, non vocando; quos autèm prædestinavit, illos & vocavit.....Parat quodammodò mansiones mansionibus parando mansores; quippè, cum dixerit: in domo patris mei mansiones multæ sunt, quid putabimus esse domum Dei, nisi templum Dei? Quid autèm sit, interrogetur Apostolus, & respondeat: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos; hoc est etiàm regnum Dei, quod filius traditurus est Patri &c.*

Ex duobus Augustini monumentis compositus est canon 47. de cons. dist. 2., quemadmodùm jam animadverterunt Romani Correctores. In primis enim in tract. 25. in Joannem ità legitur: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille. Hoc est ergò manducare cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Ut quid paras dentem, & ventrem? Crede, & manducasti.* Deindè in tractatu 26. ista habentur: *Credere enim in eum, hoc est manducare panem vivum. Qui credit in eum, manducat: invisibiliter saginatur, quia & invisibiliter renascitur.* Postrema hæc verba iterùm apùd Gratianum exhibentur in can. 59. de cons. dist. 2. in principio. Cetera verò, quæ sequuntur in vers. *& qui manducat*, usquè ad illa *dum ejus mandata servat*, apùd Augustinum desiderantur: ceterùm continent paucis expressam Augustini sententiam, qualis fusiore stilo explicatur in tractu 26. & 27. in Joannem; ubi totus erat sanctus Doctor adversùs Schismaticos, ut traderet, manducare Corpus Christi eò potissimùm referri, ut servaretur unitas fidei, & Divina præcepta minimè negligerentur. Postrema verba versiculi *Ad altare* habentur in lib. sententiarum Prosperi cap. 189., de quo libro suo loco agendus erit. Referri ea etiàm commodè possunt ad illud, quod tradidit Augustinus in enarratione in Psalmum 42., ibi: *Introibo ad Altare Dei. Est enim quoddam sublime altare invisibile, quo non accedit injustus. Ad illud altare ille solus accedit, qui ad istud securus accedit: Illic inveniet vitam suam, qui in isto discernit causam suam.*

Can. 47. & 59. de cons. dist. 2.

Canon 63. de cons. dist. 2. legitur in tract. 26. ad caput 6. Evangelii Joannis, his verbis: *O Sacramentum pietatis, ò signum unitatis, ò vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat; accedat, incorporetur, ut vivificetur.* Et paulò infrà: *Hunc itaquè cibum & potum societatem vult intelligi corporis, & membrorum suorum, quod est Sancta Ecclesia in prædesti-*

Can. 63. & 64. de cons. dist. 2.

na-

natis, & vocatis, & justificatis, & glorificatis sanctis, & fidelibus ejus. In eodem tractatu paulo antè verba modò descripta leguntur verbà canonis 64. eadem distinct., quæ jam fuerunt ad integritatem codicum Augustini à Correctoribus Romanis exacta.

Can. 66. & 81. de cons. dist. 2.

Jam Romani Correctores animadverterunt, canonem 66. de cons. dist. 2. non verbo tenùs referri apùd Gratianum, qualis legitur apùd Augustinum, sed paucis perstrictam sancti Antistitis continere sententiam. Verba Augustini sunt tum in tractatu 6., tum in tract. 62. in Evangelium Joannis. In tract. 6. *Et sancta possunt obesse; in bonis enim sancta ad salutem insunt, in malis ad judicium. Certè enim, fratres, novimus, quid accipiamus, & utiquè sanctum est, quod accipimus, & nemo dicit: non est sanctum: & quid Apostolus? Qui autèm manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit: non ait, quia illa res mala est, sed quia ille malus malè accipiendo ad judicium accipit bonum, quod accipit. Non enim mala erat buccella, quæ tradita est Judæ à Domino. Absit. Medicus non daret venenum, salutem medicus dedit, sed indignè accipiendo ad perniciem accepit, quia non pacatus accepit.* In tractatu 62. *Quid ergò miraris, si datus est Judæ panis Christi, per quem manciparetur Diabolo, cum videas è contrario datum Paulo Angelum Diaboli, per quem perficeretur in Christo? Ità & malo bonum obfuit, & malum bono profuit.* Sed prætereà nonnulla etiàm lego his similia in tractatu 26. ibi: *Quam multi de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo möriuntur, undè dicit Apostolus: judicium sibi manducat, & bibit. Nonne buccella dominica venenum fuit Judæ? Et tamèn accepit, & cum accepit, in eum inimicus intravit; non quia malum accepit, seu quia bonum malè malus accepit.* Ad hunc ipsum tractatum 26. in Joannem pertinet canon 81. de cons. dist. 2., verbis tamèn paulò alitèr dispositis, ac legantur apùd Gratianum, ibi: *Apostolum audi: nolo enim vos, inquit, ignorare, fratres, quia Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes per Moysem baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt. Spiritalem utiquè eamdem, nàm corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud. Spiritualem verò, quam nos, sed Patres nostri, non Patres illorum, qui bus nos similes sumus, non quibus illi similes fuerunt. Et adjungit: & omnes eumdem potum spiritalem biberunt. Aliud illi, aliud nos, sed specie visibili quidèm, tamèn hoc idem significante virtute spirituali.*

Can. 1. de cons. dist. 4.

Canon 1. de cons. dist. 4. editus est ab auctore Glossæ ordinariæ, atque ideò nomine Augustini laudatus, quia in eadem Glossa ordinaria nonnulla Augustini fragmenta recensentur ante verba memorati canonis 1. Ceterùm apùd Augustinum non absimilis sententia reperitur in enarratione in Psalmum 134., ibi: *Nemo incipit benè vivere, nisi à fide. Fides ergò nostra in primogenitis nostris est. Quandò custoditur fides nostra, cetera subsequi possunt. Nam quod purgantur homines quotidiè proficiendo in melius, meliusque vivendo ipso interiore homine renovato de die in diem, sicut dicit Apostolus: Et si exterior noster homo corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem; ideo fit, quia primogenita fides vivit, de qua primogenita fide & Apostolus ait: Non solùm autèm, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes &c.*

Can. 26. de cons. dist. 4.

Canon 26. de cons. dist. 4. legitur in tract. 5. in Evangelium Joannis, sed verbis paulò alitèr dispositis; nam quod attinet ad priorem canonis partem, continet illa sententiam Augustini, quæ fusiùs in tractatu explicatur, ibi: *Dominus autèm Jesus Christus baptismum suum noluit alicui dare, non ut nemo baptizaretur baptismo Domini, sed ut semper ipse Dominus baptizaret; id actum est, ut per Ministros Dominus baptizaret, id est, ut quos Ministri Domini baptizaturi erant, Dominus baptizaret, non illi. Aliud est enim baptizare per ministerium, aliud bapti-*

tizare per potestatem. Baptisma enim tale est, qualis est ille, in cujus potestate datur; non qualis est ille, per cujus ministerium datur. Pòst multa cum tradidisset Augustinus, Dominum quidèm Jesum in aliquibus notum fuisse Joanni Baptistæ, in aliquibus tamèn non satis, & undecumquè notum, his verbis orationem conclusit: *Discit Joannes eum, quem noverat, sed in eo discit, in quo eum non noverat. Et quid noverat? Dominum. Quid non noverat? Potestatem &c.* Reliqua apùd Gratianum exhibentur usquè ad illa verba, *ubi benevolus est Judex.* Versiculus *neque qui plantat* ex Apostolo Paulo apùd Augustinum paulò infrà refertur, & quidèm pòst verba versiculi *Ego dico*, quæ sanè erant præponenda. Porrò verba ejusdem versiculi *Ego dico* jam restituta fuerunt ad integros codices à Romanis Correctoribus. Deniquè versiculus *non timeo* legitur pòst multa, & propè finem tractatus.

Can. 27. de cons. dist. 4. De canone 27. de cons. dist. 4., nihil singulare animadvertendum occurrit. Legitur ille eisdem omninò verbis in tractatu 6. in Evangelium Joannis.

Can. 39. de cons. dist. 4. Verba priora canonis 39. de cons. dist. 4. jam recensui superiùs ad canonem 26. de cons. dist. 4.; sunt enim verbis canonis ejusdem jungenda juxtà editionem tractatus 5. in Evangelium Joannis, ubi etiàm propè finem leguntur verba versiculi *Ergò baptizabat.* At verò versiculus *Per hanc enim potestatem* legitur in sequenti tractatu 6., ad quem jam Romani Correctores Gratianum exegerunt. Versiculus *Jam vos mundi* habetur in tract. 80., cujus verba proximè præcedunt ea, quæ descripta fuerunt in canone 54. caus. 1. quæst. 1. Præterea verba versiculi *Si fuerit* jam superiùs ego exhibui ad canonem 30. caus. 1. quæst. 1. ex tract. 5. deprompta; ex quibus adparet, vice illorum *pro ducibus* legendum fuisse *pro judicibus.*

Can. 140. de cons. dist. 4. Canon 140. de cons. dist. 4. legitur in tract. 121. in Evangelium Joannis ad interpretationem verborum Christi Domini, quibus Apostolos allocutus fuerat pòst suam resurrectionem: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, rètenta sunt.*

Can. 25. de cons. dist. 5. Canon 25. de cons. dist. 5. habetur eisdem omninò verbis in tract. 17. ad caput 5. Joannis. Adjicio pòst hæc ad canonum omnium, ex hisce tractatibus depromptorum, coronidem, quoniàm multa ibidèm pertractata sunt ad Sacramentum Eucharistiæ pertinentia, quibus Augustinus ut plurimùm Eucharisticum cibum & potum spiritualitèr explicat, perperàm sanctum Doctorem, ejusdemque sententias ab Etherodoxis recentioribus fuisse detortas, quasi de Corporis & Sanguinis Christi præsentia in Eucharistia sanctus Vir dubitasse quoquomodò videatur. Consideranda erant adjuncta & temporum & personarum, quibus, & contra quas Augustinus orabat, & ad eadem adjuncta erant eædem sententiæ exigendæ. Quotiès autèm id fiat, adparebit potissimum Augustini scopum fuisse, quemadmodùm initio præfabar, ut populum Hipponensem, diro schismate concussum, & hinc illinc exagitatum, ad unitatem atque animorum consensionem adduceret: hinc nemo mirabitur, si tradiderit, qui unitatem fidei servat, eum verè Corpus Christi, & Sanguinem sumere, quasi diceret, frustrà, imò etiàm improbè & indignè Eucharistiam suscipi, quandò unitas Ecclesiæ non servatur.

De Commentariis in epistolas Apostoli Pauli.

Can. 17. caus. 23. q. 4. Etsi nulla extent Augustini singularia Commentaria in epistolas Pauli ad Corinthios, Gratianus tamèn quædam exhibuit, velut ex eisdem Commentariis deprompta. Is in primis est canon 17. caus. 23. quæst. 4., qui potiùs referendus est ad sermonem in veteribus editionibus 50., in recentioribus 351. de utilitate agendæ pœnitentiæ, ubi hæc verba leguntur: *Nos verò à communione*

pro-

prohibere quemquam non possumus (quamvis hæc prohibitio nondùm sit mortalis, sed medicinalis) nisi aut spontè confessum, aut in aliquo, sive Sæculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum, atque convictum. Quis enim sibi utrumque audeat assumere, ut cuiquam ipse sit & accusator, & judex? Cujusmodi regulam etiàm Paulus Apostolus in eadem ad Corinthios epistola brevitèr insinuasse intelligitur, cum, quibusdam talibus commemoratis criminibus, Ecclesiastici judicii formam ad omnia similia ex quibusdam daret. Ait enim: Scripsi vobis in epistola, non commisceri fornicariis, non utiquè fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut raptoribus, aut idolis servientibus, alioquin debueratis de hoc mundo exire. Non enim possunt homines in hoc mundo viventes, nisi cum talibus vivere, nec eos possunt lucrifacere Christo, si eorum colloquium convictumque vitaverint. Undè & Dominus cum publicanis, & peccatoribus comedens, non est opus, inquit, sanis medicus, sed malè habentibus; non enim veni vocare justos, sed peccatores, & ideò sequitur Apostolus, & adjungit: Nùnc autem scripsi vobis, non commisceri. Si quis frater nominatur aut fornicator, aut idolis serviens, aut avarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere. Quo enim mihi de his, qui foris sunt, judicare? Nonne de his, qui intus sunt, vos judicatis? De his autèm, qui foris sunt, Deus judicabit. Auferte malum à vobis ipsis. Quibus verbis satis ostendit, non temerè, aut quomodolibèt, sed per judicium auferendos esse malos ab Ecclesiæ communione, ut si per judicium auferri non possunt, tolerentur potiùs, ne perversè malos quisque evitando ab Ecclesia ipse discedens, eos, quos fugere videtur, vinciat ad gehennam. Et paulò infrà: *Noluit enim hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis, vel etiàm extraordinario usurpato judicio, sed potiùs ex lege Dei secundum ordinem Ecclesiæ, sive ultrò confessum, sive accusatum, atque convictum.* Integra Augustini verba ideò descripsi, ut ex iis deindè Gratianeus canon suppleatur, aut emendetur, cum apùd eumdem Collectorem non nisi paucis perstricta sancti Doctoris sententia recenseatur.

Prætereà, quæ in canone 13. caus. 31. quæst. 1. recensentur sub nomine Augustini, epistolam ad Corinthios interpretantis, referenda sunt ad librum de bono viduitatis cap. 12., cujus non verba descripsit Gratianus, sed potiùs sententiam paucis perstrinxit. Verba ipsa Augustini hæc sunt: *De tertiis, & de ultrà pluribus nuptiis solent homines movere quæstionem; undè, ut brevitèr respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre. Sed ne cuiquam brevitas hujus responsionis meæ fortè displiceat, uberiùs disputantem reprehensorem meum audire paratus sum. Fortassis enim adfert aliquam rationem, quare secundæ nuptiæ non damnentur, tertiæ, damnentur. Nàm ego, sicut in exordio sermonis hujus admonui, non audeo plus sapere, quàm oportet sapere. Quis enim sum, qui putem definiendum, quod nec Apostolum video definisse? Ait enim: mulier alligata est, quamdiù vir ejus vivit; non dixit: primus, aut secundus, aut tertius, aut quartus; sed mulier, inquit, alligata est, quamdiù vir ejus vivit: si autèm mortuus fuerit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantùm in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit. Quid huic sententiæ, quantùm ad hanc rem attinet, addi, vel detrahi possit, ignoro. Deindè ipsum quoquè Apostolorum, ac nostrum Magistrum, & Dominum audio Sadducæis respondentem, cum proposuissent mulierem non univiram, vel biviram, sed si dici potest, septiviram in resurrectione, cujus futura esset uxor. Increpans enim eos, ait, erratis, non scientes scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim nec nubent, nec uxores ducent; non enim incipient mori, sed erunt æquales Angelis Dei. Eorum itaquè resurrectionem commemoravit, qui resurgent ad vitam, non qui resurgent ad pœnam. Potuit ergò dicere: erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei; in illa enim*

Can. 13. caus. 31. q. 1.

enim resurrectione multinubæ istæ esse non poterunt, deindè addere, quia nec aliqua ibi nubi. Sed nec ipsam, ut videmus, tot maritorum mulierem ulla suæ sententiæ significatione damnavit. Quapropter nec contra humanæ verecundiæ sensum audeo dicere, ut quotiès voluerit viris mortuis nubat femina; nec ex meo corde præter scripturæ sanctæ auctoritatem quotas libet nuptias audeo condemnare. Quod autèm dico univiræ viduæ, hoc dico omni viduæ: Beatior eris, si sic permanseris. Ceterùm adhùc hoc in loco observandum erit, nùm reverà liber de bono viduitatis sit Augustini; quod infrà discutiendum proponetur.

Can. 3. caus. 32. q. 7. Legitur etiàm apùd Gratianum sub nomine Augustini, Pauli ad Corinthios epistolam expendentis, canon 3. caus. 32. q. 7.; verùm ille potiùs referendus erit ad librum 1. de sermone Domini in monte cap. 16., ex quo eadem verba descripsit Regino in lib. 2. de Eccl. discipl. cap. 105. Quærit ibidèm sanctus Antistes, nùm, cum dixisset Dominus in Evangelio, causa fornicationis uxorem posse à viro dimitti, nomine fornicationis etiàm illa intelligeretur, quam admittere dicuntur, qui idola colunt; quam ad rem quæstionem ex verbis Apostoli Pauli dirimendam scribit, ibi: *Consulamus Apostolum, ne aliquid temerè dicamus. His, qui sunt in conjugio, inquit, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere &c.* Reliqua habentur integra apùd Gratianum usquè ad versiculum *Dominus autèm*; nonnulla tamèn pòst illa verba *aut reconcilietur uxori*, omissa fuerunt à Gratiano, ea nimirùm, in quibus subjicit Augustinus, fornicationis nomine etiàm idololatriam intelligi, & ob eamdem uxorem pòsse dimitti; post quæ ità prosequitur: *Quia scilicèt idololatria, quam sequuntur infideles, & quælibet noxia superstitio fornicatio est. Dominus autèm permisit, causa fornicationis uxorem dimitti; sed quia permisit, non jussit, dedit locum Apostolo monendi, ut qui voluerit, non dimittat uxorem infidelem, quo sic fortassis possit fieri fidelis.* Ad hanc autèm sententiam, ità expressam, exigendus erit postremus ille Gratiani versiculus. Ceterùm suam hanc sententiam aut retractavisse, aut moderatum fuisse eumdem Augustinum liquet ex iis, quæ superiùs jam animadverti ad canonem 5. caus. 28. q. 1., cum quo sanè laudatus canon 3. erit jungendus.

Edidit Augustinus singulare commentarium in epistolam Pauli ad Galatas, cujus ipse meminit in lib. 1. Retractationum cap. 24. Ex eo depromptus est versiculus *Intelligat lector* canonis 17. caus. 26. q. 7., scilicèt ex capite 4. ad vers. 10. & 11.; ubi Paulus Galatas objurgabat, quòd *dies observarent, & menses, & tempora, & annos*, quæ sanctus Antistes interpretatus ait, non solùm ad Judæos pertinere, verùm etiàm ad Gentiles, ità ut superstitiosa temporum observatio in omnibus omninò personarum generibus sit improbanda. Corruptam Gratiani editionem jam emendaverunt Romani Correctores, pòst quorum operam nihil hac in parte adjiciendum superest. Can. 17. vers. 1. caus. 26. q. 7.

Memoravit Gratianus in inscriptione tum canonis 2. dist. 26., tum canonis 2. caus. 28. q. 3. commentarium Augustini in epist. Pauli ad Titum, cujus tamèn nominis liber nullus extat apùd sanctum Antistitem. Potiùs iidem canones, in quibus eadem ipsa sententia describi videtur, referendi sunt ad librum Augustini de bono conjugali, de quo inferiùs agendum erit, ubi hæc exhibentur in cap. 18. *Sacramentum nuptiarum temporis nostri sic ad unum virum, & ad unam uxorem redactum est, ut Ecclesiæ dispensatorem non liceat ordinare, nisi unius uxoris virum; quod acutiùs intellexerunt, qui nec eum, qui catechumenus, vel Paganus habuit alteram, ordinandum censuerunt, quia de Sacramento agitur, non de peccato; nàm in Baptismo peccata omnia dimittuntur, & qui dixit: si nupserit virgo, non peccat, satis declaravit, nuptias non esse peccatum. Propter sanctitatem autèm Sacramenti, sicut femina, etiamsi cathecumena, vitiata est, non potest post* Can. 2. dist. 26. & can. 2. caus. 28. q. 3.

Bap-

Baptismum inter Dei virgines consecrari, ità non absurdè visum est, eum, qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquot commisisse, sed normam quamdam Sacramenti amisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam. Ac per hoc, sicut plures uxores antiquorum Patrum significaverunt futuras nostras ex omnibus gentibus Ecclesias, uni viro subditas Christo, ità noster Antistes unius uxoris vir significat ex omnibus gentibus unitatem uni viro Christo subditam. Et paulò pòst: *Itaquè sicut duobus, pluribusque servire, sic à viro vivo in alterius transire connubium nec tùnc licuit, nec nùnc licet, nec unquàm licebit: apostatare quippè ab uno Deo, & ire in alterius adulterinam superstitionem, sempèr est malum.* Sic emendatis Gratiani canonibus, animadvertendum est, plurimum ad hanc rem explicandam facere posse ea, quæ superiùs tradidi ad interpretationem monumentorum Ambrosii in can. 4. & 5. dist. 26.

De libro Quæstionum veteris, & novi Testamenti.

Librum quæstionum veteris, & novi testamenti jam inter apocrypha Augustini monumenta recensuerunt Maurini Monachi, illum rejicientes in appendicem tomi 3. hac adjecta censura: *Hoc opus Augustino abjudicant eruditi quique.* Quod quidèm facilè constat non solùm ex eo, quòd ille ab Augustino in libris Retractationum neutiquàm recognoscatur, ubi ceteroquin omnia opera sua ferè commemorat, verùm etiàm ex eo, quòd vel stylus ab Augustiniano sit valdè dissimilis, vel sententiæ germanis Augustini sententiis opponantur, quemadmodùm laudati Maurini Monachi perspicuè demonstraverunt. Non opus est singula hoc in loco recensere, ubi communis est in hac re eruditorum consensus. Si quæ in Gratianeis canonibus occurrent, adnotabo. Ex eo libro depromptus est canon 16. dist. 37., nimirùm ex quæst. 67., ubi ità legitur: *Quid est, quod in Cruce positus Salvator ait: Pater ignosce illis; non enim sciunt, quid faciunt; si enim nesciunt, quid est, quod ignoscitur, maximè cum dicat Rex Abimelech ad Deum: numquid gentem ignorantem perdes? Non omnis ignorans &c.* Reliqua, quæ sequuntur, integra apùd Gratianum reperies. Can. 16. dist. 37.

In quæstione ultima, seu 127. propè finem legitur canon 10. dist. 88. ubi auctor expendens verba illa Pauli ad Timotheum 1. cap. 5. vers. 14. *volo adolescentulas nubere*, arrepta occasione ità quærebat: *Sed fortè dicatur, si licet, & bonum est nubere, cur sacerdotibus non licet uxores habere? id est, ut ordinatis jam non liceat convenire? quis nesciat, unumquodque suam legem habere? est enim, quod omnino generaliter omnibus non liceat; & itèm quod aliis licet, aliis non licet. Fornicari* (hæc sunt verba laudati canonis 10.) *omnibus sempèr non licet: negotiari verò aliquandò licet, aliquandò non licet. Antequàm enim ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari; facto non licet. Et Christiano &c.* Hic statim sequuntur verba integra Gratiani, quæ exhibentur in can. 5. caus. 33. quæst. 4. Can. 10. dist. 88. & can. 5. caus. 33. q. 4.

Verba canonis 96. caus. 1. quæst. 1. leguntur in quæstione 11. ejusdem operis, non tamèn omninò dissonant à germanis Augustini sententiis; etenim sæpè, ac sæpiùs Augustinus adversùs Donatistas disputans tradidit, improbitatem Sacerdotum, aut Ministrorum virtuti Sacramentorum minimè obesse, quemadmodùm in eodem canone 96. legimus. Can. 96. caus. 1. q. 1.

In quæstione 2. ejusdem libri leguntur verba canonis 5. caus. 15. quæst. 1., ubi auctor sermonem instituit de Diaboli viribus, hoc præjacto systemate. Nimirùm ait, Dæmonem, postquàm damnatus à Deo fuerit, factum fuisse veluti Principem malarum potestatum; deinde verò Deum, ut ostenderet Dæmoni se verum esse Deum, creavisse corpoream materiem, sive confusam quamdam rerum omnium, quas videmus, Can. 5. caus. 15. q. 1.

massam, *ut Diaboli præsumtionem non potestate, sed ratione destrueret*; præsertim verò condidisse hominem sibi subjectum, & singularis obedientiæ lege devinctum, qui propterea facilè Diabolum obedientia sua tacitè redargueret. Ex hac causa tradit, Dæmonem inimicum hominis factum esse, atque eadem occasione evenisse, ut Diabolus non naturâ malus, malus esse inciperet prava, & invida voluntate; secùs enim, prosequitur auctor, nulla pœna dignus esset, si non voluntate, sed natura delinqueret, quemadmodùm nec pœnis subsunt homines illi, qui voluntate non peccant. Hùc pertinent verba illa, à Gratiano descripta: *Aliquos scimus subitò dementes factos fuisse, ferro, lapidibus, morsibus multis nocuisse, quosdam etiàm occidisse; captos autèm industriâ, & judicibus oblatos minimè reos factos, eo quòd non voluntate, sed impellente vi nescio qua, hæc gesserint, nescientes. Quomodo enim reus constitueretur, qui nescit, quid fecerit? Ità & Diabolus si bonum nescit, quare condemnandus censetur, qui non facit, quod nescit?* Hæc postrema à Gratiano omissa fuerunt, que tamèn omittere ego non debui, ut hinc facilè unusquisque integram auctoris sententiam adsequatur. Intereà verò quis indè non notet, velùt Augustino minùs convenientem, rerum à Deo opifice conditarum imaginem? quasi Deus ad rerum universitatem condendam adductus intelligatur, ut de perfidia magis magisque malum Dæmonis animum redargueret. Hæc equidèm inter illa jure optimo recensentur, ex quibus opus istud Augustino abjudicatur.

Can. 9. caus. 32. q. 2. Quod si manum admoveamus ad canonem 9. caus. 32. quæst. 2., ibidèm etiàm agnoscemus, in quo ab auctore libri longè recessisse Augustinum judicemus. Quis enim ignorat, Augustinum valdè dubitavisse, ubi de exploranda humanarum animarum origine ageretur? In canone 8. caus. 32. quæst. 2. ajebat ipse: *Magna de anima quæstio non est præcipitanda indiscussæ temeritate sententiæ.* Imò nec defuerunt, qui Augustinum notaverint, quasi ex traduce illam produci aliquandò tradidisset. At verò in laudato canone 9. ità de nativitate animarum sermo instituitur, quasi de re vulgari, trita, atque perspecta, ubi nulla superesset dubitatio. Notandum præterea est, Gratianeam editionem, qualis hodiè exhibetur, non omninò consonare cum editis Augustini codicibus; nàm priora canonis verba ità leguntur in codicibus Augustini: *Quod quidèm Moyses manifestius tradidit dicens: Siquis &c.* Item pro illis Gratiani verbis *corpus accipit animam...sed ratione infirmabatur...ideò in sanguine fertur habitare. Cum ergò &c.* legendum erit: *corpus accepit animam....sed ratione informabatur...ideò in sanguine fertur. Cum ergò &c.*

Can. 13. & 17. caus. 33. q. 5. Deniquè ab Augustini mente alienum prorsùs est, quod traditur in can. 13. & 17. caus. 33. quæst. 5., in quibus dicitur, feminam non esse conditam ad imaginem, & similitudinem Dei, contra quod idem Augustinus scripserit in libro 3. de Genesi ad literam cap. 22. his verbis: *Non dicitur rectè imago Dei, nisi illud, quod inhæret contemplandæ incommutabili veritati. In cujus rei figura Paulus Apostolus virum tantùm dicit imaginem, & gloriam Dei; Mulier autèm, inquit, gloria viri est. Itaquè, quamvis hoc in duobus hominibus diversi sexus exteriùs secundum corpus figuratum sit, quod etiàm in una hominis interiùs mente intelligitur, tamèn & femina, quæ est in corpore femina, renovatur etiàm ipsa in spiritu mentis suæ in agnitione Dei secundum imaginem ejus, qui creavit, ubi non est masculus, & femina. Sicut autèm ab hac gratia renovationis, & reformatione imaginis Dei non separantur feminæ, quamvis in sexu corporis earum aliud figuratum sit, propter quod vir solus dicitur esse imago, & gloria Dei, sic & in ipsa conditione hominis secundum id, quod & femina homo erat, habebat utiquè mentem suam, eamque ratio-*

tionalem, secundum quam ipsa quoquè facta est ad imaginem Dei. Hinc liquet, quàm falsò tributa fuerit Augustino sententia memoratorum canonum, ex quibus, qui est 13., depromptus est ex quæst. 106. & jam à Romanis Correctoribus ad fidem optimorum exemplarium exactus; qui autèm est 17., his verbis legendus erit ex quæstione 45. *Quomodò enim potest de muliere dici, quia imago Dei est, quam constat dominio viri subjectam, & nullam auctoritatem habere? Nec docere enim potest, nec testis esse, neque fidem dicere, neque judicare; quanto magis non potest imperare?* Sanè hac in re Romanis Correctoribus debemus, quod ipsi Augustini nomen supposuerunt in canonis inscriptione, quandò in vetustis Gratiani exemplaribus legebatur nomen Ambrosii. Sed prætereà illud adjicere debeo, perperàm adhùc legi *nec fidem dare*, quæ verba passim Glossographi ad mulierum intercessiones, Senatusconsulto Vellejano improbatas, retulerunt, cum aliàs legatur *nec fidem dicere*; quod potiùs pertinet ad reddenda testimonia.

SECTIO II.

De Canonibus, depromptis ex variis Homiliis, sive Sermonibus.

De Libello, seu Sermone de decem Chordis.

Symbolica est inscriptio libelli Augustini *de decem chordis*, qui in vetere Augustinianorum operum editione habetur in tomo 9., & in editione Maurinorum aptiùs relatus est inter sermones: & quidèm sermone 9. illius mentionem fecit Possidius in Indiculo. Itaquè ibidèm assimillatur divina lex decem mandatorum decem benè, & consonè tynnientibus chordis, qua significatione Augustinus populo explicabat divina præcepta. Ex eo autèm depromptus est canon 5. caus. 32. quæst. 6. eisdem penitùs verbis, quibus traditur, adulteria æquè in viris, ac in feminis improbari; nec adtendendam esse vulgarem opinionem, qua nonnulli putabant, minùs damnari in viris, quòd leges non adeò tunc in viros animadverterent.

Can. 5. caus. 32. q. 6.

De ceteris Homiliis, sive Sermonibus.

Brevitèr explicato libello, seu singulari sermone de decem chordis, uno veluti spiritu tradenda sunt, quæ ex singulis reliquis Augustini sermonibus apùd Gratianum exhibentur; unà etiàm generaliter nonnulla prænotanda, quæ ad Augustinianarum homiliarum notitiam adsequendam esse utilia possunt, & interpreti opportuna. Eximia, qua ornabatur Augustinus, doctrina, & facundia in publicis orationibus sancto viro maximam laudem apùd omnes non tantùm suæ, sed recentioris ætatis conciliavit. In iis & sacrarum literarum testimonia ad rectam amussim exigebantur, & gravia rationum momenta ad formandos audientium mores edebantur: non ibi adeò fucatus evangelicarum sententiarum adspectus, ut tegeretur superfluo cultu verborum, neque adeò asper, & rusticus, ut sine nitore proderetur. Id adeò verum est, ut, cum ea ætate nusquàm Presbyteris, in Occidentali præsertim Ecclesia, concessum fuisset, præsente Episcopo, in publicis populi conventibus verba facere, Valerius Hipponensis Episcopus singularem Ecclesiæ utilitatem fore duxerit, si hac in parte sacrarum legum disciplinam relaxaret, Augustino peculiari jure concedens, ut, se præsente, divinum Evangelium explicaret, quemadmodùm in ejus vita Possidius narrat: undè nonnulli eruditi colligunt, eo primùm exemplo receptam consuetudinem fuisse, ut, dum Episcopi inter audientes sederent, Presbyteris facultas fieret prædicandi. Paulatim increbuit Augustini

pu-

publicè orantis fama; tum etiàm major facta, cum ille dignitatem episcopalem obtinuit; & tanta erat ad eum frequentia, tanta etiàm auditorum in audiendo jucunditas, ut non tàm audire universi verba Augustini, quàm in codices singuli manu sua referre adamaverint; ut enim refert Possidius in ejus vita: *quisquis, ut voluit & potuit notarios adhibens, etiàm ea, quæ dicebantur, excerpta describebat.* Hæc in causa fuerunt, cur posteritati non satis & undecumquè perfectas habere contigerit Augustini orationes; non enim ad nos usquè devenerunt, quales ab Augustino olim recitabantur, sed potiùs quales ex ore loquentis deciduas describebant concisis interruptisque fragmentis, & scribentium industriâ aliquandò compositis Amanuenses: imò tot ferè diversis exemplaribus, quot erant scribentium manus, unde profluxit, ut varias hodiè habeamus Augustinianorum sermonum editiones, quæ licèt in sententiis consonent, verborum tamèn sunt compaginatione dissimiles. Accessit aliud Augustini codicibus depravandis, nimirùm improvida nonnullorum cura, qui sermones alienos Augustini sermonibus inseruerunt, quòd reverà Augustini illos esse putarent, intereà verò isti non facilè ab eruditis secerni à germanis orationibus potuerunt, quòd germanæ orationes, ut adnotabam, Amanuensium operâ non undecumquè Augustini stylum exhibeant, undè hodiè nonnullæ extant homiliæ, quæ dubiæ dicuntur, & incertæ auctoritatis. Maurinorum Monachorum ego sequar animadversiones, qui in tomo 5. suæ editionis triplicem ordinaverunt homiliarum classem, quarum primas germanas, secundas dubias, & incertas, postremas spurias esse dixerunt. Gratianus in laudandis Augustini homiliis modò laudavit sermones *de verbis Domini*, modò *de verbis Apostoli*, modò *de tempore*, modò *de Sanctis*, modò *homilias quinquaginta &c.* Verùm ego ab hac methodo recessi, utpote quam nec Augustinus ipse edidit, nec eruditi viri sequi amaverunt.

Jamverò, ut ad Gratianeos canones exindè depromptos deveniam, prior est canon 6. dist. 34., qui laudatur sub hac inscriptione *ex lib. 50. homiliarum, hom. 49.*, quæ in editis exemplaribus inscripta erat *ad conjugatos*, aut si veterum manuscriptorum fidem sequamur *de muliere curva*, nunc autèm apùd Maurinos est sermo 392. ex variis Augustini fragmentis, & laciniis consarcinatus; undè gravis suboritur suspicio, ex illis fortassè sermonibus esse, quos solliciti auditores ex ore Augustini deciduos transcribebant, eamque ob rem Mauríni inter dubios retulerunt. Gratianus in eo canone paulò recessit à vulgatis Augustini codicibus, in quibus ità legitur: *Audite charissimi, membra Christi, & matris Catholicæ Ecclesiæ filii. Quod dico competentibus, audiant fideles; quod dico fidelibus, audiant competentes; quod dico competentibus, aut fidelibus, audiant pœnitentes; quod dico fidelibus, & competentibus, & pœnitentibus, audiant Catechumeni, audiant omnes, omnes timeant, nemo contemnat. Sit mihi in consolationem vester auditus, ne sit vobis in testimonium dolor meus. Competentibus dico: Fornicari vobis non licet: Sufficiant vobis aut uxores, aut nec uxores, concubinas vobis habere non licet. Audiat Deus, si vos surdi estis; audiant Angeli ejus, si vos contemnitis: concubinas vobis habere non licet; & si non habetis uxores, non liceat vobis habere concubinas, quas posteà dimittatis, ut ducatis uxores; quanto magis damnatio vobis erit, si habere volueritis & concubinas, & uxores.* Can. 6. dist. 34.

Canon 3. dist. 41., qui laudatur apùd Gratianum ex serm. 5. de verbis Domini in Evangel. Matthæi cap. 7. *Petite, & dabitur vobis*, exhibetur apùd Maurinos in serm. 61., ubi Augustinus totus in eo est, ut divites ad eleemosynam inopibus elargiendam hortetur, ex iis, quæ supersunt; ait autèm ad eam rem, deducendum esse divitibus, Can. 3. dist. 41.

bus, quod sibi necessario sit agendæ vitæ subsidio, nihil detrahendum, ut ad voluptatem abundent: hinc etiàm colligit, nemini esse in opibus gloriandum, cum æquum non sit gloriari, quòd pluribus opus habeamus, undè infirmitatibus occurratur. Hæc est integra Augustini sententia in memorato canone apùd Gratianum exhita, ubi sanctus Vir, postquàm hortatus fuit divites ad elargiendum, quod superest, pauperibus, ità prosequitur: *Neque ità hoc dixi, ut divites cogam epulis, & cibis pauperum vesci. Utantur divites consuetudine infirmitatis suæ, sed doleant aliter se non posse. Melius enim possent, si aliter possent. Si ergò non extollitur pauper de mendicitate, tu quare extolleris de infirmitate? Utere cibis electis, pretiosis, quia sic consuesti, quia non aliter potes, quia si consuetudinem mutes, ægrotas. Conceditur tibi, utere superfluis, da pauperibus necessaria, utere pretiosis, da pauperibus vilia.*

Can. 13. dist. 45. Canon 13. dist. 45. legitur in sermone olim 6. inter homilias 50., nùnc à Maurinis rejecto in appendicem, tanquàm Augustino supposito, hac adjecta nota: *In appendice nunc primùm collocatur. Lovanienses dubium relinquunt, rejiciunt Verlinus, & Vindingus: ex Augustini sententiis eadem arte compositus est, eodemque credimus auctore, quo superior.* Quamquàm verò iste sermo inter apocryphos recenseatur, multa tamèn utilia continet, & ex germanis Augustini operibus derivata. Ejus sermonis scopus erat dilectio inimicorum, de qua inter cetera sermonis auctor ajebat: *Duæ sunt eleemosynæ, una cordis, altera pecuniæ. Eleemosyna cordis est dimittere, quod læsus est; nàm dare aliquid indigenti aliquandò quæris, & non habes; indulgere peccanti, quantum volueris, redundat tibi. Aurum, argentum, vestem, frumentum, vinum, & oleum, potest fieri, ut aliquotiès non habeas, unde pauperibus tribuas; ut autèm omnes homines diligas, & hoc aliis, quod tibi ipse, velis, & ut inimicis tuis indulgeas, nunquàm te poteris excusare, quia si in cellario, vel in horreo non habes, quod dare possis, de thesauro cordis tui potes proferre, quod tribuas. Et cum omnibus hominibus, etiamsi sola sit, bona voluntas sufficiat, & eleemosyna cordis multo major sit, quàm eleemosyna corporis, quis est, qui vel umbram excusationis possit prætendere? Et illud attendite, fratres, quia charitatis eleemosyna sine substantia terrena sufficit sibi, illa verò, quæ corporaliter datur, si non benigno corde tribuitur, omninò non sufficit.* Ex his & supplendus erit, atque emendandus Augustini canon, cujus sanè verba ità expressa non aliena sunt à germanis sancti Viri sententiis, qui non semèl tradidit, injuriarum remissionem ad quamdam eleemosynæ speciem pertinere, quemadmodùm liquet ex sermonibus 206. num. 2. & 210. propè finem, specialitèr autèm ex serm. 42. ibi: *Mundantur homines per eleemosynas, quæ sunt duorum generum, erogando, & remittendo; erogando, quod habes bonum; remittendo, quod pateris malum.* Videsis homiliam 9. Cæsarii Arelatensis in Bibliotheca Patrum, quæ eadem est cum sermone 308. in appendicem rejecto à Maurinis inter sermones Augustini.

Can. 8. dist. 71. Canon 8. dist. 71. inter Augustini sermones desideratur, quidquid testetur Gratianus, in errorem inductus ex codice Ivonis. Video tamèn, undè error irrepserit. Fortè Ivo, & Ivonem secutus Gratianus respexerunt canonem 21. concilii Carthaginensis, vulgò III., cui Augustinus interfuit, atque subscripsit, in eo autèm ità legitur: *Ut Clericum alienum, nisi concedente ejus Episcopo, nemo audeat vel retinere, vel promovere in Ecclesia sibi credita*, can. 2. dist. 72., ad quem sese referens Augustinus ità scribebat in epistola ad Quintianum 64. apùd Maurinos: *Recense ergò Concilium, & omnia, quæ ibi legeris, commenda memoriæ; & ibi etiam inveneris de solis Clericis fuisse statutum, non etiam de laicis, ut undequaquè venientes non recipiantur in monasterium; non quia monasterii fac-*

facta mentio est, sed quia sic institutum est, ut Clericum alienum nemo suscipiat. Hæc igitur Augustini sententia, jam anteà in Concilio probata, potuit sub Augustini nomine aliis verbis in dicto can. 8. à Gratiano describi, nisi etiàm velimus suspicari, respexisse Collectores recentiores ad canonem 53. & sequentes codicis Ecclesiæ Africanæ, ubi sanè exhibetur, atque corripitur plebium temeritas, alienos Clericos suscipientium sine Episcopi consensione: facilè autèm evenire potuit, ut ea, quæ sub nomine Aurelii Carthaginensis ibidèm recitantur, tributa fuerint ab imprudentibus Collectoribus Aurelio Augustino.

Can. 49. caus. 1. q. 1. Canonem 49. caus. 1. quæst. 1., si verborum tantùm cortex inspiciatur, adparebit, aliis Augustini sententiis adversari. Etenim Augustinus, sæpissimè de Baptismate hæreticorum disputans, illud tanquàm validum & ratum habuit; at in laudato canone 49. aliud videtur insinuari. Non est tamèn, cur in hac re laboremus. Legitur canon 49. in capite 19. sermonis 71. de verbis Evangelii Matthæi 12. *Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum &c.*; qui sermo apùd veteres dicebatur 11. de verbis Domini; ubi præcipuus sancti Viri scopus est, ut demonstretur, eos extrà Ecclesiam esse, qui per hæresim ab Ecclesiæ gremio recesserunt. Eam ob rem cum objiceretur, ab hæreticis adhùc Sacramenta conferri, undè quædam adhùc sacrarum rerum communio esse hæreticis videretur, respondet Augustinus, ea de causa videri quidèm exteriore tenùs specie hæreticos in Ecclesia esse, reverà non esse: atque hùc pertinet, quod in memorato canone legimus, formam tantùm apùd illos exhiberi pietatis, sed abesse virtutem pietatis invisibilis, & spiritualis; non quòd Sacrameta apùd illos firma non sint, sed quòd ex valida Sacramentorum administratione, quæ interioris virtutis simulachrum est, virtutem interiorem existere non deducatur. Constat ergò, quàm perperàm sibi objiceret eum canonem Gratianus, cum disputaret de vi Baptismatis hæreticorum, quasi de Augustini mente dubitaret; & quàm frustrà laboraverit in canonis interpretatione ad calcem canonis, 51. eadem causa & quæstione, dum non alitèr rem extricare nescivit, quàm distinguendo inter hæreticos formam Baptismatis corrumpentes, & inter hæreticos eamdem servantes. Porrò Augustinus eo in loco de hæreticis, formam corrumpentibus, ne cogitavit quidèm, eo unicè mentem convertens, ut quoscumque hæreticos, licèt exteriore cultu pietatis ornatos, à corpore Ecclesiæ abjiceret. Quamobrèm Gratianus melius Augustini mentem attigisset, si verba illa canonis *in eis esse non potest* non de Sacramentis, sed de hæreticis, Sacramenta administrantibus, intellexisset, recta sanè interpretatione, & sancti Antistitis proposito accommodata. In vetustis Gratiani codicibus canonis editio ab Augustini exemplaribus dissonabat; nunc verò post Correctionem Romanam omnia sunt ad optimorum codicum fidem exacta.

Can. 58. & 81. caus. 1. q. 1. Ex eodem Augustini sermone apùd Maurinos 71. deprompti sunt canones 58. & 81. caus. 1. quæst. 1., ubi sanctus Vir demonstrat, Sacramentis ut ut per improbum administrum collatis, effectu non frustrari suscipientem. Ut integra sententia exhibeatur, ii canones ità jungendi erunt, ut præponantur verba canonis 81., deindè unà subjiciantur verba canonis 58.; quoniàm verò priora verba canonis 81. perperàm describuntur apùd Gratianum, erunt ità emendanda: *ita fit verbum contra Spiritum sanctum, cum ex dispensatione ad congregationem* (scilicèt ad Ecclesiam) *nunquàm venitur; quæ ad remittenda peccata accepit Spiritum sanctum.* Ibi expendit Augustinus caput 12. Matthæi, ubi traditur, blasphæmiam in Spiritum sanctum non esse à Deo remittendam; quam sententiam ità interpretatur, ut illi intelligantur in Spiritum sanctum proferre

re blasphæmiam, qui ab Ecclesia, in qua Spiritus sanctus est, recesserunt quibus propterea in perfidia consistentibus peccatum non remittitur: hinc ità prosequitur: *Ad quam congregationem etiamsi per malum Clericum, sed tamèn Catholicum ministrum, reprobum, & fictum aliquis accesserit corde non ficto, in ipso sancto Spiritu remissionem accipit peccatorum. Qui Spiritus in sancta Ecclesia etiàm isto tempore, quo velut area cum palea trituratur, sic operatur, ut nullius veram confessionem aspernetur, nullius simulatione fallatur, atque ità reprobos fugiat, ut per eorum ministerium probos colligat.*

Can. 82. caus. 1. q. 1. Verba Canonis 82. caus. 1. quæst. 1. usquè ad versiculum *Proinde* leguntur in sermone apùd Maurinos 49., qui in vetustis editionibus erat homilia 23. inter 50., ubi Augustinus expendit verba Lucæ cap. 7. *Et ecce mulier, quæ erat in Civitate peccatrix &c.*, & demonstrat, quàm falsa esset Donatistarum traditio, docentium non posse ab hominibus in Ecclesia peccata remitti; ad quam rem ait sanctus Vir, non homines propriâ, sed divinâ virtute peccata remittere; atque ulteriùs progrediens ad interpretationem verborum Christi, Apostolos alloquentis: *Quæcumque solveritis &c.*, inquit: *Nescis, quarè hoc dictum sit? Quomodò dictum sit? Daturus erat Dominus hominibus Spiritum sanctum, & ab ipso Spiritu sancto fidelibus suis dimitti peccata. Nàm quid es homo, nisi æger sanandus? Vis mihi esse medicus? Mecum quære medicum: nàm hoc ut evidentiùs ostenderet Dominus, ab Spiritu sancto, quem donavit fidelibus suis dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco sic ait resurgens à mortuis: accipite Spiritum sanctum; & cum dixisset, accipite Spiritum sanctum, continuò subjecit: si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei, hoc est, Spiritus dimittit, non vos.* Versiculum *Proindè* jam adnotaverunt Romani Correctores apùd Augustinum minimè legi, sed potiùs ibidèm agnosci perstrictam quamdam Origenis, aut Hieronymi sententiam, qualis exhibetur in can. 3. & 7. caus. 24. quæst. 3.: quamquàm adjici potest, ibidèm Gratianum abusum fuisse quibusdam Augustini monumentis, ubi sanctus Vir tradidit, nonnullos ex iis, quos Deus ab æterno prædestinavit, adhùc extra Ecclesiam consistere, ad Ecclesiam deindè accessuros; qui tamen interèà quasi in Ecclesia extent habendi sunt, divina nimirùm attenta prædestinatione, quemadmodùm è converso nonnulli verè in Ecclesia sunt, qui tamen prædestinati à Deo non fuerunt. Similia quædam leguntur in enarratione in Psalmum 106. num. 4. ibi: *Quàm multi, non nostri adhùc, quasi intùs; & quàm multi, nostri adhùc, quasi foris?* Et in lib. 5. contra Donatistas cap. penult. *In illa ineffabili præscientia Dei multi, qui foràs videntur, intùs sunt; & multi, qui intùs videntur, foris sunt.*

In canone 94. caus. 1. quæst. 1. exhibetur sententia, Augustino minùs digna; & reverà sermo, ex quo depromptus est, à Maurinis rejicitur in appendicem tom. 5. num. 300. hac adjecta censura: *In appendice nunc primum collocatur. In editione Lovaniensium dubius est. Verlini autèm, & Vindingi censurâ suppositicius. Augustino stylus, & res minimè conveniunt, sed apprimè Cæsario.* Ejus sermonis scopus est, ut moneatur populus, ad Dei verbum à sacris oratoribus pronuntiatum dignè suscipiendum, undè sermo idem inscribitur: *Qualitèr excipiendum sit verbum Dei*; Et aliàs: *Admonitio, ut silentium in Ecclesia præbeatur*; Et alibi. *De permissione, ac prohibitione sedendi in Ecclesia, quandò vel lectiones leguntur, vel verbum Dei prædicatur.* Ipsa sanè materies Augustini non esse sermonem evincit; non erat enim opus viro eximio populum de verbo Dei attentè suscipiendo monere, quandò, uti superiùs præfatus sum, & maxima erat populi ad Augustinum prædicantem accedentis frequentia, & populi ajus-

Can. 94 caus. 1. q. 1.

dem in Augustino audiendo voluptas animi ; & jucunditas singularis.

Can. 1. & 18. caus. 2. q. 1. Can. 27. caus. 2. q. 7. & can. 85. de pœn. dist. 1.

Canon 1. caus. 2. quæst. 1. jungendus est cum can. 18. ead. caus. & quæst.; item cum can. 27. caus. 2. quæst. 7. & can. 85. de pœn. dist. 1.; sunt enim omnes ex eodem sermone deprompti, imò & eodem ferè contextu, nimirùm ex sermone apùd Maurinos 351., in aliis autèm editionibus homilia 50. inter 50, cujus hæc exhibetur inscriptio: *De utilitate agendæ pœnitentiæ.* Adnotant Maurini, sermonem istum in variis codicibus exhiberi modò magis, modò minùs mutilatum, & in varias quasi lacinias discissum, quod & ego expertus sum codices cum codicibus conferendo. Ceterùm Maurini iidem in eo conveniunt, ut concludant, stylum ab Augustiniano non esse dissimilem, ac propterèà homiliam non esse à sancto Antistite abjudicandam, quidquid in hac re senserit Erasmus: probant autèm gravissimo argumento, videlicèt, quia ejusdem sermonis mentionem fecerit Possidius in indiculo cap. 8. Ego sanè contradicere in eo non audeo, quod sermo verè Augustino sit tribuendus; at quod integer hodiè sit, neque fuerit Amanuensium involucris obnoxius, neque audeo adfirmare, cum vel ipsa codicum varietas id satis supèrque demonstret. Quamobrèm conjicio, sermonem istum unum esse ex iis, quos auditores Augustini in suos plurimi codices transduxerunt, sententia potiùs, quàm verba prædicantis describenda, uberiùs alii, alii verò breviùs; unde hodiè sententiæ quidèm sermonis à nobis venerabiles habendæ sint, non verò sit omninò verbis etiam sine discrimine adhærendum. Verba laudatorum canonum in pluribus codicibus, & Augustinianorum operum editionibus desiderantur: sunt tamèn in editione Maurinorum num. 9. & 10., quæ juvabit hoc in loco ordinatè recensere. Ità exhibetur in num. 9. *Judicet ergò seipsum homo* (hùc referendus canon 85. de pœn. dist. 1.) *in istis voluntate dum potest, & mores convertat in melius, ne, cum jam non poterit, etiàm præter voluntatem à Domino judicetur. Et cum in se protulerit severissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi claves in Ecclesia ministrantur, & tanquàm bonus incipiens jam esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à Præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum, ut in offerendo sacrificio contribulati cordis devotus & supplex id tamèn agat, quod non solùm ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiàm ceteris ad exemplum, ut si peccatum ejus non solùm in gravi ejus malo, sed etiàm in tanto scandalo est aliorum, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiàm totius plebis agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethali, & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. Meminerit sempèr, quòd superbis Deus resistit, humilibus autèm dat gratiam. Quid enim est infelicius, quid perversius, quàm de ipso vulnere, quod latere non potest, non erubescere, & de ligatura ejus erubescere? Nemo arbitretur, fratres, propterèà se consilium salutiferæ hujus pœnitentiæ debere contemnere, quia multos fortè advertit, & novit ad Sacramenta altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. Multi enim corriguntur, ut Petrus, multi tolerantur, ut Judas, multi nesciuntur, donèc veniat Dominus,* (hæc sunt priora verba canonis 18. caus. 2. quæst. 1.) *qui illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis. Nàm plerique propterèà nolunt alios accusare, dum se per illos cupiunt excusare. Plerique autèm boni Christiani* (hic est canon 27. caus. 2. quæst. 7.) *propterèà tacent, & sufferunt aliorum peccata, quæ noverunt, quia documentis sæpè deseruntur, & ea, quæ ipsi sciunt, judicibus ecclesiasticis probare non possunt. Quamvis enim vera sint quædam, non tamèn judici facilè credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. Nos verò à communione prohibere quemquam non possumus,* (hic est ca-

canon 1., & canon 18. vers. *nos vero* caus. 2. quæst. 1.), *quamvis hæc prohibitio nondùm sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, &c.* Non prosequor reliqua, cum apùd Gratianum in dicto can. 18. integra prorsùs exhibeantur.

Can. 19. caus. 2. q. 1. Canon 19. caus. 2. quæst. 1. legitur in sermone 82. apud Maurinos, apud alios 16. de verbis Domini ad verba Matthæi cap. 18. *Si peccaverit in te frater tuus &c.* Vetus Gratiani editio corrupta erat, hodiè tamen est restituta à Romanis Correctoribus. Adjiciam ego quædam ex integro Augustini sermone apud Gratianum omissa; nimirùm pòst illa verba *in secreto debemus corripere*, ità legendum erit: *in secreto arguere, ne volentes publicè arguere, prodamus hominem. Nos volumus corripere, & corrigere. Quid si inimicus quærit audire, quod puniat? Novit enim nescio quem hominem Episcopus, & alius illum nemo novit. Ego volo illum publicè corripere, &c.*

Can. 37. caus. 2. q. 7. Canon 37. caus. 2. quæst. 7. in antiquis Gratiani exemplaribus Ambrosio adscribebatur, nùnc verò passim nomen Augustini præsefert. Porrò sermo, ex quo ille depromptus est, ab aliis Augustino, ab aliis Ambrosio, ab aliis Maximo Taurinensi tribuitur, quemadmodùm liquet in tomo 6. Bibliothecæ Patrum homil. 5. Maurini Monachi eumdem in appendicem tomi 5. rejecerunt serm. 202., ubi eadem omninò Gratiani verba leguntur. Notatu digna sunt illa de Apostolis Petro & Paulo dicta: *Verùm inter ipsos, quis cui præponatur, incertum est*; quæ sanè non ità sunt intelligenda, quasi apùd auctorem sermonis, quisquis tandèm ille habeatur, dignitas Pauli dignitati Petri Apostolorum Principis sit æquiparanda. Non de dignitate, auctoritate, & gradu, sed de merito, & martyrii corona sermonem ibidèm institui, integra canonis verba demonstrant.

Can. 32. caus. 11. q. 3. Canon 32. caus. 11. quæst. 3. nullibi apùd Augustinum reperitur. Gratianus illum ex Ivonis codice derivavit, qui in parte 14. Decreti cap. 50. eumdem laudavit ex Augustini sermone 68. de verbis Domini; at verò in parte 2. cap. 94. ex Augustini libro de unico baptismo. Quis hæc Collectoris involucra dissolvet? Certum est in utroque opere desiderari. Non est mihi diutiùs elaborandum in re levioris momenti. Etenim, quod ibi traditur, planum est, atque perspicuum, & consonat cum verbis Apostoli Pauli 1. ad Corinth. cap. 5. vers. 5., ubi Apostolus incestuosum Corinthium à communione Ecclesiastica separans, Satanæ se tradere profitetur. Tantùm adjiciam, illud ipsum fragmentum laudari ab auctore Milleloquii Augustiniani, qui non longè pòst Gratianum scripsit, quasi *ex serm. 14. de verbis Domini tom. 10.*, licèt verbis paulispèr immutatis, verbo *excommunicatio*, ibi: *Omnis, qui excommunicatur, Satanæ traditur. Quomodò scilicèt? quia extra Ecclesiam est diabolus, sicut in Ecclesia Christus, ac per hoc quasi diabolo traditur, qui ab Ecclesiæ communione removetur; undè illos, quos Apostolus Satanæ esse traditos prædicat, esse excommunicatos demonstrat.*

Canon 48. caus. 11. quæst. 3. legitur penès Augustinum in sermone 82. apùd Maurinos, apùd alios 18. de verbis Domini, ubi sanctus Vir expendit verba Matthæi cap. 18. *Si peccaverit in te frater tuus &c.*, undè etiàm excerptum superiùs dixi canonem 19. caus. 2. quæst. 1., sed canon 48. habetur in cap. 4., ubi docet Augustinus, peccatorem quemquam, qui injuriam in proximum intulit, licèt tanquàm publicanus haberi debeat, non esse tamèn omninò spernendum, sed potiùs per opportunam correptionem in vitam spiritus revocandum. Editionem Gratiani olim depravatam Romani Correctores restituerunt. Can. 48. caus. 11. q. 3.

Canon 97. caus. 11. quæst. 3. legitur in serm. 62. apùd Maurinos, apùd alios 6. de verbis Domini, ubi Augus- Can. 97. caus. 11. q. 3.

tinus expendit verba illa Centurionis, Matthæi 8. *Non sum dignus, ut sub tectum meum intres.* Qua occasione præcepta tradit, quibus ad obtemperandum mandatis superiorum urgeamur. Sunt aliqui codices, in quibus sermo ille hunc titulum præsefert. De verbis Apostoli 1. ad Corint. 8. *Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem &c.* Verba canonis 97. habentur in cap. 8. illius sermonis, atque hodiè post Romanam Correctionem consonant cum Augustini codicibus, dummodò pro illis: *Si contra proconsul jubeat*, legatur: *Si contra proconsulem jubeat*, quemadmodùm meliora exemplaria exhibent.

Can. 1. & 14. caus. 14. q. 5. Canon 1. & 14. caus. 14. quæst. 5. referendi sunt ad sermonem 113. apùd Maurinos, apùd alios 35. de verbis Domini ad interpretationem Lucæ 16. ibi: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*; quæ variis observationibus Augustinus ornat, & illustrat. Non est sanè inhærendum Gratiani verbis, iis præsertim, quæ in dicto can. 1. exarantur, sed exigenda fragmenta sunt ad integram sancti Viri sententiam, ubi tradit, non ideò licere usuras aut fœnus exigere, quod exindè pauperibus eleemosynæ fiant, intereà tamèn si fortè quisquam usuras aut fœnus exegerit, opportunum maximè esse, ut in pauperes tribuantur. Verba ipsa Augustini hæc sunt: *Hoc quidam* (subaudi memoratum Lucæ testimonium) *malè intelligendo, rapiunt res alienas, & aliquid indè pauperibus largiuntur, & putant se facere, quod præceptum est; dicunt enim: Rapere res alienas mammona est iniquitatis. Erogare inde aliquid, maximè egentibus sanctis, hoc est facere amicos de mammona iniquitatis. Intellectus iste corrigendus est, imò de tabulis cordis vestri omninò delendus est. Nolo sic intelligatis &c.* Et pòst aliqua: *Sed jam si fecistis, & pecunias tales habetis, & inde saccellos implestis, inde thesaurizabatis, de malo est, quod habetis, jam nolite malum addere, & facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Et infià: *Ergò qui habetis de malo, facite inde bonum: qui non habetis de malo, nolite adquirere de malo. Esto bonus tu, qui bonum facis de malo, & cum cœperis aliquid boni facere de malo, noli remanere tu malus: nummi tui convertuntur in bonum, & tu remanes malus?*

Canon 3. caus. 14. quæst. 5. depromptus est ex serm. 287. apùd Maurinos, seu homil. 7. inter 50. in vetustis editionibus sub hac inscriptione: *De periculo Sacerdotis, & raptorum correptione.* Laudati Maurini Monachi hanc notam ad eum sermonem adjecerunt: *Desumptus fuit ex Augustini sermone 178., nihilque ferè diversum habet, nisi in præfatione, & in conclusione.* Itaquè sermo ille 287. in appendicem rejectus, reverà Augustini non est, sed incerti cujusdam Auctoris, qui sermonem Augustini 178. studuit imitari, ubi sanctus Antistes demonstrat, ex rapinis, & furtis non jure eleemosynas fieri. Verba canonis post Romanam Correctionem consonant cum verbis sermonis 287.; sed in sermone 178. similia quædam existunt, præsertim ibi: *Si non habes, quod des de tuo, meliùs nulli dabis, quàm alteros spoliabis.* Ex eodem sermone 287. depromptus est canon 6. caus. 14. quæst. 5., ubi, cum sermonis Auctor inveheretur adversùs rerum alienarum raptores, adduxit exemplum perfectæ fidei & integritatis de mendicante homunculo quodam, qui cum sacculum alienum deperditum, continens solidos ferè ducentos, casu invenisset, publicè *Pictaceum* proposuerat, ut rei deperditæ dominum investigaret. Sistens se pecuniæ dominus inventori ut gratificaretur, viginti solidos obtulerat, sed recusanti; quam ob rem obtulit tantùm decem, deindè etiàm quinque, sperans præmium illud modicum non fore æquè ab inventore æquissimo refutandum; ac demùm quinque accepit inventor, non ut sibi oblatum haberet, sed ut pauperibus distribueret. Factum hoc laudabat sermonis auctor, ità deindè inquiens

Can. 3. & 6. caus. 14. q. 5.

con-

conversus ad populum : *Facite hoc, fratres mei, nolite putare damnum vos pati, si feceritis : magnum lucrum est, si feceritis, quod dico.* Et pòst pauca : *Si ergò veraciter laudasti, redde, quod invenisti, quando laudasti, testimonium contra te dixisti. Estote fideles inventores, & tunc iniquos vituperate raptores ; nàm quod invenisti, & non reddidisti, rapuisti. Quantum potuisti, fecisti, quia plus non potuisti, ideò plus non fecisti. Qui alienum negat, si possit, & tollit. Quod non tollis, timor prohibet, non bonum facis, sed malum metuis. Quid est magnum ? Timere malum ? Magnum est non facere malum : magnum est amare bonum. Nam & latro timet malum, & ubi non potest, non facit, & tamèn latro est; Deus enim cor interrogat, non manum.* Ex his restituendus erit Gratianeus canon.

Can. 66. caus. 16. q. 1. Canon 66. caus. 16. quæst. 1. depromptus est ex sermone 219. in vetustis editionibus, apùd Maurinos autèm rejecto in appendicem num. 277. hac adjectâ censurâ : *In appendice nunc collocatur. Lovanienses dubium reliquerunt. Rejecit post Verlinum Vindingus, ob id maximè, quòd decimas, de quibus reddendis hic agitur* (scilicèt agitur ibidèm de decimis non tantùm ex rusticis, sed & ex urbanis prædiis persolvendis) *intelligere liceat ex serm. 3. in Psalmum 103. num. 9., & ex enarratione Psalmi 146. num. 16. & 17. nondùm fuisse Augustini ætate Clericis & Sacerdotibus datas, aut adsignatas. Cæsarium potiùs refert, quàm Augustinum.* Hæc censura virorum, ceteroquin eruditissimorum, plausibilior esset, quotiès ipsi prætereà docuissent, nondùm Augustini temporibus decimas fuisse persolutas ex urbanorum ædificiorum redditibus. At verò res ista valdè in obscuro posita esse videtur ; neque enim in laudatis Augustini monumentis expressè traditur, decimas prædiorum urbanorum Clericis non deberi. Etsi enim ibidèm nihil de decimis ædificiorum expressè dicatur, non tamèn dicitur, illas præstari non consuevisse. Deindè quod Maurini concludunt, sermonem istum ad Cæsarium potiùs pertinere, quàm ad Augustinum, verum quidèm est, si dicamus Cæsarium similem quemdam sermonem habuisse, scilicèt homiliam 41. in Bibliotheca Patrum tom. 8. editionis Lugdunensis inter eas, quæ Cæsario Arelatensi adscribuntur ; Sed quoniàm in eadem homilia Cæsarius refert, se idem prædicare, quod jamdiù prædicaverat Augustinus, vereor, ne in hac parte in ancipiti admodùm versetur Maurinorum censura ; magis enim ex Cæsarii testimonio confirmari posset, esse Augustinum illius sermonis auctorem. Non est tamèn, cur diutiùs immoremur in investigando homiliæ Auctore, quandò Gratianeus canon potiùs consonat cum homilia Cæsarii, quàm cum homilia Augustino tributa. Non consonat omninò in primis cum homilia Augustino tributa, in qua ità legitur : *Propitio Christo, fratres charissimi, jam propè sunt dies, in quibus messes colligere debeamus, & ideò gratias agentes Deo, qui dedit, de offerendis, imò de reddendis, decimis cogitemus. Deus enim noster, qui dignatus est totum dare, decimam à nobis dignatur repetere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam.* Et pòst aliqua : *Si tardiùs dare peccatum est, quanto pejus est non dedisse ?* Iterùm pòst pauca : *Decimæ enim sunt tributa egentium animarum. Redde ergò tributa pauperibus, offer libamina Sacerdotibus. Quòd si decimas non habes fructuum terrenorum, quod habet agricola, quodumque te pascit, ingenium Dei est, & inde decimas expetit, undè vivis. De militia, de negotio, de artificio redde decimas. Aliud enim pro terra dependimus ; aliud pro usura vitæ pensamus. Redde ergò homo, quia possides, redde, quia nasci meruisti. Sic enim dicit Dominus : Dabunt singuli redemptionem animarum suarum, & non erunt in eis morbi, neque casus. Ecce habes in Scripturis Sanctis cautionem Domini tui, per quam tibi promisit, quod si decimas dederis, non solùm abundantiam fructuum recipies, sed etiàm sanitatem corporis consequeris. Re-*

ple-

plebuntur, inquit, areæ tuæ frumento, vino quoquè torcularia tua redundabunt, & non erunt in eis morbi, neque casus. Cum enim decimas dando, & terrena, & cœlestia possis munera promereri, quare per avaritiam duplici te benedictione defraudas? Et pòst aliqua: *Hæc enim est justissima Domini consuetudo, ut si tu decimam illi non dederis, tu ad decimam revoceris; scriptum est enim: Hæc dicit Dominus: quia decima agri tui, & primitiæ tuæ vobiscum sunt. Video vos, & fallere me æstimastis intùs in thesauris vestris, & in domibus vestris erit direptio. Dabis impio militi, quod non vis dare Sacerdoti. Convertimini ad me, dicit Dominus Omnipotens, ut aperiam vobis cataractas cœli, & effundam vobis benedictionem meam desupèr, & non vobis corrumpentur fructus terræ, neque languebit vitis in agro vestro, & beatos vos dicent omnes gentes. Benefacere Deus semper paratus est, sed hominum malitia prohibetur.* Deniquè pòst alia ista sequuntur. *Decimæ enim ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerit, res alienas invasit; & quanti pauperes in locis, ubi ipse habitat, illo decimas non dante, fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante tribunal æterni Judicis adparebit, quia rem à Deo pauperibus delegatam suis usibus reservavit. Qui ergò sibi aut præmium comparare, aut peccatorum desiderat indulgentiam promereri, reddat decimam; etiàm de novem partibus studeat eleemosynam dare pauperibus.* Hæc, quæ ex sermone, Augustino adscripto, recensui, illa sunt, quæ cum Gratianeo monumento magis consonare videntur. Ceterùm, ut præfabar, canon integer referendus potiùs erit ad homiliam Cæsarii, ubi hæc leguntur: *Augustinus dixit: Decimæ enim tributa sunt egentium animarum &c.* Non persequor reliqua, cum eadem ipsa sint, quæ Gratianus edidit, dummodò pro illis Gratiani verbis: *Non igitur Dominus Deus præmium postulat, sed honorem.... si tardiùs dare peccatum est, quantò pejus est non dedisse; de militia, de negotio, de artificio redde decimas. Cùm enim....reddat decimam; etiàm de novem partibus studeat eleemosynam dare pauperibus*, ità legatur ex Cæsario: *Non eget Dominus Deus, non præmium postulat, sed honorem... undè per Prophetam dixit: Primitias areæ tuæ, & torcularis non tardabis offerre mihi: si tardus dederis, peccatum est, quanto magis est non dedisse? De negotio, de artificio, de qualicumque operatione vivis, redde decimas. Cum enim....redditis decimis, etiàm de novem partibus studeat eleemosynam dare.*

Canon 8. caus. 16. quæst. 7. Maurinorum judicio Augustini esse non potest, etenim sermo in veteribus editionibus 48. inter homilias 50. de verbis Evangelii Lucæ 12. *Hominis cujusdam divitis uberes adtulit possessio fructus &c.*, undè depromptus est canon, rejectus ab illis fuit in appendicem tanquàm suppositicius serm. 86. hac adjecta censura: *In appendice nùnc primùm collocatur. Lovaniensibus dubius, Verlino, & Vindingo spurius est. Quod hic num. 3. de decimis concionator admonet, in ætatem Augustini haudquaquàm quadrat.* Reverà quinam apùd Augustinum designari poterant sub *Majorum* nomine, qui ex decimarum præstatione facti divites proponuntur? Non sanè Christiani, cum nupèr à Christianis exigi decimæ temporibus Augustini cœpissent. Non Judæi in vetere lege, de quibus dici non poterat, eos censum Cæsari persolvisse. Deindè, quod subjicitur de decimis, in fiscum redactis, potiùs congruit sæculo 9. aut 8., quibus eam fuisse jurium decimalium conditionem illius temporis historici abundè testantur.

Can. 8. caus. 16. q. 7.

Simùl jungendi sunt canon 4. & 14. caus. 22. quæst. 1., canon 3. caus. 22. quæst. 2. & canon 10. caus. 22. quæst. 5., utpotè qui deprompti sunt ex eodem Augustini sermone in veteribus editionibus 28. de verbis Apostoli, apùd Maurinos 180. Ibidèm expendit sanctus Antistes verba illa epistolæ Jacobi cap. 5. *Ante omnia nolite jurare &c.*, & cau-

Can. 4. & 14. caus. 22. q. 1. Can. 3. caus. 22. q. 2. & Can. 10. caus. 22. q. 5.

causas inquirit, cur jusjurandum ab Apostolo improbaretur, quandò aliàs constabat, vel ipsum Deum in Sacris Litteris juravisse, & jusjurandum ipsum, gratiâ prodendæ veritatis elicitum, religionis nostræ in Deum esse argumentum. Hùc refert Psalmum 109. vers. 4., Genesim cap. 22. vers. 16. & Numeros cap. 14. vers. 18. Addit prætereà Sanctorum Virorum jurantium exempla, ac præsertim Pauli Apostoli, in illis verbis, quæ exhibentur in dicto can. 4., quæ cum in integro sermone consonant, dummodò adjiciantur notæ Correctorum Romanorum. Quæ quidèm omnia ut cum præcepto Jacobi conciliet, concludit, ideò jusjurandum hominibus generaliter prohiberi, non quòd suapte natura malum sit, sed quòd facilè homines perjurii periculum incurrant. Ait inter cetera: *Jurat Deus, qui peccatum non habet; non ergò erit peccatum jurare, sed peccatum est pejerare. Fortassè quis dicat, non esse proponendum de Domino Deo jurationis exemplum; Deus enim est, & fortè illi soli competit jurare, qui non potest pejerare. Homines enim falsum jurant &c.* Hic describuntur, quæ Gratianus retulit in dict. can. 3. junctis Romanorum Correctorum emendationibus. Pòst quæ ità concludit Augustinus: *Quia ergò grave peccatum est pejerare, compendium tibi dedit scriptura: Noli jurare.* Hùc pertinet etiàm sententia dicti canonis 14., cujus priora verba consonant hodiè cum cap. 4. Augustiniani sermonis, quemadmodùm & verba vers. *Non vobis* cum cap. 9. Deniquè in fine ejusdem sermonis habentur verba dicti canonis 10., quæ cum integris Augustini exemplaribus omninò consonant pòst Correctionem Romanam.

Can. 9. caus 22. q. 2. Canon 9. caus. 22. quæst. 2. legitur in sermone apùd Maurinos 181., qui in veteribus editionibus erat 29. de verbis Apostoli, scilicèt de verbis illis Joannis epist. 1. cap. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus &c.* Ex iis autèm Apostoli verbis disputabat Augustinus adversùs Pelagianos, qui tradebant, aliquos homines justos esse, & sine ullo omninò peccato, eos nimirùm, qui Pelagianæ sectæ nomen dedissent. Eos sanctus Antistes frequentèr interrogabat, nùm semetipsos justos dicerent, ac prædicarent. Respondebant illi, se quidem justos esse, licèt ex humilitate & demissione quadam animi se peccatores profiterentur. Eò pertinet sententia canonis 9., quem facilè interpretaberis, quotiès cum illo jungas hæc verba Augustini, Pelagianum interrogantis: *Dicis enim: humilitatis causa nos dicimus peccatores esse; nam Deus videt, quod justi sumus. Cum ergò humilitatis causa mentiris &c.*

Can. 3. & 4. caus. 22. q. 4. Canones 3. & 4. caus. 22. quæst. 4. leguntur in sermone de Decollatione S. Joannis Baptistæ, ubi Augustinus inter cetera de jurejurando agit, occasione arrepta, quòd Herodes fidem, Herodiadi datam, & jurejurando firmatam, in Joannis decollatione complevit, ad quam rem ità legitur in serm. 308. *Scripturis diligentiùs perscrutatis, occurrit mihi unum exemplum, ubi video, pium hominem & sanctum in temerariam jurationem cecidisse, & maluisse non facere, quod juraverat, quàm jurationem suam fuso hominis sanguine implere. Commemoro ergò charitatem vestram. Quandò Saul sanctum David persequebatur ingratus, ille cum suis ibat, quocumquè poterat, ne inveniretur à Saule, & occideretur; & quodam die ab homine divite, qui vocabatur Nabal, & tondebat oves suas, petivit sustentaculum victus sibi, & eis, qui cum illo erant. Immisericors dare noluit, &, quod est gravius, contumeliosè respondit. Juravit sanctus David, eum occisurum se esse, erat enim armatus; & quod facile fuerat, & justè facere ira persuadente videbatur, incautus fudit jurationem, & cœpit ire, ut faceret, quod juraverat. Occurrit Abigail uxor Nabal, & tulit ei necessaria, quæ poposcerat. Supplicitèr eum rogavit, flexit, & à mariti sanguine revocavit. Juravit temerè, sed non implevit jurationem majore pietate. Proindè,*

Cha-

Charissimi, iterùm redeo ad monendos vos. Ecce sanctus David non quidèm iratus sanguinem hominis fudit, sed eum falsum jurasse negare quis poterit? De duobus peccatis elegit minus, sed minus fuit illud in comparatione majoris. Ex his supplendi sunt laudati canones 3. & 4.

Can. 5. caus. 22. q. 4. Ex eodem sermone 308. cap. 4. depromptus est canon 5. caus. 22. quæst. 5., ubi tradebat Augustinus, nemini licere in judicium alteri collitiganti jusjurandum deferre, quandò certò sciat alterum pejeraturum. Verba, à Gratiano descripta, perspicua sunt, pòst quæ eamdem persequens materiem Augustinus subjicit in suo sermone exemplum cujusdam Tutuslymeni Hipponensis, quem refert gravissimè deliquisse, & ob eam causam ad Deo miraculosè correptum, quòd ad jusjurandum in judicio provocasset debitorem suum, quem certò sciebat falsum esse juraturum.

Canon 6. caus. 22. quæst. 5. habetur in sermone 180. de verbis Apostoli Jacobi: *Ante omnia nolite jurare*, ex quo superiùs jam animadverti decerptum fuisse canonem 3. caus. 22. quæst. 2. Jàm Romani Correctores adnotaverunt, pro illis Gratiani verbis *Non est peccatum*, legi apùd Augustinum: *Non audeo dicere, non esse peccatum.* Itèm observandum est, pro illo verbo Gratianeo *impressit* legi apùd Augustinum *expressit.* Porrò hujus canonis sententia consonat cum canone præcedente; in utroque enim Augustinus improbat delationem jurisjurandi in collitigantem, quotiès deferens noverit, eum, qui paratus est ad jurandum, perjurii crimen admissurum.

Can. 6. caus. 22. q. 5.

Can. 2. caus. 23. q. 1. Canon 2. caus. 23. quæst. 1., quem Gratianus laudavit tanquàm depromptum ex sermone de puero Centurionis, habetur in epistola Augustini in vetustis editionibus 5., apùd Maurinos 138. ad Marcellinum. Verba canonis præsertim pòst Romanam Correctionem cum epistola consonant. Augustini autèm scopus is erat, ut suaderet, injurias facile remittendas esse, præcipuè cum per injuriarum remissionem facilè quis proximum ipsum, qui injuriam fecerat, ad bonum dirigere possit. Erant enim quidam apùd Marcellinum tradentes, remissionem injuriarum perniciosam Reipublicæ fore, cum Reipublicæ intersit illas ulcisci; undè temerè pronunciabant, præcepta Evangelii utilitati publicæ adversari. Adversùs hanc in divina præcepta contumeliam stylum acuit Augustinus, atque inter cetera elegantissimè disputata laudavit Ciceronem, qui, ut ut in Evangelica lege minimè eruditus, sed solas naturæ institutiones contemplatus, in oratione pro Marco Marcello non prædicare non potuit virtutem Cæsaris, quòd injurias adversantium singulari humanitate remisisset, rem hanc deindè hoc dilemmate perstringens: Aut enim, ajebat Augustinus, orator eximius pro rei veritate laudavit Cæsarem; ac tum verum erit, remissionem injuriarum præter Evangelicam mansuetudinem, Gentibus ipsis, qui solùm publicæ civilis rei commodum spectabant, maximæ laudis materiem suppeditavisse: Aut adulatorem egit Cicero; & tunc saltèm verùm erit, in mente Romanorum fuisse, ut injuriarum remissio, per se considerata, esset honore dignissima, neque enim vel ipsa adulationis ratio patitur, ut quis ex eo laudetur, quòd factum vergat in Reipublicæ detrimentum; ubi præsertim de eo laudando agebatur, qui ex suo imperantis officio non tantùm non officere, sed prodesse quàm maximè Reipublicæ conari debebat.

Canon 5. caus. 23. quæst. 1. depromptus est ex sermone 19. de verbis Domini in antiquis editionibus, rejecto apùd Maurinos in appendicem tom. 5. num. 82. hâc adjecta censurâ. *Pridèm rejectus à Lovaniensibus fuit, qui Maximi Episcopi esse, ac inter Ambrosianos reperiri monuerunt. Augustino in manuscriptis benè multis constanter adscribitur. Certè quidèm non ad Augustinum, sed fortè nec ad Ma-*

Can. 5. caus. 23. q. 1.

Maximum pertinet. Itaquè, si Maurinorum judicio fidendum est, sermonem ab Augustino abjudicabimus. Ne verò negligi omninò Gratiani monumentum videatur, cum in eo exhibeatur æquissima doctrina, cujuscumque esse dicatur auctoris; adnotandum est, auctorem sermonis totum in eo fuisse, ut demonstraret, gravissimè delinquere illos, qui sub prætextu militiæ omnia jura & naturalia, & divina susdequè vertebant, quasi militaris professio ad malum profitentem induceret, aut impelleret. Ità exorditur auctor: *Nonnulli fratres, qui aut militiæ cingulo detinentur, aut in actu sunt publico constituti, cum peccant gravitèr, hâc solent à peccatis suis prima se voce excusare, quòd militant, & ne benè aliquandò faciant, occupatos se malis actibus conqueruntur, perindè quasi militia hominum, non voluntas in culpa sit, ità, quod ipsi gerunt, officiis suis adscribunt. Non enim militare delictum est &c.*, Reliqua habentur in Gratianeo canone usquè ad illa *prædo grassetur.* Pòst quæ ità statim legitur in homilia: *Undè intelligimus, quòd apùd Deum tàm non exactio, quàm exactio iniqua damnetur; dicit enim ipse Dominus &c.* Pro illis Gratiani verbis: *Sed fit intolerabile, dum prædam exactores adcumulant*, legitur in homilia: *Sed fit intolerabile, dum illud præda exactionis adcumulat.* Postremò auctor sermonis expendit, quod dicitur in Evangelio Lucæ cap. 3. vers. 14. de Joanne Præcursore, ità inquiens: *Dicit enim Sanctum Evangelium: Interrogaverunt illum & milites: Quid faciemus & nos? Ait illis Joannes &c.* Quæ apùd Gratianum sequuntur cum integro sermone penitùs consonat.

Can. 1. 4. 8. & 9. caus. 23. q. 4. Jungendi simùl sunt canon 1. 4. 8. & 9. caus. 23. quæst. 4., cum omnes excerpti sint ex eodem sermone 18. de verbis Domini in veteribus editionibus, seu sermone 88. apùd Maurinos, ubi Augustinus expendit narrationem illam Evangelii Matthæi cap. 20. de duobus cæcis, secùs viam clamantibus: *Domine miserere nostri*; potissimùm autèm eò tendit sancti Antistitis scopus, ut doceat malos in Ecclesia tolerandos esse, dummodò eis non voluntate neutiquàm conjungamur; futurum enim speratur, ut verbo, vel exemplo iidem à nobis correpti ad meliorem frugem revertantur. Quâ in re adversùs Donatistas Augustinus pugnabat, qui malos quoscumque in Ecclesia sua consistere non patiebantur, seseque puros omni delicto passim nominabant. Quod attinet ad dictum canonem 1. non ibidèm exhibentur eadem ipsa Augustini verba, sed potiùs totius sermonis sententia perstringitur: hinc quod in canone dicitur, à Prophetis celebrata Sacramenta, sacrosque conventus cum malis fuisse, apùd Augustinum minimè legitur, sed purum putumque est Gratiani commentum. Potiùs verba Augustini recensentur in canonibus 4. 8. & 9., ex quibus Gratianus pro libito deindè suo sententiam canonis 1. consarcinavit.

Canonem 11. caus. 23. quæst. 4. laudaverat Gratianus ex lib. de unico baptismo, quem deindè Romani Correctores ad suum fontem retulerunt, nimirùm ad sermonem 22. de verbis Apostoli, quemadmodùm exhibent veteres editiones, seu ad sermonem 164. apùd Maurinos, ubi Augustinus expendit verba Apostoli ad Galatas cap. 6. *Invicèm onera vestra portate*; itèm alia *Unusquisque onus suum portabit*, quæ verba adversùs Donatistas flectebat, qui, quoscumque peccatores esse suspicabantur, à sua statim repellebant societate. Can. 11. caus. 23. q. 4.

Cauon 12. caus. 23. quæst. 4. consonat cum sermone 49. de verbis Domini in veteribus editionibus, seu serm. 137. apùd Maurinos. Expendit ibidèm Augustinus caput 10. Evangelii Joannis, eamque homiliam recensuit Possidius in cap. 8. Romani Correctores ad eumdem canonem jam adnotaverunt, verba illa *& latronem* non haberi in codicibus Augustini. Ego prætereà adjiciam nonnulla verba, omissa à Gratiano, pòst illa Can. 12. caus. 23. q. 4.

mercenarii, *& furis*: nàm ità statim sequitur apùd Augustinum: *Cùm legeretur, puto quòd animadvertistis, designavit pastorem, designavit mercenarium, designavit furem. Pastorem dixit &c.*

Can. 8. caus. 24. q. 3. Canon 8. caus. 24. quætt. 3. aliò sanè pertinet, quàm quò à Gratiano referatur. Nimirùm Gratianus ex eo conatur ostendere, excommunicationis sententiam, temere & sine causa ab Episcopo pronunciatam, non nocere excommunicato, quemadmodùm disserit post canonem 1. ejusdem quæstionis. Verùm, si Augustini mentem accuratè, uti decet, perpenderimus, facilè intelligetur, longè diversum fuisse sancti Viri propositum. Depromptus est canon ex sermone 71. de blasphæmia in Spiritum S. apùd Maurinos, sive serm. 11. de verbis Domini in vetustis editionibus. Ibidèm Augustinus expendit caput 1. epistolæ Judæ vers. 9. in iis verbis: *In novissimo tempore venient illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. Hi sunt, qui segregant semetipsos animales, spiritum non habentes*; quæ interpretans ait, aliud esse spiritum non habere, aliud non habere spiritualem cognitionem; sunt enim, qui spiritum non habent, id est, spiritum charitatis, & unionis, qui tamèn veræ charitatis & unionis notitia minimè destituuntur, quemadmodùm è converso sunt, qui destituuntur notitia charitatis & unionis, aliàs autèm spiritum charitatis & unionis habent, uti evenit in infantibus baptizatis. Itaquè pòst priora illa Gratiani verba *de illis &c.* usquè ad ea *spiritum non habentes*, paucis interjectis, ità prosequitur Augustinus: *Ut certissimè novimus, quòd parvuli in Christo, non percipientes quæ sunt Spiritus Dei, habent tamen Spiritum Dei, paulò post Paulum Apostolum intueamur, quemadmodùm eos ipsos increpans ait: Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Hoc utiquè nullo modo diceret ab Ecclesia segregatis, qui dicti sunt spiritum non habentes. Sed nec ille ducendus est esse in Ecclesia, & ad istam societatem spiritus pertinere, qui ovibus Christi corporali tantùm commixtione ficto corde miscetur; Sanctus enim Spiritus disciplinæ fugiet fictum &c.* Versiculus Gratianeus *Neque enim*, quemadmodùm jam adnotaverunt Romani Correctores, apùd Augustinum desideratur; quamquàm tamèn plurima non desint Augustini monumenta, ad quæ idem versiculus exigi commodè posset. Siquidèm sanctus Antistes non semèl tradidit, peccatores ad unitatem Ecclesiæ non pertinere, non quidèm eo sensu, ut per solam peccati labem ab Ecclesia nostra quis recessisse, aut exclusus fuisse intelligatur, sed quòd loqueretur de Ecclesia non viatorum, at qualis post mortem fidelium in Cœlo triumphatura est. Mentem suam perspicuè aperuit Augustinus idem in lib. 2. Retract. cap. 18. ità scribens: *Ubicumquè commemoravi Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, non sic accipiendum est, quasi jam sit, sed quæ præparatur, ut sit, quandò adparebit gloriosa; nunc autèm propter quasdam ignorantias, & infirmitates membrorum suorum habet, undè quotidiè dicat: Dimitte nobis debita nostra.* Igitùr, ut cetera prætermittam, totus in eo canone 8. Augustinus est, ut demonstret, aliud esse non cognoscere spiritum, aliud spiritum non habere, ideoque eos, qui Spiritui Dei resistunt, sive fidei unitati adversantur, non habere Dei Spiritum, quamquàm notitiam Spiritus habeant, nullamque propterea adferre possint criminis excusationem. Non video ex eodem canone, ità explicato, atque ad Augustinianorum codicem fidem exacto, quid in medium proferri possit, quod proposito Gratiani conveniat, atque inter cetera, quâ ratione exindè colligatur, eos, qui sine causa iniquè excommunicantur, nullum pati ex iniqua sententia detrimentum.

Canon 2. caus. 32. quæst. 6. depromptus est ex sermone 132. apùd Maurinos, seu ex serm. 46. de verbis Domini in vetustis editionibus; eum autèm

Can. 2. caus. 32. q. 6.

tèm paulò alitèr descriptum fuisse, quàm apùd Augustinum describatur, jam Romani Correctores adnotaverunt.

Can. 29. de pœn. dist. 1. Canon 29. de pœn. dist. 1. depromptus est ex sermone 17. apùd Maurinos, seu homil. 28. inter 50. in veteribus editionibus; ubi Augustinus expendit verba Psalmi 49. *Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit.* Capite autèm 4. ità legitur: *Quandò furtum facis, captas oculos ejus, cui furaris, & si eum latet facis: si propterea non facis, quia times ne videaris, intùs fecisti, in corde fecisti, fur teneris, & nihil tulisti.* Ità apùd Maurinos, quibus hodiè consonat Gratianeum fragmentum, si excipias verba illa *fur teneris*, pro quibus apùd Gratianum habetur, *furti teneris.* Additamentum habent vetusti codices Gratiani *reus furti teneris.* Sed nec est omittendum, quod Maurini observaverunt, videlicèt in MSS. codicibus desiderari illa verba *ne videaris*, pro quibus ceteroqui in vetustis Gratiani exemplaribus scriptum est *ne judiceris.*

Can. 44. de pœn. dist. 1. Canon 44. de pœn. dist. 1. jungendus est cum can. 6. dist. 34., cum uterque sit ex eadem homilia depromptus. Jam verò superiùs adnotandum fuit, homiliam illam inter incerta Augustini monumenta recenseri. Non est, cur adjiciam, in hoc canone immutatum fuisse à Gratiano verborum ordinem, cum jam id adnotaverint Correctores Romani.

Can. 63. & 81. de pœn. dist. 1. Canon 63. de pœn. dist. 1. legitur in sermone apùd Maurinos 351. de utilitate agendæ pœnitentiæ, seu homiliâ 50. inter 50. in vetustis editionibus, quem sanè sermonem, seu homiliam jam superiùs dixi ad canonem 1. & 18. caus. 2. quæst. 1. fuisse admodùm mutilatam. Verba illa, quæ in fine canonis leguntur, *& jejuniis*, apùd Augustinum desiderantur, à Collectoribus adjecta. Ex eadem homilia depromptus est canon 81. de pœn. dist. 1., ubi multa à Romanis Correctoribus emendata fuerunt, ut Gratianea editio cum Augustini codicibus consonaret. Adhùc supersunt observanda nonnulla. Nimirùm pòst verba illa Gratiani *fiat ablatio peccatorum*, hæc addenda sunt ex Augustino; *ut tanquàm puero nato dolores transeant, quibus viscera urgebantur ad partum, & tristitiam lætitia consequatur. Omnis enim &c.* Quæ habentur in vers. *Omnis enim*, iterùm à Gratiano descripta fuerunt in can. 96. de cons. dist. 4. Quæ subsequuntur in vers. *Altera verò*, & in vers. *Tertia* integra leguntur in cap. 3. & 4. sermonis. At Versiculus *etiàmsi* in sermone illo desideratur, & videtur potiùs ejus deprompta sententia ex sermone 352., ubi hæc de pœnitentia traduntur: *Est alia quippè quotidiana, ubi Dominus orare nos docuit, quid ad patrem dicamus ostendit, & in his verbis posuit: Dimitte nobis debita nostra.* Eadem autèm verba versiculi habentur integra in epist. ad Seleucianam 165. apùd Maurinos, in qua agitur de baptismo, & pœnitentia Petri adversùs quemdam Novatianum, qui tradebat, Petrum Apostolum nunquàm baptizatum fuisse.

Can. 84. de pœn. dist. 1. Canon 84. de pœn. dist. 1. laudatur à Gratiano, quasi excerptus *ex homilia de pœnitentia.* Erratum agnoscendum est, quod profluxit ex Ivonis Decreto, ubi parte 15. cap. 23. referuntur eadem verba *ex libro de pœnitentia.* Jam satis hodiè constat, depromptum canonem potiùs fuisse ex Enchiridio cap. 65., ubi desideratur particula *Nisi*, quam apùd Gratianum legimus, quæ prætereà & in codice Ivonis omittitur. Legitur tamèn apùd Petrum Lombardum sent. 4. dist. 20. Versiculus *Ergò cum tanta* referendus est ad epistolam Augustini ad Januarium, quemadmodum jam adnotaverunt Romani Correctores, de qua epistola erit sermo infrà instituendus.

Can. 13. de pœn. dist. 2. Canon 13. de pœn. dist. 2. frag mentum exhibet sermonis 270. relati à Maurinis in appendicem tomi 5. *De dilectione charitatis, & odio cupiditatis*, hac subjecta censura: *In appendice nùnc primùm*

mùm collocatur : Lovanienſibus ambiguus, ſpurius Vertino , & Vindingo erat. Auctor Auguſtinum imitatur , aut exſcribit. Quædam verò intermiſcet ab ipſo aliena , quale illud eſt de charitate , & cupiditate dictum num. 1. , *niſi una radicitùs evulſa fuerit , alia plantari non poterit. Et iſte loquendi modus ibidèm : Sine cauſa ergò aliquis conatur ramos incidere : Et num.* 5. *Ut vinum & oleum reponatur in canava: Quæ verba , & phraſes Cæſarii eſſe ex aliis ejus homiliis dicimus.* Ecquidèm paucis, & accuratè Viri eruditi ſermonem ab Auguſtino abjudicarunt ; undè ſtatim colligimus , qualis habenda ſit auctoritas Gratianei monumenti , cujus verba ceteroqui cum integris homiliæ exemplaribus conſonant.

Can. 20. de pœn. dist. 2. Canon 20. de pœn. dist. 2. legitur in ſermone 178. apùd Maurinos , ſeu 19. de verbis Apoſtoli in antiquis editionibus, ubi Auguſtinus expendens verba Pauli ad Titum cap. 1. *Ut potens ſit exhortari in doctrina ſana , & contradicentes arguere* , postquàm rerum alienarum raptores objurgavisset , ità concludit in finem ſermonis : *Si ergò ſermo meus invenit in cordibus veſtris aliquam ſcintillam gratuiti amoris Dei , ipſam nutrite: ad hanc augendam vos advocate prece , humilitate , dolore pœnitentiæ , dilectione juſtitiæ , oporibus bonis , gemitibus ſinceris, converſatione laudabili , amicitia fideli. Hanc ſcintillam boni amoris flate in vobis , nutrite in vobis ; ipſa cum creverit , & flammam dignissimam , & amplissimam fecerit, omnium cupiditatum carnalium fœna conſumit.* Ex his verba Gratianei canonis erunt emendanda.

Can. 32. de pœn. dist. 2. Canon 32. de pœn. dist. 2. relatus à Gratiano quasi ex 11. Auguſtini homilia , legitur in ſermone quodam de Symbolo contra Judæos , Paganos , & Arianos , qui Auguſtino tribuitur , rejectus à Maurinis in appendicem tomi 8. , & rectè ; quamquàm enim nonnulla in eo exhibeantur ex variis Auguſtini tractationibus congeſta , undè conjecturam nonnulli cœperint eumdem recenſendi inter ſancti Antistitis homilias : inordinata tamèn rerum ſeries , ipſa etiàm dictionum barbaries alium auctorem demonſtrat , quàm Auguſtinum. Verba Gratiani referenda ſunt ad initium ſermonis , ibi : *Quid eſt diabolus ? Angelus per ſuperbiam ſeparatus à Deo , qui non ſtetit in veritate , auctor mendacii , & à ſemetipſo deceptus , qui alterum decipere concupivit. Iſte adverſarius effectus humani generis , inventor mortis, ſuperbiæ inſtitutor , radix malitiæ , ſcelerum caput , Princeps omnium vitiorum, perſuaſor etiam turpium voluptatum. Hic dum illum primum Adam , ſcilicèt Patrem omnium noſtrum , intueretur , videretque , hominem ex limo terræ ad imaginem Dei factum , pudicitia ornatum , temperantia compoſitum , charitate circumdatum , immortalitate veſtitum , æmulus , atque invidus hæc hominem terrenum accepiſſe , quod ipſe, dum eſſet Angelus , per ſuperbiam cognoſcitur amiſiſſe , invidit ſtatim inſatiabilis homicida , eoſque noſtros primos parentes illis donis , ac tantis bonis expoliavit , inſupèr & peremit. Namquè, dilectiſſimi , cum tanta bona homini diabolus abſtuliſſet , pudicitiam , continentiam , charitatem , immortalitatem , eumque nudatum , ac turpem reddidiſſet , obſitum ſuis pannis deridens eum ſuo dominio obſtrinxit , atque ex illo vinculo omnem prolem ejus ſibimet obligavit. Turpes enim pannos ſuſcepit Adam , quando à diabolo expoliatus pudicitiâ , accinctus eſt impudicitia , amiſſâ temperantia intemperans effectus eſt , perditâ charitate malus inventus eſt , expoliatus immortalitate morti propinatus eſt.* Hæc fusiùs describenda cenſui , ut ex iisdem breve , conciſumque Gratiani fragmentum ſupplereturr , atque emendaretur. Adnotandum eſt prætereà , auctorem illius ſermonis Catechumenos allocutum fuiſſe , quos ſuadebat , nullo negotio & poſſe , & debere Dæmoni abrenunciare , juxtà formam Catechiſmi ab Eccleſia probatam.

Can. 10. de pœn. dist. 3. Canon 10. de pœn. dist. 3. extat in ſermone 41. inter homilias 50. in veteribus editionibus , à Maurinis deindè re-

rejecto inter dubios num. 393. hac adjecta censura : *Dubius erat Lovaniensibus. Verlino autèm, & Vindingo falsus, aut centonis in modum ex variis laciniis conflatus videbatur. Extat etiàm inter opuscula Ambrosii, & Cæsarii, sed cum insigni varietate.* Quidquid sit de auctore sermonis, Gratianeus canon consonat cum Maurinorum editione, dummodò pro illis verbis *& vos cum catena pascetis*, ista substituantur : *& vos enim cum catena pascitis.*

Can. 3. de pœn. dist. 4. Canon 3. de pœn. dist. 4. legitur in sermone 83. apùd Maurinos, alias 15. de verbis Domini, sub hac inscriptione: *De verbis Evangelii Matthæi 11. Postquàm peccabit in me frater meus &c.* Ibidèm postquàm Augustinus probavit, peccata omnia à Deo dimitti etiamsi innumera propemodùm admissa fuissent, suadet populo, ut invicèm unusquisque proximo suo injurias remittat, ut faciliùs eorum, quæ in Deum patrata sunt, veniam consequatur, & ait : *Nemo contra se teneat non ignoscendo, ne contra illum teneatur, quando orat. Dicit enim Deus : dimitte, & dimittetur tibi : sed ego prior dimisi, dimitte vel posteà ; nam si non dimiseris, revocabo te, & quidquid tibi dimisero, replicabo tibi.*

Can. 4. de pœn. dist. 4. Verba canonis 4. de pœn. dist. 4. apùd Augustinum desiderantur. Suspicor, in eo agnoscendum esse additamentum quoddam ignoti Glossographi, qui verba, superiùs laudata can. 3. de pœn. dist. 4. paulò alitèr exprimenda curaverit. Erat enim receptum ætate Gratiani, ut Amanuenses, aut studiosi quilibet notas marginales Patrum monumentis adjicerent, & paulo alitèr textus sententiam exhiberent ; quæ sanè marginales notæ recentiorum operâ irrepebant in textum, & pro germano Patrum monumento recipiebantur. Reverà, si verba canonis 4. considerentur, ab eo conjicietur fuisse composita, qui viveret ea ætate, quâ jam ardebat Scholasticorum disputatio, nùm aliquandò peccata semèl remissa reviviscerent: disputatio quidèm celeberrima, Gratiani temporibus, quemadmodùm liquet tum ex iis, quæ Gratianus idem fusè tradidit in dicta dist. 4., tum ex Petro Lombardo lib. 4. dist. 22., ubi quoquè eadem verba sub Augustini nomine recensentur. Itaquè ubi hæc apùd Scholasticos disputari cœperunt, putarunt aliqui ad eam dirimendam valere posse verba Augustini, relata in dicto can. 3., quæ ut magis proposito accommodarent, in aliam aut similem formam redegerunt, qualis ea est, quæ in sequenti canone exhibetur. Ceterùm adhùc à proposito distabat Augustinus, qui, cum ait, à Deo revocandum esse hominem, si peccata proximo non dimiserit homo, tantùm indicat, Deum non esse homini remissurum peccata, si homo homini injurias minimè remisisset.

Canones 2. 3. & 4. de pœn. dist. 7. deprompti sunt ex eodem sermone, ex quo depromptus etiàm fuit canon 10. de pœn. dist. 3., quem dixi superiùs inter dubios à Maurinis Monachis esse relatum. Si tamèn verba laudatorum canonum considero, deprehendo in ipsis stylum ab Augustiniano minimè alienum, quem scilicèt familiaris dicendi modus, & singularis facilitas ornat. Gratianus sententiarum pervertit methodum ; quamobrem ut fragmenta ad codicis integritatem exigantur, ità legendum erit : *Qui egerit veracitèr pœnitentiam* (hùc referendus est canon 3.), *& solutus fuerit à ligamento, quo erat adstrictus, & à Christi corpore separatus, & benè post pœnitentiam vixerit, sicut ante pœnitentiam vivere debuit, pòst reconciliationem, quandocumquè defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit, regno Dei non privabitur, à populo diaboli separabitur. Siquis autèm, positus* (hùc referendus est canon. 2.) *in ultima necessitate ægritudinis suæ, voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus, quod petit, sed non præsumimus, quòd benè hinc exit. Non præsumo*, (hæc omissa fuerunt à Gratiano,) *non*

Can. 2. 3. & 4. de pœn. dist. 7.

non vos fallo, non præsumo. Fidelis, benè vivens, securus hinc exit. Baptizatus ad horam (hùc referendus est canon 4.) *securus hinc exit. Agens pœnitentiam, & reconciliatus cum sanus est, & posteà benè vivens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. Undè securus sum, securus sum, & do securitatem; undè non sum securus, pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum.* Et pòst aliqua ità prosequitur auctor: *Vis te de dubio liberare?* (hæc describuntur in can. 2.) *vis, quod incertum est, evadere? Age pœnitentiam, dum sanus es. Si enim agis veram pœnitentiam, dum sanus es, & invenerit te novissimus dies, curre, ut reconcilieris; si sic agis, securus es. Quare securus es? quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuisti. Si autèm tunc vis agere pœnitentiam ipsam, quandò jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Sed, unde scis, inquis,* (habentur hæc in can. 4.) *ne fortè Deus dimittat mihi? Verum dicis unde? nescio. Illud scio, hoc nescio: Nam ideò do tibi pœnitentiam, quia nescio; nam si scirem tibi nihil prodesse, non te monerem, non te terrerem. Duæ res sunt: aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quid horum tibi futurum sit, nescio: Ergò tene certum, dimitte incertum.*

Can. 2. caus. 33. q. 4. Canon 2. caus. 33. quæst. 4. depromptus est ex sermone 2. de tempore, sive de Adventu Domini in vetustis editionibus, qui à Maurinis rejectus deindè fuit in appendicem tom. 5. num. 116. hac adjecta censurâ: *In appendice nùnc primùm collocatur: In Lovaniensium editione manserat inter dubios. Verlini autèm, & Vindingi sententiâ rejectus fuit. Pertinere istum quoquè ad Cæsarium, cui in Corbejensi MS. adscribitur, constabit ex aliorum ipsius sermonum comparatione.* Verba Gratiani cum verbis integri sermonis consonant, quamquàm in aliquibus deprehendatur codicum varietas; etenim, ubi Maurini cum aliis scripserunt *ab infelici concubinarum consortio*, alii exhibuerunt *ab infidelium concubinarum consortio.* Paulò alitèr fragmentum idem retulit Petrus Lombardus in lib. 4. sent. dist. 32. his verbis: *Quotiès enim vel dies Nativitatis Domini, vel reliquæ festivitates advenerint, non solùm à concubinarum consortio, sed etiàm à propriis uxoribus abstinete.*

Can. 46. de cons. dist. 2. Canon 46. de cons. dist. 2. à Romanis Correctoribus locupletatus dicitur ex Beda, Magistro sententiarum, & Ivone. Ex eisdem auctoribus inscriptionem canonis emendare potuissent, cum apud Ivonem, & Lombardum habeatur monumentum tanquàm depromptum ex tractatu 26. in Joannem. Sed fortè putarunt Romani Correctores, referri etiàm eumdem canonem posse ad sermonem 71. de verbis Evangelii Matthæi cap. 12. apud Maurinos, seu sermonem 11. de verbis Domini apùd alios editores. Ego non omittam, quid utrobiquè tradiderit Augustinus, ut omnia ad purissimos fontes exigantur. In tract. 26. in Joannem ità scribebat Augustinus: *Deniquè jam exponit, quo id fiat, quod loquitur, & quid sit manducare corpus ejus, & sanguinem ejus bibere. Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Hoc est ergò manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc, qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procùl dubio nec manducat spiritalitèr carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, licèt carnalitèr & visibilitèr premat dentibus Sacramentum corporis, & sanguinis Christi; sed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium sibi manducat, & bibit.* In sermone 71. de verbis Evangelii hæc leguntur: *Illud etiàm, quod ait: qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo, quomodò intellecturi sumus? Numquid etiàm illos hic poterimus accipere, de quibus dicit Apostolus, quòd judicium sibi manducent, & bibant, cum ipsam carnem manducent, & ipsum sanguinem bibant? Numquid*

quid & Judas, Magistri venditor, & traditor impius, quamvis primùm ipsum manibus ejus confectum Sacramentum carnis, & sanguinis ejus cum ceteris discipulis, sicut apertiùs Lucas Evangelista declarat, manducaret, & biberet, mansit in Christo, aut Christus in eo? Tam multi deniquè, qui vel corde ficto carnem illam manducant, & sanguinem bibunt, vel cum manducaverint, & biberint, apostatæ fiunt, numquid manent in Christo, aut Christus in eis?

Simùl jungendi sunt canones 58. 70. & 75. de cons. dist. 2., non solùm, quòd in eodem sermone 131. de verbis Evangelii Joannis 6. *nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.* habeantur, sed etiàm, quòd Gratianus eamdem omninò sententiam in illis ter describendam voluerit in eadem distinctione. Moneo tamèn, non ipsa Augustini verba fuisse à Gratiano descripta, qui potiùs paucis complexus est, quod fuso stylo sanctus Antistes persecutus fuerat. Non hic integrum monumentum recenseo, sive quòd admodùm polixum esset, sive quòd nihil singulare occurrit in eo, quod difficultatem movere possit; & si cui fortè dubietas emergeret, commodum erit illi integrum Augustini sermonem adire.

Can. 58. 70. & 75. de cons. dist. 2.

Canon 90. de cons. dist. 2. legitur in sermone 352. de utilitate agendæ pœnitentiæ in editione Maurinorum, ubi Augustinus refert miraculum, quod in Apostolorum prædicatione deprehendebatur, quandò Evangelicam legem audientes Apostolos singuli quasi singulorum idiomate loquentes intelligebant. Quamobrèm omnibus eo signo commotis, & ad fidem Christi adductis, *tunc eis Petrus*, ait Augustinus, à Gratiano laudatus, *annuntiavit eum colendum, quem crucifixerunt, ut ejus sanguinem biberent credentes, quem effuderunt sævientes.* Perperàm Gratianus scripsit: *quem effuderunt sitientes.*

Can. 90. de cons. dist. 2.

Canon 78. de cons. dist. 4. à Gratiano refertur, quasi depromptus ex homilia 3. Augustini. Gratianum fefellit decretum Ivonis parte 1. cap. 194., ubi similis habetur inscriptio. Referendus potiùs ille est ad sermonem quemdam de mysterio Baptismatis, quem Maurini Monachi rejecerunt in appendicem tomi 6., testati, eum fuisse vulgatum abs Jacobo Sirmundo in appendice post Augustinianos sermones 50. Porrò & Sirmundus, & Maurini eumdem Augustini non esse censuerunt. Ceterùm, quæ in memorato canone leguntur, non dissonant à disciplina Ecclesiæ, quæ temporibus Augustini vigebat; quemadmodùm colligi potest ex canone 49. inter Apostolicos, qui, licèt apocryphus habeatur, disciplinam tamen sæculi quinti, quo jam editus esse poterat, facilè demonstrat. Imò & ipsi Patres Ecclesiæ Africanæ, in qua erat Augustinus, Tertullianus in lib. de corona militis cap. 3. & Cyprianus in epist. 75. ad Magnum apertè docent, tùnc Baptismatis Sacramentum trina fuisse immersione collatum.

Can. 78. de cons. dist. 4.

Canon 105. de cons. dist. 4. refertur apùd Ivonem, tum in parte 1. cap. 134., tum in parte 11. cap. 17. Nonnulla Gratianus omisit pòst illa verba *charitatem teneant*, quæ apùd Ivonem exhibentur, ibi: *Hoc omnibus faciant, quod sibi fieri volunt: auguria non servent, & ad arbores, & ad fontes vota non reddant: incantatores, aut cariagios, sacrilegia, phylacteria veluti Diaboli venena fugiant, nec furtum faciant, nec falsum testimonium dicant. Ante omnia &c.* At neque Ivo, neque Gratianus genuinam Augustini sententiam descripserunt. Sunt enim referendi ad sermonem 163. de tempore in vetustis editionibus, quem Maurini in appendicem tomi 5. rejecerunt num. 168., ajentes, in Lovaniensium editione dubium haberi, Verlino, & Vindingo apocryphum esse, ac præsertim posteriorem partem, ad quam pertinet laudatus canon 105., esse Cæsarii. Ità ibidèm legitur num. 3. *Quicumque viri, quæcumque mulieres de sacro fonte filios spiritualitèr exceperunt, cognoscant*

Can. 105. de cons. dist. 4.

cant se pro ipsis fidejussores apùd Deum extitisse, & ideò semper illis sollicitudinem veræ charitatis impendant. Admoneant, ut castitatem custodiant, virginitatem usquè ad nuptias servent &c. Similia fermè leguntur in eodem appendice, serm. 265. olim 215. de tempore, Cæsario verosimiliùs ex Maurinorum sententia tribuendo, ibi : *Symbolum, vel orationem Dominicam & ipsi tenete, & filiis vestris ostendite ; nam nescio, quâ fronte se Christianum dicit, qui paucos versus in Symbolo, vel in oratione Dominica parare dissimulat. Filios, quos in Baptismo excipitis scitote vos fidejussores pro ipsis apùd Deum extitisse, & ideò tam illos, qui de vobis nati sunt, quàm illos, quos de fonte excipitis, semper castigate, atque corrigite, ut castè, & justè, & sobriè vivant.* Non memoro, quæ similia etiàm habentur in eodem appendice serm. 267. ad Competentes num. 5. quoniam & hæc Cæsario potiùs adscribuntur.

SECTIO III.

De libris, editis ad institutiones Fidei, aut morum ; Item adversùs Hæreticos.

De libro de Doctrina Christiana.

Vel unus titulus libri de Doctrina Christiana perspicuè designat, quid ibi tractandum sibi proposuerit Augustinus, nimirùm docuit ipse, & demonstravit præcipua Christianæ Religionis dogmata, ea quatuor libellis complexus, quorum deindè mentionem habuit in lib. 2. Retractat. cap. 4. Legitur in lib. 2. cap. 8. canon 6. dist. 19., quem tamèn Can. 6. dist. 19. ità corrupit Gratianus, ut videatur in aliam omninò sententiam detorsisse. Verba Augustini, quibus regulam tradebat observandam in sacris & divinis libris recipiendis, hæc sunt : *Erit igitùr divinarum scripturarum solertissimus indagator, qui primò totas legerit, notasque habuerit, & si nondum intellectu, jam tamèn lectione, dumtaxat eas, quæ appellantur canonicæ.* Et infrà. *In canonicis autèm scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurium auctoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sint, quæ Apostolicas sedes habere, & epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitùr hunc modum in scripturis canonicis, ut eas, quæ ab omnium accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non recipiunt. In eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures, graviores que accipiunt, eis, quas pauciores, minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autèm alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi (quamquàm hoc facilè invenire non possit) æqualis tamèn auctoritatis eas habendas puto.*

Canon 1. dist. 41. depromptus est ex lib. 3. cap. 12, ubi tamèn pro illis verbis Gratiani *intemperans*, & *vitio cupidinis*, & *in vilissimum olus ardescat*, & *sanius quisque*, legitur in purgatioribus Augustini exemplaribus, *temperans*, & *vitio cupediæ*, & *in vilissimum ardescat*, & *sanus quisque.* Can. 1. dist. 41.

Canon 6. caus. 26. quæst. 2. legitur in lib. 2. caq. 19. & seq. ; ubi docet Augustinus, apùd Christianos quædam etiàm obtinere, quæ apùd Ethnicos sunt recepta, licèt diversa ratione ; nimirùm, ut quæ apùd Ethnicos detorta sunt in superstitionem, apùd Christianos divino cultu sacrentur, cujus rei exemplum demonstrat in arte musica. Id ut generalitèr expendat, ait : *Duo sunt genera Doctrinarum, quæ in gentilibus etiàm moribus exercentur ; unum earum rerum, quas instituerunt homines, alterum earum, quas animadverterunt jam peractas, ac divinitùs institutas. Illud, quod est secundum institutiones hominum &c.* Reliqua penitùs integra habentur in memorato can. 6. Can. 6. caus. 26. q. 2.

Ad canonem 33. de cons. dist. 2. nihil est ferè, quod observemus : habetur ille initio libri 2., ubi tamèn pro illis Gratiani verbis *in cognitionem* legitur *in cogitationem.* Can. 33. de cons. dist. 2.

De libro de Dogmatibus Ecclesiasticis.

Liber de Ecclesiasticis Dogmatibus, etsi

etsi à nonnullis Augustino tribuatur, præsertim à Gratiano in laudatis canonibus, & à Petro Lombardo in lib. 2. dist. 8. & alibi, reverà tamèn Augustini non est. Trithemius in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis Alcuinum ejusdem libri dicit auctorem; Gennadium verò Algerus lib. 1. de Corp. & Sangu. Domini, cui consonat S. Thomas quodlib. 12. art. 11., & in Catena ad cap. 1. Matthæi. Maurini Monachi, qui veteres MSS. codices observarunt, testantur, in vetustis etiàm codicibus Gennadio tribui; at deindè cum minimè demonstratum sit, quis sit ille Gennadius, alii dixerunt esse Gennadium Episcopum Constantinopolitanum; alii Gennadium Presbyterum Massiliensem, cui sanè si tribuatur, Semipelagianum hominem libri auctorem agnoscere oportebit, qui sæculo 5. pravas de divina gratia & arbitrii libertate effundebat opiniones in Galliis, & quidèm contra probatam Augustini doctrinam. Jam id observaverunt Lovanienses Theologi, quorum censuram retulerunt Maurini his verbis: *Liber hic non est Catholici Scriptoris, sed Gennadii Massiliensis, in Gallia Presbyteri... de factione Gallorum, contra quam scribunt Prosper, & Hilarius Augustino, & contra quam congregatum fuit Concilium Arausicanum 2. Porrò, ut sæpiùs in catalogo virorum illustrium graves habet errores, sic & in his dogmatibus Ecclesiasticis quædam habet à lectore cavenda. Sanè hic auctor nusquàm in hoc libro meminit peccati originalis, aut Baptismatis infantium in remissionem peccatorum; cumque multos nominet hæreticos, nusquàm meminit Pelagii, aut catholici dogmatis contra eum prolati, sed contra diligentèr inculcat, animas non esse ex traduce, eò quòd sciret, Pelagium indè suum dogma statuere.* Sunt porrò hæ gravissimæ conjecturæ, ex quibus colligatur, auctorem libri Pelagianæ hæresi adhæsisse. Cùm enim libri argumentum situm in eo sit, ut Christianum dogma adversùs quascumque hæreses firmatum exprimatur, quis Catholicus in eodem libro Pelagianæ hæreseos non meminisset, præfertim verò Augustinus, si ipse auctor esset, qui Pelagianum errorem invicto animi ardore confecit? Hinc liquet, quænam sit ferenda in primis sententia de can. 3. de pœn. dist. 3., qui habetur in cap. 24. ejus libri: item de can. 13. de cons. dist. 2. qui habetur in cap. 23., ubi loco illorum verborum *si tamèn mens sine affectu peccandi sit*, legitur *si tamèn mens in affectu peccandi non sit.* Addo ad clariorem capitis interpretationem, pòst illa Gratiani verba, *Sed hoc de illo dico, quem capitalia, & mortalia peccata non gravant*, ità legi in laudato capite: *nàm, quem mortalia crimina post Baptismum commissa premunt, hortor, priùs publica pœnitentia satisfacere, & ità sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari.* Augustino sanè tribuenda sunt, quæ leguntur in vers. *Dixerit*, est enim iste depromptus ex epistola Augustini ad Januarium 54. apùd Maurinos, aliàs 118., de qua infrà sermo recurret. Demonstrat ibidèm sanctus Vir, parendum esse receptæ in unaquaque Provincia consuetudini, ubi nihil expressâ lege definitum adparet; atque ad eam rem proponit varios esse mores in suscipienda vel quotidiè, vel non adeò frequens Eucharistia, ità scribens: *Dixerit aliquis, non quotidiè accipiendam Eucharistiam, quæsieris quare? Quoniam, inquit, eligendi sunt dies, quibus puriùs homo, continentiùsque vivit, quò ad tantum Sacramentum dignus accedat; qui enim manducaverit indignè, judicium sibi manducat, & bibit. Alius contrà, imò inquit, si tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint auctoritate Antistitis, debet quisque ab altario removeri ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari; hoc est enim indignè accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam, non ut arbitrio suo, cum libet, vel auferat se communioni, vel reddat. Ceterùm, peccata si tanta non sunt, ut excommunicandus quisquam homo*

Can. 3. de pœn. dist. 3. & can. 13. de cons. dist. 2.

judicetur, non se debet à quotidiana medicina Dominici Corporis separare. Rectiùs inter eos fortassè quispiam dirimet litem, qui monet, ut præcipuè in Christi pace permaneant, faciat autèm unusquisque, quod secundum fidem suam piè credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus, & sanguinem Domini, sed saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigaverunt inter se, aut quispiam eorum se alteri præposuit Zachæus, & ille Centurio, cum alter eorum gaudens in domum suam suscepit Dominum, alter dixit: non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Ambo honorificantes Salvatorem diverso, & quasi contrario modo, ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti. Valet etiàm ad hanc similitudinem, quòd in primo populo unicuique manna secundùm propriam voluntatem in ore sapiebat. Ex his emendandus erit laudatus Gratiani versiculus. Animadvertendum autèm est, quod in postremis illis verbis legitur, rectratum videri ab Augustino lib. 2. Retract. cap. 20., ubi mentionem faciens de sua ad Januarium epistola, scribit: *Quod de manna dixi, quia unicuique secundum propriam voluntatem in ore sapiebat, non mihi occurrit, unde possit probari, nisi ex libro Sapientiæ, quem Judæi non recipiunt in auctoritatem canonicam; quod tamèn fidelibus potuit provenire, non illis adversùs Deum murmuratoribus, qui profectò alias escas non desiderarent, si hoc eis saperet manna, quod vellent.*

Can. 28. de cons. dist. 4. Ex eodem libro cap. 22. depromptus est canon 28. de cons. dist. 4., qui apùd Gratianum inscribitur quasi *ex libro de Ecclesiasticis regulis.* Adnotaverunt Romani Correctores, posteriora canonis verba depravata fuisse. Reverà pro illis: *Et sic per manus impositionem chrismate communicati Eucharistiæ misteriis admittantur*, ità legitur in integris libelli exemplaribus: *Et sic manus impositione, & chrismate communiti Eucharistiæ mysteriis admittantur.*

De libro de Disciplina Christiana.

Quamquàm multa sint in libro de Disciplina Christiana ad res Ecclesiasticas & divinas explicandas documenta, unicam tamèn Gratianus ex illo observationem eduxit grammaticalem de nomine pecuniæ in can. 6. caus. 1. quæst. 3., ubi dicitur, pecuniæ nomine venire omnia bona mobilia æquè, ac immobilia, quemadmodùm & Romani veteres Jureconsulti tradiderant in l. 88. 97. 178. & 222. ff. de verb. signif. Ità scribendi occasionem sumpsit Augustinus, quod in cap. 6. proposuerat, Deum super omnia amandum esse, quia solus ipse beatum hominem facit, ità subjiciens: *Undè se fieri putat* (homo) *beatum, hoc amat. Quid, putamus, amat, undè putat se fieri beatum? Pecuniam, aurum, argentum, possessiones, brevitèr dico pecuniam; totum enim quidquid homines possident in terra, omnia, quorum domini sunt, pecunia vocatur: servus sit, vas, ager, arbos, pecus, quidquid horum est, pecunia dicitur. Et undè est primum vocata pecunia? Ideò pecunia, quia antiqui totum, quod habebant, in pecoribus habebant.* In vetustis Gratiani exemplaribus hic canon recensebatur quasi depromptus ex libro de Doctrina Christiana: Recentiores Gratiani editiones ità exhibent: *Augustinus de Disciplina Christiana, vel de dono Disciplinæ.* Falsa sanè inscriptio, quod attinet ad secundam partem, etenim liber de dono disciplinæ distinctus est ab altero libro de disciplina Christiana; Hinc Maurini, postquàm in tomo 6. ediderint librum Augustini de disciplina Christiana, librum alterum de dono disciplinæ in ejusdem tomi 6. appendicem velut apocryphum rejecerunt.

Can. 6. caus. 1. q. 3.

De libro de diversis Ecclesiæ Observationibus.

Gratianus in can. 6. caus. 23. quæst. 1. secutus fidem Ivonis, libellum adfinxit Augustino sub hoc titulo: *De diver-*

Can. 6. caus. 23. q. 1.

versis Ecclesiæ observationibus; quamquàm in operibus Augustini minimè recenseatur. Id sanè ex eo profectum agnosco, quòd Collectores non sempèr verum libellorum titulum adscripserint, sed ex materia, quam ex Patrum testimoniis digerebant, titulos ipsi adscribebant; quemadmodùm igitùr ad canonem 51. caus. 27. quæst. 2., quia de duplici fide pacto data agebatur, librum Augustini laudaverunt *de fide pactionis, & consensus*, qui nullibi existit; ità ubi aliquid exhibere voluerunt, in quo singulares animadversiones factæ viderentur, libellum laudaverunt *de diversis Ecclesiæ observationibus*. Ceterùm in eo canone 6. non Augustini verba recensentur, sed potiùs Augustini quædam sententia in epistola ad Bonifacium, aut in libro 1. de Civitate Dei, quo pertinent canon. 3. caus. 23. quæst. 1. & canon 13. caus. 23. quæst. 5. ad quos sanè canon 6. erit exigendus, ut dignoscatur, qualis fuerit in proposito Augustini sententia.

De Enchiridio.

Quidam, Laurentius nomine, atque, ut aliqui MSS. codices fidem faciunt, Notariorum urbis Romæ Primicerius, frater Dulcitii, quemque Augustinus eruditionis laude commendabilem prædicat, imò & filium nominat, ab Augustino petierat, ut brevi stylo in recta agendi ratione erudiretur, postulans ideò, ut elucubraretur libellus præ manibus assiduè versandus, quo ipse quasi per indicem Christianæ vitæ regulas paucis expositas intueretur, ac sequeretur. Annuit sanctus Antistes, compendium regularum edens, quod propterèa *Enchiridion* appellavit, mole exiguum, ad privatam Laurentii utilitatem, ubi potissimùm præcepta Christianarum virtutum fidei, spei, ac charitatis continerentur. Ità de hoc opusculo habetur apùd Augustinum in lib. 2. Retractationum cap. 63. *Scripsi etiam librum de fide, spe, & charitate, cum à me, ad quem scriptus est, postulasset, ut aliquod opusculum haberet meum de suis manibus non recessurum, quod genus Græci Enchiridion vocant; ubi satis diligenter mihi videor esse complexus, quomodò sit colendus Deus, quam sapientiam esse hominis utiquè veram Divina Scriptura definit.*

In cap. 17. ejus libelli leguntur verba canonis 11. dist. 38., cujus initium ità describendum erat: *Quamvis enim error, quanta possumus cura &c.* In ceteris Gratianea editio Augustini codicibus consonat; aut si quæ paulispèr variant, vix animadversione digna deprehenduntur. Can. 11. dist. 38.

Canon 11. dist. 45. habetur in cap. 72., ubi expendebat Augustinus spei nostræ fundamenta, qualia sunt in Dominica oratione, specialiter illa petitione: *Dimitte nobis debita nostra.* Similia leguntur in tractatu quodam anonymo de Sacramento Pœnitentiæ, quem ex Bibliotheca Victorinâ edidit Petitus in tomo 1. Pœnitentialis Theodori pag. 343. in quo ità legitur propè finem: *Non solùm qui dat esurienti cibum, sitienti potum, & hujusmodi, sed & qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat: & qui emendat verbere eum, in quem potestas datur, & coercet aliquâ disciplinâ, vel orat, ut ei peccatum dimittatur, eleemosynam dat, & qui misericordiam præstat. Multa enim bona præstantur invitis, quandò eorum consulitur utilitati, & non voluntati: Sed & ea major est, quâ ex corde dimittimus, quod in nobis quisque peccavit &c.* Multa etiàm his similia tradidit Isidorus Hispalensis in lib. 3. Sententiarum cap. 52. & 60. Can. 11. dist. 45.

Canon 23. caus. 13. quæst. 2. legitur in cap. 109. & 110., quo certè nullum aptius monumentum esse potest ad demonstrandum, nonnullas justificatorum animas, è corpore egressas, adhùc expiatione indigere, & fidelium orationibus posse juvari. Can. 23. caus. 13. q. 2.

Canon 4. caus. 22. quæst. 2. legitur in cap. 22., si priora verba observemus, Can. 4. 6. 7. & 12. caus. 22. q. 1.

Ibi tamèn pro illis *Is autèm*, & *proferat*, scribendum erat : *Omnis autèm*, & *perferat*. At versiculus *Nemo* legitur in cap. 18., ubi tamèn pro verbis illis: *Qui falsa incautus credit, ac pro veris habet*, ità scribendum erat : *Qui falsa incautiùs credita pro veris habet*. De canone 6. caus. 22. quæst. 2. nihil est, quod specialitèr animadvertendum occurrat. Habetur ille integer in cap. 2. Canon 7. eadem causâ, & quæstione habetur pòst verba laudati canonis 4. : sed cùm Gratianus Augustini verba corruperit, jure optimo Romani Correctores editionem Gratianeam ad calcem ejusdem canonis restituerunt. Quod verò spectat ad verba canonis 12. eadem causâ & quæstione, eadem referenda sunt ad cap. 18., ubi ista leguntur : *Verùm hic difficillima, & latebrossima gignitur quæstio, de qua jam grandem librum, cum respondendi necessitas nos urgeret, absolvimus: utrum ad officium hominis justi pertineat aliquando mentiri. Nonnulli enim eò usquè progrediuntur, ut & pejerare, & de rebus ad Dei cultum pertinentibus, ac de ipsa Dei natura, falsum aliquid dicere nonnunquam bonum, piumque opus esse contendant. Mihi autèm videtur, peccatum quidem esse omne mendacium, sed multum interesse, quo animo, & quibus de rebus quisque mentiatur. Non enim sic peccat ille, qui consulendi, quomodò ille, qui nocendi voluntate mentitur : aut verò tantum nocet, qui viatorem mentiendo in diversum iter mittit, quantum is, qui viam vitæ mendacio fallente depravat &c.*

Can. 17. caus. 26. q. 7. Canon 17. caus. 26. quæst. 7. legitur in cap. 79. ejusdem opusculi, ubi totus est Augustinus, ut demonstret quædam esse peccata, quæ, licèt levissimi momenti esse videantur, peccata tamèn sunt, cum pro talibus in divinis literis habeantur : atque hujus rei exemplum adfert in illis, qui in suis actibus vano quodam cultu dies, & tempora observant. Versiculus *Intelligat* jam superiùs explicatus est, ubi ageretur de Commentariis Augustini in epistolam Pauli ad Galatas.

Canon 18. de pœn. dist. 3. consonat cum cap. 70. ejusdem opusculi, quemadmodùm & canon 19. eadem distinctione cum cap. 76., licèt olim in veteribus Gratiani codicibus sub nomine Joannis Chrisostomi laudaretur. Itèm canon 20. eadem dist. 3. respondet capiti 71., ubi observandum est, pro illis Gratiani verbis *Brevioribus...qui jam taliter Patri regenerati*, legendum esse ex integris Augustini codicibus : *Brevibus... qui jam Patri tali regenerati.* Can. 18. 19. & 20. de pœn. dist. 3.

Vix est, cur aliqua subjiciam de canonibus 133. 134. & 135. de cons. dist. 4., nam canon 133. consonat cum cap. 52. & 53., canon 134. cum cap. 43. Tantùm observare juvat, canonem 135. emendandum esse juxtà ea, quæ Augustinus habet, ibi : *Non renascebantur, qui baptismate Joannis baptizabantur, à quo & ipse baptizatus est* (Christus), *sed quodam præcursorio illius ministerio, qui dicebat : Parate viam Domino ; huic uni, in quo solo renasci poterant, parabantur. Hujus enim baptismus est, non in aqua tantùm, sicut fuit Joannis, verùm etiàm in Spiritu sancto, ut de illo Spiritu regeneretur quisquis in Christum credit, de quo Christus generatus regeneratione non eguit.* Et infrà : *In aqua baptizari voluit à Joanne, non ut ejus iniquitas ulla dilueretur, sed ut magna commendaretur humilitas. Ità quippè nihil in eo baptismus, quod ablueret, sicut mors nihil, quod puniret, invenit.* Can. 133. 134. & 135. de cons. dist. 4.

De libro de catechizandis Rudibus.

Liber *de Catechizandis rudibus* fuit ab Augustino recognitus in lib. 2. Retractationum cap. 14. Scriptus is est ad Diaconum quemdam Carthaginensem, nomine Deogratias; qui, cum rudes in Christiana fide erudire ex officio deberet, ab Augustino postulavit, ut in ea arte edoceretur. Peculiari libello sanctus Antistes erudiendi methodum tradidit, monens inter cetera, quâ ratione illi essent ad fidem adducendi, qui scholas frequentantes nil nisi eleganter dictum Can. 12. dist. 38.

tum adamarent, & simpliciores quosdam divinæ sapientiæ præcones despectui haberent. Eò pertinet canon 12. dist. 38., cujus verba ità principio legenda sunt juxtà integra Augustinianorum codicum exemplaria. *Sunt itèm quidam de Scholis usitatissimis Grammaticorum, Oratorumque venientes, quos neque inter idiotas numerare audeas, neque inter illos doctissimos, quorum mens magnarum rerum est exercitata quæstionibus. His ergò, qui loquendi arte ceteris hominibus excellere videntur, cum veniunt, ut Christiani fiant, hoc amplius, quàm illis illiteratis, impertire debemus, quòd sedulò monendi sunt, ut humilitate induti Christiana &c.* Reliqua eadem sunt cum iis, quæ Gratianus exhibuit.

De libro de Fide Christiana.

Inter opera Augustini nullus liber reperitur sub titulo *De Fide Chtistiana*, licèt à Gratiano commemoretur; id enim ex eo profluit, quòd, ut superiùs memini ad can. 6. caus. 23. quæst. 1., Collector inscriptiones librorum aliquandò adjecit repetitas non ex germano librorum titulo, sed ex materie, quæ in subjectis canonibus tractabatur. In canone 8. dist. 11. nihil aliud continetur, quam brevis quædam, & penè compendiaria expositio illorum, quæ leguntur in epistola Augustini ad Januarium, de qua inferiùs sermo erit instituendus. Cum enim Januarius ab Augustino postulavisset rationem, quare juxtà Ecclesiarum diversitatem diversa disciplina vigeret, respondit sanctus Antistes, ea, quæ vel traditione firmantur, vel sacris literis exprimuntur, ab Ecclesia nullibi immutari, reliqua autém obnoxia mutationibus esse pro locorum, ac temporum, ceterisque id genus adjunctis. Hæc planè est integra sententia memorati canonis 8., licèt aliis verbis à Gratiano descripta. Neque hic ipsa Augustini verba exhibeo, vel quòd integram nec brevem sancti Viri epistolam exhibere oporteret, vel quòd ab Augustini proposito Gratianus non sit alienus.

Can. 8. dist. 11.

Canon 55. caus. 1. quæst. 1. legitur in libro de fide ad Petrum Diaconum. Verùm libellus iste falsò fuit Augustino tributus, propterea què à Maurinis Monachis in appendicem tomi 6. rejectus, sive quòd stylus Augustiniano minimè consonet, sive quòd in antiquis codicibus MSS. libellus idem adscribatur sancto Fulgentio, Episcopo Ruspensi; atque inter istos demonstrant eruditi Monachi codicem Corbejensem mille, & ampliùs annorum. Accedit his, eumdem librum laudari sub Fulgentii nomine à Ratramno in libro de Corpore, & Sanguine Christi; itèm Isidorum Hispalensem in Catalogo testatum fuisse, à Fulgentio scriptam verè fidei regulam. Itaquè concludemus, laudatum canonem potiùs esse Fulgentii Ruspensis; quod ipsum dicemus de canone 3. caus. 15. quæst. 1. ex eodem libello deprompto, & quidèm consonis verbis.

Can. 55. caus. 1. q. 1. & Can. 3. caus. 15. q. 1.

De libro de Fide, & Operibus.

Libri sui de fide & operibus meminit Augustinus in Enchiridio cap. 67., itèm in epistola 205. ad Contentium; imò in libro 2. Retractationum cap. 38. ità aperit ejusdem argumentum: *Interea missa sunt mihi à quibusdam fratribus, Laicis quidem, sed divinorum eloquiorum studiosis, scripta nonnulla, quæ ità distinguerent à bonis operibus Christianam Fidem, ut sine hac non posse, sine illis autèm posse perveniri suaderetur ad æternam vitam. Quibus respondens librum scripsi, cui nomen est de fide & operibus, in quo disputavi, non solùm, quemadmodùm vivere debeant gratia Dei regenerati, verùm etiàm quales ad Lavacrum regenerationis admissi.* Ex hoc libro depromptus in primis est canon 18. caus. 23. quæst. 4., cujus verba olim quidèm à Gratiano corrupta deprehendebantur, hodiè verò fuerunt à Romanis Correctoribus emendata.

Can. 18. caus. 23. q. 4.

Canon 4. caus. 28. quæst. 1. longè ali-

Can. caus. 28. q. 1. 4. alitèr descriptus est apùd Augustinum, quàm apùd Gratianum; quamobrem jam Romani Correctores ad calcem ejusdem germanam Augustini sententiam exhibuerunt. Planè, si verba ipsa sancti Antistitis consideremus, facilè agnoscetur, totum in eo fuisse Augustinum, ut adversantium objectis satisfaceret. Quum enim adversarii fidem necessariam dicerent,& bona opera omninò negligerent, allegabant, propter fidei defectum uxorem à viro posse dimitti juxtà mentem Apostoli in cap. 7. primæ ad Corinth., non tamèn æquè dimitti posse ex operibus malis: Augustinus è contrario ajebat non propter defectum fidei tantùm, sed & bonorum operum posse dimitti ità, ut quemadmodùm ex doctrina Apostoli dimittitur uxor, si virum à fide avocaret, ità dimittatur, si virum ad crimina inducere conetur. Porrò Gratianea lectio contrariam Augustino sententiam videtur adfingere. Ceterùm & Augustini germana traditio saniùs erit intelligenda, ut scilicèt possit uxor dimitti, si ad malum inducat, non quidèm dissoluto matrimonii vinculo, sed tantùm dissociata viri, & uxoris consuetudine; id enim satis erat sancto Viro adfirmare, ut concluderet, habendam etiàm esse bonorum operum rationem.

Can. caus. 34. q. 1. 5. Canon 5. caus. 34. quæst. 1. legitur in cap. 7. ejusdem libri, ubi Augustinus de illis sermonem habuit, qui proximè sunt ad Sacramentum baptismatis accessuri: docens primùm, per pœnitentiam adultos ad Sacramentum illud præparandos esse, & data occasione tradidit, non esse imputandum alicui virgini, si fortè ignorans marito nupserit alieno. Gratiani editio consonat cum integris Augustini codicibus.

De libro de Vera Religione.

Opus alegantissimum, & planè Augustino dignum, est liber inscriptus de Vera Religione, cujus mentio fit in lib. 1. Retractationum cap. 13.; ibi enim, quid, qualis, & ubi sit vera Religio in Deum ostenditur, præcipuè verò impia Manichæorum doctrina conficitur de duobus principiis. Librum istum cum Alipius dono dedisset Paulino, Paulinus idem non potuit statim non erumpere in laudes auctoris, ità scribens in epist. 31. *O verè sal terræ, quo præcordia nostra, ne possint sæculi vanescere errore, condiuntur! O lucerna, dignè supra candelabrum Ecclesiæ posita, quæ latè catholicis urbibus de septiformi lychno pastum oleo lætitiæ lumen densas licèt hæreticorum caligines discutis, & lucem veritatis à confusione tenebrarum splendore clarifici sermonis enubilas.* Ex cap. 31. ejus libri depromptus est canon 3. dist. 4. ubi demonstratur, divinas leges ità ab homine suscipiendas esse, ut non quâ ratione latæ fuerunt, subtiliùs investigetur, sed ut demisso animo executioni mandentur; quamobrèm profertur exemplum judicis, qui religiosè custodire debet leges publicas semèl editas, non de earum sententia judicium ferre. Can. dist. 1. 3.

In cap. 50. ejusdem libri legitur canon 14. dist. 38., ubi traditur optima ratio, quâ studiosus sacrarum literarum divinam sapientiam addiscat, veterem etiàm Judæorum historiam, mysticas significationes, & vim demùm linguarum, quibus ab initio sacræ literæ prodierunt. Hinc ait Augustinus in primis: *Distinguamus ergò, quam fidem debeamus historiæ.* Deindè pòst pauca: *Qui sit modus interpretandæ allegoriæ*; & demùm pòst pauca. *Et quomodò ipsa locutio divinarum scripturarum secundum cujusque linguæ proprietatem accipienda sit. Habet enim omnis lingua sua quædam propria genera locutionum, quæ, cum in aliam linguam transferuntur, videntur absurda.* Ex his & supplendus erit Gratianeus canon, & emendandus. Can. dist. 14. 38.

De libro de Utilitate credendi.

Deceptus à Manichæis Honoratus, qui-

Can. 28. caus. 24. q. 3. quidam Augustini amicus, cœperat de Catholicorum disciplina malè sentire; cùm enim apùd Catholicos vigere nosset, eos, qui semèl Christo nomen dederant in baptismate, ad servandam perpetuò fidem adigi, nec ampliùs illis liberum esse ab eadem fide recedere, duriusculum ipsi videbatur, putans hominis plurimum interesse, libertate etiàm eâ in parte potiri. Augustinus libello suo, quem edidit sub titulo *de utilitate credendi*, quemque memoravit in lib. 1. Retractat. cap. 14. Honoratum paulò aberrantem cohibuit, demonstrans, quantum utilitatis ex Fidei Catholicæ professione proficiscatur, in qua propterea permanere unicuique sit perpetuò optandum, laudandasque publicas illas leges, quibus Catholici urgeantur, ne fidem derelinquant. Initio ejusdem libri indicat sanctus Antistes, Honoratum non sponte suâ cæpisse à Christianorum cœtu deflectere, sed Manichæorum fraudibus circumventum; qua occasione docet, quid discriminis intercedat inter eos, qui verè hæretici sunt, & inter eos, qui ob infirmitatem quamdam animi ab hæreticis se decipi facilè patiuntur. Hùc spectant verba canonis 28. caus. 24. quæst. 3., ubi quinam verè hæreticus habendus sit, perspicuè demonstratur.

De libris de Symbolo, & ad Neophytos.

Can. 62. de cons. dist. 4. Quatuor libri sunt sub hac inscriptione inter opera Augustini: De Symbolo, sive regula fidei ad Catechumenos. Maurini Monachi animadverterunt, primum librum jure sancto Antistiti tribui, non tamen tres sequentes, quorum stylus est ab Augustiniano dissimilis, & sententiarum rationes Augustinum minimè decent. De posterioribus tribus libellis pa ùm ego sollicitus esse debeo, cum unicus sit sub eo titulo inscriptus apùd Gratianum canon, nimirùm 62. de cons. dist. 4., isque ad librum primum pertineat. Ad hunc animadverto, verba illa, *Fratres charissimi*, in editis Augustini exemplaribus desiderari; itèm pòst illa postrema: *qui sub peccato nascuntur*, ità sequi apùd Augustinum: *Est enim Princeps peccatorum*: quod ideò adnotatum velim, ut facilè percipiatur, quo sensu Augustinus tradiderit eos, qui peccato originis adhùc inquinati sunt, sub Dœmonis esse potestate, per quamdam scilicèt necessitudinem, quâ homo Dœmonis peccatoris exempla secutus est, atque imitatus.

Rejicitur à Maurinis in appendicem tomi 6. operum Augustini quoddam opusculum, cujus hæc exhibetur inscriptio: *Sermo de mysterio baptismatis*, hac adjectâ censurâ ad sermonem præcedentem: *Hunc sermonem cum duobus sequentibus vulgavit Jacobus Sirmondus in appendice pòst Augustinianos sermones quadraginta, arbitratus istos tres haudquaquàm esse Augustini, tametsi ei à Floriacensi, undè illos deprompsit, codice adscriberentur.* Ex illo sermone depromptus est canon 73. de cons. dist. 4., quemadmodùm etiàm canon 78. eadem dist., de quo jam superiùs egimus; quamobrèm quod de canone 78., idem de canone 73. ferendum erit judicium. Aliqua adjicienda adhùc sunt ad canonis 73. emendationem. Priora ejus verba ità emendanda erunt ex editione Maurinorum. *Prima ergò prædicatione de his tantùm locuti sumus &c.* Cum Gratiano tamèn consonat Ivo in parte 1. cap. 194., item MS. Codex Remigianus, uti Maurini iidem testantur. Discriminis ratio ex eo profluxit, quòd apùd Ivonem, quem secutus est de more suo Gratianus, tum apùd auctorem Remigiani Codicis, sermo hic, de quo agimus, tertius erat ordine, ubi propterea de duobus præcedentibus facta mentio fuit; at in codice, quem Maurini secuti sunt, sermo ille erat secundus, in quo proindè mentio tantùm facienda erat de *prima prædicatione*. Sunt & alia apùd Gratianum emendanda; etenim ubi Gratianus scripsit: *Quæ diver-*

Can. 73. de cons. dist. 4.

versis corporis nostri adhibita partibus, & descendistis in fontem sacrum, fontem redemptionis &c., ediderunt Maurini: *Quæ diversis corporis vestri adhibita partibus, & descendentes in fontem, fontem sacrum, fontem vitæ, fontem redemptionis &c.*

De libris de Civitate Dei.

Inter Augustini opera admodùm præstant libri duo suprà viginti de Civitate Dei, de quibus ità scripsit Cassiodorus in lib. Divinarum lectionum cap. 6. *S. Augustini 22. libros, quos de Civitate Dei confecit, infastidibili sedulitate percurramus, ubi & Babylonia confusa Civitas Diaboli, & splendida Jerusalem Urbs Domini Christi in hominum conversatione competenti diversitate monstratæ sunt.* Ecquidèm in iis non tantùm sublimis rerum divinarum sapientia emicat, sed etiàm omnigena rerum humanarum notitia opere jucundo, atque elegantissimo, quod omnium facilè in se trahit admirationem. Recognovit hos libros Augustinus in lib. 2. Retract. cap. 43. eorumdem autèm elucubrandorum hæc fuit occasio. Dudum Gothi in Italiam irruperant ità, ut non solùm armis illam vastassent, imò & Romanam ipsam Urbem invasissent, sed etiàm Christianæ Fidei infensi passim inducerent superstitiosas observationes, ista, quasi Divina Oracula prædicantes. Opus erat in his temporum adjunctis eo auctore, qui Gothorum ausum, & impia dicta cohiberet, damnandas Ethnicorum superstitiones, servandam Christi fidem invictis argumentis demonstraret; eo vel maximè, quòd Gothi prædicarent in vulgus, Christianos à Deo dirè vexari, quòd religionem à Deo penitùs improbatam profiterentur. Marcellinus quidam Tribunus Augustinum rogavit, ut eam provinciam adgrederetur, ut constat ex epistola inter Augustinianas 136. apùd Maurinos, cui statim morem gessit sanctus Antistes de bono Christianæ fidei vehementissimè sollicitus, qui propterea 22. libros digessit, ad eumdem Marcellinum directos, in quibus, factâ comparatione Ethnicæ superstitionis cum Religione Christiana, dum illius turpitudinem penitùs confecit, istius sanctimoniam perspicuè ostendit. Ex libro 1. cap. 22. depromptus est canon 11. dist. 9., cujus sententiam ut faciliùs percipiamus, Can. 11. dist. 9. observandum est, Augustinum sibi eo in loco proposuisse expendenda Ethnicorum gesta, quæ ipsi veluti insignia suorum prodigia prædicabant, ac veluti præstantissima virtutum exempla; atque inter cetera illud Cleombroti, de quo Cicero in 1. Tusculan., qui, cum legisset apùd Platonem, animum hominis esse immortalem, statim mortem sibi conscivit, ut meliori vitæ se traderet. Hoc ex facto summam animi magnitudinem atque constantiam laudabant Ethnici in suis, quibus propterea respondens Augustinus ait: *Non modò quærimus, utrum sit factum, sed utrum fuerit faciendum. Sana quippè ratio etiàm exemplis anteponenda est, cui quidem & exemplа concordant, sed illa, quæ tanto digniora sunt imitatione, quanto excellentiora pietate.* Elegans sanè, & æquissima responsio, licèt à Gratiano parùm propositæ à se disputationi accommodata.

Canon 11. caus. 8. quæst. 1. legitur Can. 11. caus. 8. q. 1. in lib. 19. c. 19., ubi Augustinus populi Christiani, ac præsertim Sacerdotum integerrimos mores exhibet, ad eam rem interpretatus verba Pauli: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Ubi Gratianus edidit in postremis verbis *& opprimatur ista necessitas*, legitur apùd Augustinum *& opprimat ista necessitas.*

Ad canonem 8. caus. 15. quæst. 1. Can. 8. caus. 15. q. 1. nihil est, quod singulari indigeat animadversione. Legitur integer in cap. 25. lib. 1. post Romanam Correctionem.

Canon 9. caus. 23. quæst. 5. legitur in lib. 1. cap. 17. & sequentibus. Can. 9. & 13. caus. 23. q. 5. Cum enim in cap. 16. egisset Augustinus

nus de quibusdam puellis, quæ, cum stuprum per vim passæ essent, aut cum stuprum per vim paterentur, mortem sibi consciverunt, hujusmodi facta penitùs reprobans, quòd nemo suæ vitæ dominus, atque arbiter sit, quamquàm illæ excusandæ aliqua ratione videantur, ità subsequitur in cap. 17. *Ac per hoc & quæ se occiderunt, ne quidquam humani paterentur, quis humanus affectus eis nolit ignosci? Et quæ se occidere noluerunt, ne suo facinore alienum flagitium devitarent, quisquis ei hoc crimini dederit, ipse crimine insipientiæ non carebit. Nam utiquè, si non licet privata potestate alicui hominem occidere &c.* Reliqua habentur integra apùd Gratianum, pòst Romanam Correctionem emendatum, exceptis illis verbis *curandi, cavendique mali*, pro quibus ediderunt Maurini: *carendi, cavendique mali.* Ad hunc ipsum canonem referendus erit canon 13. ead. caus. & quæst., cujus verba leguntur paulò ante versiculum *Hoc dicimus* laudati canonis 9. Quæ sanè omnia fusiùs fuerunt ab Augustino disputata, ut conficeretur quorumdam Ethnicorum opinio, qui putabant, licere unicuique mortem sibi consciscere, ubi id æqua postulet causa.

Can. 37. caus. 23. q. 5. Canon 37. caus. 23. quæst. 5. legitur in cap. 16. lib. 19., ubi de recta dominandi ratione tractatur, traditurque, dominos, quemadmodùm solliciti esse debent, ne benefaciendo subditis causam nocendi porrigant, ità ne parcendo causam mali gravioris præbere debere. Quomodò integrum Augustini monumentum exhibendum sit, jam animadverterunt ad calcem ejusdem canonis Correctores Romani.

Can. 33. caus. 23. q. 8. Canon 33. caus. 23. quæst. 8. partim Hieronymo, partim Augustino tribuendus erat; siquidèm priora verba Hieronymi sunt in lib. 3. in Ezechielem cap. 9., quæ accuratiùs referuntur in can. 29. caus. 23. quæst. 5. Hinc facilè colligitur, pro illis Gratiani verbis *causam interfectionis* legendum esse potiùs *vasa interfectionis*. Interpretabatur sanctus Vir caput 9. Ezechielis, ubi agebat de viris, à Domino missis, ut impios trucidarent, qui proindè symbolicè dicuntur vasa interfectionis manu gestare ex Divino mandato. Versiculus autèm *Qui verò* nullibi legitur apùd Augustinum, quamquàm non absimilis sententia exhibeatur in can. 9. vers. penult. caus. 23. quæst. 5., undè conjicere facilè possumus, Gratianum in dicto can. 33. non verba ipsa Augustini describere, sed sententiam perstringere, mutato verborum cortice, voluisse.

Can. 7. caus. 26. q. 2. & can. 14. caus. 26. q. 5. Canon 7. caus. 26. quæst. 2. non legitur apùd Augustinum, sed potiùs apùd Rabanum Maurum in lib. 15. de Universo cap. 4. de Magis in fine; & paulò anteà in eodem capite legitur subsequens versiculus *Itaquè hæc vanitas.* Sunt etiàm sententiæ quædam non prorsùs absimiles apùd Augustinum in lib. 7. de Civit. Dei cap. 23. & sequentibus, & in lib. 8. cap. 19. & sequentibus, in quibus plurima congerit sanctus Antistes de inanibus magicæ artis documentis, undè fortassè contingere potuit, ut monumentum illud quasi depromptum ex libris Augustini de Civitate Dei palàm exhiberetur. Idipsum contigit in can. 14. caus. 26. quæst. 5., cujus equidèm verba non leguntur apùd Augustinum, sed potiùs in memorato Rabani libro & cap. 4., at nonnulla in lib. 18. de Civit. Dei cap. 17. traduntur de Circe, quæ sodales Ulissis mutavisse fertur in feras, & de Arcadibus in lupos transformatis. Ità exorditur Rabanus: *Itaquè hæc vanitas magicarum artium ex traditione Angelorum malorum in toto terrarum orbe plurimis sæculis valuit per quamdam scientiam futurorum, & infernorum, & invocationes eorum inventa sunt aruspicia, augurationes, & ipsa, quæ dicuntur oracula, & nigrimantia. Nec mirum de Magorum præstigiis, quorum in tantùm prodiere* (vides hic posteriora verba dicti canonis 7. caus. 26. quæst. 2. jùngenda cum prioribus verbis dicti ca-

canonis 14. caus. 26. quæst. 5.) *maleficiorum artes, ut etiam Moysi similimis signis resisterent, vertentes virgas in dracones, & aquas in sanguinem. Quid plura? Si credere fas est de Phytonissa* (aliqua ex his ommittuntur à Gratiano) *ut Prophetæ Samuelis animam de inferni abditis evocaret, & vivorum præsentaret conspectibus, si tamèn animam Prophetæ fuisse credamus, & non aliquam phantasmaticam illusionem, Satanæ fallacia factam. Prudentius de Mercurio sic ait:*

Traditur hic tinctas sumpto moderamine virgæ
In lucem revocasse animas.....
Ast alias damnasse neci.

& post paululùm.

Murmure non magico tenues exire figuras,
Atque sepulchrales citò incantare favillas:
Vitâ itidèm spoliare alios ars noxia novit.

Magi sunt, qui vulgò malefici ob facinorum magnitudinem nuncupantur. Hi & elementa concutiunt (adjecit Gratianus *permissu Dei*) *turbant mentes hominum* (addidit Gratianus *minùs confidentium in Deo*) *& sine ullo veneni haustu violentiâ tantùm carminis interimunt. Undè Lucanus:*

Mens, hausta nulla sanie polluta veneni,
Incantata perit.

Reliqua habentur integra apùd Gratianum usquè ad illa verba *faciliùs provocentur*; pòst quæ ità prosequitur Rabanus. *Hydromantici ab aqua dicti. Est enim Hydromantia in aquæ inspectione umbras Dæmonum evocare, & imagines, vel ludificationes eorum videre, ibique ab eis aliqua audire, ubi adhibito sanguine etiàm inferos perhibentur suscitare.* Pòst hæc pergit Rabanus enumerando varia Magorum genera, videlicèt Divinorum, Ariolorum, Aruspicum, Augurum, Astrologorum, Mathematicorum, Horospicorum, Salisatorum, pòst quæ ità scribit: *Ad hæc omnia supradicta pertinent ligaturæ execrabilium remediorum contemnendæ, sive in præcantationibus, seu in characteribus &c.* Reliqua integra habentur apùd Gratianum in dicto can. 14. usquè ad vers. *Haruspicinæ.* Apparet autèm, ibidèm Gratianum addidisse verba illa, *quæ ars medicorum condemnat*, quæ apùd Rabanum desiderantur; fortè verò dixeris, Gratianum respexisse in iis ad illa, quæ tradidit Augustinus in lib. 2. de Doctrina Christiana can. 6. caus. 26. quæst. 2. vers. *Ad hoc genus.* Itaquè canon 14. à principio usquè ad versiculum *Haruspicinæ* potiore jure Rabano tribuetur, demptis tamen iis, quæ habentur in vers. *Fertur etiàm* usquè ad illa *Magi sunt &c.*, quæ & apùd Rabanum desiderantur. Fortè versiculus iste perstrictus fuisse videtur ab aliquo Collectore, qui deindè Gratiano auctor extitit, ex prolixo Augustini sermone in lib. 18. de Civitate Dei cap. 17., ubi, postquàm varia superstitionis Ethnicæ monstra, & portenta narravisset, ità scribit: *Hoc Varro ut adstruat, commemorat alia non minùs incredibilia de magna illa famosissima Circe, quæ socios quoquè Ulyssis mutavit in bestias, & de Arcadibus, qui sorte ducti transnatabant quoddam stagnum, atque ibi convertebantur in lupos, & cum similibus feris per illius regionis deserta vivebant: si autèm carne non vescerentur humanâ, rursùs post novem annos eodem renato stagno transformabantur in homines. Denique etiàm nominatim expressit quemdam Demænetum, cum gustasset de Sacrificio, quod Arcades immolato puero Deo suo Lycæo facere solerent, in lupum fuisse mutatum, & anno decimo in figuram propriam restitutum.* Et pòst pauca: *Hæc vel falsa sunt, vel tam inusitata, ut merito non credantur.* Jam verò veniamus ad versiculum *Haruspicinæ* in dicto can. 14. Hic sanè neque apùd Augustinum legitur, neque apùd Rabanum. Fortassis Collectores, qui Gratiano auctores fuerunt, Poetarum fabu-

las

Jas inter inania Magorum figmenta miscere voluerunt, eam præcipuè, quæ apùd Ovidium enarratur lib. 15. Metamorph. ibi:

.....Cum Tyrrenus arator
Fatalem glebam motis adspexit in arvis
Sponte sua primùm, nulloque agitante moveri,
Sumere mox hominis, terræque amittere formam,
Oraque venturis aperire recentia fatis.
Indigenæ dixere Tagen, qui primus Etruscam
Edocuit gentem casus aperire futuros.

Istud sanè est illud Tagis prodigium, quod memoratur in dicto vers. *Haruspicinæ.* Versiculus *His ergò portentis* nec apùd Augustinum, nec alibi, quod noverim, legitur, nisi fortassis dicendum sit, ibidèm referri Augustini sententiam, qualis habetur, in lib. 19. de Civitate Dei cap. 9. ibi: *Aliquandò Satanas transfigurat se in Angelum lucis ad tentandos eos, quos ità vel erudiri opus est, vel decipi justum est.* Versiculus *Quemadmodùm* referendus videtur ad non absimilem Augustini sententiam in lib. 3. de Trinitate cap. 7. & 8. ibi: *Ista miracula etiàm magicis artibus fiunt; nàm ut Magi Pharaonis similitèr serpentes fecerunt, & alia similia....Nec ideò putandum est, illis transgressoribus Angelis ad nutum servire hanc visibilium rerum materiam, sed Deo potiùs, à quo hæc potestas datur, quantum in sublimi, & spiritali sede incommutabilis judicat.....Nec sanè creatores illi mali Angeli dicendi sunt, quia per illos Magi resistentes famulo Dei ranas, & serpentes fecerunt; non enim ipsi eas creaverunt. Omnium quippè rerum, quæ corporalitèr, visibilitèrque nascuntur, occulta quædam semina in istis corporeis mundi hujus elementis latent. Alia sunt enim hæc jam conspicua oculis nostris ex fructibus, & animantibus; alia verò illa occulta istorum seminum semina, undè jubente Creatore produxit aqua prima natatilia, & volatilia, terra autèm prima sui generis germina, & prima sui generis animalia...Quapropter ità non possum dicere, Angelos malos malis artibus evocatos creatores fuisse ranarum, atque serpentium; sicut non possum dicere, homines malos creatores esse segetis, quam per eorum operam videro exortam.* Frustrà etiàm apud Augustinum quæres verba versiculi *Prætereà quidam*, nisi fortè sententiam quamdam similem agnoscere velis in libro ejus 2. de diversis quæstionibus ad Simplicianum quæst. 4. ibi: *Itèm quæris, utrùm spiritus immundus, qui erat in Pythonissa, potuerit agere, ut Samuel à Saule videretur, & loqueretur cum eo; sed multo majoris miraculi est, quòd ipse Satanas princeps omnium immundorum spirituum potuit loqui cum Deo, & petere tentandum Job justissimum virum; qui etiàm tentandos Apostolos petiit....Quòd si hoc movet, quòd licuerit maligno spiritui excitare animam justi, & tanquàm de abditis mortuorum receptaculis evocare, nonne magis mirandum est, quòd Satanas ipsum Dominum assumpsit, & constituit super pinnam templi?.... Non est absurdum credere ex aliqua dispensatione divinæ voluntatis permissum fuisse, ut non invitus, nec dominante, atque subjugante magica potentia, sed volens atque obtemperans occultæ dispensationi Dei, quæ & Pythonissam illam & Saulem latebat, consentiret spiritus Prophetæ sancti, se ostendi adspectibus Regis, divina eum sententia percussurus. Cur enim anima boni hominis à malis viris evocata, si venerit, amittere videatur dignitatem suam, cum & viri plerumquè boni invitati ad malos veniant, & agant cum eis, quod officium postulat æquitatis, servato, atque inconcusso decore virtutis suæ....Quamquàm in hoc facto potest esse alius facilior exitus, & expeditior intellectus, ut non verè spiritum Samuelis excitatum à requie sua credamus, sed aliquod phantasma, & imaginariam illusionem, Diaboli machinationibus factam, quam propterea Scriptura nomine Samuelis*

appellat, quia solent imagines rerum earum nominibus appellari, quarum imagines sunt.....Non mirum est, quòd Scriptura dicit, Samuelem visum, etiamsi fortè imago Samuelis adparuit machinamento ejus, qui transfigurat se velùt Angelum lucis, & ministros suos, velut ministros justitiæ. Jam verò si illud movet, quomodò à maligno spiritu Sauli vera prædicta sunt, potest & illud mirum videri, quomodò Dæmones agnoverint Christum, quem Judæi non agnoscebant... Undè etiàm spiritus Pythonius in actibus Apostolorum (cap. 16. vers. 17.) *adtestatur Paulo Apostolo, & Evangelistæ esse conatur. Miscent tamèn isti fallacias, & verum, quod nosse potuerint, non docendi magis, quàm decipiendi fine pronunciant. Et fortè hoc est, quòd cum illa imago Samuelis Sauli prædiceret, moriturum, dixit etiàm secum futurum, quod utiquè falsum est, magno quippè intervallo pòst mortem separari bonos à malis in Evangelio legimus... Aut si propterea Samuel Sauli dixit, mecum eris, ut non ad æqualitatem felicitatis, sed ad parem conditionem mortis referatur.* His plura similia tradit Rabanus in Commentariis in lib. 1. Regum cap. 29. Hinc planè colligitur, integrum ferè canonem 14. unà ex Rabani, atque ex Augustini sententiis, paulò alitèr à Collectore digestis, fuisse compositum. Quod magis cum Augustino consonat, est versiculus ultimus, qui referendus est ad sancti Antistitis librum Quæstionum in Deuteronomium lib. 5. q. 19. ibi: *Si autèm surrexerit in te Propheta* (Deuteron. cap. 13. vers. 1. & seq.) *seu somniator somnians, & dederit tibi signum, vel prodigium, & venerit signum, sive prodigium, quod locutus est ad te dicens: eamus, & serviamus Diis aliis, quos nescitis, non audietis verba Prophetæ illius, vel somniantis somnium illud, quoniàm tentat Dominus Deus vester vos scire, an diligatis Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro, & ex tota anima vestra. Hoc quidam interpretes latini non ita posuerunt: scire, an diligatis; sed: ut sciat, an diligatis: quamvis eadem sententia videatur. Verumtamèn illud, quod dictum est, scire, facilius ad eos refertur, ut sic accipiamus, tentat vos scire, ac si diceretur: tentando vos facit scire. Ubi sanè intelligi voluit, etiàm illa, quæ à divinantibus non secundum Deum dicuntur, si acciderint, quæ dicuntur, non accipienda sic, ut fiant, quæ præcipiuntur ab eis, aut colantur, quæ coluntur ab eis. Nec præter suam potestatem Deus ostendit esse, quòd ista contingunt, sed, quasi quæreretur, cur ea permittat, causam tentationis exposuit, ad cognoscendam utiquè eorum dilectionem, utrùm eam habeant erga Deum suum, cognoscendam verò ab ipsis potiùs, quàm ab illo, qui scit omnia, antequàm fiant.* Hæc sanè leguntur ad literam in fine dicti canonis 14. & in dicto can. 5.

Canones 3. & 4. caus. 32. quæst. 5. leguntur in lib. 1. de Civit. Dei cap. 18., ubi Augustinus sermonem instituens de egregiis virtutibus, quæ insignes reddiderunt feminas quasdam, eam ob rem memoriâ hominum perpetuâ recolendas, adfert inter cetera illarum exempla, quæ ut pudorem servarent, seu ut impudicorum manus evitarent, sese morti tradiderunt, non quidèm factum omninò laudans, sed docens, quo in pretio apùd illas castimonia corporis habita fuerit; qua occasione tradit, castitatem in animo sedem suam habere præcipuam, nec vi, quam quis in corpore patiatur, amitti. Planè verba canonis 3. cum Augustini codicibus penitùs consonant, dummodò principio ità legamus, quemadmodùm jam adnotaverunt Correctores Romani. *At enim, ne vel aliena polluat libido, metuitur? Non polluet &c.* In canone 4. licèt plura hodiè ex integris Augustini exemplaribus adjecta fuerint studio & operâ Romanorum Correctorum, adhùc quædam desiderantur pòst illa verba *violata animi sanctitate*, post quæ ità prosequitur Augustinus: *etiàm corpore intacto. Quamobrèm non habet, quod in se morte spontanea puniat feminat, sine illa sui consensione violentèr oppressa, & alieno compressa pec-*

Can. 3. 4. & 5. caus. 32. q. 5.

peccato; quanto minùs antequàm hoc fiat, ne admittatur homicidium certum, cum ipsum flagitium, quamvis alienum, adhùc pendet incertum. Lucretiam certè &c. Hoc Lucretiæ factum eo in loco à Gratiano recensetur, sed non integra exhibetur de eodem Augustini sententia. Sanè, si quis in uno Gratiano consistat, exhiberetur Augustinus veluti factum illud penitùs laudans: at verò id falsum est; siquidèm in integro Augustini capite non solùm proponitur, factum illud esse Christianis omninò improbandum, sed & apùd ipsos Romanos Ethnicos fuisse damnatum, quod demonstrabat sanctus Antistes ex eò, quòd Ethnici ipsi credidissent, feminam illam à Diis pœnam luisse damnationis in inferis, adferens ad eam rem Virgilianos illos versus Æneidos lib. 6.

.....qui sibi lethum
Insontes peperere manu, lucemque perosi
Projecere animas,
Et quibus, ad superiora redire cupientibus,
Fata obstant, tristique palus innabilis undâ
Alligat.

Post quæ ità concludit in cap. 20. *Neque enim frustrà in sanctis Canonicis Libris nusquàm nobis divinitùs præceptum, permissumve reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel ullius carendi, cavendique mali causâ nobismetipsis necem inferamus.* Atque ad hanc ipsam rem pertinet canon 5. caus. 32. q. 5. depromptus ex lib. 1. cap. 19., & describendus eo verborum ordine, qui à Romanis Correctoribus exhibetur.

Can. 1. caus. 35. q. 1. Canon 1. caus. 35. quæst. 1. legitur in lib. 15. cap. 16., ubi Augustinus improbabat inhonestos Gentilium mores, quibus receptum erat, ut consanguinei inter se conjugia inirent; docebatque, minimè illis suffragari posse, quòd semèl à Protoparentum nostrorum filiis, ità necessitate humanæ propagationis postulante, factum legitur. Priora quidèm Gratiani verba cum integris Augustini codicibus consonant. Quæ verò subsequuntur in vers. *Copulatio ergò* ità sunt emendanda: *Copulatio ergò maris, & feminæ, quantum adtinet ad genus mortalium, quoddam seminarium est civitatis; sed terrenæ civitatis generatione tantummodo: cœlestis autèm etiàm regeneratione opus habet, ut generationis noxam evadat.*

Canon 32. de cons. dist. 2. aliter descriptus exhibetur apùd Augustinum, quemadmodùm observaverunt Romani Correctores, partim ex lib. 10. de Civit. Dei cap. 5., partim ex libro de catechizandis rudibus, partim ex epist. 166. editionem Gratiani emendantes. Ad priora canonis verba adnotandum est, Augustinum ibidèm sermonem instituisse de sacrificiis veteris testamenti, quibus mactata animalia immolabantur. Cum enim prophana, & superstitiosa Ethnicorum, animalia immolantium, sacrificia improbaret, noluit eadem ratione improbanda etiàm esse sacrificia veterum Patriarcharum, scribens propterea, Patriarcharum eorumdem sacrificia internam mentis dedicationem Deo factam significavisse. Can. 32. de cons. dist. 2.

De libro de Unitate Ecclesiæ.

In incerto veluti hærent viri eruditi, ubi investigandum occurrit, an Augustino jure tributus sit libellus, cui titulus est *de Unitate Ecclesiæ*, aut, quemadmodùm habetur in tomo 9. editionis Maurinorum: *ad Catholicos epistola contra Donatistas.* Vulgò in primis adnotant, libelli hujus mentionem non fieri in libris Retractationum, in quibus ceteroquin omnia ferè opera sua Augustinus recensuit. At hoc argumenti genus parum in proposito valet; etenim liber iste instar epistolæ cujusdam, ad Catholicos directæ, est: epistolarum autèm suarum mentionem nullam in suis Retracta-

tationibus habuit Augustinus. Duas alias graviores conjecturas Maurini adferunt. Prima est, quòd stylus cum Augustiniano minimè conveniat. Secunda, quòd testimonia sacrarum literarum, quæ ibidèm referuntur, non exhibeant vulgatam illam veterem interpretationem, quâ sanctus Antistes uti consuevit; ex quibus sanè nemo erit, qui tutò censeat adfirmandum, reverà sancti Antistitis librum illum, sive epistolam esse. Ceterùm, quæ ibidèm pertractantur, Augustini temporibus apprimè conveniunt; quæritur enim, ubinàm sita sit vera Ecclesia Christi, nùm apùd Catholicos, nùm apùd Donatistas, & pluribus argumentis concluditur, Donatistis veræ Ecclesiæ notas deesse, quæ tamèn apùd Catholicos deprehenduntur. Ex eo libro cap. 20. depromptus est versiculus *de persecutione* can. 40. caus. 23. q. 4., cujus verba cum Augustini codice apprimè consonant. Respondebat autèm sanctus Antistes ibi Donatistarum objectionibus, qui ideò se in Ecclesia Dei esse probabant, quia assiduè vexarentur, quasi ea esset nota & character Ecclesiæ, adversùs quos tradebat, inter persecutiones & persecutiones discrimen intercedere; persecutiones autèm, quales Donatistæ patiebantur, veram in eis Ecclesiam esse non demonstrare. Pòst pauca in eodem cap. 20. legitur canon 35. caus. 23. quæst. 5. eisdem omninò verbis, quibus traditur, quàm æquo judicio Imperatorum Donatistæ vexarentur, quòd potissimùm Sacramentis abuterentur. Hinc pòst verba Gratiani statim in eo libello subjicitur: *Hanc vobis dilectionem debent Christiani Catholici Imperatores, ut sacrilegia vestra, & propter Christianam mansuetudinem, non pro merito punienda decernant, & propter Christianam sollicitudinem non omninò impunita dimittant.*

Can. 40. vers. ult. caus. 23. q. 4. & can. 35. caus. 23. q. 5.

De libro de Summo Bono.

Et Gratianus in can. 47. caus. 11. quæst. 3., & Ivo in parte 14. decreti cap. 9. laudaverunt librum Augustini *de Summo Bono*, qui apùd Augustinum præsefert titulum *de Natura boni*. Fortè ex eo variari potuit libelli inscriptio, quòd Augustinus in lib. 2. Retractat. cap. 9. hunc librum excurrens, profitetur se in eo ostendisse, *naturam incommutabilem Deum esse, ac summum bonum, atque ab illo esse ceteras naturas, sive spirituales, sive corporales; atque omnes, in quantum naturæ sunt, bonas esse.* Ex hoc facilè unusquisque agnoscit, ibidèm confici Manichæorum impietatem, qui duo statuebant principia, bonorum unum, alterum malorum. De Gratianeo canone nihil specialitèr est observandum, cum Gratiani verba penitùs consonent cum integris Augustini codicibus.

Can. 47. caus. 11. q. 3.

De libris de Trinitate.

Libros quindecim de summa Trinitate ab Augustino elucubratos laudavit Cassiodorus in cap. 16. libri divinarum institutionum, ibi: *Sancti Augustini 15. libri, quos idem de Trinitate mirabili profunditate conscripsit, curiosâ vobis intentione meditandi sunt.* Reverâ ii sunt, quos sanctus Antistes diuturno studio, & incredibili animi intentione editos voluit; nimirùm in juvenili adhùc ætate constitutus illos incœpit, & demùm in provecta senectute absolvit. Erat opus istud Augustino propositum, in quo elaboraret, dum aliquid otii superesset; cum enim Ecclesiasticis curis identidèm distraheretur, undè ad varias res animus avocabatur, quotiès sublimiorium rerum meditatione mentem relaxare quodammodò posset, eo totis viribus se convertebat. Librorum eorumdem mentionem fecit in lib. 2. Retractat. cap. 15. In principio lib. 3. legitur canon 3. dist. 9., ubi sanè exhibetur [illegible] sancti Doctoris humilitas, dum profitetur, desiderare se vehementissimè, ut corrigerentur, quæ ipse volumina edi-

Can. 3. dist. 9.

de-

derat, præsertim in ea parte, in qua gravissimas disputationes discusserat, atque enodaverat, quasi humana multa in iis perpessus fuisset; quamobrèm ingenuè ait, scripturis suis divina eloquia longè præstare, quemadmodùm legimus in dicto can. 3., ubi pro illis verbis *firmum tenere* scribendum est *firmitèr tenere* juxtà optimorum codicum exemplaria.

Can. 95. caus. 1. q. 1. Canon 95. caus. 1. quæst. 1. legitur eisdem verbis in lib. 4. cap. 14., quamquàm tamèn parum proposito Gratianeo conveniat; etenim Augustinus ibidèm sermonem habebat de summo Christi Domini Sacerdotio, qui semetipsum charitate eximia pro nobis in Cruce Patri immolavit, quemque propterèà esse decuit *sanctum*, *innocentem*, *impollutum*, ut scribit Paulus in cap. 7. ad Hebræos; at verò Gratianus rem ità exhibuit, quasi ad Sacerdotes Christi Ministros Augustini sententia pertineret.

Can. 60. de cons. dist. 2. Canon 60. de cons. dist. 2. omninò consonat cum verbis Augustini lib. 3. cap. 4., adjectis ad clariorem rei explicationem Romanorum Correctorum adnotationibus. Sancti Antistitis propositum erat, ut doceret, omnia disponi, regi, ac gubernari auctoritate, & providentia mirabili Dei, quam ad rem profertur exemplum in Sacramento Eucharistiæ, in quo, divina operante virtute, panis & vinum *sanctificatur*, *ut magnum sit Sacramentum*.

Can. 30. de cons. dist. 3. Ad canonem 30. de cons. dist. 3. nihil est, quod singulari opus habeat animadversione. Integer ille legitur in cap. 4. libri 1.

De libro contrà Secundinum.

Can. 51. caus. 11. q. 3. Adversùs Secundinum Manichæum libellum scripsit Augustinus, quemadmodùm ipse profitetur in lib. 2. Retract. cap. 10. & quidèm elegantissimum, quem idem sanctus Antistes ait, se ceteris adversùs Manichæos editis facilè præponere. Audax fuerat Secundinus, qui, licèt Augustino ignotus, voluit ad Augustinum libellum familiari stylo editum dirigere, quo & Manichæorum, quas ipse sequebatur, tueretur opiniones, & Ecclesiæ Catholicæ dogmata impugnaret. Adversùs eum alio libello respondit Augustinus summa cum ingenii alacritate, ex cujus initio depromptus est canon 51. caus. 11. q. 3., ubi sanctus Antistes eludebat convicia, adversùs se à Manichæis illata, scribens, nihil sua interesse, quid Manichæi de ipso senserint, dummodò coràm Deo integer vitæ, & sceleris purus habeatur. An verò hæc sententia conveniat Gratiani proposito, qui exindè colligebat, neminem damnari posse iniquis quorumdam judicum sententiis, quandò innoxius est apùd Deum, facilè unusquisque judicabit.

De libris contrà Manichæos, ac præsertim contrà Faustum.

Multa sunt, quæ Augustinus edidit adversùs Manichæos, quorum secta illis temporibus res Ecclesiasticas vehementissimè perturbabat. Extat inter cetera liber de Genesi contrà Manichæos, ubi sanctus Vir improbos hæreticos persecutus est, quòd vetus testamentum, præsertim verò sacram Genesim, detestarentur. Extant prætereà libri tres supra triginta adversùs Faustum, ejusdem sectæ hominem, quorum argumentum non aliundè deduci clariùs potest, quàm ex iis, quæ tradidit Augustinus in lib. 2. Retractationum cap. 7. ibi: *Contrà Faustum Manichæum blasphæmantem Legem, & Prophetas, & eorum Deum, & Incarnationem Christi, Scripturas autèm Novi Testamenti, quibus convincitur, falsatas esse dicentem, scripsi grande opus, verbis ejus propositis reddens responsiones meas. Triginta & tres disputationes sunt, quas etiàm libros cur non dixerim? Nam etsi sunt in eis aliqui perbreves, tamèn libri sunt.* Gratianus in laudandis hujusmodi monumentis modò specialitèr de-

sig-

signavit libros contrà Faustum, modò generalitèr libros indicavit editos adversus Manichæos, quemadmodùm in sequentibus deprehendetur.

Can. 9. dist. 11. In primis laudatur canon 9. dist. 11. sub hac inscriptione *Idem*, id est, Augustinus, *in libro contra Manichæos*; habetur autèm in lib. 11. cap. 2. contrà Faustum; cujus canonis sententia ut integra percipiatur, observandum est, Fausto Manichæo morem fuisse, ut statim ac dignosceret quædam sacrarum literarum testimonia, quæ ad suam firmandam hæresim quoquo modo torquere posset, eadem prædicaret, quasi palmam relaturus; ubi verò in alia testimonia impingeret, quibus Manichæorum hæreses conficerentur, illa deleret, & è codicibus temerè expungenda clamaret, Catholicorum perfidiam incusans, quasi Catholici posterioris generis monumentorum auctores fuerint, eademque divinis literis commentitiis artibus inseruerint. Id ægrè admodùm ferens Augustinus, ad incorruptam divinorum codicum integritatem, quam ex universæ Ecclesiæ testimonio firmissimo probare nitebatur, provocabat his verbis, quæ paulispèr Gratianus immutavit: *Vides in hac re, quid Ecclesiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis Sedibus Apostolorum usquè ad hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur.*

Can. 4. caus. 23. q. 1. Canon 4. caus. 23. quæst. 1. similitèr laudatus à Gratiano, quasi ex libris Augustini contrà Manichæos, habetur in lib. 22. cap. 74. & 75. contrà Faustum, quamquàm Gratianus lectionem paulispèr corruperit; ut enim omittam, pro illis verbis *Ut dominentur in pace victuri*, in aliquibus Augustini codicibus legi: *Ut domentur in pace victuri*, versiculus Gratiani *Undè neque Joannes* longè aliis verbis apùd Augustinum exhibetur; nimirùm pòst illa verba *ordo ipse constringit* ità legitur: *Alioquin Joannes cum ad eum baptizandi milites, venirent dicentes: & quid nos facemus? Responderet eis: arma abjicite, militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite; sed quia sciebat, eos, cum hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non ultores injuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, respondit eis: neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. Sed quia Manichæi Joannem apertè blasphemare consueverunt, ipsum Dominum nostrum Jesum Christum audiant, hoc stipendium jubentem reddi Cæsari, quod Joannes dicit sufficere militi: Reddite, inquit, Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & Deo, quæ Dei sunt. Et ad hoc enim tributa præstantur, ut propter bella necessariò militi stipendium præbeatur.* Et paulò infrà: *Interest enim, quibus causis, quibusve auctoribus homines bella gerenda suscipiant. Ordo tamèn ille naturalis mortalium paci adcommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas, atque consilium penès Principem sit, exequendi autèm jussa bellica ministerium milites debeant paci, salutique communi. Bellum autèm, quod gerendum Deo auctore suscipitur, rectè suscipi dubitare fas non est, vel ad terrendam, vel ad obterendam, vel ad subjugandam mortalium superbiam, quando ne illud quidèm, quod humana cupiditate geritur, non solùm incorruptibili Deo, sed nec sanctis ejus obesse aliquid potest, quibus potiùs ad exercendam patientiam, & ad humiliandam animam, ferendamque paternam disciplinam etiàm prodesse invenitur. Neque enim habet in eos quisquam ullam potestatem, nisi cui data fuerit desupèr, non est enim potestas, nisi à Deo, sive jubente, sive sinente. Cum ergò vir justus, si fortè sub Rege, homine etiàm sacrilego, militet, rectè possit illo jubente bellare, civicæ pacis ordinem servans, cui quod jubetur* (MSS. codices, uti testantur Maurini, habent *cum id quod jubetur*), *vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est, ità ut fortassè reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autèm militem ostendat ordo serviendi.*

Prætereà quasi ex libris Augustini con-

Can. 31. caus. 24. q. 3. contrà Manichæos laudatur canon 31. caus. 24. quæst. 3., cujus verba non alibi apùd Augustinum leguntur, quàm in libro 18. de Civitate Dei cap. 51., ubi sanctus Antistes ostendens, Catholicam Fidem per hæreticorum errores roborari potiùs, quam everti, ex eo nimirùm quòd Catholica veritas acriore disputatione discussa magis eniteat, occasione arrepta docet, quinam pro hæreticis habendi sint, quorum operâ Catholici in fide exercentur. Gratiani verba penitùs consonant cùm codicibus Augustini in dicto cap. 51.

Can. 40. caus. 24. q. 3. Canon 40. caus. 24. quæst. 3. in vetustis Gratiani codicibus laudabatur Augustini nomine, quin specialitèr adnotaretur opus sancti Antistitis, ex quo depromptum esset. In recentioribus autèm codicibus indicatur, derivatum illum fuisse ex cap. 1. lib. 1. de Genesi contrà Manichæos, cui sanè Gratianea editio consonat, dummodò pro illis verbis *hi autèm Deo probati sunt* legatur: *Illi enim Deo probati sunt.* Porrò ibi cum Augustinus Manichæos objurgaret, quòd vetus testamentum aspernarentur, occasionem arripuit admonendi fideles, ut sacras veteris etiàm testamenti litteras assidua meditatione versarent.

Can. 13. dist. 37. Ex lib. 13. cap. 15. contrà Faustum depromptus est canon 13. dist. 37., cum enim Faustus Prophetarum veterum contemneret auctoritatem, allegans penès illos nihil veneratione dignum haberi, aut si quid esset divinum, parum, nihilve dissimile esse à vaticiniis Sybillarum, aut Orphei, ceteroquin à Catholicis aut nullo aut exiguo in pretio habitis, ità respondit Augustinus: *Sybilla porrò, vel Sybillæ, & Orpheus, & nescio quis Hermes, & siqui alii Vates, vel Theologi, vel Sapientes, vel Philosophi gentium de Filio Dei, aut de Patre Deo vera prædixisse, seu dixisse perhibentur, valet quidèm aliquid ad Paganorum vanitatem revincendam, non tamèn ad istorum auctoritatem amplectendam.* Est pòst pauca: *Quamobrèm quantùm distat de Christi adventu inter prædicationem Angelorum, & confessionem Dæmoniorum, tantùm inter auctoritatem Prophetarum, & curiositatem sacrilegorum.* His in aperto posita est Augustini sententia, & Gratianea editio emendata.

Canon 6. dist. 56. alitèr legitur apùd Augustinum in lib. 22. contrà Faustum cap. 64., ac penès Gratianum exhibeatur, quemadmodùm jam Romani Correctores observaverunt, qui propterèà ipsa sancti Augustini verba ad calcem canonis descripserunt. Totus ibidèm in eo erat sanctus Antistes, ut responderet Fausto in Christum blasphæmanti, quòd Christi origo ex adulterinis traducta conjugiis videretur, atque inter cetera tradebat, nihil obesse filiis ex malis parentibus, aut majoribus esse progenitos. Can. 6. dist. 56.

Canon 8. caus. 8. quæst. 1. emendandus est ex cap. 10. libri 32. contrà Faustum, ubi Augustinus respondebat Manichæo, objicienti contra vetus testamentum, probari nullo modo posse, quod in eo legitur definitum, fratrem uxorem prædefuncti fratris cogi sibi conjugio sociare, his verbis: *Velut hoc ipsum, quod modò non intelligens Faustus mandatis veteris testamenti pro crimine objecit, quòd uxorem fratris ad hoc frater jussus est ducere, ut non sibi, sed illi sobolem suscitaret, ejusque vocaret nomine, quod indè nasceretur; quid aliud in figura præmonstrat, nisi quia unusquisque Evangelii prædicator ità debet in Ecclesia laborare, ut defuncto fratri, id est, Christo, suscitet semen, qui pro nobis mortuus est, & quod suscitatum fuerit, ejus nomen accipiat?* Et pòst aliqua: *At verò, qui electus ab Ecclesia ministerium evangelizandi renuerit, ab Ecclesia ipsa meritò, dignèque contemnitur. Hoc est enim, quod in ejus faciem videtur expuere, non sanè sine signo hujus opprobrii, ut calceamento pedis unius exuatur, ne sit in eorum sorte, quibus Apostolus ait: & calceati pedes in præparationem Evangelii pacis, & de quibus commemorat Propheta: quàm speciosi pedes eorum, qui annunciant pacem, qui annunciant* Can. 8. caus. 8. q. 1.

ciant pacem, qui annunciant bona. Qui enim sic Evangelicam fidem tenet, ut & sibi prosit, & Ecclesiæ prodesse non renuat, benè intelligitur utroque pede calceatus. Qui autèm sibi putat, quia credidit satis esse consultum, curam verò lucrandorum refugit aliorum, discalceati illius non figuratum significabit, sed in se impletum portabit opprobrium.

Can. 2. caus. 14. q. 1. Canon 2. caus. 14. quæst. 1. emendandus est ex lib. 19. cap. 25. contrà Faustum; ubi cum Faustus objecisset, multa in vetere testamento facienda mandari, quæ reprobantur in novo, quasi videretur utrumque testamentum invicèm repugnare; ac præsertim in eo, quòd in testamento vetere non improbaretur ultio injuriarum, quæ damnatur in novo, ità respondebat Augustinus inter cetera: *Quod autèm debetur, etsi benignè dimittitur, non tamèn iniquè repetitur; sed, sicut in jurando etiàm qui verum jurat, propinquat perjurio, undè longè abest, qui omninò non jurat, & quamvis non peccet, qui verum jurat, remotior tamèn à peccato est, qui non jurat, ut admonitio non jurandi conservatio est à peccato perjurii; ità cum peccet, qui per immoderationem injustè vult vindicari, non peccet autem, qui modum adhibens justè vult vindicari, remotior est à peccato injustæ vindictæ, qui non vult omninò vindicari, peccat enim, qui exigit ultrà debitum, non peccat autèm, qui exigit debitum, sed tutior longè est à peccato injusti exactoris, qui omninò non exigit debitum, præsertim ne cogatur & ipse reddere debitum ab eo, qui nullum habet debitum.*

Can. 9. caus. 15. q. 1. Facilè percipitur Augustini sententia in can. 9. caus. 15. quæst. 1. deprompto ex lib. 22. contra Faustum cap. 44.; ibi enim sanctus Antistes, quantum fieri potest, excusat factum Loth, quem Faustus veterum Patriarcharum accusator impius de incestu notabat.

Can. 36. & caus. 23. q. 4. Paucis Gratianus expressit in can. 36. caus. 23. quæst. 4., quod fusius scribit Augustinus in lib. 22. contra Faustum cap. 70., ubi sanctus Antistes Fausto, objicienti Mosem tanquàm truculentum, ferumque tyrannum, quandò præsertim percussit Ægyptium, respondet comparando Mosem cum Apostolo Petro ità, ut quemadmodùm Apostolus, qui militem percussit, factus est à Christo caput Ecclesiæ, ità factus proponatur Judaici populi ductor Moses pòst occisum Ægyptium, his verbis: *Hinc erat etiàm illud Petri, cum, evaginato gladio volens defendere Dominum, aurem persecutoris abscidit, quod factum Dominus satis minaciter cohibuit, dicens. Reconde gladium, qui enim gladio usus fuerit, gladio cadet. Ille autèm utitur gladio, qui nulla superiore, ac legitima potestate vel jubente, vel concedente in sanguinem alicujus armatur. Nam utiquè Dominus jusserat, ut ferrum discipuli ejus ferrent, sed non jusserat, ut ferirent. Quid ergò incongruum, si Petrus pòst hoc peccatum factus est Pastor Ecclesiæ, sicut Moyses post percussum Ægyptium factus est Rector illius Sinagogæ? Uterque enim non detestabili immanitate, sed emendabili animositate justitiæ regulam excessit, uterque odio improbitatis alienæ, sed ille fraterno, iste Dominico, licèt adhùc carnali, tamèn amore peccavit.* Ad hanc eamdem causam pertinet canon 44. caus. 23. quæst. 4. depromptus eisdem verbis ex lib. 22. contra Faustum cap. 73.

Can. 15. caus. 23. q. 5. Canonis 15. caus. 23. quæst. 5. verba arbitratu suo mutavisse Gratianum, jam adnotaverunt Romani Correctores. Sanè, cum Faustus pergeret accusando veteres Patriarchas, nimirùm sævitiam Moysis adversùs Ægyptios, & sevitiam Abrahæ in filium, ait Augustinus in lib. 22. contrà Faustum cap. 73. *Quædam enim facta lex illa æterna, quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat, ità medio quodam loco posuit hominibus, ut in eis usurpandis merito reprehendatur audacia, in exequendis autèm jure obedientia laudetur. Tantum interest in ordine naturali, quid à quo agatur, & sub quo quisque agat. Abraham, si filium sponte*

im-

immolaret, quid, nisi horribilis, & insanus? Deo autèm jubente, quid, nisi fidelis, & devotus adparuit? Et infrà: *Quapropter, si in occidendo filio spontaneus motus execrabilis, Deo autèm jubente obsecundans famulatus, non solùm inculpabilis, verùm etiàm laudabilis invenitur, quid Moysem, Fauste, reprehendis, quòd expoliavit Ægyptios &c.*

Can. 7. caus. 32. q. 4. Canon 7. caus. 32. quæst. 4. in veteribus Gratiani codicibus tribuebatur Ambrosio. Rectiùs Correctores Romani nomen Augustini inscripserunt, apùd quem invenitur in lib. 22. contrà Faustum cap. 47. & 48. Ibidèm satisfit Manichæi objectis, qui vesana libidine correptos Patriarchas veteres ajebat. Hinc sanctus Antistes inquit cap. 47. *Jam verò filio ejus Jacob, quòd pro ingenti crimine quatuor objiciuntur uxores, generali prælocutione purgatur.* Et in cap. 48. propè finem: *Sicut ergò sancti Apostoli auditoribus admirantibus doctrinam suam condelectabantur, non aviditate consequendæ laudis, sed charitate seminandæ veritatis, ità sancti Patriarchæ conjugibus excipientibus semen suum miscebantur, non concupiscentiâ percipiendæ voluptatis, sed providentiâ propagandæ successionis; ac per hoc nec illos ambitiosos multitudo populorum, nec illos libidinosos multitudo faciebat uxorum.*

Can. 28. de pœn. dist. 1. Quod legimus in can. 28. de pœn. dist. 1. habetur in lib. 19. cap. 23. ibi: *Quia enim non intelligebant homicidium, nisi peremptionem corporis humani, per quam vita privaretur, aperuit Dominus, omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidii genere deputari: Undè & Joannes dicit: qui odit fratrem suum, homicida est.*

Can. 15. caus. 35. q. 2. Verba canonis 15. caus. 35. quæst. 2. habentur quidèm apùd Augustinum in lib. 22. contrà Faustum cap. 61.; verùm non integra ibidèm exhibetur sancti Viri sententia. Objecerat Faustus adversùs Patriarcham Judam turpem incestum, quem legimus cum nuru concubuisse. Augustinus, licèt gravitèr delinquisse Judam profiteatur, eum tamèn excusat ab incestus crimine, quòd ipsâ nòn nuru, sed meretrice publicâ se abuti putaret, his verbis: *Omnem quippè dehonestat emptorem turpitudo venalis; ac per hoc Judas etsi graviùs peccasset, si nurum sciens cum ea concubere voluisset; (si enim vir, & uxor, sicut Dominus dixit, non jam duo, sed una caro est, non alitèr nurus est deputanda, quam filia), tamèn eum, quantum in ipso erat, deformitèr cum meretrice cubasse non dubium est.*

De libris contrà Adversarium Legis, & Prophetarum.

Can. 12. caus. 32. q. 1. & Can. 1. caus. 32. q. 4. Duobus libellis disputavit Augustinus contrà Manichæos, qui adversarii dicebantur legis veteris, & Dei Prophetarum, eorumque edendorum occasio hæc fuit. Quidam è secta Manichæorum volumen vulgaverat, quo duo esse rerum principia, bonum unum, & alterum malum, demonstrare conabatur, illud novi, istud veteris testamenti conditorem; quamobrèm veteris testamenti instituta quasi detestabilia rejiciebat. Hunc, quia nomen suppresserat, vocavit Augustinus *Adversarium legis, & Prophetarum*, & laudatos libellos contrà eumdem direxit, de quibus ità scripsit Cassiodorus in libro Divinarum lectionum cap. 1. *Nam & Pater Augustinus, contrà Manichæos duobus libris disputans, ità textum Genesis diligentèr exposuit, ut penè nihil relinquere probaretur ambiguum.* Rem hanc totam ità describit Augustinus idem in lib. 2. Retract. cap. 58. *Interèà liber quidam cujusdam hæretici, sive Marcionistæ, sive cujuslibet eorum, quorum error opinatur, quòd istum mundum non Deus fecerit, nec Deus legis, quæ data est per Moysem, & Prophetarum, ad eamdem legem pertinentium, verus sit Deus, sed pessimus Dæmon, cum apùd Carthaginem multis confluentibus, & attentissimè audientibus in platea maritima legeretur, pervenerunt ad eum fratres studiosissimè Christiani, eumque mihi redarguendum sine*

ulla dilatione miserunt, multùm rogantes, ut nec ego recognoscere differrem. Refelli cum libris duobus, quos ideò prænotavi, contra adversarium legis, & Prophetarum, quia codex ipse, qui missus est, nomen non habebat auctoris. Ex his facilè intelligitur sententia tum canonis 12. caus. 31. quæst. 1., tum canonis 1. caus. 32. quæst. 4., qui simùl jungendi sunt, habenturque in cap. 9. & 11. libri 1. Hæreticus, Legi & Prophetis adversatus, secundas nuptias illicitas prædicaverat: proindè de peccato arguebat Abrahamum, quòd, mortuâ uxore Sarâ, Cethuram superinduxerat, uti legitur in cap. 35. Geneseos. E contrario Augustinus scripsit, secundas nuptias, ne in novo quidèm testamento, non improbari in dicto can. 12., adferens in eam rem testimonium Pauli in 1. ad Corinth. cap. 7. ibi: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quòd si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat.* Quod sanè argumenti genus plurimùm valebat adversùs eum, qui novi testamenti bonum Deum agnoscebat auctorem. Notandum est, in dicto can. 1. improbatam fuisse Tertulliani opinionem, qui visus est quoquo modo secundas nuptias damnavisse in eo libro, quem inscripsit de Monogamia, edito, postquam scriptor ille in Montani sectam deflexit, quemadmodùm observavit Hieronymus, & pòst eum eruditi universi. Quamobrem nemini mirum videbitur, si Augustinus ibidèm mentionem Tertulliani fecerit, quasi illius, qui *hæreticorum adstipulator extiterit.*

De libris de Baptismo contrà Donatistas.

Nemo ignorat, Donatistas Hæreticos in more habuisse, ut quoscumque Catholicos ad se venientes rebaptizarent, inhærere se profitentes traditioni Cypriani, qui baptisma extrà veràm Ecclesiam collatum rejecerat. Adversùs illos septem libellos de baptismo elucubravit Augustinus, de quibus ità scripsit in lib. 2. Retractat. cap. 18. *Contrà Donatistas, auctoritate Beatissimi Episcopi & Martyris Cypriani se defendere molientes, septem libros de baptismo scripsi, in quibus docui, nihil sic valere ad refellendos Donatistas, & ad eorum prorsùs ora claudenda, ne adversùs Catholicos suum schisma defendant, quomodò literas factumque Cypriani. Ubicumquè autèm in his libris commemoravi Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, non sic accipiendum est, quasi jam sit, sed quæ præparatur ut sit, quandò adparebit etiàm gloriosa. Nunc enim propter quasdam ignorantias, & infirmitates membrorum suorum habet, undè quotidiè tota dicat: Dimitte nobis debita nostra. In quarto libro cum dicerem, vicem baptismi posse habere passionem, non satis idoneum posui illius latronis exemplum, quia, utrùm non fuerit baptizatus, incertum est. In libro 7. de vasis aureis, & argenteis in domo magna constitutis sensum Cypriani secutus sum, quia hæc accepit in bonis, in malis autèm lignea, & fictilia, ad illa referens, quod dictum est: alia quidèm in honorem; ad hæc autèm, quod dictum est, alia verò in contumeliam. Sed magis adprobo, quod apùd Tichonium posteà reperi, vel adverti in utrisque intelligendum, quædam in honorem, non sola scilicèt aurea, vel argentea, & rursùs in utrisque quædam in contumeliam, non utiquè sola lignea, & fictilia.* Liquet ex his, Augustinum nonnulla aut retractasse, aut explicavisse, quæ minùs deliberatè in laudatis libris tradiderat. Librorum ordo ità servatus est, ut in primo demonstraretur, baptisma extrà Ecclesiam collatum valere quidèm, non tamèn licere indiscriminatim fidelibus illud suscipere extrà Ecclesiam, nisi fortè necessitas id postulaverit; in sequentibus libris, videlicèt 2. 3. 4. & 5. explicaretur Cypriani sententia, cui adhærere se Donatistæ profitebantur; in 6. & 7. libro expenderetur ad eamdem rem sententia Carthaginensis Concilii, sub eodem Cypriano celebrati.

Ex

Ex lib. 3. cap. 5. & seq. deprompti sunt can. 4. & 6. dist. 8., qui licèt reverà Augustini nomine laudari possent, non exhibent tamèn Augustini sententiam; etenim ibidèm sanctus Antistes describit definitionem Concilii Carthaginensis, celebrati sub Cypriano in rebaptizantium causa, adversùs doctrinam Romanæ Ecclesiæ, sub Stephano Pontifice Maximo stabilitam. Sanè Stephanus cum tota Romana Ecclesia adversùs Cyprianum, & reliquos Africanos objiciebat generalem Ecclesiæ consuetudinem, undè vetus traditio probaretur, quâ baptizati ab Hæreticis minimè rebaptizabantur: respondebant autèm Africani cum Cypriano, se non de consuetudine, sed potiùs de rei veritate velle disputationem inire; quod sanctus Augustinus expendens adversùs Donatistas ità scribit: *Dicit enim in ipso Concilio Castus Siccensis: qui contempta veritate* (en verba canonis 6.) *præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres invidus est, & malignus, quibus veritas revelatur, aut circa Deum ingratus est, cujus inspiratione Ecclesia instruitur. Utrùm veritas revelata sit, mòx quæremus; tamèn aliam fuisse Ecclesiæ consuetudinem, etiam iste confessus est. Dixit & Libosus Vagensis: In Evangelio Dominus* (iterùm hic prosequitur Gratianus in can. 6. pòst quædam ex descriptis omissa) *ego sum, inquit, veritas; non dixit: ego sum consuetudo. Itaquè manifestatâ veritate* (hæc verba repetit Gratianus etiam in can. 4.) *cedat consuetudo veritati. Planè quis dubitet veritati manifestatæ debere consuetudinem cedere. Itèm Zozimus à Tharassa dixit: Revelatione facta veritatis* (hæc describuntur pòst quædam omissa in can. 6.) *cedat error veritati, quia & Petrus, qui priùs circumcidebat, cessit Paulo, veritatem prædicanti....Item Felix à Buslaceni dixit: In Hæreticis sine Ecclesiæ baptismo admittèndis, nemo consuetudinem* (sunt hæc postrema verba canonis 4.) *rationi & veritati præponat, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.* (hæc posteriora verba iterùm Gratianus adjecit in fine canonis 6.) *Item Honoratus à Tucca dixit: Cum Christus veritas sit, magis veritatem, quam consuetudinem, sequi debemus.* (Postrema hæc verba inseruit Gratianus in can. 6.) Ex his apertè duo colliguntur. Primum est, Gratianum laudatos canones ità confusos exhibuisse, ut verborum Augustini ordinem non servaverit. Alterum est, Gratianum tribuisse Augustino, quod Episcoporum Carthaginensis Concilii nomine ab Augustino recensebatur. Idipsum etiàm evenit in can. 7. dist. 8., qui depromptus est ex lib. 4. cap. 5., ubi Cypriani sententiam Augustinus expendebat; quamobrèm memoratus canon partim Augustini, partim Cypriani sententiam exhibet. Verba Augustini hæc sunt: *Proindè, inquit,* (Cyprianus) *frustrà quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis objiciunt, quasi consuetudo major sit veritate, aut non id sit in spiritualibus sequendum, quod in melius fuerit à Spiritu sancto revelatum.* Istis Cypriani verbis relatis sanctus Hipponensis Antistes hanc interpretationem adcommodat. *Hoc planè verum est; quia ratio, & veritas consuetudini præponenda est, sed cum consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri.* Optandum sanè fuisset, ut Gratianus Augustini sententiam à Cypriani sententia distinxisset.

Can. 4. & 6. dist. 8.

Can. 7. dist. 8.

Ut percipiatur Augustini doctrina, qualis exhibetur in can. 8. dist. 9., utile est integra sancti Antistitis verba describere, qualia habentur in lib. 2. cap. 3. ad Donatistas directa, ibi: *Vos certè nobis objicere solètis Cypriani literas, Cypriani sententiam, Cypriani Concilium: Cur auctoritatem Cypriani pro vestro schismate assumitis, & ejus exemplum pro Ecclesiæ pace respuitis? Quis autèm nesciat, sanctam scripturam canonicam, tam veteris, quam novi testamenti, certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus Episcoporum literis ità præponi, ut de illa omninò dubitari, & disceptari non possit, utrùm verum, vel utrum rectum sit, quid-*

Can. 8. dist. 9.

quidquid in ea scriptum esse constiterit; Episcoporum autèm literas, quæ pòst confirmatum canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum graviorem auctoritatem, doctioremque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deviatum est: & ipsa Concilia, quæ per singulas regiones, vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere; ipsaque plenaria sæpè priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat, sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantiæ, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Christiana &c. Notatu dignum est hoc in loco, Augustinum cum *plenaria* Concilia memoraret, non significavisse generalia totius Ecclesiæ, sed provincialia, aut nationalia totius Africæ, cum de his disputatio tota conciperetur.

Can. 9. dist. 56. Canon 9. dist. 56. longè aliam ad rem accommodatus fuit à Gratiano, quàm quò pertinet apùd Augustinum in lib. 1. cap. 15. Nimirùm Gratianus eo utitur, ut demonstret, filios Presbyterorum ad Sacros Ordines esse admittendos, si paterni non sint criminis imitatores. Aliud sanè erat sancti Viri propositum, qui ibidèm tradebat, baptizatos extrà Ecclesiam verum suscepisse Baptismatis Sacramentum, ea ratione, quòd Ecclesia duplicitèr intelligitur Christo Sponso suo mysticè filios parere, vel ex se, & quasi utero suo, vel per Ecclesias Hæreticorum, quasi utero ancillarum, figurâ ad eam rem exhibitâ veterum Patriarcharum filios suscipientium ex justa uxore, & ex uxoris ancillis; quemadmodùm enim & filii ancillarum ad paternam hæreditatem cum ceteris liberis admittebantur, quotiès in una patris familia consistebant, ità tradebat Augustinus, baptizatos ab Hæreticis posse adspirare ad Regnum Dei, si cum Catholicæ Ecclesiæ filiis omninò consenserint. Verba Augustini hæc sunt: *Ecclesia quippè omnes per baptismum parit, sive apud se, id est, utero suo, sive extrà se, de semine viri sui. Sed & Esau de uxore natus propter fraternam discordiam separatus est à populo Dei; & Aser per uxoris quidèm potestatem, sed ex ancilla natus propter fraternam concordiam terram promissionis accepit. Undè & Ismaeli ut separaretur à populo Dei, non obfuit mater ancilla, sed obfuit fraterna discordia, & non profuit potestas uxoris, cujus magis filius erat, quia per ipsius jura conjugalia & in ancilla seminatus erat, & ex ancilla susceptus. Sicut apùd istos Ecclesiæ jure, quod est in baptismo, nascuntur, quicumque nascuntur; sed si concordent cum fratribus, per unitatem pacis ad terram veniunt promissionis, non de materno utero rursùs ejiciendi, sed in paterno semine agnoscendi; si autèm in discordia perseverent, ad Ismaelis funiculum pertinebunt.*

Can. 32. caus. 1. q. 1. Verba canonis 32. caus. 1. quæst. 1. olim apùd Gratianum ità describebantur: *Sic autèm Deus adest Sacramentis, & verbis suis, per quoscumque administrentur, quorum Sacramenta, & verba recta sunt, sicut mali homines, quibus nihil prosunt, ubique perversi sunt, id est, intus & foris.* Sed paulò alitèr eadem exhibentur in recentioribus Gratiani codicibus pòst Romanam Correctionem, præsertim omissis postremis verbis, *id est, intus & foris*, quæ videntur à Gratiano adjecta fuisse, ut canon subsequens 33. quasi sequela præcedentis subjiceretur. Verba Augustini in lib. 5. cap. 19. hæc sunt: *Si autèm Deus adest Sacramentis, & verbis suis, per qualescumque administrentur, & Sacramenta Dei ubiquè recta sunt, & mali homines, quibus nihil prosunt, ubiquè perversi sunt.*

Can. 33. & caus. 1. q. 1. Ad canonem 33. caus. 1. quæst. 1., vix est, quod singulari indigeat animadversione. Habetur ille in lib. 4. cap. 12., ubi pro verbis illis, *qui ex pa-*

patre diabolo est, nonnulli Augustini codices habent: *qui ex parte diaboli est.* Qui deindè in eadem causa & quæstione subsequitur canon 35. emendandus est ex integris Augustini codicibus, nimirùm ex lib. 1. cap. 12. his verbis: *Sicut enim in illo, qui fictus accesserat, fit, ut non denuò baptizetur, sed ipsa pia correctione, & veraci correctione purgetur, quod non posset sine baptismo, ut quod antè datum est, tùnc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit; sic etiàm iste, qui baptisma Christi, quod non amiserunt, qui se separaverunt, inimicus charitatis, & pacis Christi in aliqua hæresi, aut schismate accepit, quo sacrilego scelere peccata ejus non dimittebantur, cum se correxerit, & ad Ecclesiæ unitatem venerit, non iterùm baptizandus est, quia ipsa ei reconciliatione ac pace præstatur, ut ad remissionem peccatorum ejus in unitate jam prodesse incipiat Sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat.* Et pòst multa in cap. 13. ità prosequitur: *Sic & illa, quæ schismatici, vel hæretici non alitèr habent, nec alitèr agunt, quàm vera Ecclesia, cum ad nos veniunt, non emendamus, sed potiùs adprobamus.* Hæc paucis perstrinxit Gratianus, & quasi uno spiritu jungenda digessit.

Canon 37. caus. 1. quæst. 1. eisdem omninò verbis legitur apùd Augustinum in lib. 6. cap. 44., at subsequens canon 38. habetur in lib. 3. cap. 16., ubi nonnulla exhibentur paulispèr à Gratiani editione diversa; etenim ubi Gratianus testimonium Pauli ità scripsit: *Dividens singulis, prout vult*, in codicibus Augustini legitur: *Atque idem spiritus dividens propria unicuique, prout vult*; quæ varietas ex eo fortè profluxit, quòd Gratianus, aut quicumque Gratiano auctor extitit, sequi maluerit vulgatam novi testamenti editionem in 1. ad Corinth. cap. 12. vers. 11. Itèm pro illis Gratiani verbis *ut in Saul* legitur apùd Augustinum: *Sicut Saul habuit prophetiam.* Deniquè verba illa postrema Gratiani, quæ in veteribus editionibus ità describuntur *nec est in omnibus donum ejus, quia nec omnes sunt ejus*, in recentioribus, *nec est in omnibus, quia nec ejus sunt omnes*, apùd Augustinum ità exhibentur: *Nec ejus in omnibus, quia nec ejus sunt omnes, ut suo loco videbimus.*

Can. 37. & 38. caus. 1. q. 1.

Canon 39. caus. 1. quæst. 1. legitur in lib. 3. cap. 18., cujus argumentum ex integris Augustini verbis deducitur, ibi: *Nàm, si non nisi in Ecclesia præpositis, & Evangelica lege, ac Dominica ordinatione fundatis libet baptizare, numquid tales erant, qui fundos insidiosis fraudibus rapiebant, & usuris multiplicantibus fœnus augebant? Arbitror enim, quia illi Dominica ordinatione fundati sunt, quia cum formam daret Apostolus ait: non avarum, non turpilucrum. Tales tamèn ipsius Cypriani temporibus baptizabant, quos Coepiscopos suos fuisse cum magno gemitu confitetur, & cum magna tolerantiæ mercede perpetitur. Remissam tamèn peccatorum non dabant, quæ per orationes Sanctorum &c.* Reliquà apud Gratianum integra exhibentur.

Can. 39. caus. 1. q. 1.

Canon 47. caus. 1. quæst. 1. legitur in lib. 4. cap. 4., quamquàm tamèn ibidèm non habeantur ea, quæ tradidit Gratianus à vers. *ut si cujus manus* usquè ad vers. *sit ergò*, quemadmodùm jam Romani Correctores observaverunt.

Can. 47. caus. 1. q. 1.

Canon 48. caus. 1. quæst. 1. ità emendandus est ex lib. 6. de Baptismo cap. 1. *Poterat jam fortassè sufficere, quod toties repetitis rationibus, & multipliciter disputando versatis, atque tractatis, adjunctis etiàm divinarum Scripturarum documentis, & ipsius Cypriani tot testimoniis suffragantibus jam etiàm corde tardiores, quantùm existimo, intelligunt, Baptismum Christi nullâ perversitate hominis, sive dantis, sive accipientis, posse violari. Nec ob aliud illis temporibus, quandò ista quæstio contra veterem consuetudinem disputationibus, salvâ charitate, atque unitate, altercantibus discutiebatur, visum est quibusdam etiàm egregiis viris Antistitibus Christi, inter quos præcipuè B. Cyprianus emi-*

Can. 48. caus. 1. q. 1.

eminebat, non esse posse apùd Hæreticos, vel Schismaticos Baptismum Christi, nisi quia non distinguebatur Sacramentum ab effectu, vel usu Sacramenti, & quia ejus effectus, atque usus in liberatione à peccatis, & cordis rectitudine apùd Hæreticos non inveniebatur, ipsum quoquè Sacramentum non illic esse putabatur. Plurimùm sanè hæc distant à verbis Gratiani, qui sanè id agnovisse videtur, dum aptiùs eadem ferè descripsit in can. 41. vers. *non ob aliud* dist. 4. de consecr. Liquet autèm ex istis, Augustinum in ea fuisse sententia, non ut apùd hæreticos nunquàm obtineri posset Sacramenti Baptismatis effectus, sed ut non obtineretur tantùm ab iis, qui, cum possent in vera Ecclesia Sacramentum suscipere, illud apùd Hæreticos suscipere maluissent can. 40. caus. 24. quæst. 1. Id maximè conveniebat proposito sancti Antistitis, qui, quoad fieri posset, benignè vindicabat, aut excusabat Cypriani, aliorumque Africanorum Episcoporum opinionem, tradens, Cyprianum cum sociis eodem demùm casu dixisse, Baptisma hæreticorum non sortiri effectum, quotiès perciperetur ab eo, qui illud percipere à Catholicis potuisset.

Can. 74. caus. 1. q. 1. Canon 74. caus. 1. quæst. 1. rectè consonat cum verbis Augustini in lib. 3. de Baptismo cap. 16. Quoniàm verò multiplex est in Ecclesia manuum impositio, nimirùm alia, quæ fit in ordinatione Clericorum, alia, quâ Sacramentum Confirmationis administratur, alia demùm reconciliatoria, cum peccantes Ecclesiæ & Deo reconciliantur, inquirendum videtur, de qua manuum impositione locutus fuerit Augustinus. Porrò, si præcedentia sancti Viri verba consideremus, fortè quis concluderet, de manus impositione confirmatoria mentionem fieri, cum hæc legantur initio laudati canonis 16. *Spiritus autèm sanctus, quod in sola Catholica per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi majores nostri voluerunt, quod Apostolus ait: Quoniàm charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.....Neque enim temporalibus, & sensibilibus miraculis adtestantibus per manus impositionem modò datur Spiritus sanctus, sicut anteà dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nùnc hoc expectat, ut ii, quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repentè incipiant linguis loqui?... Cum ergò sit aliud Sacramentum, quod habere etiàm Simon Magus potuit, aliud operatio Spiritus.... Manus autèm impositio, non sicut Baptismus, repeti non potest: Quid enim est aliud, nisi operatio super hominem?* Verùm, si subsequentia Augustini verba consideremus, statim colligitur perspicuè, sanctum Virum non de Sacramento Confirmationis sententiam voluisse proferre, sed de reconciliatoria pœnitentibus facta manuum impositione; nàm statim ità prosequitur Augustinus: *Nàm quod in typo unitatis Petro Dominus dedit potestatem, ut id solveretur in terris, quod ille solvisset &c.* Ceterùm, quæ in præcedentibus de Confirmationis Sacramento dicta erant, occasionem dederant sancto Antistiti, ut ab effectibus ejusdem Sacramenti gradum faceret ad explicandos effectus Sacramenti Pœnitentiæ, quod Sacramentum sub nomine *manus impositionis* etiàm appellavit in lib. 5. de Baptismo cap. 23. ibi: *Manus autèm impositio, si non adhiberetur ab Hæresi venienti, tanquàm extrà omnem culpam esse judicaretur.*

Can. 35. caus. 2. q. 7. Explicatione etiàm indiget canon 35. caus. 2. quæst. 7., quod statim fiet, si integra Augustini verba, & sententiam exposuero. Quum rebaptizantes Donatistæ Cypriani auctoritatem passim opponerent, Augustinus, ne aut Cypriani errorem foveret, neve aliàs Cypriano inferre convicium videretur, Cyprianum comparabat Apostolo Petro, qui, cum optaret, ut Gentes circumciderentur, reprehensus fuit à Paulo juxtà id, quod legitur in epist. ad Galatas cap. 1. & 2., ità ut, quemadmo-

modùm antè Ecclesiæ definitionem excusaretur Petrus novum onus Gentibus imponens, ità excusaretur Cyprianus, qui, controversiâ nondùm definitâ, baptizatos ab Hæreticis rebaptizaret; id verò ajebat turpe esse Donatistis, quòd receptæ Ecclesiæ definitioni non adquiescerent. Verba Augustini hæc sunt: *Si potuit Petrus contra veritatis regulam, quam posteà Ecclesia tenuit, cogere gentes judaizare, cur non potuit Cyprianus contra regulam veritatis, quam postea tota Ecclesia tenuit, cogere Hæreticos, vel Schismaticos denùò baptizari? Puto, quòd sine ulla sui contumelia Cyprianus Episcopus Petro Apostolo comparatur, quantùm attinet ad Martyrii coronam. Ceterùm magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit, illum Apostolatus principatum cuilibet Episcopatui præferendum? Sed & si distat Cathedrarum gratia, una est tamen Martyrum gloria; & si fortè se invicèm in aliquo præcedunt corda confitentium, ac pro vera fide in unitate charitatis morientium, Dominus noverit, cujus occulta, & mirabili dispensatione gratiarum latro, in Cruce pendens, semèl eum confitetur, & die ipso in Paradisum mittitur, Petrus Dominum sequens ter eum negat, & corona differtur, nobis hinc judicare temerarium est. Verumtamèn, si quisquam nùnc cogat circumcidi aliquem more Judaico, & sic baptizari, multò ampliùs detestatur hoc genus humanum, quàm si aliquis cogatur rebaptizari. Quapropter, cum Petrus illud faciens à Paulo posteriore corrigitur, &, pacis, atque unitatis vinculo custodito, ad Martyrium provehitur, quantò faciliùs & fortiùs, quod per universæ Ecclesiæ statuta firmatum est, vel unius Episcopi auctoritati, vel unius provinciæ Concilio præferendum est? Cum idem ipse Cyprianus ità dixerit, quod ei videretur, ut in pacis unitate esse voluerit, etiàm cum eis, qui de hac re diversa sentirent.*

Can. 21. caus. 6. q. 1.

Cauon 21. caus. 6. quæst. 1. etsi optimè consonet cum lib. 4. de Baptismo cap. 15., undè depromptus est versiculus 1., & cum cap. 20., undè depromptus est vers. *utrum autèm*, longè tamen distat à proposito Gratiani. Etenim Gratianus ibidèm eam sibi proposuit controversiam dirimendam, nùm Catholicus criminosus, & infamis ad accusandum Hæreticum sit admittendus; enim definiverat in canone præcedente, pro certo majorem à minore accusari non posse; atque dubitabat, an Catholicus infamis diceretur Hæretico major, an minor. At verò Augustinus ibidèm aliò collimabat; nimirùm probaturus, Hæreticorum Baptisma validum esse, argumentabatur ex eo, quòd tanquàm validùm admitteretur Baptisma ab improbo Catholico collatum; quod argumentum urgebat inquiens, ignorare se, an honorabilior esse debeat Catholicus improbus homine Hæretico.

Can. 14. caus. 23. q. 4.

Canon 14. caus. 23. quæst. 4. legitur quidèm apùd Augustinum in lib. 4. cap. 12., sed id non Augustini sententiam continet, sed potiùs Cypriani in epistola ad Jubajanum ab Augustino laudati, quod jam Romani Correctores observaverunt.

Can. 20. & 21. caus. 24. q. 1.

Canon 20. caus. 24. quæst. 1., quemadmodùm & canon 21., in vetustis Gratiani codicibus Hieronymo adscribebantur: meliùs Augustino tribuerunt Romani Correctores. Notandum est ad canonem 20., illum exhiberi quidèm in lib. 7. de Baptismo cap. 51., sed retractatum ab Augustino fuisse lib. 2. Retract. cap. 18. ibi: *Ubicumquè autèm in his libris commemoravi Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, non sic accipiendum est, quasi jam sit; sed quæ præparatur, ut sit, quandò adparebit etiàm gloriosa. Nùnc enim propter quasdam ignorantias, & infirmitates membrorum suorum habet, undè quotidiè tota dicat: Dimitte nobis debita nostra.* Canon 21. integer exhibetur in lib. 1. cap. 6.

Can. 40. caus. 24. q. 1.

Canon 40. caus. 24. quæst. 1. legitur in lib. 1. de Baptismo cap. 2., ex quo emendanda sunt postrema Gratiani verba; quemadmodùm observaverunt Romani Correctores, qui ideò ad

calcem potiùs Augustini sententiam descripserunt, ne inania redderent in ea parte Glossographi commentaria.

Can. 68. de cons. dist. 2. Canon 68. de cons. dist. 2. depromptus est ex lib. 3. de Baptismo cap. 8., ubi Augustini propositum erat, ut demonstraretur, indignè suscipientem Sacramenta frustrari semper Sacramentorum effectu, non tamèn æquè frustrari eos, qui ab indignis Sacramenta suscipiunt ignorantes, exemplo Judæ proditoris, qui Sacramenta suscipiendo damnationem potiùs, quàm gratiam, habuit, & Sacramenta ministrando gratiam Dei suscipientibus contulit divina virtute.

In canone 31. de cons. dist. 4. aliqua omissa fuerunt à Gratiano; etenim Can. 31. de cons. dist. 4. pòst illa verba: *An jocans, velut in mimo*, ità legitur apùd Augustinum in lib. 7. cap. 53. *Et quid sit sceleratius in Ecclesia fallacitèr accipere, an in Hæresi, vel Schismate sine fallacia, id est, animo non simulato, & utrùm in hæresi fallacitèr, an in mimo cum fide, si quisquam inter agendum repentina pietate moveatur. Quamquàm talem si etiàm illi conferamus, qui in ipsa Catholica fallacitèr accipit, mirum si dubitatur, quis cui præferendus sit. Quid ænim prosit animus veracitèr dantis fallacitèr accipienti non video. Sed arbitremur aliquem etiàm fallacitèr dantem, cum & tradens, & accipiens fallaciter agant in ipsa unitate Catholica; utrùm hoc magis Baptisma sit acceptandum, an illud, quod in mimo datur, si quis existat, qui fideliter subitò commotus accipiat, an, quantum ad ipsos quidèm attinet homines, plurimum distet inter credentem in mimo, & irridentem in Ecclesiâ, ad ipsius autem Sacramenti integritatem nihil intersit. Si enim nihil interest ad integritatem Sacramenti in ipsa Catholica, utrum id aliqui fallacitèr, an veracitèr agant, cum tamen hoc idem utrique agant, cur extra intersit, non video, quando ille, qui accipit, non simulatione palliatus, sed religione mutatus est. An plus valent ad confirmandum Sacramentum illi veraces, inter quos agitur, quàm ad frustrandum illi fallaces, à quibus agitur, & in quibus agitur? Et tamèn, si posteà prodatur, nemo repetit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur. Sed nobis tutum est, in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario terminata sunt. Id autèm fiduciâ securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri, & Salvatoris Jesu Christi universalis Ecclesiæ contentione roboratum est.* Pòst hæc illicò subsequitur Gratianeus versiculus *verumtamèn*, ubi tamèn pro verbis illis *non præcedentibus meritis, quorum &c.* legendum est, *non præcedentibus talibus, quorum &c.* Ideò autèm integram Augustini sententiam describendam censui, sive quòd facilior exindè haberi possit illius interpretatio, sive quòd exindè colligatur, quanta fuit sancti Viri moderatio atque prudentia in tradendis iis, quæ universalis Concilii, aut provincialis, suffragio necdùm definita deprehendebantur.

Canon 32. de cons. dist. 4. ex variis Augustini locis, minùs ordinatè congestis, depromptus est: nimirùm priora Gratiani verba usquè ad versiculum *si ad Baptismum* pertinent ad librum 1. cap. 1. ità meliùs describenda: *Sacramentum enim Baptismi est, quod habet, qui baptizatur, & Sacramentum dandi baptismum est, quod habet, qui ordinatur. Sicut autèm baptizatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum Baptismi non amittit, sic etiam ordinatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum dandi Baptismi non amittit: nulli enim Sacramento injuria facienda est. Si discedit à malis, utrumque discedit; si permanet in malis utrumque permanet. Sicut ergò acceptatur Baptismus, quem non potuit amittere, qui ab unitate Dei discesserat, sic acceptandus est Baptismus, quem dedit ille, qui Sacramentum dandi, cum discederet, non amiserat. Nàm sicut redeuntes, qui priusquàm recederent baptizati sunt, non rebaptizantur, ita redeuntes, qui priusquàm recederent, ordinati sunt, non utiquè rursùs ordinantur, sed aut administrant, quod administrabant,* Can. 32. de cons. dist. 4.

bant, si hoc Ecclesiæ utilitas postulat; aut si non administrant, Sacramentum ordinationis suæ tamèn gerunt, & ideo eis manus inter laicos non imponitur. Nàm neque Sacramentum Baptismi, neque Sacramentum dandi Baptismi, quandò ab eis cum Maximiano discessit, Felicianus amisit. Nùnc enim eum secum habent cum eis ipsis, quos, cum foris esset, in Maximiani schismate, baptizavit. Quapropter potuerunt ab eis accipere ceteri, cum ad nostrum consortium non accessissent, quod illi non amiserant, cum à nostro consortio recessissent. Quibus rebus ostenditur, & ipsos impiè facere, qui rebaptizare conantur orbis unitatem, & nos rectè facere, qui Dei Sacramenta improbare nec in ipso schismate audemus. In quo enim nobiscum sentiunt, in eo etiàm nobiscum sunt; in eo autèm à nobis recesserunt, in quo à nobis dissentiunt. Versiculus autèm *Si ad Baptismum* ritè descriptus est ex lib. 1. cap. 12., ubi Augustinus comparabat improbum hominem Baptismatis collatorem cum ficto suscipiente, ut, quemadmodùm, qui fictè suscipit, reverà suscipit, ità improbus minister reverà ministret Baptismatis Sacramentum.

Can. 34. & 77. de cons. dist. 4.

Non minùs corruptus à Gratiano fuit canon 34. de cons. dist. 4., cujus sententiam in parte retractavisse Augustinus ipse deprehenditur. Sancti Viri propositum illud erat, ut ostenderet, aliquandò posse obtineri salutem æternam sine Baptismo, videlicèt quotiès necessitas urgeat, nec tempus suppetat suscipiendi Baptismatis, dummodò intimo cordis affectu, animoque in spem erecto credatur in Deum; quam ad rem laudabatur latronis exemplum, qui, dùm in Cruce penderet, licèt necdùm baptizatus, Regni cœlestis possessionem sibi à Christo promissam audivit. At verò de hac sua sententia ità locutus est Augustinus in lib. 2. Retract. cap. 18. *In quarto libro cum dicerem vicem Baptismi posse habere passionem, non satis idoneum posui illius latronis exemplum, quia, utrùm non fuerit baptizatus, incertum est.* Initium Gratianei canonis usquè ad vers. *Et sicut in illo* habetur in lib. 4. cap. 22. Versiculus *Et sicut in illo* legitur in eodem lib. 4. cap. 24. usquè ad vers. *alienum*, qui falsò laudatur ex libro 6. contrà Julianum Pelagianum, & meliùs laudatus fuisset ex lib. 2. contrà duas epistolas Pelagianorum, non quòd ibidèm eadem verba exhibeantur, sed quòd eadem ferè sententia exprimatur, ibi: *Propter quod in Ecclesia Salvatoris per alios parvuli credunt, sicut ex aliis ea, quæ illis in Baptismo remittuntur, peccata traxerunt.* In versiculo *sicùt autèm in latrone* rediit Gratianus ad librum 4. Augustini de Baptismo adversùs Donatistas cap. 23. Versiculus *quibus rebus* depromptus est ex eodem lib. 4. cap. 25., & cum eo jungenda sunt verba canonis 77. de cons. dist. 4. ex eodem loco ritè descripta hoc modo: *Sic in infantibus, qui baptizati moriuntur, eadem gratia Omnipotentis implere credenda est, quòd non ex impia voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad justitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem. Ideò cum alii pro eis respondent &c.* Reliqua habentur in dicto can. 77., pòst cujus postrema verba statim subsequitur laudatus versiculus *quibus rebus* usquè in finem canonis.

Can. 40. de cons. dist. 4.

Ex variis etiàm Augustini monumentis compositus est canon 40. de cons. dist. 4., imò & in vers. *Hæretici* à Gratiano depravatus. Principium canonis usquè ad laudatum versiculum legitur in lib. 1. cap. 1.; ubi adnotandum, priora illa verba *nullus autèm illorum* ad Donatistas referri, quasi scriptum esset: *nullus autèm Donatistarum.* Versiculus *Hæretici* legitur in lib. 3. cap. ult. his verbis: *Quæcumque etiàm seductores integra, & legitima tenent, nec ea sibi etiàm ipsi adrogarent, & quasi propria vindicarent, nisi à plebibus seductis vicissim seducerentur, cum eis creditur, & tales honores deferuntur, ut per eos habeant potestatem talia dicendi, & sibi talia vindicandi, & error eorum veritas appelletur, & scelus eorum justitia putetur propter Sacramen-*

menta, & Scripturas, quas tenent ad speciem, non ad salutem. Versiculus *Perfidus* legitur in lib. 4. cap. 11., ubi pro verbo illo postremo, *operatur*, exhibetur *operabatur.*

Can. 41. de cons. dist. 4

Multa emendanda occurrunt in can. 41. de cons. dist. 4. ex variis Augustini capitibus, ex quibus compositus est. Principio ità legendum ex lib. 5. cap. 20. *Quomodò benedicunt oleum tenebræ? Si autèm Deus adest Sacramentis, & verbis suis, per qualescumque administrentur, & Sacramenta Dei ubiquè recta sunt, & mali homines, quibus nihil prosunt, ubiquè perversi sunt.... Si ergò ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio: Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodò exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum &c.* Quæ sequuntur, integra habentur apùd Gratianum usquè ad versiculum *Quapropter*, qui usquè ad ea verba, *& si cui tenueritis, tenebuntur*, exhibetur in lib. 5. cap. 21. Versiculus *manus autèm* usquè ad verbum *imponatur* legitur in eodem libro cap. 23.; deindè ita immediatè subsequitur in cap. 24. *Jam de templo Dei, & quomodò accipiendum sit: quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis, satis disseruisse me memini; neque enim avari templum Dei sunt, cum scriptum sit: Quæ societas templo Dei cum Idolis? Et avaritiam idololatriam esse, testimonium Pauli Cyprianus assumpserit. Induunt autèm &c.* Hic rectè prosequitur Gratianus usquè ad ea verba *est bonorum, vel piorum.* Versiculus *non ob aliud* habetur in lib. 6. cap. 1. Ibi: *nec ob aliud illis temporibus, quandò ista quæstio contra veterem consuetudinem disputationibus, salvâ charitate, atque unitate, altercantibus, discutiebatur, visum est quibusdam, &c.* quemadmodùm apùd Gratianum usquè ad ea verba *accipere Baptismi Sacramentum*, pòst quæ statim ità pergit sanctus Antistes. *Satis eluxit pastoribus Ecclesiæ Catholicæ, toto orbe diffusæ, per quos posteà plenarii Concilii auctoritate originalis consuetudo firmata est, etiàm ovem, quæ foris errabat, & Dominicum characterem à fallacibus depræda toribus suis foris accipiebat, venientem ad Christianæ unitatis salutem ab errore corrigi, captivitate liberari, à vulnere sanari, characterem tamèn Dominicum in ea agnosci potiùs, quàm improbari, quandoquidèm ipsum characterem multi & lupi & lupis infingunt, qui videntur quidem intus esse, verumtamèn ad illam ovem, quæ etiàm ex multis ea est, non pertinere morum suorum fructibus convincuntur, in quibus in finem usquè perdurant.* Versiculus *cum malus* legitur in lib. 6. cap. 4. ità propterea emendandus: *Cum malus tradit Baptismum bono, id est, in unitatis vinculo veraci conversione mutato, inter bonum Sacramentum, quod traditur, & bonum fidelem, cui traditur, tradentis malitia non separat, & cum illi veracitèr ad Deum converso peccata dimittuntur, ab eis dimittuntur, quibus ipsa veraci conversione conjungitur. Idem quippè Spiritus ea dimittit, qui datus est omnibus sanctis sibi charitate cohærentibus, sive se noverint corporalitèr, sive non noverint. Similitèr, cum alicujus peccata tenentur, ab eis utiquè tenentur, à quibus se ille, cui tenentur, vitæ dissimilitudine, & pravi cordis aversione disjungit, sive illum corporalitèr noverint, sive non noverint. Quapropter omnes mali spiritualitèr à bonis sejuncti sunt. Si tamèn etiàm corporalitèr aperta dissensione separentur, pejores fiunt. Sed nihil interest ad Baptismi sanctitatem, quanto quisque pejor id habeat, & quanto pejor id tradat. Potest tamen tradere separatus, sicut potest habere separatus; sed quàm perniciosè habere, tàm pernitiosè tradere. Ille autèm, cui tradit, potest salubritèr accipere, si ipse non separatus accipiat, sicut plerisque accidit, ut catholico animo & corde, ab unitate pacis non alienato, aliqua necessitate mortis urgentis in aliquem Hæreticum irruerent, & ab eo Christi Baptismum sine illius perversitate perciperent, & sive defuncti, sive liberati nequaquàm apùd eos remanerent, apùd quos nunquàm corde transierant.* Versiculus *cur Hæretici* legitur integer in lib.

lib. 6. cap. 24. Versiculus *His, qui ficto corde* habetur in lib. 1. cap. 12., ubi Augustinus adversùs Donatistas hoc dilemmate usus fuerat: *Quòd si ad ipsum Baptisma fictus accessit, dimissa sunt peccata, an non sunt dimissa? Eligant, quid volunt, utrumlibet elegerint, sufficit nobis. Si dimissa dixerint &c. Si autèm dixerint, in illo, qui fictus accedit, per sanctam vim tanti Sacramenti dimissa quidèm illi esse peccata in ipso temporis puncto, sed per fictionem ejus rediisse continuò, ut Spiritus sanctus & adfuerit baptizato, ut peccata recederent, & perseverantiam fictionis fugerit, ut redirent, & ut illud verum sit, quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis; & illud: Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, id est, ut induat eum Christo sanctitas Baptismi, & exuat eum Christo pernicies fictionis: sicut fit, cum quisque à tenebris per lucem transit ad tenebras, oculi quidèm ejus in tenebras perpetuò diriguntur, sed non potest lux nisi perfundere transeuntem. Si hoc ergò dixerint, hoc etiàm in eis intelligant fieri, qui extrà Ecclesiæ communionem, sed tamèn Baptismate Ecclesiæ baptizantur, quod ubicumque fuerit, sanctum est per se ipsum, & ideò non est eorum, qui se separant, sed ejus, undè se separant. Valet tamèn & apùd eos hactenùs, ut per ejus lucem transeant ad dissensionis suæ tenebras, continuò redeuntibus peccatis, quæ Baptismatis sanctitas in ullo temporis spatio dimiserat tanquàm redeunte obscuritate, quam lux in transitu excusserat; nàm redire dimissa peccata, ubi fraterna charitas non est, apertissimè Dominus in Evangelio docet de illo servo, quem cum invenisset debitorem decem millium talentorum deprecanti omnia dimisit; Ille autèm conservum suum, qui ei debebat centum denarios, cum miseratus non fuisset, jussit eum Dominus reddere, quæ ei dimiserat.* Et pòst alia multa ità concludit Augustinus. *Sic non impeditur Baptismi gratia, quominus omnia peccata dimittat, etiamsi odium fraternum in ejus, cui dimittuntur, animo perseverat. Solvitur enim hesternus dies, & quidquid superest, solvitur etiàm ipsa hora momentoque antè Baptismum, & in Baptismo: Deinceps autèm reus esse continuò incipit non solùm consequentium, sed etiàm præteritorum dierum, horarum, momentorum, redeuntibus omnibus, quæ dimissa sunt, peccatis, & hæc sæpè contingunt in Ecclesia.* Ex his omnibus facilè explanabuntur plura illa fragmenta, quæ Gratianus in canone laudato congessit.

Canon 42. de cons. dist. 4. his verbis describendus est juxtà optimos Augustini codices in lib. 1. de Baptismo cap. 12. *In illo, qui fictus accesserat, fit, ut non denùo baptizetur, sed ipsa pia correctione, & veraci confessione purgetur; quod non posset sine baptismo, ut quod antè datum est, tùnc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit.* Can. 42. de cons. dist. 4.

Verba canonis 45. de cons. dist. 4. exhibent initium libri 4. de Baptismo, & quidèm hodiè cum optimis codicibus consonant pòst Romanam Correctionem. Can. 45. de cons. dist. 4.

Nihil propemodùm occurrit animadversione dignum ad canones 46. 47. 48. & 50 de cons. dist. 4. Nàm canon 46. eisdem verbis exhibetur apùd Augustinum in lib. 3. cap. 11.; canon 47. in lib. 5. cap. 13. & 14., dummodò pro illis verbis, *non enim omnium æqualis est gratia*, legamus *non enim omnium æqualis est gloria*; canon 48. exhibetur etiàm integer in lib. 4. cap. 15., & canon 50. in lib. 3. cap. 10. Can. 46. 47. & 48. & 50. de cons. dist. 4.

Canon 72. de cons. dist. 4. legitur eisdem omninò verbis in lib. 6. de Baptismo cap. 25., ubi adnotandum est, tradi ab Augustino, valere Baptismum collatum ab eis, etiàm Catholicis, qui præces vitiosas, imò etiàm hæreticas inter baptizandum divinis formulis adsuunt; quod sanè intelligendum est non de iis, qui formam Sacramenti corrumpunt, sed de iis, qui formulæ Sacramenti admiscent novas ceremonias, ab Hæreticis utcumquè derivatas: quod potissimùm fit, ubi alitèr symbolum fidei recitetur, quàm recitari ex institutio- Can. 72. de cons. dist. 4.

tionibus Ecclesiæ soleat antè Baptismi collationem.

Can. 149. de cons. dist. 4. Canon 149. de cons. dist. 4. depromptus est ex lib. 4. de Baptismo cap. 21. cujus sententia ut rectè percipiatur, observandum est, Stephanum Papam I., eosque omnes, qui Stephani doctrinæ adhæserant, adversùs Cyprianum, & Cypriano adhærentes, olim hoc argumento usos fuisse, ut demonstrarent, ab Hæreticis baptizatos non esse denuò baptizandos: Cathecumeni Martyrio decedentes ante Baptismum salutem æternam adipiscuntur: Potiore igitur jure eamdem adipiscuntur, qui sunt ab Hæreticis baptizati. Eo alludens Augustinus ità scribebat: *Illud sanè, quod de Cathecumenis objiciebatur Cypriano, quòd in Martyrio deprehensi, & pro Christi nomine occisi, etiàm sine Baptismo coronarentur, quid ad rem pertineat, non satis intelligo, nisi fortè, quia dicebant, multò magis Hæreticos cum Baptismo Christi posse ad Regnum ejus admitti, quia Catechumeni admitterentur, cum ipse dixerit: nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu, non intrabit in Regnum Cœlorum. Qua in re nec ego dubito* (hinc exorditur Gratianus) *Cathecumenum Catholicum, divina charitate flagrantem, Hæretico baptizato anteponere, sed etiàm in ipsa intùs Catholica bonum Cathecumenum malo baptizato anteponimus. Nec ideò tamèn Sacramento Baptismi, quo iste nondùm, ille jam imbutus est, facimus injuriam, aut Catechumeni* (hæc Gratianus omittit) *Sacramentum Sacramento Baptismi præferendum putamus, cum aliquem Catechumenum aliquo baptizato fideliorem, melioremque cognoscimus. Melior enim Centurio* (hic rursùm prosequitur Gratianus, cujus tamèn editi codices varii sunt juxtà exemplarium varietatem) *Cornelius nondùm baptizatus Simone baptizato. Iste enim & ante Baptismum sancto Spiritu repletus est, ille & pòst Baptismum immundo spiritu inflatus est. Verumtamèn Cornelius, si etiàm Spiritu sancto jam accepto baptizari noluisset, contempti tanti Sacramenti reus fieret. Cum autèm baptizatus est*, (hæc Gratianus omisit) *non utiquè melius Sacramentum, quàm Simon accepit, sed diversa hominum merita sub ejusdem Sacramenti pari sanctitate distincta sunt: ità non auget, aut minuit Baptismatis sanctitatem vel bonum, vel malum hominis meritum. Sicut autèm bono Catechumeno &c.* Sequuntur hic postrema Gratiani verba, quæ ab Augustini codicibus minimè dissonant.

Canon 151. de cons. dist. 4. ut rectè percipiatur, jungendus erit cum iis, quæ apùd Augustinum præponuntur in lib. 1. de Baptismo cap. 15., undè priora canonis verba excerpta sunt, ibi: *Ecclesia verò, quod est populus Dei, etiàm in istius vitæ peregrinatione, antiqua res est, in aliis hominibus habens animalem portionem, in aliis autèm spiritalem. Ad animales pertinet vetus testamentum, ad spiritales novum. Sed primis temporibus utrumque occultum fuit ab Adam usquè ad Moysem. A Moyse autem manifestatum est vetus, & in eo ipso occultatur novum, quia occultè significabatur. Postèa verò quàm in carne Dominus venit, revelatum est novum, veteris autem Sacramenta cessarunt; sed concupiscentiæ tales non cessaverunt. In illis enim sunt, quos Apostolus jam per Sacramentum novi testamenti natos adhùc tamen dicit animales non posse percipere, quæ sunt Spiritus Dei. Sicut enim in Sacramentis &c.* Hinc exorditur Gratianus, qui subjectos deindè versiculos ex dissitis locis derivavit; etenim versiculus *non interest* legitur in lib. 3. cap. 14., ubi etiàm, multis interjectis, habetur versiculus *manifestum*, & versiculus *si possent* depromptus est ex lib. 3. cap. 13. Can. 151. de cons. dist. 4.

De Epistolis, ad Donatistas directis.

Numero plures sunt Augustini epistolæ ad Donatistas, dixerim veriùs admonitiones, quibus eos instituerat in germana Ecclesiæ fide, atque ad Catholicam unitatem adduceret. Ex istis est epistola in veteribus editionibus 105.,

&

& 166. apùd Maurinos, ubi sanctus Antistes tradit, non nisi æquissimo jure Imperatores edidisse leges adversùs Donatistarum perfidiam, nonnulla intereà adjiciens, quibus illorum Hæresim refutaret. Ad hanc referendus est canon 98. caus. 11. q. 3., cujus priora verba cum integris Augustini codicibus consonant. Quæ verò sequuntur in vers. *Julianus* pertinent potiùs ad expositionem Augustini in Psalmum 124. ad ea verba: *Quia non derelinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum*, ubi docebat Augustinus, servos dominis obtemperare debere in iis omnibus, quæ divinis præceptis minimè repugnarent.

Can. 98. caus. 11. q. 3.

Ex eadem epistola depromptus est canon 2. caus. 23. quæst. 6., his verbis describendus: *Concordate nobiscum, fratres, diligimus vos, hoc vobis volumus, quod & nobis. Si propterea nos graviùs odistis, quia errare vos, & perire non permittimus, hoc Deo dicite, quem timemus minantem malis Pastoribus, & dicentem: quod erraverat, non revocastis, & quod perierat, non requisistis. Hoc vobis per nos ipse Deus facit, sive obsecrando, sive minando, sive corripiendo, sive damnis, sive laboribus, sive per suas occultas admonitiones, vel visitationes, sive per potestatum temporalium leges.*

Can. 2. caus. 23. q. 6.

Canon 7. caus. 23. quæst. 4. legitur in alia epistola ad Donatistas in veteribus editionibus 152., & 141. apùd Maurinos. Ejus autèm non tantùm auctor est Augustinus, sed & cum Augustino Africani Episcopi Catholici complures; qui, cum in Carthaginensi collatione Donatistas Episcopos disputando vicissent, id populo Donatistarum patefecerunt, ut eum tandèm aliquandò ad Catholicam unitatem revocarent. Epistolæ inscriptio hæc est: *Silvanus senex, Valentinus, Innocentius, Maximinus, Optatus, Augustinus, Donatus, & ceteri Episcopi de Concilio Zertensi* (legunt alii *Cirtensi*, alii *Xersensi*: veriùs tamèn legitur *Zertensi*, cum constet in Africa Zertensem Urbem fuisse, cujus duo Episcopi in eadem Carthaginensi collatione laudantur, Gaudentius, & Sallustius) *ad Donatistas*. Ideò autèm potiore quasi jure epistola Augustino tribui posse videtur, quia eamdem Augustinus ceterorum Episcoporum nomine composuit, ut ipse testatur in libro 2. Retractat. cap. 40. Gratianeus canon à Romanis Correctoribus jam emendatus fuit. Quòd si quisque adhùc desideret illa verba, quæ apùd Gratianum etiam pòst Romanam Correctionem omissa deprehenduntur post illa, *sicut Apostolus dicit*, eadem in præsentia exhibeo: *Et quicumque in ea corpus Christi manducaverit indignè, judicium sibi manducat, & bibit; nàm etiam hoc ipse Apostolus scripsit: Cum autèm dicimus, judicium sibi manducat, satis ostendit, quia non alteri judicium manducat, sed sibi. Hoc nos egimus, & ostendimus, & obtinuimus, quia communio malorum non maculat aliquem &c.*

Can. 7. caus. 23. q. 4.

Canon 43. de cons. dist. 4. exhibetur apùd Gratianum quasi depromptus ex epist. 48. Augustini ad Donatistas. Verùm ea epistola non ad omnes Donatistas scripta fuit, sed singulariter ad Vincentium Donatistam, de qua inferiùs commodiore loco erit agendum. Sufficiat hoc in loco observavisse, laudatum canonem 43. cum integris Augustini exemplaribus consonare, jungendum autèm esse cum can. 31. caus. 1. quæst. 1., cujus verba præcedunt ante ipsa verba canonis 43. Quæ verò habentur in vers. *Isti autem* pertinent potiùs ad epistolam Augustini ad Bonifacium 185. apùd Maurinos, de qua etiam inferiùs erit agendum.

Can. 43. de cons. dist. 4.

De libro de Baptismo contra Petilianum.

Præter libros de Baptismo adversùs Donatistas, quos superiùs expendi, extat alius singularis Augustini libellus de Baptismo adversùs Petilianum. Cùm enim Petilianus hæreticus Donatista nonnulla de Baptismo scripsisset, è contra-

Can. 49. de cons. dist. 4.

trario Augustinus similem librum de Baptismo opposuit, in quo Catholicum dogma firmaret, uti idem ipse testatur in lib. 2. Retractationum cap. 34. Ex eo depromptus est canon 49. de cons. dist. 4., quotiès priora tantùm canonis verba respiciamus usquè ad versiculum *sic sunt*, qui sanè versiculus pertinet potiùs ad tractatum 3. in epistolam Joannis num. 4., quamquàm aliis verbis à Gratiano descriptus, quemadmodùm jam observaverunt Romani Correctores. Ceterùm neque ipsa priora canonis verba eadem sunt cum verbis Augustini, quæ sanctus Antistes habet in cap. 14. & 15. laudati libri. Abstineo tamèn ab eisdem describendis, vel quòd nimis prolixa essent, vel quòd nihil singulare animadvertendum foret, cum Gratianus paucis ea ipsa & sine discrimine perstrinxerit, quæ fusiore stylo apùd sanctum Antistitem exhibentur.

De libro contrà Cresconium.

Ex iis, quæ nupèr tradita sunt, perspicuè liquet, Petilianum Donatistarum hæresim præcipuè fuisse secutum, quod Augustino præbuit occasionem, ut adversùs Petilianum libellum scriberet. Hinc Cresconius quidam, Grammaticus, & ipse Donatista, reprehendit Augustinum, tradens, indignum esse viro Christiano carpere eos, qui Ecclesiæ nomen dedissent suscepto baptismatis Sacramento, qualis fuerat Petilianus. Respondendum fuit sancto Antistiti, qui propterea libris quatuor, adversùs Cresconium directis, demonstravit, se jure optimo persecutum ea fuisse, quæ adversùs hæreticum virum ediderat, quos libros deindè memoravit in lib. 2. Retractat. cap. 26. Extat in lib. 3. cap. 51. canon 52. caus. 23. quæst. 4., cujus verba olim corrupta ad optimos Augustini codices Romani Correctores exegerunt. Itèm in lib. 3. cap. 6. legitur canon 25. de cons. dist. 4., ubi sanctus Antistes totus est, ut demonstret adversùs Donatistas, Baptisma, à malo ministro collatum, nihilominùs valere, eo potissimùm argumento, ut, quemadmodùm baptisma melius esse non dicitur, ubi melior est ille, qui confert, ità non damnandum sit, quotiès ab improbo, & damnato administro conferatur.

Can. 52. caus. 23. q. 4.

De libro de Baptismo parvulorum, seu de Peccatorum meritis, & remissione.

Quod fuerit Augustini propositum in edendis tribus libris de peccatorum meritis, & remissione, seu Baptismo parvulorum, idem sanctus Antistes apertissimè tradidit in lib. 2. Retract. cap. 23. ità scribens: *Venit etiàm necessitas, quæ me cogeret adversùs novam Pelagianorum hæresim scribere, contrà quam priùs, cum opus erat, non scriptis, sed sermonibus, & collocutionibus agebamus, ut quisque nostrum poterat, aut debebat: missis ergò mihi à Carthagine quæstionibus, quas rescribendo dissolueram, scripsi primùm libros tres, quorum titulus est de peccatorum meritis, & remissione, ubi maximè de baptismate disputatur parvulorum propter originale peccatum, & de Gratia Dei, quâ justificamur &c.* In libro 2. cap. 34. legitur canon 83. de pœn. dist. 1., cujus verba cum integris Augustini codicibus rectè consonant, quotiès pro illis *quarè & nùnc dicitur* ista substituantur: *quarè & hic non dicitur*, quemadmodùm Romani Correctores adnotaverunt.

Can. 83. de pœn. dist. 1.

Canon 2. de cons. dist. 4. excerptus est ex lib. 1. cap. 39. hodiè quidèm à Romanis Correctoribus ad integros codices exactus. Adhùc tamèn adnotare juvat, priora verba ità legi apùd Augustinum: *In parvulis certè gratia Dei per baptismum ejus, qui venit in similitudine carnis peccati, id agitur, ut evacuetur caro peccati &c.* Itèm, ubi Gratianea editio habet: *Quæ oberat nato*, ità exhibent Augustini codices: *Quæ inerat nato.*

Can. 2. de cons. dist. 4.

Canon 8. de cons. dist. 4. referendus

Can. 8. de cons. dist. 4.

dus est ad caput 32. & 33. lib. 1., undè excerptus fuisse videtur, quamquàm alia sint Augustini verba, alia à Gratiano descripta. Ait ibidèm Augustinus: *Dominus autèm in carnem suam non peccatum transtulit, tanquàm venenum serpentis, sed tamèn transtulit mortem, ut esset in similitudinem carnis peccati pœna sine culpa, undè in carne peccati & culpa solveretur, & pœna. Sicut ergò tùnc, qui conspiciebat exaltatum serpentem, & à veneno sanabatur, & à morte liberabatur; sic núnc, qui conformantur similitudini mortis Christi per fidem, baptismumque ejus, & à peccato per justificationem, & à morte per resurrectionem liberantur. Hoc est enim, quod ait, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et paulò inferiùs: *Ubi ergò parvulos ponimus baptizatos, nisi inter fideles, sicut universæ ubiquè Ecclesiæ clamat auctoritas? Ergò inter eos, qui crediderunt; hoc enim eis adquiritur per virtutem Sacramenti, & offerentium responsionem: ac per hoc eos, qui baptizati non sunt, inter eos, qui non crediderunt.*

Can. 132. de cons. dist. 4.

Canon 132. de cons. dist. 4. in vetustis Gratiani codicibus ab integris Augustini codicibus dissonabat; hodiè, ut ut nonnulla sint emendata, aliqua tamèn emendanda supersunt ex variis Augustini capitibus. In lib. 2. cap. 24. ità legitur: *Quanto magis ergò caro peccati baptizanda est propter evadendum judicium, si baptizata est caro sine peccato propter imitationis exemplum?* Deindè pòst aliqua in cap. 25. *Sicut ergò tempore illius Sacramenti, de circumciso qui nasceretur, circumcidendus fuit, sic nunc de baptizato qui natus fuerit, baptizandus est.* Itèm pòst multa in cap. 27. *Sacramentum autèm baptismi profectò Sacramentum regenerationis est; quocircà, sicut homo, qui non vixerit, mori non potest, ità qui natus non fuerit, renasci non potest. Ex quo conficitur, neminem in suo parente renasci potuisse non natum.* Prætereà pòst aliqua: *Cum itaquè per Baptismi Sacramentum morti Christi conformentur infantes, eos à serpentis morsu fatendum est liberari, si à Christianæ fidei regula nolumus aberrare. Quem tamèn morsum non in sua vita propria, sed in illo, cui primitùs inflictus est, acceperunt. Neque illud fallat, quod nec parenti post conversionem obsunt propria peccata. Quanto enim magis, inquiunt, filio ejus obesse non possunt? Sed qui hoc sentiunt, non attendunt, quia, sicut parenti per hoc, quòd spiritu renatus est, propria peccata non obsunt, ità qui de illo natus est, nisi eo modo renascatur, quæ à parente tracta sunt, oberunt. Quia & innovati parentes non ex primitiis novitatis, sed ex reliquiis vetustatis carnaliter gignunt; & filii, ex parentum reliqua vetustate toti vetusti, & in peccati carne propagati, damnationem veteri homini debitam Sacramento spiritalis regenerationis & renovationis evadunt.*

In canone 136. de cons. dist. 4. ità ex Augustino legenda sunt priora verba lib. 1. cap. 15. *Generante carne, illud tantummodò trahitur, quod est originale peccatum; regenerante autèm spiritu, non solùm originalis &c.* Itèm postrema canonis verba ità legenda erunt: *Dicente Apostolo: Judicium ex uno delicto in condemnationem; & paulò pòst: per unius delictum in omnes homines ad condemnationem.* Pòst hæc, paucis interjectis, in cap. 16. leguntur verba canonis 137. de cons. dist. 4. ibi: *Ex hac igitur inobedientia carnis, & hac lege peccati, & mortis, quisquis carnaliter generatur, regenerari spiritualiter opus habet, ut non solùm ad Regnum Dei perducatur, verum etiam à peccati damnatione liberetur. Simùl itaquè peccato, & morti primi hominis obnoxii nascuntur in carne, & simul justitiæ vitæque æternæ secundi hominis societati renascuntur in baptimo.*

Can. 136. & 137. de cons. dist. 4.

Verba canonis 138. de cons. dist. 4. paulò aliter leguntur apùd Augustinum in lib. 1. cap. 19. ibi: *Si autèm propterea rectè fideles vocantur,* (videlicèt parvuli baptizati), *quoniàm fidem per verba gestantium quodammodò profitentur, cur non priùs etiàm pœnitentes habentur, cum per eorumdem verba gestantium diabolo, &*

Can. 138. & 139. de cons. dist. 4.

huic sæculo renunciare monstrantur? Totum hoc in spe fuit vi Sacramenti, & divinæ, quam Dominus donavit Ecclesiæ. Ceterùm quis ignorat, quòd baptizatus parvulus, si ad rationales annos veniens non crediderit, nec se ab illicitis concupiscentiis abstinuerit, nihil ei proderit, quod parvus accepit? Immemor horum Gratianus non dubitavit eadem ferè repetere in sequente canone 139. in fine, emendatiora tamèn, & ad codices meliores exacta. Priora ejusdem canonis verba habentur integra in lib. 1. cap. 26.

Can. 141. de cons. dist. 4. Canon 141. de cons. dist. 4. legitur in lib. 1. cap. 23. ibi: *Ab hoc peccato, ab hac ægritudine, ab hac ira Dei, cujus naturaliter filii sunt, qui, etiamsi per ætatem non habent proprium, trahunt tamèn originale peccatum, non liberat, nisi Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Quæ sequuntur in vers. *Tollit* sunt potiùs breviarium quoddam prolixæ Augustini sententiæ, qui totus in eo erat, ut demonstraret adversùs Pelagianos, sine baptismatis Sacramento neminem vitam æternam consequi posse.

Can. 142. de cons. dist. 4. Can. 142. de cons. dist. 4. ità legendus est ex integris Augustini codicibus in lib. 1. cap. 24. *Profectò, qui non credit in Christum, manebit in eis,* (id est, in tenebris), *& utiquè pœnales sunt, non quasi nocturnæ ad quietem animantium necessariæ. Proindè parvuli, si per Sacramentum, quod ad hoc divinitùs institutum est, in credentium numerum non transeant, profectò in his tenebris remanebunt.*

Can. 143. de cons. dist. 4. Canon 143. de cons. dist. 4. non exhibet integra Augustini verba, sed potiùs sententiam paucis breviatam, qualis habetur in lib. 1. cap. 26. Non heic integram eamdem exhibeo, sive quòd nimis prolixa sit; sive quòd nihil habeat, quod difficultatem facessat, sed potiùs Gratianeo fragmento conveniat.

Can. 144. de cons. dist. 4. Canon 144. de cons. dist. 4. legitur eisdem verbis apùd Augustinum lib. 1. cap. 27.; cum enim sanctus Antistes sibi proposuisset interpretandum Christi Domini præceptum, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur,* ex quo videbatur, colligi posse, infantes baptizatos, tanquàm illos, qui credere non valerent, adhùc damnandos fore, respondit, in infantibus baptismum pro vero fidei actu haberi; qui propterea ipsi sufficere possit ad æternam salutem.

Can. 145. de cons. dist. 4. Quod pertinet ad canonem 146. de cons. dist. 4., is perperàm fuit à Gratiano descriptus; quamobrèm necesse est integra hoc in loco Augustini verba exhibere, qualia sunt in lib. 2. cap. 7. ibi: *Non enim ex qua hora quisque baptizatur, omnis vetus infirmitas in eo absumitur; sed renovatio incipit à remissione omnium peccatorum, & in quantùm quisque spiritualia sapit, qui jam sapit. Cetera verò in spe facta sunt, donèc in re fiant, usquè ad ipsius corporis renovationem in meliorem statum immortalitatis, & incorruptionis, quâ induemur in resurrectione mortuorum.* Deindè pòst pauca. *Nàm in baptismo quamvis tota, & plena fiat remissio peccatorum, tamèn, si continuò tota & plena etiàm hominis in æternam novitatem mutatio fieret, non dico & in corpore, quod certè manifestum est adhùc in veterem corruptionem, atque in mortem tendere, in fine posteà renovandum, quandò verè tota novitas erit, sed excepto corpore, si in ipso animo, qui est homo interior, perfecta in baptismo novitas fieret, non diceret Apostolus: etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem.* Quæ sequuntur apùd Gratianum in vers. *Hoc meminisse*, habentur in eodem libro cap. 27. his verbis: *Illud namquè præcipuè propter quæstiones, quæ de hac re motæ sunt, vel moveri adhùc possunt, attendere ac meminisse debemus, tantummodò omnium peccatorum plenam, perfectamque remissionem baptismo fieri; hominis verò ipsius qualitatem non totam continuò commutari, sed spiritales primitias in benè proficientibus de die in diem novitate crescente commutare in se, quod carnaliter vetus est, donèc totum ità renovetur, ut animalis etiàm infirmitas corpo-*

ris

ris ad firmitatem spiritalem, incorruptionemque perveniat. Hæc autèm lex peccati, quod etiam peccatum appellat Apostolus, cum dicit: non ergò regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus, non sic manet in membris eorum, qui renati sunt, tanquàm non sit ejus facta remissio, ubi omninò plena, & perfecta fit remissio peccatorum, omnibus inimiciiis interfectis, quibus separabamur à Deo, sed manet in vetustate carnis tanquàm superatum, & peremptum, si non illiciiis sensionibus quodammodò reviviscat, & in regnum proprium, damnationemque revocetur. Ab hac autèm vetustate carnis, in qua lex ista peccati, vel peccatum jam remissum usquè adeò spiritus vita discernitur, in cujus novitate baptizati per Dei gratiam renascuntur, ut parum fuerit Apostolo dicere, toles non esse in peccato, nisi etiàm diceret, in ipsa carne illos non esse, antequam ex hac mortali vita migrarent. Qui enim in carne sunt, inquit, Deo placere non possunt. Vos autèm non estis in carne, sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Verumtamèn, sicut ipsa carne quamvis corruptibili benè utuntur, quia membra ejus ad opera bona convertunt, in qua carne non sunt, quia non secundum eam sapiunt, neque vivunt; sicut deniquè etiam morte, quæ primi peccati pœna est, benè utuntur, qui eam pro fratribus, pro fide, pro quacumque vera, & sancta justitia fortiter, & patienter impendunt; sic illâ etiàm lege peccati, quod jam remissum in vetustate carnis manet, benè utuntur conjugati fideles, qui ex eo, quòd sunt in Christi novitate, dominari sibi libidinem minimè patiuntur: ex eo autèm, quòd adhùc trahunt Adæ vetustatem, regenerandos immortaliter filios mortaliter generant, cum ea propagine peccati, quâ illi, qui renati sunt, obnoxii non tenentur, & quâ illi, qui nascuntur, renascendo solvuntur. Itèm paulò inferiùs: *Nec mireris, quòd dixi, manente concupiscentialiter lege peccati, reatum ejus solvi per gratiam Sacramenti; sicut enim facta, & dicta, & cogitata iniqua, quantùm ad ipsos motus animi, & corporis pertinet, jam præterierunt, & non sunt, eis tamèn præteritis, & non tum existentibus, reatus eorum manet, nisi peccatum remissione solvatur; sic contrà, in hac non jam præterita, sed adhùc manente lege concupiscentiæ reatus ejus solvitur, & non erit, cum sit in baptismo plena remissio peccatorum.*

De libris contrà epistolam Parmeniani.

Donatistis res Ecclesiasticas susdequè vertentibus, divisæ fuerant omnes propemodùm singularum civitatum Ecclesiæ in duas, duobus Episcopi munere fungentibus, quorum alter Catholicus Catholicis, alter Donatista Donatistis præerat. His injuriis obnoxia etiàm fuerat Carthaginensis Ecclesia; in qua post Donatum successerat in Episcopatu ex Donatistarum parte Parmenianus. Hic, ut hæresim suorum promoveret, epistolam scripsit ad Thiconium Donatistam, eum graviter monens, ne Ecclesiam Catholicæ, seu universalis nomine appellaret, ratus in Ecclesia solos bonos, aut prædestinatos existere, nec posse ad eam improbos pertinere. Epistolam illam, & ejusdem hæresim tribus libris adgressus est Augustinus, quorum in primo obviam ivit calumniatoribus Donatistis, plurima crimina adversùs Catholicos objicientibus; in posterioribus deindè explicavit ea divinarum literarum testimonia, quibus ad suam confirmandam doctrinam usus fuerat Parmenianus. Horum librorum meminit Augustinus in lib. 2. Retract. cap. 17. Ex lib. 2. cap. 10. depromptus est canon 78. caus. 1. quæst. 1. cujus verba omninò consonant cum codicibus Augustini. Canon 97. caus. 1. quæst. 1. legitur in lib. 2. cap. 13., ubi Augustinus Donatistas, baptismum ab extraneæ sectæ ministro collatum non admittentes, conficiebat invictissimo illo argumento, scilicèt, ut quemadmodùm qui ab Ecclesia pòst baptismum recedit, bap-

Can. 78. & 97. caus. 1. q. 1.

tismum non amittit; ità, qui, cum jus haberet in Ecclesia baptizandi, ab Ecclesia discessit, jus quoquè baptizandi minimè amittat. Multa jam sunt, quæ Romani Correctores emendaverunt; adhùc tamèn supersunt aliqua, quæ ità emendanda sunt ex Maurinorum editione. In principio canonis ità legendum est: *Nàm illud, quod quidam eorum veritate convicti dicere cœperunt: Baptismum quidèm non amittit, qui recedit ab Ecclesia, sed tamèn jus dandi amittit &c.* In versic. *Nàm, si quando* pro illis verbis: *Non sunt rursùs ordinandi.....ipsa vera sunt*, legendum est: *Non sunt rursùs ordinati.....ipsa sunt.* In versiculo *Si enim aliqui* pro verbis illis *extraordinariè.....aurum, vel argentum* legendum est: *Extra ordinem..... aurum, vel argentum, vel æs.* Et pro illis *Thesauris legalibus cogetur inferri?* legendum *Thesauris regalibus congeretur?* Pòst quæ statim prosequitur Augustinus: *Aut si quisquam, sive desertor, sive qui nunquàm omninò militavit, notâ militari privatum aliquem signet, nonne ubi fuerit deprehensus ille signatus, pro desertore punitur, & eo gravius, quò probari potuerit, nunquàm omninò militasse, simùl secum punito, si eum prodiderit, audacissimo signatore? Aut si fortè illum militiæ characterem &c.* Hic iterùm prosequitur Gratianus, qui, dum præcedentia omiserat, integrum monumentum, & sententiam Augustini nobis minimè exhibuit. In vers. *De iis verò* pòst verba illa *extra vinculum pacis*, ità sequitur apùd Augustinum: *Hoc enim jam in ipsa totius orbis unitate discussum, consideratum, perfectum, atque firmatum est. Sed si nos malè facimus, ipsi explicent, quomodò Sacramentum baptizati non possit amitti, & Sacramentum ordinati possit amitti, quoniàm dicunt: Recedens ab Ecclesia baptismum quidèm non amittit, jus tamèn dandi amittit. Si enim utrumque Sacramentum est, cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento injuria facienda est.* Postrema hæc verba à Gratiano laudantur, quæ sanè in obscuro delitescerent, nisi & alia à Gratiano omissa modò recensuissem. Cetera, quæ apùd Gratianum sequuntur, cum Augustini codicibus consonant. Tantùm adnotandum est, versiculum *Quomodò* haberi in cap. 19. ejusdem libri 2.

Can. 98. caus. 1. q. 1.

Canon 98. caus. 1. quæst. 1. legitur in eodem libro 2. cap. 5. ibi: *Quid igitur jam valet ad causam, quod isti nobis objiciunt, quia de malis sacrificatoribus Dominus per Isaiam dicit: Facinerosus, qui sacrificat mihi vitulum, quasi qui canem occidat, & qui similaginem, quasi sanguinem porcinum, & qui offert thus in memoriam, quasi blasphæmus. Hæc omnia multò congruentiùs de illis dicuntur, qui contra Ecclesiam Dei, toto, sicut promissa est, orbe diffussam, altare sui schismatis erexerunt, quos eos sacrilegium omnes involvit, & quilibet ubilibèt offert sacrificium in tali corde, vel factis, hæc ut mereatur audire &c.* Hæc si cum Gratianea editione contuleris, agnosces non nihil varietatis interesse. Versiculus *Hoc penè* eadem continet verba, quæ jam descripta fuerant in canone 78. eadem causâ, & quæstione, legunturque in cap. 10. apùd Augustinum, quemadmodùm in cap. 11. verba versiculi *Spiritus sanctus.*

Can. 5. & 6. caus. 23. q. 4.

Principium canonis 5. caus. 23. q. 4. legitur in cap. 1. libri 2., sed versiculus *Quomodò* legitur in cap. 21., pòst cujus verba statim sequuntur ea, quæ habentur in canone 6. sequenti, singula ad rectos Augustini codices exacta.

Can. 19. & 32. caus. 23. q. 4.

Canon 19. caus. 23. quæst. 4. legitur in cap. 2. lib. 3. ubi, paucis interjectis, sequuntur verba canonis 32. eadem causâ, & quæstione; singula autèm consonant cum integris Augustini codicibus.

De libris contrà Vincentium Victorem, seu de Anima.

Quidam adolescens Vincentius Victor, è secta Rogatistarum, in Mauritania Cæsareensi natus, atque ad Catholicam unitatem reversus, cum in scripta Augustini incidisset, in quibus de

de animarum origine dubitavisse sanctus Antistes videretur, professus se ignorare, an ex traduce fierent, an à Deo crearentur, constanter intereà tradens, in anima hominis esse spiritualem substantiam agnoscendam, admodùm commotus est, & correptus juvenili ardore Augustinum adgredi cœpit, & deridere, editis duobus libellis ad Petrum quemdam Hispanum Presbyterum. Petrus libellos eosdem Renato cuidam Monacho dedit, & Renatus Augustino. Hinc è re sua duxit sanctus Antistes libris editis respondere, quibus & dubitationem suam de animarum origine, & fidem suam de spirituali animarum substantia esse æquissimam demonstraret. Libri sunt numero quatuor, quorum primus ad Renatum, à quo scripta Vincentii susceperat; secundus ad Petrum, qui ad Renatum Vincentii scripta miserat; Tertius & quartus ad eumdem Vincentium Victorem directi fuerunt. Laudanda sanè in iis libellis est moderatio Augustini, qui leniter admodùm scripsit adversùs Vincentium, ne juvenem, in schismate natum, & à schismate ad unitatem profectum, irritaret vehementiùs, multa donans illius adolescentiæ; quemadmodùm profitetur in lib. 2. Retractationum cap. 56. ità de iis libellis scribens: *In iis autèm omnibus, in quibus multa necessaria disserunt, defendi de origine animarum, quæ singulis hominibus dantur, cunctationem meam, & multos errores, atque pravitatem præsumptionis ejus ostendi; quem tamèn juvenem non præproperè detestandum, sed adhùc docendum, quantâ potui lenitate tractavi, & ab eo rescripta actionis ejus accepi.* Singularis hujus lenitatis argumentum extat in can. 4. dist. 9., qui legitur in lib. 4. cap. 1., ubi profitetur Augustinus, passurum æquo animo se reprehendi, quotiès reprehenderetur in illis, quæ reprehensione digna viderentur, ibi: *Oh si illa reprehenderes mea, quæ justâ reprehensione sunt digna! Neque enim negare debeo, sicut in ipsis moribus, ità multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possunt recto judicio, & nulla temeritate culpari.* Ex quibus verbis statim adparet, Gratianeam editionem corruptam fuisse, ac propterea ex Augustini codicibus emendandam.

Can. 4. dist. 9.

Canon 148. de cons. dist. 4. legitur in lib. 3. cap. 9.; cum enim Vincentius scripsisset, posse aliquem consequi peccatorum remissionem, etiàm absque baptismo, idque probasset exemplo latronis, qui ad latus Christi in Cruce pendentis obierat de æterna salute securus, quin tamèn de ipsius baptismate constaret; Augustinus ostensurus, quanta esset baptismi necessitas, respondit, latronem illum non proindè non baptizatum censeri, quòd in Divinis Scripturis non memoretur baptizatus, quemadmodùm nec Apostoli baptizati dicuntur in sacris literis, licèt eos reverà baptizatos fuisse credamus. Describam hic ipsa Augustini verba, quæ apùd Gratianum corrupta leguntur. Ait ille: *Nàm si eos, de quibus non scriptum est, utrùm fuerint baptizati, sine baptismate de hac vita recessisse contendimus, ipsis calumniamur Apostolis, qui, præter Apostolum Paulum, quandò baptizati fuerint, ignoramus. Sed si, ipsos baptizatos esse, per hoc nobis innotescere potuit, quòd B. Petro Apostolo Dominus ait; qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, quid de aliis, de quibus vel tale nihil legimus dictum, de Barnaba, de Timotheo, de Sila, de Philemone, de ipsis Evangelistis Marco, & Luca, de innumerabilibus ceteris, quos, absit, ut baptizatos esse dubitemus, quamvis non legamus.*

Can. 148. de cons. dist. 4.

De libris contrà literas Petiliani.

Ex Donatistis, qui Africanam Ecclesiam turbaverunt, fuit Petilianus quem Donatistæ puerulum & invitum per vim abripuerant, ac baptizaverant, teste Augustino in lib. 2. contrà literas Petiliani cap. 104. Is tamèn ubi adolevit, impensiùs Donatistarum schismati adhæsit, atque ut forensibus advocationi-

nibus operam dabat, quo in officio se strenuum causarum Patronum exhibuit, adeò sui nominis famam adauxit, ut non solùm sibi à suis reverentiam conciliasset, sed se ipse per summam impudentiam *Paracletum* appellaret. Ità de eo Augustinus in lib. 3. adversùs eamdem cap. 16. *Sibi propter advocationem, in quâ potentiam quamdam suam jactat, paracleti nomen imponat, atque ob hoc se cognominalem Spiritus sancti non esse, sed fuisse deliret.* Neque de se alitèr sapuit, ubi à Donatistis Episcopalem dignitatem obtinuit, cum nimirùm celeberrimæ Carthaginensi Episcoporum collationi interfuit, ac pro schismaticis acerrimè disputavit. Scripsit quoquè epistolas ad Episcopos, & inferiores Clericos Donatistas, ut eos in schismate confirmaret, atque adversùs Catholicos commoveret; quæ planè epistolæ uti improborum animos magis magisque corruperunt, ità bonis omnibus scandalum pepererunt; quamobrem operæ pretium duxit Augustinus tantùm ausum refellere tribus editis libris, qui inscribuntur *contra literas Petiliani*, ubi analyticâ methodo singula argumenta Petiliani confecit sanctus Antistes, atque confodit. Horum librorum meminit Augustinus idem in lib. 2. Retractat. cap. 25.

Can. 7. dist. 10. Ex libro 2. cap. 58. depromptus est canon 7. dist. 10., cujus verba cum Augustini codicibus apprimè consonant. Romani Correctores rubricam, ut vocant, canonis notaverunt, ajentes: *Auctor hujus rubricæ caput hoc ità accepit, quasi hic agatur de legibus Imperatorum, in favorem Ecclesiæ latis, cum ibi B. Augustinus Petiliano, & Donatistis hæreticis concedat, legibus Imperatorum ipsos in adjutorium suum uti posse, modò id fallacitèr non facerent; quod eos fecisse convincit.* Non est ad hanc rem explicandam minùs opportunum, quænam fuerit Augustini sententia, aperire. In eo scribebat sanctus Antistes, indulgendum esse Donatistis, quòd Laicorum Principum legibus uterentur ad tuendam causam, de qua inter Augustinum & Petilianum disputabatur, atque id exemplo Pauli Apostoli demonstrabat, ut in Actis Apostolicis cap. 22. Aliis etiàm in locis id professus est Augustinus, ut in epist. 164. ad Donatistas, ibi: *Nàm & terrenæ potestates, quandò schismaticos persequuntur, eâ regulâ se defendunt: quia dicit Apostolus: qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit; non enim frustrà gladium portat.* Et pòst pauca ità Donatistas allocutus: *Cognoscentes vestri schismatis nefas, constituunt adversùs vos pro suâ sollicitudine ac potestate, quod volunt.* Itèm in lib. 3. contrà Cresconium cap. 51. ibi: *In hoc Reges, sicut eis præcipitur, Deo serviunt, in quantum Reges sunt, si in Regno suo bona jubeant, mala prohibeant, non solùm quæ pertinent ad humanam societatem, verùm etiam quæ pertinent ad divinam religionem.* Hæc planè accommodata erant proposito Augustini, cum enim ipse novisset pluriès schismaticos illos fuisse publica potestate damnatos, vehementèr optabat, ut, quoniàm Ecclesiasticæ legi adquiescere detrectabant, ad publica jura provocarent, quibus compertum habebat facilè ad Catholicam unitatem esse adducendos. Non est hoc loco omittendum, quod dicitur de Paulo Apostolo, nimirùm civem illum Romanum fuisse, quemadmodùm in laudatis actis legimus, ibi: *Accedens autèm Tribunus dixit illi: Dic mihi, si tu es Romanus? At ille dixit: etiàm; & respondit Tribunus: ego multâ summâ civilitatem hanc consecutus sum: & Paulus ait: ego autèm & natus sum.* Nulla sanè difficultas foret, nisi aliàs de Patria Pauli constaret. At in laudato cap. 22. vers. 2. testatur idem Apostolus se *Judæum* fore, *in Tarso Ciliciæ natum, nutritum* in Jerosolymorum *Civitate*, & in epistola ad Romanos cap. 11. scribit: *Nàm & ego Israelita sum ex semine Abraham de Tribu Benjamin*; quod ipsum fatetur in cap. 3. ad Philippenses. Verùm observare oportet, non eos solos natos olim fuisse Romanos

nos Cives, qui intra urbis Pomœnia nascerentur, sed etiàm illos, qui nascerentur in Urbe, aut in Provincia Civitate donata; Cilicia autèm, ubi natus fuit Paulus, Romana Civitate gaudebat. Neque aliquem turbet Ulpianus in l. 17. ff. de statu hominum, indicans, in orbe Romano existentes cives factos fuisse Constitutione Antonini Imperatoris, qui sanè sive sit Antoninus Pius, ut aliqui tradunt, sive Antoninus Caracalla, fuit Apostolo posterior. Etenim Antonini Constitutio, quæ generalitèr pertinuit ad totum Romanum orbem Civitate Romana donandum, non supponit, nullam omninò fuisse Provinciam olim jam Romana Civitate prædecessorum Imperatorum liberalitate donatam. Scimus Cyzicenos ante Tiberium Cæsarem Cives Romanos effectos, à Nerone Civitatis jure insignitam Achajam, & Græciam, & plures alias Provincias sensim à priscis Imperatoribus idem jus obtinuisse, donèc deventum est ad Antoninum, qui generale jus Romanæ Civitatis fecit provinciis omnibus, Romanorum Imperio obnoxiis. Videatur Suetonius in Cæsare cap. 24. & 42. Ut verò de Tarso Ciliciæ, Pauli Patria, dicam, Ulpianus idem in l. 1. §. ult. ff. de censibus scribit, privilegiaria quædam Civitatis jura jam diù concessa fuisse Ciliciæ, & speciatim Selino, & Trajanopoli, quæ, ut Tarso finitimæ erant, ità Tarsum ad ejusdem juris consortium facilè admittebant. Imò auctor est Dio Cassius in lib. 47., Tarsum jam plurimùm Cæsari in bello Civili, deindè Octavio, favisse, undè singularia fœderis, & amicitiæ argumenta Tarsenses à Romanis obtinuerunt; factumque præterea est, ut non ampliùs Tarsus, sed Juliopolis appellaretur.

Can. 36. caus. 1. q. 1. Gratianus abstinere debuisset à recensendis Augustini verbis, quæ descripsit in can. 36. caus. 1. quæst. 1., utpotè quæ Collectoris proposito parùm proderant, quandò alia multa opportuniora apùd Augustinum invenisset. Scopus Gratiani erat, ostendere Sacramenta valere, sive à bono, sive à malo administro conferantur. Sexcenta fuissent in eam rem Augustini monumenta. Ceterùm verba laudati canonis non eò pertinent; ità enim scribit Augustinus in lib. 3. cap. 9. *Itaquè, ut sæpè dixi, & vehementer inculco, qualescumque nos simus, securi estis, qui Deum Patrem, & ejus Ecclesiam matrem habetis. Quamvis enim simùl hædi cum ovibus pascantur, non stabunt ad dexteram. Quamvis simùl palea cum tritico trituretur, non intrabit in horreum. Quamvis simùl pisces mali cum bonis intra retia Dominica natent, non mittentur in vascula: nemo glorietur nec in homine bono; nemo bona Dei fugiat, nec in homine malo.* Res erat ibidèm disputanda contrà Donatistas, qui ex solis bonis hominibus Ecclesiam constare tradebant, & malos ad eam non pertinere. Alitèr Augustinus, cujus sanè sententia, ut liquet, multùm distat à Proposito Gratiani.

Æquè à proposito Gratiani distat can. 87. caus. 1. quæst. 1., dùm Collector erat demonstraturus, Sacramenta, à malo ministro collata, suam habere firmitatem. Habetur initium canonis in lib. 2. cap. 22., ubi Augustinus expendebat verba Christi, ità Apostolos in Evangelio alloquentis: *Jam vos mundi estis, sed non omnes*; ex quibus colligebat, non omnes in Ecclesia existentes fuisse sceleris puros, inquiens: *Quapropter bis verbis magis Dominus declaravit, in uno cœtu hominum, eadem Sacramenta sumentium, aliquorum immunditiam mundis obesse non posse.* Potiùs ad rem Gratiani facere videtur versiculus *Petilianus ait*, qui legitur in dicto lib. 2. cap. 30., ubi pòst illa postrema verba, à Gratiano relata, *si non det suum, sed Dei*, ità prosequitur Augustinus: *Sicut de ipso Caipha dictum est: Hoc autèm non à se dixit, sed cum esset Pontifex, prophetavit. Et tamèn, ut eo quoquè simili utar, quod ipse posuisti, si audias ab aliquo*

quo vel prophano pacem Sacerdotis verbis, & mysteriis evangelicis conformatam (aliqui legunt *confirmatam*), *numquid potes ei dicere, non est vera, quamvis ipse non solùm verus non sit, sed etiàm nullus Sacerdos sit? Cum Apostolus Paulus quoddam testimonium verum esse dixerit, Cretensis nescio cujus Prophetæ, qui inter Prophetas Dei non computabatur; ait enim: Dixit quidam &c.* Quæ sequuntur, exhibentur integra apùd Gratianum usquè ad verba illa *Sacramentum hoc verum est?* Hinc pòst pauca interjecta subsequitur versiculus *Vos autèm.* At versiculus *Baptismi* legitur in cap. 35., quemadmodùm versiculus *Memento* in cap. 47. & vers. *Quæro* in cap. 48., & versiculus *Nos dicimus* in cap. 52. Deniquè quod attinet ad vers. *Gratias Deo*, is corruptus fuit, atque à Gratiano tenebris obscurioribus obvolutus, undè facilè posset quisque conjicere, Petilianum tandèm à Donatistarum hæresi recessisse, professum non obesse firmitati baptismatis ministri improbitatem. Non est tamèn, cur in eam opinionem Petiliani gratiâ eamus, quem Augustinus eo in loco vehementissimè exagitare perrexit. Retulerat Augustinus in cap. 54. libri 2. verba epistolæ Petiliani, ibi: *Petilianus dixit: Si verò fortè, quod nescio, dæmonia pellitis, nec id vobis proderit, quia nec fidei vestræ, nec meritis cedunt ipsa dæmonia, sed in nomine Domini Jesu Christi pelluntur.* Ex his verbis occasionem sumpsit sanctus Antistes Petilianum adgrediendi, ità concludens: *Gratias Deo, quia tandèm confessus es &c.*, quasi diceret: Si ergò cum Catholici dæmonia ejiciunt, non suâ virtute id faciunt, sed Christi, ex sententia Donatistarum, aliàs autèm apùd Donatistas Catholici inter improbos recensentur, necessarium erit Donatistis dicere, Christum non dedignari, operari quandoquè per ministros malos in collatione Sacramentorum.

Can. 4. caus. 23. q. 3. Canon 4. caus. 23. quæst. 3. legitur in lib. 2. cap. 88., ex quo Romani Correctores addiderunt verba illa *parvæ adhùc fidei*, qui in Gratiani codicibus, necnon apùd Ivonem parte 10. cap. 75. desiderabantur. Ut integra Augustini sententia clariùs percipiatur, juvat hæc addere ex Augustino, statim pòst Gratiani verba ità prosequente: *Sed si ipsis dicitur, ut quiescant, sicut Petro tunc dictum est, quanto magis vobis dicendum est, ut, Hæretico furore* (aliqui legunt *errore*) *deposito, ad ea membra pertineatis, pro quibus illi sic dimicant.*

Sententia canonis 40. caus. 23. q. 4. non satis commodè intelligitur, nisi præ oculis subjiciantur verba Petiliani, quibus Augustinus respondebat. Sunt hæc in lib. 2. cap. 79. ibi: *Petilianus dixit: postremò, quæ est ratio persequendi vos miseri interrogo: Si putatis forsitàn vos aliqua legis auctoritate peccare?* Augustinus respondit: *Qui peccat, non peccat legis auctoritate, sed contrà legis auctoritatem. Quia verò interrogas, quæ sit ratio persequendi &c.* Quæ apùd Gratianum sequuntur in vers. *Non enim*, habentur in cap. 82., cujus verba, ad hanc rem pertinentia, juvat integra referre, ibi: *Petilianus dixit: Si igitur tanta potentia fidei non est aliquibus adversata, quâ tu ratione persequeris, ut cogas homines inquinari?* Respondet Augustinus: *Nec persequimur vos, nisi quemadmodùm persequitur veritas falsitatem; nec ad nos pertinet, si quis vos alitèr persecutus est, sicut nec ad vos, quidquid vestri similitèr faciunt. Nec vos cogimus inquinari, sed suademus sanari.* Quæ habentur in vers. *Petilianus*, referenda sunt ad caput 10. Augustini, quemadmodùm referenda sunt ad caput 19., quæ leguntur in vers. *Postremo.* Nihil hic addo de vers. ultimo, qui, cum depromptus sit ex libro de unitate Ecclesiæ, alibi fuit expendendus. Adjicio, his omnibus monumentis benè consonare ea, quæ ab Augustino tradita sunt in epistola ad Marcellinum Comitem, de qua inferiùs sermo habebitur.

Can. 40. caus. 23. q. 4.

Canon 10. caus. 23. quæst. 5. quasi in obscuro delitescentem exhibet Augustini sententiam, quam propterea nonnul-

Can. 10. caus. 23. q. 5.

nulli non percipientes eò devenerunt, ut dicerent, Petilianum recensuisse Judam proditorem in Martyrum numerum. Nusquàm id commentus est Petilianus; hinc meliùs Augustinum interpretabitur, qui Gratiani fragmentum conferet cum suo autographo, seu cum lib. 2. cap. 49., ubi contentio exorta exhibetur inter Augustinum & Petilianum causâ Donatistarum, quos Catholici Principes gravissimâ pœnâ, etiàm capitis, afflixerant. Hos Petilianus Martyres dixit; è contrario Augustinus comparavit cum Juda proditore, qui Deum passus fuit ultorem gravissimi sceleris. Hanc injuriam à se torquere volens Petilianus plurimùm interesse scripserat inter Judam & Donatistas; & potissimùm quòd Judas mortem sibi conscivisset ipse, quod non evenit in Donatistis. Id visum levissimum fuit Augustino statim replicanti, propriâ etiàm manu sibi quodammodo laqueum injecisse Donatistas, dum propriâ manu in Hæresim inciderunt. His ità perpensis, statim intelliguntur ea verba Augustini: *Tu dixisti: laqueo traditor periit, laqueum talibus dereliquit. Hoc ad nos omninò non pertinet: Neque enim veneramur nomine Martyrum eos, qui sibi collum ligaverunt.*

Can. 33. caus. 23. q. 5. Canon 33. caus. 23. quæst. 5. legitur in lib. 2. cap. 83. & 84., cum quo pòst Romanorum Correctorum operam omninò consonat, dummodò animadvertamus, Romanos eosdem Correctores non emendavisse verba illa: *nisi cura præcedens benè vivendi doctrinam prætendat*, ne inanem redderent Glossographi interpretationem. Ceterùm pro illis ità legendum est ex Augustino: *nisi quum præcedens benè vivendi doctrina contemnitur.*

Can. 34. caus. 23. q. 5. & can. 2. caus. 23. q. 7. De canone 34. caus. 23. quæst. 5. nihil est, quod singulari dignum animadversione videatur: depromptus est ille ex lib. 2. cap. 92. Idipsum dicendum est de can. 2. caus. 23. quæst. 7., cujus verba consonant cum lib. 2. cap. 43. & 59.

De libro de libero arbitrio. Item de libro de Gratia, & libero arbitrio.

Conficiendæ erant ab Augustino duæ æquè terribiles Hæreticorum Sectæ, Manichæorum scilicèt, ac Pelagianorum; quorum priores adeò detrahebant hominum libertati, ut omnia ad vim fati referrent, eoque ipso & meriti & demeriti radicem omnem evellerent; posteriores è contrario adeò detrahebant seu moventi, sed adjuvanti gratiæ Dei, ut universa in potestate humani arbitrii collocarent. Utramque sectam omni contentione adortus est Augustinus; quâ in re adeò alacrem se gessit, atque in disputatione ferventem, ut dum Manichæos oppugnaret, in Pelagianorum, dum oppugnaret Pelagianos, in Manichæorum castra descendere videretur, quemadmodùm candidè ipse professus est in lib. 1. Retractat. cap. 9. Adversùs Manichæos scripsit inter cetera libros tres *de libero arbitrio* instar dialogi concinnatos, interrogante Evodio, & respondente Augustino, quorum ordo hic servatur. In primo libro traditur, quid sit malè operari, & quomodò ex humano arbitrio delicta procedant. In altero quæritur, quomodò libertatis donum à Deo homini concessum esse potuerit, quandò ex libertate ipsa scelera universa profluunt & delicta. In postremo plures nec contemnendæ quæstiones dirimuntur de libertate voluntatis humanæ.

In lib. 1. cap. 4. legitur canon 41. caus. 23. quæst. 5., cujus tamen verba paulò alitèr apud Augustinum habentur, ac penes Ivonem, & Gratianum, quamquàm hodiè operâ Correctorum Romanorum canon Gratiani ad Ivonianum fuit exactus. Nimirùm Gratianus omiserat Evodii nomen, unàque & interrogationem Evodii, & responsionem Augustini conjunxerat. Ivo, quem Romani Correctores secuti fuisse videntur, Can. 41. caus. 23. q. 5.

tur, verba Evodii illa fuisse putavit: *Assentior, sed homicidæ isti appellari non solent*; Verba, quæ præcedunt, ità retulit, quasi sint Augustini Evodio respondentis. Aliter Maurini exhibuerunt; apùd quos priora canonis verba usquè ad ea *cum hominem occidunt*, sunt Evodii interrogantis, pòst quæ ista sequuntur: *Augustinus: assentior, sed homicidæ isti appellari non solent.* Quod spectat ad versiculum *Cum homo*, is legitur in quæst. 68. in Leviticum ad cap. 19. vers. 11. in illis verbis *non mentiemini*, ubi quærebat Augustinus, an aliquo in casu homini mentiri liceret, scribens: *Magna quæstio de mendacio, utrùm possit aliquandò justum esse mendacium, facilè solveretur fortassè, si sola præcepta intueremur, non & exempla; nàm quid isto præcepto absolutius? non mentiemini. Sic enim dictum est, quomodò non facies tibi idolum, quod factum non potest aliquandò justum esse: Et quomodò dictum est, non mœchaberis. Quis autem dicat, aliquandò mœchiam justam esse posse? Et non furaberis: secundum enim definitionem illam furti justum esse furtum nunquàm potest: & non occides, quoniàm cum homo justè occiditur, lex eum occidit, non tu. Numquid ità dici potest: Cum homo justè mentitur, lex mentitur?*

Can. 6. caus. 32. q. 5. Canon 6. caus. 32. quæst. 5. ex variis tum Augustini, tum Hieronymi sententiis compositus exhibetur. Non est hoc Gratiani vitio tribuendum, sed potiùs illorum, qui Gratianea monumenta notis numeralibus distinxerunt. Canonis priora verba leguntur in lib. 1. cap. 5. de libero arbitrio: quæ subsequuntur, suis singula locis aptiùs explicantur.

Can. 30. de pœn. dist. 1. Plurimùm inter sese distant, quæ uno veluti contextu junguntur in can. 30. de pœn. dist. 1., ubi simùl traditur, & nuda voluntate adulterii crimen admitti, & Deum *voluntatem remunerari, non opus; voluntatem autèm in cordis contritione esse, opus verò in oris confessione.* Quomodò hæc inter se conveniant, minimè video: ignoro etiàm, qua de causa sententias ità dissitas junxerit Gratianus. Ut priora canonis verba in primis expendam, leguntur illa apùd Augustinum in lib. 1. de libero arbitrio cap. 3. Petit ibi ab Evodio Augustinus, quo jure vetitum sit adulterium, nùm scilicèt ideò malum dicendum sit, quia prohibitum, an è converso ideò prohibitum, quia turpe naturâ. Porrò Evodius inducitur ab Augustino demonstrans, adulterium naturâ improbari, ex ea ratione, quòd nemo, quod sibi non vult, alteri facere possit. Contrà disputat Augustinus, scribens, si ità res esset, evenire, ut saltèm in ea specie adulterium non improbaretur, quà maritus consentiret. Hâc argumentatione fractus Evodius aliò se vertit, respondetque juri naturali ideò adversari adulterium, quòd in adulterio immoderata, & naturâ turpis, & frænum minimè patiens, libido relaxetur. Iterùm Augustinus infirmitatem argumenti redarguit, his verbis: *Fortassis ergò libido in adulterio malum est; sed dum tu foris in ipso facto, quod jam videri potest, malum quæris, pateris angustias. Nàm, ut intelligas, libidinem in adulterio malum esse, si cui etiàm non contingat facultas concubendi cum hac conjuge aliena, planum tamèn aliquo modo fit, eum cupere, & si potestas detur, facturum esse, non minùs reus est, quàm si in ipso facto deprehenderetur.* Sunt hæc eadem Gratiani verba initio canonis descripta, quæ si cum integro contextu, & Augustini proposito jungantur, parùm videbuntur Gratianeæ quæstioni adcommodata; ecquis enim non videt ea verba Augustini esse, non definientis, sed disputantis, & Evodium exagitantis? Hinc perperàm ad calcem ejusdem canonis adnotavit Gratianus: *Luce clarius constat, cordis contritione, non oris confessione, peccata dimitti.* Fortè dices, Gratianum in ea deducenda conclusione ad postrema canonis verba respexisse, ità concepta: *Itèm sicut auctoritas testatur: Voluntas remuneratur, non opus. Volun-*

luntas autèm in cordis contritione est, opus verò in oris confessione. Quænam verò ista auctoritas est, quam Gratianus prædicat? Non sanè divina; etenim in Evangelio sæpissimè traditur, bonis operibus fructum uberrimum respondere; atque in sacris literis ad bonam æquè voluntatem, atque ab bona opera excitamur. Non erit sanè humana auctoritas; siquidem homines, qui cordis ima scrutari non facilè possunt, majorem habere solent externorum operum, quàm voluntatis intimæ, rationem. Romani Correctores adnotaverunt, verba illa referenda esse ad auctorem operis imperfecti in Matthæum. Quotiès ità res sese habeat, tantæ erunt eadem auctoritatis, quantâ pollet ejusdem operis scriptor, quemadmodùm suo in loco observandum fuit. Verùm in opere imperfecto tantùm ista leguntur de eo, qui non quidèm re Martyrii coronam accepit, sed tantùm Martyrium voto suo exoptavit: *Ideò & si nihil tale fuerit passus, mercedem tamèn accipiet: voluntas enim remuneratur, non opus, quia voluntas ex nostro arbitrio procedit, opus autèm per gratiam Dei consummatur.* Ista autèm nihil commune habent cum quæstione, à Gratiano proposita, cum aliud sit confessio peccatorum, quæ fit à pœnitentibus, aliud confessio fidei, quæ fit à Martyribus. Ego sanè puto, verba illa postrema canonis esse Gratiani; qui respiciens ad illa divinarum literarum testimonia, quibus dicitur, Deum potissimùm intima cordis scrutari, in eam describendam sententiam devenit, quasi ex divina auctoritate depromptam. Aut si fortè Gratianum dicamus id non de penu sua, sed de Augustini monumentis derivavisse, tum adnotandum est, Augustini sententiis abusum fuisse Collectorem. Non nihil ego simile invenio apùd Augustinum in enarratione in psalmum 146., ubi expendens verba illa: *laudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus*, & sequentia: *qui sanat contritos corde*, scribit sanctus Antistes: *Deo nostro jucunda sit laus, cujus aures non ad os, sed ad cor, non ad linguam, sed ad vitam laudatoris patent*; quæ tamèn adhùc à Gratiani proposito distant quàm longissimè. Quòd si adhùc ea Gratiani verba, quibus traditur oris confessione non dimitti peccata, apùd Augustinum invenirentur, facilem tamèn interpretationem haberent apùd eum, qui distingueret oris confessionem, quâ laudes Deo canimus, ab oris confessione, quâ peccata nostra Dei ministris Sacerdotibus aperimus; quandoquidèm duplicem hanc confessionem Augustinus memoravit in enarratione in Psalmum 144. ibi: *Confessio enim non peccatorum tantùm dicitur, sed & laudis, ne fortè ubicumquè auditis confessionem, putetis jam non esse, nisi peccati*; itèm in enarratione in Psalmum 141. prope finem, ibi: *Duobus autèm modis confessio intelligitur, & in peccatis nostris, & in laude Dei*; Præterea in enarratione in Psalmum 137. princ. ibi: *Sed priùs commemoro vobis confessionem in scripturis, cum confitemur Deo, duobus modis dici solere, vel peccatorum, vel laudis &c.* Idipsum habet in enarratione in Psalmum 105. & alibi pluriès; ex quibus sanè deducitur, Augustinum, si quandò parum detulisse visus est confessioni oris, non de sacramentali peccatorum confessione locutum fuisse, sed de confessione, quâ laudes Deo in Ecclesia canimus, & quæ per se hominem à peccato non emundat, præsertim si populus labiis Deum honoret, ut legimus in sacris literis, cor autèm populi longè à Deo sit. Quid ergò est, quod ex hujusmodi monumentis Gratianus concludere potuerit, *luce clarius constare, non oris confessione peccata dimitti?* Meretur ipse notari, quemadmodùm apùd Augustinum olim notabatur imperita multitudo, ità scribentem in enarratione in Psalmum 117. ibi: *Confessio autèm vel laudis ejus est, vel peccatorum nostrorum; & illa quidèm confessio, quâ peccata nostra Deo confitemur, omnibus nota est; ità ut hanc solam*

dat confessionem in Scripturis Sanctis minùs erudita existimet multitudo.

Can. 7. de cons. dist. 4. Canon 7. de cons. dist. 4. legitur in lib. 3. de libero arbitrio cap. 23., licèt in posterioribus Gratiani verbis paulò aliter legendum sit ex optimis Augustini codicibus, in quibus ità exhibetur: *quandò in aliorum quoquè beneficium, qui propriam nondùm habent, potes aliena commodari*; quam scripturæ diversitatem Romani Correctores jam diù observaverunt.

Memoratis libellis de libero arbitrio similem edidit Augustinus, quem inscripsit de Gratia, & libero arbitrio, ejusdem propemodùm argumenti. Cùm enim tùnc Pelagianus error latissimè serperet, multi Catholici viri de divinæ gratiæ moventis necessitate disputationes habuerunt admodùm alacres, eò usquè, sicut nupèr de Augustino adnotabam, ut libertatem arbitrii cum Donatistis de medio tollere viderentur. Sic sese gesserunt Adrumentini quidam Monachi, sub Abbate Valentino constituti, uti refert Augustinus in epistola ad eosdem Monachos 214., & in lib. 2. Retractat. cap. 66. Idem Augustinus libellum de Gratia, & libero arbitrio ad Monachos ipsos direxit, edocens rectam rationem, quâ libertas arbitrii cum vi divinæ gratiæ conciliaretur. Ex hujus libri cap. 17. depromptus est canon 16. princ. de pœn. dist. 2., ubi tamèn pro illa voce *mandata* legendum est *mandatum*; itèm pro illis, *Dicebat*: *Domine animam meam pro te ponam*, legendum est: *Dicebat Domino*: *animam meam pro te ponam*. Non memoro ea, quæ Romani Correctores adjecerunt, ut Gratiani lectionem Augustini codicibus accommodarent: tantùm adjiciam, quod omissum fuit; etenim antè verba illa *ipsam charitatem* ità habet sanctus Antistes: *Majorem hâc charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis: undè & Apostolus dicit: qui enim diligit proximum, legem implevit; nàm non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur: diliges proximum tuum, tanquàm te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur; plenitudo enim legis dilectio. Ipsam charitatem &c.*

Can. 16. princ. de pœn. dist. 2.

In capite 14. ejusdem libri legitur sententia canonis 145. de cons. dist. 4. his verbis: *Spiritus gratiæ facit, ut habeamus fidem, ut per fidem impetremus orando, ut possimus facere, quæ jubemur. Ideò ipse Apostolus assiduè legi præponit fidem, quoniàm quod lex jubet, facere non valemus, nisi per fidem rogando impetremus, ut facere valeamus; nàm, si fides liberi est tantummodò arbitrii, nec datur à Deo, propter quid pro eis, qui nolunt credere, oramus, ut credant?* Ex his emendandus erit canon Gratianeus.

Can. 145. de cons. dist. 4.

De libro de Prædestinatione, & Gratia.

Jam diù eruditis omnibus persuasum fuit, librum de Prædestinatione, & Gratia falsò tributum fuisse Augustino; sive quòd neque in libris Retractationum, neque in Indiculo ejusdem mentio habeatur; sive quòd stylus longè dissimilis sit Augustiniano; sive demùm quòd plura ibidèm inveniantur Augustini doctrinæ contraria. Quamobrèm pòst Lovaniensium censuram, Maurini Monachi non dubitaverunt, librum illam in appendicem tomi 10. tanquàm apocryphum rejicere. Apùd Gratianum unicum extat ex eo libro cap. 15. depromptum monumentum in can. 22. caus. 23. quæst. 4., ubi legitur, quàm fuerit diversa conditio Pharaonis, & Nabucodonosor, quorum primus pœnitentiâ non fuit mutatus, alter divinam clementiam sibi conciliavit; eâ ratione, quòd primus divinæ gratiæ restitit, alter morem gessit. Qui compertam habet Augustini doctrinam de Gratia Dei, non facilè sibi persuadebit, rationem istam Augustini principiis consonare.

Can. 22. caus. 23. q. 4.

De

De libris contrà duas epistolas Pelagianorum.

Can. 130. de cons. dist. 4.

Anno circiter 420. Bonifacii Pontificis Maximi temporibus duæ prodierant Pelagianorum epistolæ, prima Romam missa, altera Thessalonicam ad Rufum, illius Urbis Episcopum; quibus adversùs Catholicos dogma suum Pelagiani adstruxerant. Statim ac Bonifacius Papa utramque suscepit, misit per Alypium Episcopum ambas ad Augustinum, qui statim nihil antiquius habuit, quàm illas gravissimis argumentis conficere, editis quatuor libellis, & per eumdem Alypium in Italiam revertentem ad Bonifacium directis. Id testatur Augustinus ipse in lib. 2. Retractationum cap. 61. ità scribens: *Sequuntur libri quatuor, quos contrà duas epistolas Pelagianorum ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ Bonifacium scripsi; quia, cùm in manus ejus venissent, ipse mihi eas miserat, inveniens in illis calumniosè interpositum nomen meum.* Ex libro 1. cap. 22. depromptus est canon 130. de cons. dist. 4., cujus ut percipiatur sententia, prænotandum est, Pelagianos tradidisse, Regnum Cœlorum fuisse à vita æterna in sacris literis distinctum: quod ideò scribebant, quia tradebatur apùd ipsos, Regnum Cœlorum per baptisma à Deo donari hominibus, sed sine baptismo vitam æternam adhùc posse obtineri; quibus suppositis, ità Augustinus Pelagianos alloquebatur. *Datis eis* (id est, parvulis non baptizatis) *extrà Regnum Dei locum salutis, & vitæ æternæ, etiamsi non fuerint baptizati; nec attenditis, quod scriptum est: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. Propter quod in Ecclesia Salvatoris per alios parvuli credunt, sicut ex aliis ea, quæ illis in baptismo remittuntur, peccata traxerunt. Nec illud cogitatis, eos vitam habere non posse, qui fiunt expertes corporis, & sanguinis Christi, dicente ipso: nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Aut si Evangelicis vocibus cogimini confiteri, nec vitam salutemque posse habere parvulos de corpore exeuntes, nisi fuerint baptizati, quærite, cur compellantur non baptizati secundæ mortis subire supplicium, judicante illo, qui neminem damnat immeritum, & invenietis, quod non vultis, originale peccatum.* Ità emendatus Gratiani canon facilem habebit interpretationem.

De libro de Correptione, & Gratia.

De libro de Correptione & Gratia ità scripsit Cardinalis Norisius in lib. 1. Historiæ Pelagianæ cap. 23. *Hic quidèm liber parvus mole est, sed doctrinâ maximus, totus mysteriis refertus, universam divinæ gratiæ œconomiam oculis subjicit, ut jure merito aureus à doctissimis nuncupetur.....Ego quidèm hunc librum soleo appellare clavem, quâ ad universam Augustini de divina gratia & libero arbitrio doctrinam aditus aperitur; quem sanè librum S. Prosper merito plenum divinæ auctoritatis in epistola ad Augustinum nuncupavit.* Scribendi hujus libri hæc Augustino fuit occasio. Sub Valentino Abbate Monachi quidam Adrumentini (ità dicti ab Adrumento Urbe maritima, & Bizacenæ Provinciæ Metropoli, teste Procopio in lib. de ædificiis Justiniani, quæ pòst Africam à Barbaris debellatam Mahameta adpellata est) variis concertationibus sese invicèm exagitabant, de vi divinæ gratiæ, & libero arbitrio disputantes. Quorum ut pacarentur animi, Florus ejusdem Cœnobii Monachus in medium protulerat epistolam Augustini ad Sixtum, in qua sincera de gratia, & libero arbitrio doctrina à sancto Antistite explicabatur. Sed gravius arsit exindè dissidium, unoquoque epistolam in suæ opinionis præsidium flectente. Valentinus Monasterio præfectus opportunum duxit, ut ad Augustinum non scriberet tantùm, sed & quosdam ex suis Monachis mitteret, germanam ipsius

sius doctrinam exploraturos, Cresconium scilicèt, & Felicem, qui, statim ac Hipponem venerunt, vulgaverunt apùd Augustinum, quosdam Adrumentinos Sodales libertatem arbitrii evertere, dum prædicarent divinæ gratiæ potestatem. Id testatur Augustinus in epistola 46. ad Valentinum his verbis: *Retulerunt, Monasterium vestrum nonnulla dissensione turbatum, eo quòd quidam in vobis sic gratiam prædicent, ut negent hominis esse liberum arbitrium; & , quod est gravius, dicant, quòd in die Judicii non sit vel redditurus Deus unicuique secundum opera ejus.* Itaquè sanctus Episcopus Hipponensis, qui dudùm de vi divinæ gratiæ scripserat, verso stylo scribere cœpit pro arbitrii libertate, ut libertatem arbitrii cum gratiæ potestate conciliaret, quod perfecit in libro de gratia & libero arbitrio, de quo superiùs actum est. Hunc librum Cresconius & Felix Monachi ad Monasterium redeuntes adtulerunt; verùm emersit novarum concertationum occasio. Etenim cum quidam legisset, omnia bona opera esse dona Dei, cœpit tradere, neminem, ubi delinquat, fore corripiendum, sed dumtaxàt à Deo divinæ gratiæ dona favore illius imploranda. Valentinus, dogmatis novitate turbatus, rem iterùm Augustino per epistolam significavit; Augustinus autem occasionem arripuit novum libellum edendi de correptione & gratia, quo omnem schismatis causam inter Adrumentinos everteret. Videatur caput ult. lib. 2. Retractationum. Ex hujus libri de correptione & gratia capite 5. deprompta sunt integra verba canonis 20. caus. 23. quæst. 4. Item ex cap. 15. deprompta sunt verba canonis 17. caus. 24. quæst. 3., ubi Romani Correctores emendaverunt, quæ emendatione indigebant.

Can. 20. caus. 23. q. 4.

Can. 17. caus. 24. q. 3.

In capite 7. ejusdem libri leguntur ea, quæ Gratianus tradidit in can. 25. de pœn. dist. 2. ità describenda. *Isti* (loquebatur Augustinus de iis, qui perseverantiæ donum acceperant divinitùs) *significati sunt ad Timotheum, ubi cum dictum fuisset, Hymeneum, & Phyletum fidem quorumdam subvertere, mox additum est: Firmum autèm fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Scivit Dominus, qui sunt ejus. Horum fides, quæ per dilectionem operatur, profectò aut omninò non defecit, aut si qui sunt, quorum deficit, reparatur, antequàm vita ista finiatur, &, deleta quæ intercurrerat iniquitate, usquè in finem perseverantia deputatur.* Ex his supplendum erit, quod deest apùd Gratianum. Canon 26. eadem dist. 2. de pœn. habetur in cap. 9. his verbis: *Ipsi sunt illi prædestinati, & secundum propositum vocati, quorum nullus perit; ac per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam, quoniàm sic est ordinatus, & ideò Christus datus, ut non pereat, sed habeat vitam æternam*: Deindè paulò inferiùs habentur eadem verba, quæ legimus in can. 27. de pœn. dist. 2., quibus tamèn hæc arbitror ex Augustino jungenda ad clariorem sententiæ explicationem: *Proficere in bonum, quia humiliores, redeunt, atque doctiores.*

Verba canonis 41. de pœn. dist. 2. olim in Gratiani codicibus erant corruptissima; hodiè verò Romanorum Correctorum industriâ sunt emendata, quamquàm in eo non sint omnia in clara luce collocata, quod attinet ad varia loca, ex quibus versiculi singuli canonis deprompti sunt. Versiculus 1. legitur in cap. 9., ubi Augustinus demonstrabat, eos, qui in bono non perseverant, perperàm Christi discipulos appellari, atque ad hanc rem ità subdebat: *Propter hoc Apostolus cum dixisset: Scimus, quoniàm diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, sciens nonnullos diligere Deum, & in eo bono usquè in finem non permanere, mox addidit: his, qui secundum propositum vocati sunt.* Versiculus *An adhùc* legitur in cap. 6., cum quo in præsentia consonat, continetque, ut patet, illorum querimoniam, qui corripi se, dum delinquerent, ægrè ferebant. Versiculus *In bono* legitur iterùm in cap. 9. ubi, ut

Can. 14. de pœn. dist. 2.

Can. 25. 26. & 27. de pœn. dist. 2.

os-

ostenderetur, quod dictum erat, eos, qui non perseverant in bono, non esse Christi Discipulos, relatum est Joannis testimonium, ibi: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; quòd si fuissent ex nobis, permansissent utiquè nobiscum*; pòst quæ ità prosequebatur Augustinus: *In bono illos volebat procùl dubio permanere. Erant itaquè in bono, sed quia in eo non permanserunt, id est, non usquè in finem perseveraverunt, non erant, inquit, ex nobis.* Versiculus *Propter* legitur in cap. 13. ibi: *Propter hujus utilitatem secreti, ne fortè quis extollatur, sed omnes etiàm, qui benè currunt, timeant, dum occultum est, qui perveniant; propter hujus ergò utilitatem secreti credendum est, quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverandi usquè in finem in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, & aliquandiù fideliter & jure vivere, & posteà cadere.* Sic habent Maurinorum codices, ex quibus Gratianea editio emendari adhùc posse videtur.

In capite 8. ejusdem libri legitur ca-
Can. 42. de pœn. dist. 2. non 42. de pœn. dist. 2. ità emendandus: *Mirandum est quidèm, multùmque mirandum, quòd filiis suis quibusdam Deus, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam, cum filiis alienis scelera tanta dimittit, atque impertità gratiâ faciat filios suos. Quis hoc non miretur? Quis hoc non vehementissimè stupeat?* Pòst pauca in eo-
Can. 8. de pœn. dist. 4. dem capite 8. sequitur canon 8. de pœn. dist. 4. his verbis: *De his enim disserimus, qui perseverantiam bonitatis non habent, sed ex bona in malum deficiente bonâ voluntate moriuntur.* Cetera cum editione Gratiani penitùs consonant.

De libris contrà Julianum.

Julianus quidam, è secta Pelagianorum, libros quatuor elucubraverat adversùs Catholicorum dogmata. Eum oppugnavit Augustinus sex editis adversùs eumdem libris, ad Claudium Episcopum directis; quorum meminit deindè in lib. 2. Retractat. cap. 62., duobus prioribus adstruens, & firmans Catholicam Fidem, quatuor deindè posteriores singulos adversùs singulos Juliani libros objiciens. Ex libro 5. cap. ult. depromptus est canon 11. caus. 32. quæst. 1., qui tamèn alitèr habetur apùd Augustinum, imò & paulò aliter apùd Ivonem. Parum interest sollicitudinem habere de Ivoniano codice, quandò integra habemus ipsa Augustini exemplaria, in quibus ità scriptum invenio: *Nihil aliud dicis esse nuptias*, (alloquebatur heic Augustinus Julianum, qui conjugium quasi in sola libidine consistens aversabatur), *quàm corporum commixtionem, & dicis posteà, quod & verum est, sine appetitu mutuo, & sine opere naturali propagationem esse non posse. Numquid tamèn negas, sibimet etiàm adulteros appetitu mutuo, & opere naturali, & corporum commixtione conjungi? Non est ergò ista definitio nuptiarum: aliud est enim, quod nuptiæ sunt, & aliud est, sine quo etiàm nuptiæ filios propagare non possunt.* Hanc sententiam mutatis verborum formulis Gratianus expressit. Can. 11. caus. 32. q. 1.

Canon 10. caus. 32. quæst. 4. tum à Gratiano, tum apùd Ivonem in parte 8. Decreti c. 105. laudatur ex libro 5. Augustini adversùs Julianum c. 8. At nihil tale apùd Augustinum in eodem libro reperitur. Sanè similia quædam, sed fusiore stylo adornata, leguntur in cap. 16. illius libri, ex quibus pauca hæc, brevitatis causâ, describam. Ait Augustinus. *Nos itaquè non diximus, sempèr ad reatum pertinere uti libidine. Quod velut dixerimus, ità colligis minùs peccasse adulteros, quàm maritos, quia maritis, inquis, libido servit, ut peccent, adulteris imperat. Sed, cum ego illud non dixerim, qualecumque hoc sit tuum, quod tanquàm consequens esse voluisti, nihil ad me attinet. Ego enim dico, uti libidine non semper esse peccatum, nec quæcumque res ideò bona est, quia eâ benè utitur bonus.* Et pòst aliqua: *Quis enim malum esse pecuniam rectè dixerit? & tamèn nemo eâ benè utitur, quæ dilexerit: quantò magis libidine?* Constat Can. 11. caus. 32. q. 1.

ex

ex his, & Ivonem, & Gratianum in describenda Augustini sententiâ non Collectores egisse, sed potiùs eos, qui commentaria faciunt, & glossas adjiciunt, quandò diversis omninò verborum formulis eam exornandam voluerunt.

Can. 35. & 114. de cons. dist. 4.

Canon 114. de cons. dist. 4. consonat cum cap. 14. libri 6.; ubi Augustinus totus erat, ut demonstraret adversùs Julianum, adhùc peccato originis inquinatum nasci eum, qui ex fidelibus parentibus ortum duceret, & proindè eumdem adhùc baptismatis remedio indigere. Id probabat exemplo circumcisionis, quam ipsi etiàm circumcisorum filii pati tenebantur: prætereà adjiciens oleæ similitudinem, quæ licèt ex fructifera arbore nata sit, in oleastrum tamèn decisa convertitur, iterùm in fructiferam inserenda. Hinc deducebat sanctus Antistes, baptismum matris filio nullo modo prodesse. Pòst verba ejusdem canonis apùd Ivonem parte 1. cap. 184. quasi uno contextu subjiciuntur verba canonis 35. de cons. dist. 4. quasi ad eamdem materiam pertinentia. Ista leguntur apùd Augustinum in cap. 17. ejusdem libri 6., ubi, cum Julianus, ut ostenderet eum, qui nascitur ex baptizata, sine peccato nasci, diceret, nihil mali in matre baptizata remanere, secùs etiàm mala ipsa baptizata viderentur, ita eumdem Augustinus exagitabat: *Nàm si propterea dicis nulla mala remanere in baptizatis, ne ipsa mala baptizata & sanctificata credantur, vide quanta te sequatur absurditas. Si enim quidquid est in homine &c.* Quæ apùd Gratianum sequuntur, cum Augustini codice consonant, dummodò pro illis verbis *per digestionem corporis digerenda*, ista substituamus: *per digestiones corporis egerenda.*

De libro Sententiarum Prosperi.

Inter opera S. Augustini vulgò profertur libellus, ità inscriptus: *Prosperi Aquitani sententiæ, ex Augustino delibatæ.* Prosperum Aquitanum fuisse Augustini doctrinæ accerrimum sectatorem & vindicem quinto Ecclesiæ sæculo, nemo ignorat; itidèm dubium non est, quasdam sententias veluti flosculos ex Augustino delibavisse, non tamèn oratione solutâ illas exponendo, sed metro poætico in opere, cujus initium est

Dum sacris mentem placet exercere loquelis,
Cœlestique animam pascere pane juvat.

At liber memoratus, continens in editis Augustini codicibus sententias 390., inter apocryphos à viris eruditissimis recensentur, proptereàque à Maurinis in appendicem tomi 10. rejectus, qui & adnotaverunt, in quodam MS. Colbertino, quem unicum ipsi invenire potuerunt, septuaginta sex tantùm sententias reperiri, atque istas esse priores codicum vulgatorum, exceptis 19., 20. & 21. Hinc de eo libro ea videtur pronuncianda sententia, ut in primis definiatur, neque Prosperi, neque Augustini fuisse; priores 79. sententias, demptâ 19. 20. & 21. antiquiori obscuro Auctori, quæ verò subsequuntur post 79., unà cum 19. 20. & 21. recentiori admodùm Collectori tribuendas esse. Quodque meo judicio auctoritatem huic libello denegare videtur, inter cetera illud est, quòd quædam sententiæ exhibeantur Prospero æquè indignæ, ac Augustino. Exemplo esse potest sententia 106. ità concepta: *Omnis infidelium vita peccatum est, & nihil est bonum sine summo bono: ubi enim deest agnitio æternæ, & incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiàm in optimis moribus.* At si fortè in hoc ipso libro quædam sententiæ reperiantur, quæ cum aliis & quidèm germanis aut Augustini, aut Prosperi conveniant, non obsistemus, sed eis statim morem geremus, prout doctrinam exhibebunt illorum Patrum.

Can. 35. & 114. de cons. dist. 4.

Ex

Can. 71. caus. 1. q. 1. Ex hoc opusculo refertur apùd Gratianum canon 71. caus. 1. quæst. 1., cui passim Glossographi alienam sententiam adfinxerunt, non eam, quæ ex eodem libro deducitur. Est fragmentum illud depromptum ex sententia 15. ibi: *Quisquis benè cogitat, quid voveat Deo, & quæ vota persolvat, se ipsum voveat & reddat. Hoc exigitur, hoc debetur. Imago Cæsaris redditur Cæsari, imago Dei reddatur Deo. Sed sicut videndum est, quid offeras, ità etiàm considerandum est, ubi offeras, quia veri sacrificii extra Catholicam Ecclesiam locus non est.* Hæc verò referenda sunt ad commentaria Prosperi in Psalmum 115. ad illa verba *Vota mea Domino reddam &c.* quæ interpretatus Prosper ait: *Quamvis benè cogitat, quid voveat Domino, & quæ vota reddat, se ipsum voveat, seipsum reddat. Hoc exigitur, hoc debetur: Imago Cæsaris redditur Cæsari, imago Dei reddatur Deo. Sed sicut videndum est, quid offeras, ità etiàm considerandum est, ubi offeras. In atriis, inquit, Domus Domini. Quæ autèm Domus Domini, nisi populus ejus? Ideò sequitur: in conspectu omnis populi ejus: Quid autèm est populus ejus, nisi quod addit, in medio tui Jerusalem? Jerusalem verò interpretatur visio pacis. Tunc ergò quod offertur gratum est, si de pace, atque in pace reddatur. Qui autèm non sunt filii hujus ancillæ, bellum, quàm pacem, potiùs amaverunt.* Ex his liquet, Gratianeum canonem intelligendum esse de intimo cordis sacrificio, quod unusquisque fidelis Deo sit immolaturus. Quod si novisset Gratianus, non facilè ad sacrificia publica Sacerdotum protraxisset. Quod si novissent Glossographi, non adeò laboravissent, vel referendo canonem ad publicorum sacrificiorum effectus, vel eumdem interpretando de sacrificiis extrà Ecclesiam factis, non servatâ formâ à Deo instituta. Ceterùm, ut verum fatear, eisdem verbis, qualia apùd Gratianum habentur, olim usus fuerat Paschalis Papa I. in epistola ad Mediolanenses, quæ edita est apùd Mansium tom. 1. Supplementi Labbeani pag. 803., ubi eadem dicuntur de Sacerdotibus Simoniacis, ab Ecclesiæ communione ejectis. Verba ipsa Paschalis ego jam retuli superiùs in parte 2. cap. 74. pag. 254.

Can. 37. de cons. dist. 2. Canon 37. de cons. dist. 2. neque in in libro Sententiarum Prosperi, neque alibi apùd Augustinum invenitur; quamquàm similes ferè sententiæ sæpè apud Augustinum legantur, quibus nimirùm probetur, in Eucharistia Christi Domini mortem exhiberi. Singulare exemplum posset ostendi in sermone, in vetustis editionibus 28. de verbis Domini, nisi iste rejectus à Maurinis fuisset tanquàm apocryphus in appendicem tomi 5. numer. 84.; cum enim ibidèm Dominica oratio explicetur, ità legitur: *Tu audis, quòd, quotiescumquè offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, elevatio Domini significetur, & remissio peccatorum; & panem istum vitæ nostræ quotidianum non assumis?* Deceptus fuit Gratianus, aut quicumque Gratiano auctor extitit, ex libro Lanfranci, primùm Monachi, deindè Episcopi Cantuariensis, qui sæculo undecimo fuit acerrimus Berengarii, & Berengarianæ hæreseos impugnator, & Sacramenti Eucharistici constantissimus vindex. Edidit is librum *De Corpore, & Sanguine Domini*, quem pluribus Augustini testimoniis adornavit, eadem ità laudans: *Ex sententiis Augustini*, non verba ipsa sempèr proferens, sed sententias aliis verbis exprimens. Cum verò Lanfrancus subjecerit ea, quæ in eo canone apùd Gratianum leguntur, recentiores Collectores eadem putarunt deprompta fuisse ex sententiis Augustini; undè facilè inscripserunt veluti fontem canonis *librum sententiarum* Augustini, quem putaverunt illum esse, qui dicitur *liber sententiarum Prosperi*, utpotè inter opera Augustini editum. Ipsa Lanfranci verba ex lib. de Corpore & Sanguine Domini cap. 13. Romani Correctores ad calcem Gratianei canonis descripserunt.

Ejusdem etiàm generis est canon 41. de

Can. 41. de cons. dist. 2. de cons. dist. 2., cujus verba leguntur apùd Lanfrancum in eodem libro cap. 13. & quidèm paulò pòst verba laudati canonis 37. Berengarius, ut probaret in Eucharistia nihil aliud exhiberi, quàm quamdam Corporis Christi figuram, adtulerat verba Augustini, in lib. de Catechizandis rudibus ità scribentis de Sacramentis: *Signacula quædam rerum divinarum sunt visibilia, sed res invisibiles in eis honorantur.* Quibus oppositis ità respondit Lanfrancus: *Magis videtur tuam oppugnare sententiam, nostræ ferre subsidium; nos etenim in specie panis & vini, quam videmus, res invisibiles, id est, Christi carnem, & sanguinem honoramus, nec similitèr pendimus,* (legit Gratianus *comprehendimus*) *cum fidelitèr fateamur, ante consecrationem esse panem, vinumque, id est, eas res, quas natura formavit, inter sacrandum verò converti in Christi carnem, & sanguinem, quas utrasque res benedictio consecravit.* Posteriora hæc verba paulò alitèr descripta sunt apùd Gratianum, quod & Romani Correctores observaverunt. Ex his autèm facilè liquet, quare ea verba Augustino tributa fuerint; quia nimirùm illis Augustini sententia explicatur.

Can. 48. de cons. dist. 2. Itèm apùd Lanfrancum, non apùd Augustinum, legitur canon 48. de cons. dist. 2. cujus verba à Gratiano non integra referuntur. Ità Lanfrancus in lib. de Corpore & Sanguine Domini cap. 10. Berengarium allocutus: *Hoc namquè, quòd dicimus, hoc modis omnibus contra te, ac sequaces tuos, approbare contendimus, sacrificium scilicèt Ecclesiæ duobus conſici, duobus constare, visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Jesu Christi carne & sanguine; Sacramento, & re Sacramenti, quæ res, ut verbis tuis utar, est Corpus Christi; sicut Christi persona, te quoquè auctore, constat & conficitur Deo, & Homine &c. Conficitur autèm, te etiàm teste, sacrificium &c.* Ex his adparet, Gratianum ea omisisse, quæ designabant colloquium Lanfranci cum Berengario. Versiculus *Caro ejus* habetur itèm apùd Lanfrancum in cap. 14., ubi laudatis à Berengario Augustini verbis ità respondet. *Sacramentum Corporis Christi, quantùm ad id spectat, quòd in Cruce immolatus est ipse Dominus Christus, caro ejus est, quam formâ panis opertam &c. Domini nostri Jesu Christi Corpus visibile, palpabile, manifestè plenum gratiâ omnium virtutum, & divinâ majestate.* Versiculus *Sicùt ergò* habetur in fine ejusdem capitis 14., quocum consonat, dummodò adnotemus, pro verbis illis, *vocaturque ipsa immolatio carnis*, & *Quod baptismus intelligitur fides est*, in Lanfranci codicibus ità legi, *vocaturque ipsa carnis ipsius immolatio*, &: *Sic Sacramentum fidei, quod baptisma intelligit, fides est.* Quoniàm verò ista sub nomine Augustini à Gratiano laudantur, describam hic nonnulla similia, quæ Augustinus scribebat ad Bonifacium Comitem epist. 98. apùd Maurinos, ibi: *Si enim Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omninò Sacramenta non essent. Ex hac autèm similitudine plerumquè etiàm ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicùt ergò secundum quemdam modum Sacramentum Corporis Christi, Corpus Christi est, Sacramentum Sanguinis Christi, Sanguis Christi est, ità Sacramentum fidei fides est.*

Can. 52. de cons. dist. 2. Canon 52. de cons. dist. 2. legitur quoquè in cap. 15. ejusdem libri apùd Lanfrancum; ubi cum Berengarius commemorasset verba illa Augustini in epist. ad Bonifacium: *Semèl immolatus est Christus in semetipso, & tamèn in Sacramento non solùm per omnes Paschæ solemnitates, sed & omni die populis immolatur,* quibus hæreticus utebàtur, ut omnia ad figuram traheret, & veritatem excluderet, ità respondit Lanfrancus: *In seipso semèl oblatus est Christus, quia in manifestatione sui corporis in distinctione membrorum omnium verus Deus, & verus homo, semèl tantùm in cruce pependit, offèrens se ipsum Patri hostiam vivam, passibilem, mortalem, vivorum & mortuorum redemptionis efficacem, eorum scilicèt, quos*

Di-

Divini consilii altitudo redimendo judicavit, præscivit, prædestinavit, vocavit, modis atque temporibus, quibus id fieri congruebat; in Sacramento tamèn, quod in hujus rei memoriam frequentat Ecclesia, caro Domini quotidiè immolatur, dividitur, comeditur, & sanguis ejus de calice fidelium ore potatur. Verba Lanfranci, ità descripta, perspicuè indicant, Gratianum in eisdem describendis ordinem invertisse, &, quæ postremo loco erant subjicienda, initio recensuisse.

Revertor ad librum Sententiarum Prosperi, ex cujus capite 339., aliàs 341., depromptus est canon 65. de cons. dist. 2., & eisdem omninò verbis descriptus. Similia habet Augustinus in tract. 26. in Joannem propè finem, ibi: *Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procùl dubio nec manducat spiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, licèt carnaliter, & visibiliter premat dentibus Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi, sed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium sibi manducat, & bibit.*

Can. 65. de cons. dist. 2

Canon 150. de cons. dist. 4. legitur quidèm in cap. 325. libri Sententiarum Prosperi, sed aliâ verborum formulâ, ibi: *Regenerationis gratiam ità etiàm hi non minuunt, qui ejus dona non servant, sicut lucis nitorem loca immunda non polluunt. Qui ergò gaudes baptismi perceptione, vive in novi hominis sanctitate, & tenens fidem, quæ per dilectionem operatur, habe bonum, quod nondùm habes, ut prosit tibi bonum, quod habes.* Ut his major accedat auctoritas, referre juvabit similia quædam, quæ tradidit Augustinus in tract. 80. in Joannem ad cap. 15. Evangelii, ibi: *Undè tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur; nàm & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, ait Apostolus, quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Jesus, & credideris in corde tuo, quia Deus suscitavit illum à mortuis, salvus eris; corde enim creditur ad justitiam, ore autèm confessio fit ad salutem; undè in Actibus Apostolorum legitur: Fide mundans corda eorum: & in epistola sua B. Petrus sic, & vos, inquit, Baptisma salvos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio, hoc est verbum fidei, quod prædicamus &c.*

Can. 150. de cons. dist. 4.

De libro ad Orosium.

Extat inter opera Augustini lib. 65. Quæstionum ad Orosium, cui in aliquibus codicibus hæc superponitur inscriptio: *Quæstiones Orosii, & Responsiones Sancti Augustini*: in aliis: *Liber Dialogorum Beati Augustini Episcopi, percunctante Orosio Presbytero.* Fuit Orosius Hispanus Presbyter, qui aliàs Augustinum consuluerat de Priscillianistarum erroribus, atque etiàm de sententiis Origenis, quemadmodùm constat ex lib. 2. Retractat. cap. 44., & ex libro singulari ad Orosium contrà Priscillianistas, & Origenistas. Ceterùm liber ille ad Orosium, 65. quæstiones complectens, hodiè apocriphus judicatur, & à Maurinis rejicitur in appendicem tomi 6. hâc adjectâ censurâ: *Ut præfationis, & interrogationum stylus dissidet ab Orosiana phrasi, ità reliquus sermo non convenit Augustino, nisi cum ipsius verba recitantur.* Sanè hoc in libro plures ex aliis Augustini libris decerptæ sententiæ recitantur, informiter etiàm congeruntur; ex quo facilè colligo, auctorem libelli quàm maximè studuisse, ut Augustinum imitaretur, quo commodiùs libellum Augustini nomine ederet, ac vulgaret. Canon 29. de cons. dist. 4. legitur in quæst. 59. his verbis: *Quid significat, quòd emissus corvus de arca non est reversùs? Corvus ut non reverteretur, aut aquis interceptus est; aut alicui cadaveri illectus insedit, & significat illos homines, qui carnalibus dediti rebus Dei præcepta contemnunt, & nullatenùs pœnitendo Ecclesiæ satisfaciunt, undè & per mala opera recesserunt. Vel certè, si aquis ille corvus interceptus est, illos significat, qui de Ecclesia*

Can. 29. de cons. dist. 4.

exeunt, & Hæreticorum Baptismo polluuntur. Quamvis enim unum Baptisma sit, & Hæreticorum, eorum scilicèt, qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. baptizant, & Ecclesiæ Catholicæ, tamèn quia foris, & extrà Ecclesiam baptizantur, & non sumunt Baptismum ad salutem, sed ad perniciem, habentes nimirùm speciem pietatis, virtutem autèm ejus abnegantes: & rursùm animales, inquit, Spiritum non habentes, & idcircò eos Ecclesia non rebaptizat, quia in nomine Trinitatis baptizati sunt. Ipsa est profectò forma Sacramenti. Ideò cum reversi fuerint, accipient virtutem Spiritus sancti, quem ii, qui extrà Ecclesiam baptizantur, nondùm habent. Integram recensendam putavi ejus Libri sententiam, cujuscumque tandèm auctoris sit, sive ut clarior fieret, sive ut nonnulla, quæ corrupit Gratianus, emendarentur.

De libris de Mendacio, & contrà Mendacium.

Duos edidit Augustinus libellos, materiâ admodum similes; priorem inscripsit *de mendacio*, posteriorem *contrà mendacium*. De libro de mendacio mentionem fecit in lib. 1. Retractat. cap. ult., ubi illum nominat librum obscurum, anfractuosum, & molestum, quem propterèa facilè rejecisset, postquàm præsertim alterum contrà mendacium scripserat, nisi agnovisset in eo adhùc multa esse utilia, ac necessaria, quæ in libro contrà mendacium desiderantur. Porrò liber contrà mendacium eâ occasione editus fuit, quòd multi ex Catholicis essent, qui se Priscillianistas fingebant, ut sic Priscillianistas ipsos, quibuscum conversabantur, facilè detegerent, quod reprobandum suscepit sanctus Episcopus eo libello, ad Consentium directo. Itaquè ibidèm redarguuntur Catholici hæresim simulantes, deindè acriùs objurgantur Priscillianistæ, mendaciis perjuria adjicientes. Paucis de utroque opere Augustinus propositum declarat in dicto cap. ult. ibi: *Illius inscriptio est contrà mendacium, istius autèm de mendacio; quoniàm per illum totum oppugnatio est aperta mendacii, istius autèm magna pars in inquisitionis disputatione versatur.* Itaquè utriusque libri non eadem auctoritas esse videtur ex ipsius Augustini sententia. Maximâ dignus est veneratione, qui contrà mendacium scriptus est, undè depromptus exhibetur canon 15. caus. 22. quæst. 2., in quo Romani Correctores jure optimo negativam particulam juxtà optimos codices addiderunt. Sed alter liber de mendacio, quamquàm plurima contineat, & utilia, non tamèn in omnibus Augustino placuit. Ex isto depromptus est canon 8. caus. 22. quæst. 2., nimirùm ex cap. 14. & 21., ad quorum capitum fidem nonnulla jam Romani Correctores emendaverunt. Aliqua tamèn notanda adhùc supersunt: videlicèt priora canonis verba ità legenda erunt: *Primum est ad evitandum capitale mendacium &c.* Itèm ubi de quarta mendacii specie mentio fit, legiturque in aliquibus Gratiani editionibus *quod mirum mendacium est*, legendum erit: *quod merum mendacium est.* Deindè ubi agitur de septima mendacii specie, ità legendum erit: *Septimum, quod & nulli obest, & prodest alicui: excepto si Judex interroget; velùt si nolens hominem ad mortem quæsitum prodere, mentiatur, non solum justum, atque innocentem, sed & reum; quia Christianæ disciplinæ sit, ut neque de cujusquam correctione desperetur, neque cuiquam pœnitendi aditus intercludatur. De quibus duobus generibus, quæ solent habere magnam controversiam, satis tractavimus, & quid nobis placeret, ostendimus, ut suscipiendis incommoditatibus, quæ honestè, ac fortiter tolerantur, hæc quoquè genera devitentur à fortibus, & fidelibus, & veracibus viris, ac fœminis. Octavum est &c.* Sanè, quæ in hoc canone continentur, ex iis esse puto, quæ admodùm utilia fore, aut necessaria scripsit Augustinus, cum ibidem tradantur optimæ cujuscumque mendacii evitandi regulæ. Ex eodem libro cap. 6. depromptus

Can. 15. caus. 22. q. 2.

Can. 8. caus. 22. q. 2.

tus fuit canon 17. caus. 22. quæst. 2., verùm Gratianus non eadem Augustini verba descripsit; quamobrem heic erunt exhibenda. Ait S. Doctor: *Odit autèm* (Deus) *omnes, qui operantur iniquitatem; at omnes, qui loquuntur mendacium, etiàm perdit. Quo constituto, quis eorum, qui hæc asserunt, commovebitur illis exemplis, cum dicitur: Quid si ad te homo confugiat, qui mendacio tuo possit à morte liberari? Illa enim mors, quam stultè timent homines, qui peccare non timent, non animam, sed corpus occidit, sicut Dominus in Evangelio docet, undè præcipit, ne ipsa timeatur. Os autèm, quod mentitur, non corpus, sed animam occidit; his enim verbis apertissimè scriptum est: Os, quod mentitur, occidit animam. Quomodò ergo non perversissimè dicitur, ut alter corporaliter vivat, debere alterum spiritualiter mori?* Et infrà: *Cum igitur mentiendo vita æterna amittitur, numquàm pro cujusquam vita temporali mentiendum est.*

Can. 7. caus. 22. q. 2.

De libro de Sancta Virginitate.

Quodnam propositum, & quæ occasio Augustino fuerit in edendo libro de Sancta Virginitate, ipse paucis indicavit in lib. 2. Retractat. cap. 23. ità scribens: *Posteaquàm scripsi de bono conjugali, expectabatur, ut scriberem de sancta virginitate, nec distuli, atque id Dei munus, & quàm magnum, & quanta humilitate custodiendum esset, uno, sicut potui, volumine ostendi.* Ex hoc libro depromptus est canon. 3. caus. 14. quæst. 1., cujus priora verba leguntur in cap. 14. ibi: *Præcepto enim quisquis non obtemperat, reus est, & debitor pœnæ*; quæ Augustinus ideò scribit, ut probet, de virginitate servanda nullum esse Dei præceptum, cum qui virginitatem non servat, nulli pœnæ subjaceat. Deindè in cap. 15. cum traderet, præceptum Dei esse, ne maritus uxorem dimittat, ità subsequitur: *Præceptum est enim hoc, cui non obedire peccatum est, non consilium, quo si uti nolueris, minus boni adipisceris, non mali aliquid perpetrabis.* Hæc verba nemo non videt, quàm longissimè à Gratiani proposito distare, cum quæreret ibi Gratianus, nùm liceret viris Evangelicis res suas, aliis mutuò datas, in judicio repetere. Nihil adjicio de vers. *quod præcipitur*, cum enim sub nomine S. Hieronymi referatur, commodiùs alibi fuit explicandus.

Can. 3. caus. 14. q. 1.

Ex eodem etiam libro de virginitate deprompta sunt postrema verba canonis 6. caus. 32. quæst. 5. in vers. *sicut nemo*; eademque cum integris Augustini codicibus consonant.

Can. 6. vers. ult. caus. 32. q. 5.

De libro de Continentia.

Non defuerunt, qui ab Augustino abjudicarent librum de Continentia, qualis fuit Desiderius Erasmus, usus duobus argumentis; primo, quod stylus hujus operis sit valdè ab Augustiniano dissimilis; deindè quòd Augustinus in suis Retractationum libris hoc ipsum opus minimè agnoverit. Equidèm ego non possum Erasmo adhærere, cum enim stylum libri considero, Augustinum scribentem mihi videor intueri; & quamquàm ejus operis mentio non fiat in libris Retractationum, tamèn mentio fit in epistola Augustini 262. ad Darium Comitem, prætereà & apud Possidium in Indiculo cap. 10. Materies, quæ ibidèm pertractatur, Augustino plurimùm convenit, dum, quo ipso tempore laudat continentiæ bonum, refellit impia Manichæorum dogmata, qui duas homini naturas affingentes, bonam, & malam, concupiscentiæ opera malæ naturæ tribuebant. In cap. 6. ejus libri legitur canon 42. de pœn. dist. 1. his verbis: *Sunt & qui eo modo in excusatione peccatorum suorum accusant Deum, ut dicant, ei placere peccata; nàm si displicerent, inquiunt, nullo modo ea fieri omnipotentissimâ utiquè potestate permitteret, quasi verò peccata Deus impunita esse permiserit, etiàm in eis, quos à supplicio sempiterno remissione liberat peccatorum. Nullus*

Can. 42. de pœn. dist. 1.

lus quippè debitæ gravioris pœnæ accipit veniam, nisi qualemcumque, etsi longè minorem, solverit pœnam: atque ità impartitur à Deo largitas misericordiæ, ut non relinquatur etiàm justitia disciplinæ.

De libro de Bono Viduitatis.

Disputant viri eruditi, nùm liber de bono viduitatis, qui instar epistolæ ad Julianam viduam scriptus est, jure inter Augustini opera recenseatur? Desiderius Erasmus eumdem tribuendum potiús voluit Juliano, Augustini adversario, adnotans se in stylo Julianum potiùs, quàm Augustinum agnoscere. Jacobus Pamelius in notis ad Tertulliani librum contrà Ermogenem cap. 1. num. 7. hoc opus laudans, ità ait: *Auctor opusculi de bono viduitatis inter lucubrationes D. Augustini.* Alii è contrario non defuerunt, qui librum Augustino adsererent, scribentes, quæ ad rejiciendum librum proferuntur argumenta, nullo momento valere. Mihi duo sunt argumenta gravia, quibus plurimùm moveor, ne librum illum Augustino adjudicem. Primum est, quod nullibi mentio fiat ejusdem apùd Augustinum, potissimùm autèm nec in libris Retractationum, in quibus ferè omnia opera sua recognovit. Alterum est, quod in capite 10. & 11. illi redarguantur, qui putant, viduas, pòst religionis propositum nubentes, à maritis separandas esse, atque ad continentium conditionem revocandas, quemadmodùm refert Gratianus in can. 2. dist. 27., & in can. 21. ac 41. caus. 27. quæst. 1. Hæc planè sententia nullo modo congruit Augustino, qui præsens adfuit, subscripsitque Concilio Carthaginensi IV., in quo statutum legimus can. 104. viduas, Deo devotas, suscepto religionis habitu nubentes, à maritis separandas fore, & crimine adulterii notandas esse. Is canon refertur apud Gratianum in can. 1. caus. 27. quæst. 1. Quomodo verum esse potest, Augustinum in opere suo redarguisse Patres Carthaginenses, quibus & ipse in Carthaginensi Concilio fuerat suffragatus? Imò & Augustini sententiam paulò pòst visus fuit reprehendere Gelasius Papa, in eo decreto, quod edidit in codice suo Dionysius Exiguus num. 20. ità conceptum: *Virginibus sacris temerè se quosdam sociare cognovimus, & pòst dicatum Deo propositum incesta fœdera, sacrilegaque miscere, quos protinùs æquum est à sacra communione detrudi, & nisi per publicam, probatamque pœnitentiam omninò non recipi, aut his certè viaticum de sæculo transeuntibus, si tamèn pœnituerint, non negetur.* Quicumque hanc Augustino adscriptam sententiam tuentur, proferunt in medium decretum Innocentii Papæ in epist. ad Victricium Rothomagensem, relatum in can. 10. caus. 27. quæst. 1., sed mancum, & mutilum, quemadmòdùm facit Vanespen in parte 2. jur. Eccles. universi tit. 13. cap. 4. num. 3.: quod si integrum attulisset, aliam penitùs sententiam prodidisset. Comparatur ibi pœnitentia earum, quæ spirituali nexu Christo nupserunt, & deindè fidem violarunt, cum pœnitentia conjugum adulterio inquinatarum; de utrisquè autèm eadem sententia pronunciatur, ut illæ non nisi pòst suceptī viri mortem, istæ non nisi post mortem adulteri ad pœnitentiam admittantur. At verò, si deduceretur, nuptias à sacris virginibus contractas validas esse, ex eo, quòd nisi pòst mortem viri ad pœnitentiam non admittantur, deduceretur quoquè, nuptias cum secundo viro contractas, vivente primo, esse firmas, ex quò adulteræ uxores non nisi mortuo adultero ad pœnitentiam admitterentur. Itaquè magis ex hac Innocentii Papæ sententia colligitur, jam ab ætate Augustini (eâdem vixit Papa Innocentius) matrimonia feminarum Deo dedicatarum fuisse adulteriis comparata. Hæc si vera sunt, jure ab Augustino abjudicabimus canonem 2. dist. 27., & idcircò nullam canon ille difficultatem Can. 2. dist. 27.

fa-

facere debebat Gratiano, qui ad calcem canonis 8. ejusdem dist. curavit, ut ipsum cum ceteris vetustorum Patrum definitionibus quoquo modo componeret. Prætereà animadvertendum est, minùs integrè canonem à Gratiano fuisse descriptum; siquidèm ea verba in libro de bono viduitatis non leguntur, sed potiùs similis quædam sententia, quæ integra refertur in can. 41. caus. 27. quæst. 1.: quamquàm verba illa canonis 2. sub Augustini nomine legantur etiàm in Pœnitentiali Antonii Augustini tit. 8. cap. 11.

Can. 56. caus. 11. q. 3. Canon 56. caus. 11. quæst. 3. legitur in cap. 22. hujus libri; ubi auctor docet, non sufficere viduis conscientiam bonam, nisi & bona sit illarum fama, atque æstimatio, reprobatque illorum opinionem, qui, dummodò coràm Deo innoxii habeantur, nihil de externis hominum judiciis solliciti sunt. Propterea illic ità legitur: *In omnibus sanè spiritualibus deliciis, quibus fruuntur innuptæ, sancta earum conversatio causa etiàm debet esse, ne fortè cum mala vita non sit per lasciviam, mala sit fama per negligentiam: nec audiendi sunt, sive viri sancti &c.* Quæ sequuntur, integra penitùs habentur apùd Gratianum.

Can. 33. & 41. caus. 27. q. 1. Canon 33. caus. 27. quæst. 1. legitur in cap. 8. ejusdem libri, in quo tamèn exhibendo Gratianus paulispèr verba immutavit, atque erit ità legendum. *Proindè, quæ se non continent, nubant, antequàm continentiam profiteantur: quòd nisi reddant, jure damnantur.* Ex eodem capite 8., itèm sequentibus, scilicet 9., 10., & 11. depromptus est canon 41. caus. 27. quæst. 1., quem olim apùd Gratianum corruptum Romani Correctores emendaverunt. De ejus sententia, quâ nonnulla traduntur de conjugiis viduarum Deo dedicatarum, jam satis modò institutus sermo fuit.

De libro de Bono Conjugali.

Jovinianus quidam Monachus inter multa hæreseos suæ capita tradiderat, bonum virginitatis non esse anteferendum bono nuptiarum; quamobrèm virginibus suorum temporum illudebat, quasi illæ cum Sara, Susanna, Anna, ceterisque nuptis fæminis, Sacrarum Literarum testimonio commendatissimis, auderent de palma contendere. Adversùs Hæreticum hominem jam totis viribus pugnaverat Hieronymus, qui tamèn de more disputantium adeò efferbuit, ut dum pro virginitate dissereret, conjugium damnavisse quodam modo videretur. Non levis hæc erat nota, ex qua vulgò Joviniani Sectatores in Hieronymum & Hieronymi scripta convicia conjiciebant. Opportunum visum fuit Augustino libello edito, & Hieronymum ab iniquorum Hieronymianæ doctrinæ æstimatorum calumniis vindicare, & nuptiarum commoda unà cum virginitatum laudibus recensere. Atque inter cetera, ne virgines Evangelicas sanctis veteris testamenti fæminis sine discretione præferret, conclusit, ideò veteres illas fæminas valdè fuisse in Sacris Literis commendatas, quòd, licèt conjugali vinculo junctæ, continentiam animo servavissent, præcipuè verò obedientiæ, virtutum egregiarum fontis, laude claruerint. Hic liber inscribitur *de bono conjugali*, cujus Augustinus mentionem fecit, & argumentum edidit in lib. 2. Retractat. cap. 22.

Hinc depromptus est in primis canon 3. dist. 56., scilicèt ex cap. 16., ubi Augustinus ait, non esse nuptias improbandas ex eo, quòd ex ipsis improbi quandoquè filii gignantur; quemadmodùm nec ideò probandum est adulterium, quod boni exindè filii suscipiantur. Can. 3. dist. 56.

Canon 9. caus. 14. quæst. 5. legitur in cap. 14., ubi demonstrat Augustinus, non licere, concubinas habere ad tempus, etiamsi prolis causâ ducantur. Ad eam rem multa profert similia exempla, qualia sunt, aut illorum, qui injustè aliquid possident, ut ex eo eleemo- Can. 9. caus. 14. q. 5. & can. 5. caus. 32. q. 2.

mosynas faciant, aut aliorum, de quibus expressa fit mentio in laudato canone, pòst cujus postrema verba ità prosequitur Augustinus: *Ità nec concubinæ ad tempus adhibitæ, si filiorum causâ concumbant, justum faciunt concubinatum suum; nec conjugatæ, si cum maritis lasciviant, nuptiali ordini crimen imponunt*; quæ Gratianus retulit in can. 5. caus. 32. quæst. 2.

Can. 20. & 21. caus. 22. q. 4. Canon 20. caus. 22. quæst. 4. legitur in cap. 4. ejusdem libri, ubi agitur de conjugibus, qui in usu matrimonii moderationem excedunt, eo prætextu, quòd fidem mutuò datam maritus & uxor in eo custodiant. Fidem istam ait Augustinus veræ fidei nomine non esse donandam, quandò ad culpam detorquetur. Ibidèm tamen nihilominus excusat conjuges, & longè majus malum admittere eos conjuges ait, qui adulterinos complexus quærunt. Prima canonis verba paulò aliter leguntur apùd Gratianum, cum ità exhibeantur in codicibus Augustini: *Cum verò ad peccatum admittendum fides adhibetur &c.* In eodem cap. 4. legitur canon 21. caus. 22. quæst. 4., cujus interpretatio ex præcedentibus pendet, etenim pòst illa verba canonis 20. *Ille quippè, utrobiquè perfidus, profectò sceleratior judicandus est*, ità statim prosequitur Augustinus: *At si id, quod malè fecerant, displicuisset, & propterea cum participe facinoris prædam dividere noluisset, ut homini, cui ablata fuerat, redderetur, eum perfidum nec perfidus diceret; ità mulier, si fide conjugali violatâ &c.*

Can. 21. caus. 27. q. 1. Non habetur in libro de Bono conjugali canon 21. caus. 27. quæst. 1., ut ut apùd Gratianum sub ea inscriptione laudetur; sed potiùs in libro de Bono viduitatis, & quidèm aliâ verborum formulâ descriptus, quemadmodùm liquet ex vers. ult. canonis 41. caus. 27. quæst. 1., de quo superiùs actum est.

Can. 3. & 6. caus. 32. q. 2. Ad canonem 3. caus. 32. quæst. 2. nihil est singulare, quod adnotemus.

Nimirùm integer extat in cap. 6. de Bono conjugali; ibidèmque in cap. 5. legitur canon 6. ead. caus. & quæst., statim post verba laudati canonis 21. caus. 22. quæst. 4., ubi liquet, Augustinum illud perpetuò in matrimonio consideravisse, ut individuus omninò, & constans sine spe dissolutionis esset conjugum animus.

Can. 8. caus. 32. q. 4. Canon 8. caus. 32. quæst. 4. jam in parte descriptus fuerat à Gratiano in can. 3. dist. 56.: legitur autèm in cap. 16., ubi Augustinus bonas nuptias appellat, quousquè conjuges in ipsis servant modum; qui si excedatur, in vitium ait illas deflectere, eodem ferè modo, quo laudatur ille, qui cibo utitur, atque exprobratur quicumque abdomini serviens, non necessitati satisfacit, sed indulget voluptati.

Can. 1. caus. 32. q. 7. Canon 1. caus. 32. quæst. 7. legitur in cap. 7., ubi disertè statuit Augustinus, per conjugum divortium neutiquàm dissolvi conjugii vinculum. Noverat Augustinus, objici statim potuisse Romanorum consuetudinem, qui ejusmodi divortia suis probavisse legibus videbantur. Verùm ipse respondit, Romanos id quidèm ex tolerantia quadam permisisse, nullo tamèn modo probasse, eadem ratione, quâ Moses libellum repudii Judæis olim concesserat. Hinc pòst verba laudati canonis 1. statim ità prosequitur: *Ceterùm aliter se habere jura Gentilium quis ignorat, ubi interposito repudio sine reatu aliquo ultionis humanæ, & illa, cui voluerit, nubit, & ille, quam voluerit, ducit? Cui consuetudini simile aliquid propter Israelitarum duritiam videtur permisisse Moyses de libello repudii; quâ in re exprobratio, quam adprobatio divortii magis adparet.*

Can. 11. caus. 32. q. 7. Jam diù Romani Correctores animadverterunt, canonem 11. caus. 32. quæst. 7., qui laudatur ex libro Augustini de Adulterinis conjugiis, haberi potiùs in cap. 8. & 10. de Bono conjugali. Describenda hic sunt sancti Doctoris verba, utpotè quæ apùd Gratianum

num corrupta exhibentur. Ait ille in cap. 8. *Honorabiles ergò nuptiæ in omnibus, & thorus immaculatus. Quod non sic dicimus bonum, ut in fornicationis comparatione sit bonum; alioquin duo mala erunt, quorum alterum pejus; aut bonum erit fornicatio, quia & pejus adulterium: pejus est enim alienum matrimonium violare, quàm meretrici adhærere; & bonum adulterium, quia est pejor incestus: pejus est enim cum matre, quàm cum aliena uxore concumbère, & donec ad ea perveniatur, quæ sicut Apostolus ait, turpe est etiàm dicere, omnia bona erunt in comparatione pejorum.* Deindè in cap. 10. de usu conjugii hæc scribit: *Nec immutetur in eum usum, qui est contra naturam, de quo Apostolus tacere non potuit, cum de corruptelis nimiis immundorum, & impiorum hominum loqueretur.... verumtamèn* (conjuges) *magis in sua conjunctione diligunt, quod honestum, quàm quod inhonestum est, id est, quod est nuptiarum, quàm id, quod non est nuptiarum: hoc eis, auctore Apostolo, secundum veniam conceditur, cujus delicti non habent hortatrices nuptias, sed deprecatrices, si Dei misericordiam non à se avertant, vel non abstinendo quibusdam diebus, ut orationibus vacent, & per hanc abstinentiam, sicut per jejunia, commendent preces suas, vel immutando naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam, quod damnabilius fit in conjuge. Nàm cum ille naturalis usus, quandò prolabitur ultrà pacta nuptialia, id est, ultrà propagandi necessitatem, venialis sit in uxore, in meretrice damnabilis; iste, qui est contra naturam, execrabiliter fit in meretrice, sed execrabiliùs in uxore. Tantum valet ordinatio Creatoris, & ordo creaturæ, ut in rebus ad utendum concessis etiàm cum modus excediturr, longè fit tolerabilius, quàm in eis, quæ concessa non sunt, vel unus, vel rarus excessùs. Et ideò in re concessa immoderatio conjugis, ne in rem non concessam libido prorumpat, toleranda est. Hinc est etiàm, quòd longè minus peccat quamlibet assiduus ad uxorem, quàm vel rarissimus ad fornicationem. Cum verò vir membro mulieris non ad hoc concesso uti voluerit, turpior est uxor, si in se, quàm si in alia, fieri permiserit.*

Canon 27. caus. 32. quæst. 7. legitur in cap. 7. Qui deindè sequitur versiculus *Manet vinculum* legitur in cap. 15., in quo animadversione digna est ratio discriminis, quam Augustinus adfert inter novæ, ac veteris legis disciplinam. In postremis verbis ità legendum erit, ut integra exhibeatur sancti Viri sententia: *Utrùm & nunc fas sit, temerè non dixerim; non est enim nunc propagandi necessitas, quæ tunc fuit.* Can. 27. caus. 32. q. 7.

De libro contrà Jovinianum.

Singularis est inscriptio canonis 14. caus. 32. quæst. 7.; in eo enim uno laudando Gratianus professus est se desumpsisse ex libro Augustini adversùs Jovinianum, qui idem est cum libro de bono conjugali, uti superiùs animadvertimus. Apùd Antonium Augustinum ejusdem canonis verba laudantur in Pœnitentiali Romano tit. 8. cap. 14. sine ulla auctoris designatione; sed apùd Ivonem in parte 9. decreti cap. 106. recensetur quasi ex lib. 5. Augustini contrà Julianum. Illud verum est, verba ejus canonis neque in libro contrà Jovinianum, seu de bono conjugali, neque in libris contrà Julianum reperiri. Ceterùm sententiæ quædam similes ibidèm adparent. Conferantur in primis verba superiùs descripta ad canonem 11. caus. 32. quæst. 7. deprompta ex cap. 8. de bono conjugali: his addi possunt, quæ Augustinus ait in cap. 11. ejusdem libri, ibi: *Nàm cum ille naturalis usus, quandò prolabitur ultrà pacta nuptialia, id est, ultrà propagandi necessitatem, venialis sit in uxore, in meretrice damnabilis; iste, qui est contrà naturam, execrabilior fit in meretrice, sed execrabiliùs in uxore.* Præterea similia quædam traduntur in lib. 5. contrà Julianum; item in lib. 2. de nuptiis & concupiscentia cap. 20. Can. 14. caus. 32. q. 7.

De libris de Nuptiis, & Concupiscentia.

Duo sunt Augustini libri, sub eadem inscriptione de nuptiis, & concupiscentia editi, sed diversis temporibus, uterque tamèn ad Valerium comitem, publicis negotiis Præfectum, directus. In iis Pelagianorum error in doctrina originalis peccati conficitur. Etenim cum priorem elucubrasset Augustinus, &, de concupiscentia loquens, tradidisset eam naturæ peccato lapsæ tribuendam esse, Julianus Pelagianorum Antesignanus quatuor editis libris Augustino respondit. At iterùm Augustinus alterum libellum in eadem re composuit, quem adversùs Pelagianum opponeret. Id totum refert Augustinus idem in lib. 2. Retract. cap. 53. ibi: *Scripsi duos libros ad illustrem virum comitem Valerium, cum audissem Pelagianos ei, nescio quid, scripsisse de nobis, quòd scilicèt nuptias damnaremus, asserendo originale peccatum, quorum librorum titulus est de nuptiis, & concupiscentia: Bonitatem quippè defendimus nuptiarum, ne putaretur, earum vitium esse concupiscentia carnis, & lex in membris repugnans legi mentis, quo malo libidinis benè utitur ad filios procreandos pudicitia conjugalis. Ut autèm duo libri essent, primus venit in Juliani Pelagiani manus, & scripsit adversùs eum libros quatuor, ex quibus quidam nonnulla decerpsit, & Comiti Valerio misit; ille verò ad nos, quæ cum accepissem, alio libro ad eadem ipsa respondi.*

Can. 9. & 10. caus. 27. q. 2. Ex libro 1. cap. 11. depromptus est canon 9. caus. 27. quæst. 2., qui olim laudabatur quasi ex libro de bono conjugali. Supplenda sunt hoc in loco, quæ Gratianus omisit; etenim pòst illa Gratiani verba *nec futura erat ulla carnis commixtio*, ità prosequitur Augustinus: *Erat quippè illa virgo, ideò & sanctiùs, & mirabiliùs jucunda suo viro, quia etiàm fœcunda sine viro, prole dispar, fide compar. Propter quod fidele conjugium &c.* Pòst pauca subsequuntur verba canonis 10. eâdem causâ, & quæstione.

Jungendi simùl sunt canon 2. caus. 31. quæst. 1. & canon 28. caus. 32. quæst. 7., uterque enim legitur apùd Augustinum uno eodemque contextu in cap. 10. libri 1. his verbis: *Hoc custoditur in Christo & Ecclesia, ut vivens cum vivente nullo divortio in æternum separetur.* Et pòst pauca. *Quod si quisquam fecerit, non lege hujus sæculi, ubi interveniente repudio sine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia, quod etiàm sanctum Moysem Dominus propter duritiam cordis illorum Israelitis permisisse testatur, sed lege Evangelii reus est adulterii: sicùt etiàm illa, si alteri nupserit. Usque adeò manent* (hinc exorditur Gratianus in can. 28.) *inter viventes semèl inita jura nuptiarum, ut potiùs sint inter se conjuges, qui ab alterutro separati sunt, quàm cum his, quibus aliis adhæserunt. Cum aliis quippè* (hæc omittuntur à Gratiano) *adulteri non essent, nisi ad alterutrum conjuges permanerent. Deniquè, mortuo viro,* (sunt hæc verba canonis 2.) *cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium potest, cum quo prius adulterium fuit. Ità manet inter viventes* (omittuntur ista in can. 2., sed habentur in can. 28.) *quiddam conjugale* (Gratianus legit *quoddam vinculum conjugale*) *quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre; manet autèm ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis, sicut apostata anima velut de conjugio Christi recedens, etiàm fide perditâ, Sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit. Redderetur enim procùl dubio redeunti, si amisisset abscedens. Habet autèm hoc, qui recessit, ad cumulum supplicii, non ad meritum præmii.* Romani Correctores in notis ad canonem 2. observaverunt, in antiquis codicibus haberi particulam negativam, sive codices Augustini, sive unus Gratiani codex inspiceretur. Verùm in optimis codicibus Augustini eam particulam Maurini non invenerunt, nec propterea in editione sua adjiciendam putarunt; co-

Can. 2. caus. 31. q. 1. & Can. 28. caus. 32. q. 7.

codici autèm Gratianeo particula negativa minimè congruit ; etenim Gratianus canonem secundum opponebat primo, cui sanè non opponi potuisset, si negativa particula jam tum fuisset adjecta ; imò & ipsa Gratiani interpretatio canoni subjecta aliud demonstrat. Hæc igitur est Augustini sententia, quemadmodùm & veterum Ecclesiæ Patrum, atque Scriptorum, uti adnotavi ad canonem 5. caus. 31. quæst. 1. Nimirùm inter adulterum & adulteram, etiàm marito mortuo, nullum posse consistere matrimonium, quod etiàm Romanorum legibus consentaneum erat ; at non adeò erat hæc regula protrahenda, ut ad eam etiàm speciem pertineret, quâ proponeretur, secutum fuisse legitimum divortium inter virum & uxorem justà Romanam disciplinam, & alterum conjugem dissociatum secundas nuptias contraxisse ; siquidèm, mortuo primo conjuge, firmum erat secundum conjugium : ne aliàs divertendi facultas amplissima redderetur, & cui permissæ fuerunt secundæ nuptiæ, secundo conjuge adhùc vivente, permitteretur ad tertias, vel ulteriores gradum facere. Hinc nemo non videt, canonem illum secundum ad quæstionem à Gratiano propositam non pertinere, quemadmodùm nec pertinet altera ejusdem canonis pars in vers. *Posse*, qui referendus est ad caput 14. libri de bono conjugali, ibi : *Posse sanè fieri nuptias ex malè conjunctis, honesto posteà placito consequente, manifestum est* ; etenim ibi sermonem habebat Augustinus non de nuptis adulterium passis, sed de concubinis, quarum conditio proximè ad conditionem nuptarum accedebat.

Can. 7. caus. 32. q. 2. Canon 7. caus. 32. q. 2. legitur in lib. 1. cap. 15., cum quo rectè consonat, dummodò pro illis verbis *occidi, antequàm nascatur* hæc verba substituantur ex editione Maurinorum *occidi, antequam nasci.*

Can. 6. de cons. dist. 4. Deniquè canon 6. de cons. dist. 4. consonat cum cap. 11. libri 2., ubi Augustinus, de peccato originis adversùs Pelagianos disputans, necessitatem baptismi ostendit in fidelibus Christianis, similitudine ductâ à necessitate circumcisionis in fidelibus Judæis.

De libris de Adulterinis Conjugiis.

Duo sunt ab Augustino editi libri de Adulterinis Conjugiis, quorum edendorum hæc fuit occasio. Pollentius quidam, quem Augustinus idem *dilectissimum Fratrem & religiosum* nominat, postulaverat à sancto Antistite duo explanari gravissima argumenta. Primum in illud Pauli 1. ad Corint. cap. 7. ibi: *His autèm, qui sunt in conjugio, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Hanc Apostolicam sententiam Pollentius ità intelligebat, ut uxor posset sine causa à viro discedere, quamquàm discedens secundo conjugi jungi nequiret ; imò si ex causa discessisset, puta ex adulterio viri, tum liberum ipsi foret aliud conjugium contrahere. Alterum argumentum erat in illud Pauli, eodem capite: *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo &c.* Quod Augustinus ità contrà Pollentium interpretari conatus est, ut traderet, licere quidèm conjugi ad fidem converso à conjuge infideli recedere, non tamèn id expedire. Sunt hæ quæstiones apùd nos communi recentiorum consensione absolutæ, sed temporibus Augustini non modicam dubitationem adferebant. Quamobrèm idem sanctus Antistes profitetur, se non satis accuratè respondere potuisse ; nam in lib. 2. Retract. cap. 57. ità inquit : *Scripsi duos libros de conjugiis adulterinis, quantum potui secundum scripturas cupiens solvere difficillimam quæstionem ; quod utrùm enodatissimè fecerim, nescio : imò verò non me pervenisse ad hujus rei perfectionem sentio, quamvis multos sinus ejus aperuerim, quod judicare poterit, quisquis intelligenter legit.*

Can. 6. 8. & 9. Caus. 28. q. 1. Ad hos sanè libros minimè pertinet canon 6. caus. 28. quæst. 1., quem jam ad auctorem libri Pastoris Romani Correctores referre debuerunt, de quo suo jam in loco nonnulla tradidi. Prorsùs autèm ignoro, quid causæ fuerit Gratiano, cur eum canonem sub nomine Augustini laudaverit, quandò Augustinus, eodem teste Gratiano, nunquàm omninò probaverit, propter infidelitatem conjugem à fideli esse conjuge dimittendum, quemadmodum liquet ex canon 8. & 9. eadem causâ, & quæstione; qui deprompti sunt ex lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 13. & 18., ubi totus est sanctus Vir, ut demonstret, inter fidelem, & infidelem esse posse conjugium in nova lege; & quamquàm Paulus in cap. 7. 1. ad Corint. tradat, fidelem posse ab infideli discedere, nihilominùs subdit, id non expedire. Porrò, quod attinet ad canon. 8. consonat., ille cum memorato cap. 13. apùd Augustinum dummodò observetur, verba illa *& paulò pòst*, quæ sunt propè finem canonis, reverà esse Augustini, quamquàm in recentibus Gratiani editionibus diverso charactere scribantur, quasi essent Gratiani. Prætereà canon 9. optimè consonat, præsertim pòst Correctionem Romanam, cum memorato cap. 18. & sequentibus apùd Augustinum. Nonnulla Gratianus omisit antè versiculum *Cum ergò*, quæ heic ego describam, ut integra exhibeatur Augustini sententia. Itaquè pòst verba illa, *nullo enim modo, quod Dominus jubet, servus fieri prohiberet*, prosequitur Augustinus his verbis: *Namquè hoc Dominus aliquandò per Esdram Prophetam jussit, & factum est. Dimiserunt Israelitæ uxores alienigenas, quicumque tunc habere potuerunt, per quas fiebat, ut & ipsi ad alienos reducerentur Deos, non ut illæ per maritos vero reducerentur Deo. Nondùm enim tanta gratia Salvatoris illuxerat, & promissis temporibus veteris testamenti adhùc inhiabat illius populi multitudo. Et propterea cum bona terrena, quæ pro magno expectabant à Domino, viderent etiàm his abundare, qui multos falsos colebant Deos, blanditiis uxorum priùs eos reverebantur offendere, deindè inducebantur & colere. Undè jusserat Dominus per sanctum Moysem, ne quis uxorem alienigenam duceret. Merito ergò quas duxerant, Domino prohibente, Domino jubente dimiserunt. Cum verò cæpisset Gentibus &c.*

Canon 7. caus. 32. quæst. 1. legitur in lib. 2. cap. 6., ubi tamèn pro Gratiani verbis, *quæ in lege Novi Testamenti sine mundatione legali mundantur*, ità legitur in editione Maurinorum: *Quæ Novi Testamenti sanguine sine dubitatione mundantur*; in aliis autèm Augustini codicibus ità: *Quæ Novi Testamenti in Sanguine Christi sine dubitatione mundantur.* Canon 8. caus. 32. quæst. 1. descriptus est eisdem verbis ex lib. 2. cap. 9., atque in hoc sicut & in præcedente canone Augustinus adversus Pollentium scribebat, virum adulteram uxorem dimissam recipere debere, statim ac reconciliata fuerit Deo per pœnitentiam, quasi macula omninò deleta. In sanè Pollentio durum videbatur, & quidem duplici de causa; vel quòd in lege vetere maritus non teneretur ad reconciliandam sibi uxorem adulteram, quantumvis pœnitentem, ut dicitur in cap. 24. Deuteronomii; vel quòd Romanæ leges maritum tanquàm lenocinii reum accusarent, quotiès uxorem adulteram retinuisset l. 29. ff. ad leg. Jul. de Adulter. l. 2. Cod. eod. tit. At perfectiorem dicebat Augustinus Evangelii legem, in qua per pœnitentiam ità deletur adulterium, ut istius nulla ampliùs ratio sit habenda. Nùm Augustinus in hac constantissimè opinione perstiterit, ego valdè dubito; siquidem in lib. 1. Retract. cap. 16. de hac proposita quæstione verba faciens, quasi alibi dicta retractans, ait: *Ubi dixi hoc permissum esse, non attendi aliam scripturam, dicentem: Qui tenet adulteram, stultus, & impius est.* Hinc neque hodiè apùd Pragmaticos certi aliquid in proposito definitur; & quamquàm in cap. 3. de Adulter. videa-

Can. 7. & 8. caus. 32. q. 1.

deatur maritus ad adulteram pœnitentem recipiendam uxorem obstrictus, ibi: *Quòd si mulier dimissa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum suum reverti, debet, sed non sæpè, recipere peccatricem*, tamèn adnotat Glossographus: *Debet debito honestatis, non necessitatis, quia etiàm post pœnitentiam posset eam accusare de adulterio.* Hinc prætereà est, quòd ex vulgari traditione hodiè permittatur viro pòst adulterium uxoris vel ad sacros ordines promoveri, vel monasticam religionem profiteri, uxore prorsùs irrequisitâ.

Can. 16. caus. 32. q. 5. De canone 16. caus. 32. quæst. 5. nihil est, quod singulari dignum observatione videatur: legitur eisdem verbis in cap. 13. libri 2.

Can. 4. caus. 32. q. 6. Canon 4. caus. 32. quæst. 6. ità conceptus est, ut significetur, adulterium non in uxore tantùm, sed & in marito, esse damnandum. In sanè Augustini temporibus ægrè ferebant mariti, qui sibi plurimùm blandiebantur, quòd civiles Romanorum leges non æquè in viros, ac in uxores adulteras animadverterent. Sed Ecclesiastici Patres in utroque sexu turpissimum adulterium esse dixerunt: Hinc Ambrosius in lib. 1. de Abraham scribebat: *Neque sibi blandiantur de legibus hominum: omne stuprum adulterium est; nec viro licet, quod mulieri non licet.* Et Hieronymus in epist. ad Oceanum: *Apùd nos, quod non licet fœminis, æquè non licet viris.* Urgebat hanc ipsam rem Augustinus in lib. 2. de Adulter. conjug. cap. 18., unde decerptus est laudatus canon 4. ità docens: *Sed cum hæc eis* (id est, maritis) *dicimus, non solùm nihil volunt detrahere severitati, sed irascuntur insuper veritati, & loquuntur, atque respondent: Sed nos viri sumus. An verò sexus nostri dignitas hanc sustinebit injuriam, ut cum aliis fœminis præter uxores nostras si quid admittimus, in luendis pœnis mulieribus comparemur? Quasi non propterea magis debeant illicitas concupiscentias virilitèr frænare, quia viri sunt: quasi non propterea magis debeant mulieribus suis ad virtutis hujus exemplum se præbere, quia viri sunt: quasi non propterea minùs debeant lascivienti carni servire, quia viri sunt. Et tamèn indignantur, si audiant, adulteros viros pendere similes adulteris fœminis pœnas, cum tanto graviùs eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere fœminas. Christianis equidèm loquor, qui fidelitèr audiunt: caput mulieris vir..... sed isti, quibus displicet, & potiùs eligunt, maximèque in hac causa mundi legibus subditi esse, quàm Christi, quoniàm jura forensia non eisdem, quibus fœminas, pudicitiæ nexibus viros videntur obstringere; legant quid Imperator Antoninus, non utiquè Christianus, de hac re constituerit, ubi maritus uxorem de adulterii crimine accusare non sinitur, cui moribus suis non præbuit castitatis exemplum, ità ut ambo damnentur, si ambos pariter impudicos conjictus ipse convicerit. Nàm supradicti Imperatoris hæc verba sunt, quæ apùd Gregorianum leguntur* (est hic codex Gregorianus, qui hodiè non extat; cujusque vix supersunt fragmenta quædam, inter quæ hæc Antonini Constitutio totidèm verbis exarata conspicitur; cujus etiàm pars refertur ab Ulpiano in lib. 15. de adulteriis §. 3.) *Sanè, inquit, meæ literæ nullâ parte causæ præjudicabunt, neque enim, si penès te culpa fuit, ut matrimonium solveretur, & secundum legem Juliam Eupasia uxor tua nuberet, propter hoc rescriptum meum adulterii damnata erit, nisi constet esse commissum. Habebunt autèm ante oculos hoc inquirere, an cum tu pudicè viveres, illi quoquè bonos mores colendi auctor fuisti. Periniquum enim mihi videtur esse, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibet; quæ res potest & virum damnare, non ob compensationem mutui criminis rem inter utrumque componere, vel causam facti tollere.* Hæc integra ideò censui describenda, ut liqueat, non omninò Sanctorum Patrum sententias Romanis legibus adversari, quemadmodùm nonnulli scripserunt, imò potiùs cum eisdem legibus definitiones Ecclesiasticas consonare: itèm, ut liqueat,

quâ

quâ ratione interpretanda sit illa regula, quæ passim in hac materia traditur, videlicèt : paria delicta mutuâ compensatione deleri, cap. 6. de adulteriis.

Pòst Romanam Correctionem, nihil adjiciendum superest canoni 2. caus. 32. quæst. 7. Habetur iste in lib. 2. de adulter. conjugiis cap. 4. & 5.

Can. 2. caus. 32. q. 7.

Valdè obscura esse videntur priora verba canonis 10. caus. 32. quæst. 7., nisi integra Augustini sententia explicetur, qualis habetur in lib. 1. de adulter. conjug. cap. 9. ibi: *Cur ergò, inquis, interposuit Dominus causam fornicationis, & non potiùs generaliter ait: quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur, si & ille mœchus est, qui, dimissâ fornicante muliere, alteram ducit? Credo, quia illud, quod majus est, hoc Dominus commemorare voluit. Majus enim adulterium esse quis negat, uxore non fornicante dimissâ, alteram ducere, quàm si fornicantem quisque dimiserit, & tunc alteram duxerit. Non quia & hoc adulterium non est, sed quia minus est, ubi, fornicante dimissâ, altera ducitur. Nàm simili locutione usus etiam Apostolus Jacobus ait:* (cap. 4. vers. 8.) *Scienti igitur bonum facere, & non facienti peccatum est illi. Numquid ideò non peccatum est illi etiàm, qui nescit bonum facere, & ideò non facit? Utiquè peccatum est, sed hoc gravius, si etiàm sciat, & non faciat; nec illud video nullum, quia minus, ut ergò eodem modo utrumque dicamus; sicut quicumque dimiserit uxorem, exceptâ causâ fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur, ità quicumque scit bonum facere, & non facit, peccat. Sed quemadmodùm hic rectè dici non potest &c.* Hinc Gratianus verba sui canonis exorditur. Video, hoc in loco Augustinum totum fuisse in eo, ut demonstraret, propter adulterium uxoris matrimonii vinculum non posse dissolvi, quemadmodùm definitum recentioribus sæculis fuit in Concilio Tridentino can. 7. ses. 24. de ref. matr. Sanè olim controversia fuit acerrima, in qua Ecclesiastici Patres præsertim Latini adversùs Græcos pugnabant, difficultatem potissimam facientibus illis Christi Domini verbis, Matthæi cap. 5. *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari; & qui dimissam ducit, adulterat.* His Augustinus ingeniosam adfinxit interpretationem, ajendo, Christum Dominum fuisse potissimùm sollicitum de majore, & graviore damnando scelere, quin de minore seu leviore ullam faceret mentionem. An verò Augustinus idem putaverit, se dubitationem omnem exindè amovisse, non censeo; nam ad illam interpretationem respiciens in lib. 2. Retractat. cap. 57. ait: *Cupiens solvere difficillimam quæstionem, quod utrùm enodatissimè fecerim nescio, imò verò non me pervenisse ad hujus rei perfectionem sentio*: undè liquet, sanctum Virùm pleniorem adhùc, & clariorem interpretationem desideravisse.

Can. 10. caus. 32. q. 7.

Nihil est, quod in præsentia adjiciam ad canonem 11. caus. 32. q. 7., quandò de eo sermonem superiùs habui ad librum Augustini de bono conjugali; ibidèm enim legitur, licèt apùd Gratianum laudetur tanquàm depromptus ex libro de adulterinis conjugiis.

Can. 11. caus. 32. q. 7.

Canon 1. caus. 32. quæst. 8. optimè consonat cum editione operum S. Augustini, à Maurinis adornata, scilicèt cum cap. 24. lib. 1. de adulterinis conjugiis, quamvis Correctores Romani adnotaverint, non nihil varietatis se agnovisse in vulgatis suorum temporum editionibus. Ego nihil immutandum censeo, cum apùd Gratianum optima sit Augustinianæ sententiæ expressio, dum definitur, ne ad bonum quidèm finem uxori ductæ posse alteram superinduci; quemadmodùm nec ad bonum finem votum continentiæ semèl elicitum viole non potest.

Can. 1. caus. 32. q. 8.

Argumentum Augustini in can. 9. caus. 33. quæst. 2. non satis perspicuè adparet, nisi & ea, quæ apùd Augustinum leguntur ante verba canonis, describantur. Ità legitur in cap. 5. lib. 2. de

Can. 9. caus. 33. q. 4.

de adulter. conjug. *Postremò quæro abs te, utrùm marito Christiano liceat vel secundum veterem Dei legem, vel Romanis legibus adulteram occidere? Si licet, melius est, ut ab utroque se temperet, id est, & à licito, illâ peccante, supplicio, & ab illicito, illa vivente, conjugio. Quòd si alterutrum eligere perseverat, satius est ei facere, quod licet, ut adultera puniatur, quàm id, quod non licet, ut, ipsâ viva, ille mœchetur. Si autèm, quod verius dicitur &c.* Quæ sequuntur, integra apùd Gratianum exhibentur.

Can. 12. caus. 33. q. 4. Canon 12. caus. 33. quæst. 4. legitur in lib. 1. cap. 12. aliis quidèm verbis descriptus, sed eadem omninò retentâ sententiâ, ibi: *Et ubi est, quod idem Apostolus nec ad tempus, ut vacetur orationi, nisi ex consensu, voluit conjuges carnali fraudere invicèm debito? Hoc quomodò verum erit, nisi quia, nolente conjuge, non licet conjugi continere?*

De libro de Conflictu vitiorum, & virtutum.

Liber, qui inscribitur de conflictu vitiorum & virtutum, rejectus apùd Maurinos fuit in appendicem tomi 6. operum Augustini, monentes, illum quatuor Ecclesiasticis Patribus fuisse tributum, nimirùm Augustino, Leoni Magno in editione Parisiensi anni 1511. Ambrosio in editione Romana anni 1585., & deniquè Isidoro Hispalensi in editione Madriti anni 1599. & alterâ editione Parisiensi anni 1601. Addunt Maurini Monachi, se existimare, nemini ex laudatis Patribus posse opus adscribi; præsertim verò nec Augustini, nec Ambrosii, nec Leonis esse potest, cum in eo fiat mentio regulæ S. Benedicti, memoratis Patribus recentioris. Conjiciunt autèm potiùs adscribendum esse cuidam Ambrosio Autperto, Monasterii S. Vincentii ad Vulturnum in Benevento Abbati. Sanè scriptor ejus vitæ, quæ extat in sæculo 3. Benedictino, parte 2. ad annum 778., ab eodem conscriptum fuisse librum *De conflictu vitiorum* testatur. Prætereà liber ille, Augustino, aliisque Patribus adscriptus, maximam habet styli ac sententiarum similitudinem cum commentariis ejusdem Ambrosii Autperti in Apocalypsim: ac deniquè ex illius opusculi lectione facilè constat, non alium indicari auctorem posse, quàm eum, qui monasticam vitam diù professus fuerit; etenim, ut plura alia omittam, ità legitur in cap. 16. *Si igitùr sæcularibus viris ità est perniciosa cupiditatis industria, quanto magis periculosior illis, qui habitu, & conversatione jam sæculares esse desierunt, qui totum, quod vivunt, animo devoverunt*, & in cap. 18. *Si cuncta, quæ tibi Prælatus servanda committit, illibata consignas, & ne modicum quid reservandum existimas.* Et in postremo capite: *Tu igitur.... juxtà regulam Patrum vivere semper stude, maximè autèm sancti Confessoris Benedicti. Non declines ab ea quoquàm, nec illi addas quidquam, nec minuas. Totum enim, quod sufficit, habet; & nunquàm minus habet, cujus verba, atque imperia sectatores suos ducit ad cœli palatia.*

Ex hujus libri cap. 19. depromptus est canon 13. caus. 22. quæst. 2. his verbis describendus: *Nec artificioso ingenio, nec simplici verbo oportet decipere quemquam, quia, quolibet modo mentiatur, os, quod mentitur, occidit animam.* Can. 13. caus. 22. q. 2.

Canon 20. caus. 27. quæst. 1. legitur in cap. 24., ubi opponuntur præcepta luxuriæ præceptis continentiæ, inducturque luxuria matrimonium suadens, quòd Deus ipse initio marem & fœminam junxerit; pòst quæ inducitur castitas ità loquens: *Quod in exordio generis humani ad hoc masculum, & fœminam Deum creasse profiteris, ut mutuis se amplexibus miscere deberent, omninò verissimè dicis: Sed quia nubendi licentia quibusdam tribuitur &c.* Sequuntur heic verba Gratiani. Can. 20. caus. 27. q. 1.

De

De libro de Fide pactionis, & consensus.

Jam diù compertum est eruditis uni-
Can. 51. caus. 27. q. 2. versis, canonem 51. caus. 27. quæst. 2. falsò fuisse adscriptum Augustino, sive quòd nullus extet inter sancti Antistitis opera liber inscriptus de fide pactionis, & consensus; sive quòd nullibi apùd Augustinum illius canonis verba legantur. Ego puto, Palearum auctorem voluisse aliis verbis exhibere, quæ apùd Augustinum habentur in lib. 9. de Genesi ad literam cap. 7., ubi ostensurus sanctus Antistes, triplex esse nuptiarum bonum, ità scribit: *Hoc autèm* (bonum) *tripertitum est, fides, proles, Sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale cum altera, vel altero concumbatur. In prole, ut amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In Sacramento autèm, ut conjugium non separetur, & dimissus & dimissa, nec causâ prolis, alteri conjungatur.* His verbis abusus videtur Palearum auctor adeò, ut non solùm aliam sententiam elucubraverit, sed & sententiam alitèr elucubratam obscurissimis verbis involverit. Quis enim, amabo, distinguere commodè possit inter pactionem, & consensum, cum non possit esse sine pactione consensus, neque consensus in proposito sine pactione? Itèm non video, quomodò, distinctâ fide pactionis à fide consensus, ità fidem pactionis Palearum auctor intelligat: *Est autèm fides pactionis, quandò aliquis promittit fidem alicui, quod eam ducet, si permiserit ei rem secum habere, vel etiàm pro consensu.* Ego rem istam Glossographis explicandam reliquo, qui in emblemata explicanda operam, quantam potuerunt, maximam contulerunt. Mea parum interest in Collectoris studia incumbere, quandò certò scio, nihil tale apùd Augustinum reperiri. Quid vero? Tanta aliquando fuit auctoritas Gratianei operis, ut recentiores Collectores ista in codices suos traduxerint, quemadmodùm liquet ex cap. 1. de sponsa duorum apùd Gregorium IX., ubi & verba Gratianei canonis, & quæ Gratianeo canoni subjiciuntur, uno contextu, & quasi Augustini singula essent, exhibita fuerunt. Raimundus Pennafortensis ea deprompserat non ex Gratiani codice, sed ex auctore Collectionis 1. Decretalium, non quòd ità crederet apùd Augustinum haberi, sed quòd iis distinctionibus Scholastici adjuvare possent doctrinam suam, qualis sæculo 13. edebatur.

De libro de Patientia.

Divisa sunt eruditorum studia in fe- Can. 49. de pœn. dist. 3.
renda sententia de libro de Patientia, qui inter opera Augustini recensetur. Qui illum Augustino adjudicant, perpetuam exhibent, constantemque codicum omnium fidem, à qua, nisi gravissima urgeant in contrarium argumenta, non est temerè recedendum. Qui è contrario eumdem Augustini opus esse inficiantur, ajunt in primis, de eo libro mentionem non fieri in libris Retractationum, in quibus ceteroqui Augustinus opera sua memoravisse universa, atque agnovisse visus est. Deindè animadvertunt, plures ibidèm legi sententias, quæ Augustino tribui minimè possunt. Duo hæc argumenta à priorum sententia me non dimovent; etenim nonnulla adhùc Augustini esse scimus, quorum tamèn in suis Retractationum libris nullam fecit mentionem, quemadmodum sunt sermones ad populum, sive homiliæ: fortè quia in istis aliqua addere moliretur, emendare nonnulla, alia etiàm planiore methodo explanare, quod morte præocupatus exequi non potuit. Librum autèm de Patientia instar homiliæ editum esse facilè percipitur ab eo, qui oculos in libellum conjiciat; neque novum est singulari titulo quasdam Augustini homilias donatas fuisse; Hinc in sermone 350. & 351. apùd Maurinos extant inscriptiones *de utilita-*

te

te agenda pœnitentia, & *de pœnitentiæ medicina*. Non ergò mirum erit, homiliam de patientia inscriptam in Retractationum libris non memorari. Quod verò dicitur, aliqua ibidèm legi, quæ Augustino non conveniunt, adhùc opto, ut demonstretur. Vulgò in medium proferunt sententiam illam capitis 26., quæ habetur integra apùd Gratianum in can. 49. de pœn. dist. 3. (dummodò demas vocem illam *sitim*, quæ abest in optimis exemplaribus, & loco vocis illius, *Gehennæ*, hanc substituas *Gehennarum*.) Ajunt, ibi definiri, Schismaticos illos, qui aliqua, dum vivunt, patiùntur, & cum singulari animi moderatione tolerant, mitiùs esse pòst hanc vitam puniendos, licèt in Ecclesiæ unitate non moriantur; quod sanè dictum Augustino putant non convenire. Ego non video, quomodò ab Augustini sententia hæc dissonent, quandò Augustinus aliis in locis id ipsum docuisse demonstratur. Nimirùm in lib. 4. contrà Julianum cap. 3. de Fabricio Infideli ità scripsit: *Minùs enim Fabricius, quàm Catilina punietur, non quia iste bonus, sed quia ille magis malus; & minùs impius, quàm Catilina, Fabricius, non veras virtutes habendo, sed à veris virtutibus non plurimùm deviando.* Itèm in lib. de Spiritu & litera cap. 27. *Si autèm hi, qui naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, nondùm sunt habendi in numero eorum, quos Christi justificat gratia, sed in eorum potiùs, quorum etiàm impiorum nec Deum verum veraciter justèque colentium, quædam tamèn facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ regulam non solùm vituperare non possumus, verùm etiàm merito, rectèque laudamus; quamquàm, si discutiatur, quo fine fiant, vix inveniantur, quæ justitiæ debitam laudem, defensionemve mereantur.* Hæc sanè sufficere possunt, ut liber ille Augustino temerè adjudicatus & sine causa ab aliquibus esse dicatur; præsertim quòd ejusdem operis auctorem se professus fuisse videatur Augustinus idem in epist. 231. ad Damasum.

De libro de Pœnitentiæ medicina.

Laudaveram nupèr libellum Augustini de Pœnitentiæ medicina; unà etiàm adnotaveram, non alium illum esse, quàm homiliam ad populum habitam. In recentibus Maurinorum codicibus refertur inter sermones num. 351., quandò olim referebatur in hom. 50. inter quinquaginta. Hinc depromptus est canon 96. de cons. dist. 4., cujus eadem ferè verba Gratianus retulerat in can. 81. vers. *omnis* de pœn. dist. 4., quemadmodùm superiùs fuit animadvertendum. Hinc prætereà depromptus est canon 75. caus. 11. quæst. 3., qui conjungendus est cum can. 18. caus. 2. quæst. 1., siquidèm Augustinus ità ajebat: *Multi corriguntur, ut Petrus, multi tolerantur, ut Judas, multi nesciuntur, donec veniat Dominus, qui illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis. Nàm plerique propterea nolunt alios accusare, dum se per illos cupiunt excusare. Plerique autèm boni Christiani propterea tacent, & sufferunt aliorum peccata, quæ noverunt, quia documentis sæpè deseruntur, & ea, quæ ipsi sciunt, Judicibus Ecclesiasticis probare non possunt; quamvis enim vera sint quædam, non tamèn judici facilè credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. Nos verò quemquam à communione &c.* Quæ sequuntur, habentur in laudato canone 18., de quo superiùs actum est.

Can. 96. de cons. dist. 4.

Can. 75. caus. 11. q. 3.

De libro de vera, & falsa Pœnitentia.

Librum, inscriptum de vera, & falsa pœnitentia, Augustino tribuerunt Gratianus, & Petrus Lombardus; quos secuti fuerunt Petrus Blesensis, Vincentius Belluacensis, & alii. Contrà Trithemius, quem hodiè eruditi propemodùm universi sequuntur, opus illud in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis ab

Augustino abjudicavit: nec injuriâ; etenim, ut intereà silentio præteream, quæ inferiùs prodenda erunt argumenta ad explicationem monumentorum Gratianeorum, squallida est styli barbaries, in qua Augustinum agnoscere non possumus. Quis dicat, Augustini stylum exhibere verba illa in cap. 3. *Naaman per aquam perdidit lepram*, in cap. 4. *Petrus Dominum negavit, & à se amicos Christi excommunicavit*, in cap. 4. 6. & 7. *pœnam promittere*, & *ad Deum anxiari*, & *meliori, quàm potest, confiteatur*, & alia benè multa, quæ Maurini Monachi observaverunt ex Bernardi Vindingi censurâ? Rem hanc in manifesto collocat, quod legitur in cap. 17., ubi Augustinus idem laudatur ibi: *Quod quoniàm vix licet, de ejus salute Augustinus potuit dubitare*; quemadmodùm legitur in can. 6. de pœn. dist. 7.

Ex cap. 18. hujus libri depromptus est canon 5. dist. 25., cujus verba à Gratiano iterùm referuntur in can. 6. de pœn. dist. 7. Quoniàm verò verba Gratiani cum integris codicibus minimè consonant, juvabit heic illa describere, prout in integris exemplaribus leguntur, ibi: *Periculosissimum est, & interitui vicinum, ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium*; deindè pòst aliqua: *Sed, etiamsi conversus vitâ vivat, & non moriatur, non tamèn promittimus, quod evadet omnem pœnam; nàm priùs purgandus est igne purgationis, qui in aliud sæculum distulit fructum conversionis. Hic autèm ignis etsi æternus non fuerit, miro tamèn modo est gravis; excellit enim omnem pœnam, quam unquàm passus est aliquis in hac vita.* Verba illa, quæ occurunt apùd Gratianum *nec pati potest*, in eo libro desiderantur. Quamquàm verò hæc Augustini reverà non sint, alibi tamèn adparet, sancti Augustini sententias de Purgatorii pœnis esse conformes; nimirùm in enarratione in Psalmum 37. ita legitur: *Neque in ira tua emendes me, ut in hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus sit propter illos, qui salvi erunt, sic tamen quasi per ignem. Quare, nisi quia hic ædificant supra fundamentum ligna, fœnum, stipulam? Si ædificarent autèm aurum, argentum, lapides prætiosos, & de utroque igne securi essent, non solùm de illo æterno, qui in æternum cruciaturus est impios, sed etiàm de illo, qui emendabit eos, qui per ignem salvi erunt. Dicitur enim: ipse autèm salvus erit, sic tamèn, quasi per ignem. Et quia dicitur, salvus erit, contemnitur ille ignis. Ità planè, quamvis salvi per ignem, gravior tamèn erit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita.* Hæc integra referenda censui, ut constaret, auctorem libri de vera & falsa pœnitentia imitari voluisse Augustini sententias; deinde etiàm liqueret, non esse recentioribus hæreticis lætandum, quandò ideò apocryphos certos libros rejecerunt, quia in illis hæresim suam confectam agnoverint; etenim quæ ad fidem Catholicam confirmandam in apocryphis etiàm libris leguntur, passim ostenduntur ex germanis Patrum doctrinis derivata fuisse.

Can. 5. dist. 25.

Canon 88. de pœn. dist. 1. legitur in hoc ipso libro de vera, & falsa pœnitentia cap. 10. & 11.; atque ibidèm, quemadmodùm adnotaverunt Romani Correctores, pro voce illa *vitale* legendum est *veniale*. Ex eodem libro, imò & ex eodem capite 11., ac 12. depromptus est canon 1. de pœn. dist. 6., excepto versiculo *Sacerdos*, qui legitur in cap. 20. ibi: *Sacerdos itaquè omnis, cui profertur peccator &c.* Quod ibidèm traditur, Clericos nec abjici, nec restitui posse sine Romani Antistitis sententia, recentiorem sanè indicat disciplinam, undè alia capitur conjectura, quâ concludatur, libellum falsò Augustino esse tributum. Singularia quædam etiàm in istis canonibus traduntur de confessione peccatorum laico facienda, ubi Sacerdotis copia non suppetat, quod an aliquando viguerit, mihi admodùm incertum videtur. Etenim, si fortè recen-

Can. 88. de pœn. dist. 1.

Can. 1. de pœn. dist. 6.

centiores Scriptores aliquid in hac re tradere debuerunt, occasionem ipsis præbuerunt hæc monumenta, quæ Augustini esse putarunt : neutiquàm verò quid suis temporibus usu receptum esset, testari voluerunt.

Can. 4. 5. 32. & 42. de pœn. dist. 3. In cap. 8. ejusdem libri leguntur priora verba canonis 4. de pœn. dist. 3., quemadmodùm posteriora, quæ habentur in vers. *Continuè*, leguntur in cap. 19. Quæ postremo loco Gratianus descripsit, ità sunt emendanda: *Ille igitur pœnam tenet, qui sempèr vindicat, quod ipse dolet.* De canone 5. eadem dist. 3. nihil est singulare, quod adnotemus : integer habetur in cap. 13. Integer etiàm legitur in cap. 5. canon 32. eadem dist. 3., exceptis sequentibus verbis, nimirùm ubi Gratianus scripsit: *Alio tempore illuminet cæcum... ne desperet de se peccator....ut quisque timeat mergi peccato....memor est sui, qui dicit....etiàm sedentem in tenebris &c.*, in optimis exemplaribus ità habetur: *Alio tempore illuminavit cæcum...ne desperaret de se peccator....ut timeat quisque jungi peccato....memor est sui, qui promisit.... etiàm sedentes in tenebris &c.* Canon 42. eadem dist. 3. exhibetur in cap. 9., ubi sanè notanda est subfrigida illa sententia, & quæ Augustinum minimè decet in vers. *totum enim hominem*; quid enim, ut demonstretur non posse unum peccatum sine altero in homine deleri, interest an in Sabbato, an alio die Deus hominem curaverit?

Can. 45. de pœn. dist. 3. & can. 1. de pœn. dist. 5. Jungendi simùl sunt canon 45. de pœn. dist. 3. & canon 1. de pœn. dist. 5. Siquidèm, quæ in canone 45. describuntur ex cap. 14., meliùs exhibentur in vers. *timeat ergò* laudati canonis 1. Deindè in eodem canone 1. nonnulla sunt emendanda ; etenim ubi Gratianus legit : *Et quanta virtus fuerit in pugnatione...quod se virtute privavit. Nam licet.... vel intentione deteriorantur....certus de venia, quia de omnibus modis....priùs respexit ad Abel....impetret veniam*; in optimis exemplaribus legitur : *Et quantâ victus fuerit impugnatione....quod se virtute privavit, quâ interim caruit. Nam licet....vel intensione deteriorantur....certus de venia, qui de omnibus modis...priùs dicit ad Abel...impetret vitam.*

Deniquè canon 6. de pœn. dist. 7. integer legitur in cap. 17., ubi multa habentur, quæ Augustinum indicant auctorem libri minimè fuisse, quemadmodùm jam superiùs observabam. Can. 6. de pœn. dist. 7.

De libro de Vita communi Clericorum.

Testantur Romani Correctores ad calcem canonis 4. dist. 86., inter opuscula Augustini, Parmæ impressa anno 1481. esse tres sermones de communi vita Clericorum, ex quibus duo in vulgatis codicibus tomo 10. operum Augustini referuntur num. 52. & 53. ad Fratres in Eremo : tertius autèm nefertur inter epistolas num. 109. & est epistola ad Seleucianam scripta. In editione Maurinorum priores duo habentur in tomo 5. serm. 355. & 356., tertius habetur inter epistolas tom. 2. Multùm sanè distant priores à postremo ; etenim in prioribus vita Clericorum instituitur, in postremo non de Clericis, sed de Monialibus instituendis agitur; quamobrèm mirum est, quòd Gratianus, quæ ex postremo opusculo exhauriebat, ità descripserit, quasi deprompta ex libris de vita communi Clericorum. Fateor quidèm, alium libellum Augustino tribui, cui titulus est *Regula ad Servos Dei.* Sed hodiè compertum fuit eruditis, opusculum istud non esse Augustini, sed incerti cujusdam auctoris, qui, quod Augustinus tradiderat in laudata epistola ad Seleucianam de Sanctimonialibus, simili propemodùm stylo, traductisque sententiis, viris in commune viventibus voluit accommodare. Itaquè ubi de duobus primis sermonibus agatur, ibidèm Clerici instituuntur, qui, cum olim segregati diù vixissent, Augustini temporibus

cœperunt vitam communem inire, ut eâ vitæ ratione sibi æquè, & Ecclesiasticæ utilitati satiùs consulerent, atque prospicerent, quod potissimum in Cathedralibus Ecclesiis in usu erat. Cum enim primis Ecclesiæ sæculis oblationes quæcumque, sive majoribus, sive minoribus administris fierent, redigerentur omnes ad Episcoporum curam, quorum solertiâ, sive per se, sive per Æconomos, seu Diaconos distribuerentur in singulos, incommoda admodùm erat partarum Ecclesiæ rerum per singulos administros facienda distributio; quamobrèm salubrius visum est, Clericos de oblationibus, ceterisque Ecclesiæ in dies excrescentibus redditibus, in in commune participare, undè etiàm fieret, ut minor esset penès eosdem Clericos rerum temporalium sollicitudo. In his rerum adjunctis consistere cœperat Augustini ætate disciplina Clericorum, quos propterèa in commune viventes instituere libellis editis voluit sanctus Antistes.

Can. 4. dist. 86. Canon 4. dist. 86. apùd Gratianum describitur quasi depromptus ex libro de vita Clericorum. Verùm referendus potiùs est ad epistolam memoratam Augustini ad Seleucianam, ubi de Sanctimonialibus opportunè, & moderatè corripiendis ità scribitur : *Quando autèm necessitas disciplinæ minoribus coercendis dicere vos verba dura compellit, si etiàm in ipsis modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, ut ab eis veniam postuletis, ne apud eas, quas oportet esse subjectas, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed tamèn petenda est venia ab omnium Domino, qui novit etiàm eas, quas plus justo fortè corripitis, quantâ benevolentiâ diligatis.* Hæc verba, de Sanctimonialibus concepta, ad Clericos Gratianus mirâ quadam verborum transformatione traduxit.

Can. 1. caus. 1. q. 5. Eadem verborum transformatio adparet in can. 1. caus. 5. quæst. 5. ex epistola ad Seleucianam simili modo deprompto. Ibi traditur, Sanctimoniales non debere omninò dissimulare sororum vitia, quod ad delinquentium perditionem tenderet, sed potiùs debere superiori prodere ad delinquentium salutem, his verbis : *Nec vos judicetis esse malevolas, quandò hoc* (id est, vitium alterius) *indicatis. Magis quippè innocentes non estis, si sorores vestras, quas indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim soror tua vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, dum timeret secari, nonne crudeliter à te sileretur, & misericorditer indicaretur? Quanto ergò potiùs eam debes manifestare, ne perniciosiùs putrescat in corde?*

Can. 10. caus. 12. q. 1. Canon 10. caus. 12. quæst. 1. depromptus est partim ex laudato sermone 355. usquè ad vers. *qui habere*. Hic autèm versiculus legitur in serm. 356., quæ demùm leguntur in vers. *Qui non vult*, iterùm referenda sunt ad sermonem 355. his verbis, quibus Gratianus erit emendandus : *Si paratus est pasci à Deo per Ecclesiam ipsius, non habere aliquid proprium, sed aut erogare pauperibus, aut in commune mittere, maneat mecum. Qui hoc non vult, habeat libertatem, sed videat, utrùm habere possit felicitatis æternitatem.*

Can. 11. caus. 12. q. 1. Iterùm ad epistolam ad Seleucianam pertinet canon 11. caus. 12. quæst. 1., ubi de Sanctimonialibus sermone instituto, ità legendum est : *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia vestra communia.* Et pòst plura : *Quæcumque in tantum progressa fuerit malum, ut occultè ab aliquo literas, vel quodlibet munus accipiat, si hoc ultrò confitetur, parcatur illi, & oretur pro ea. Si autèm deprehenditur, atque convincitur, secundum arbitrium Præpositæ, vel Presbyteri, vel etiàm Episcopi, graviùs emendetur.* Quæ apùd Gratianum sequuntur in vers. *Cum hujus*, apùd Augustinum minimè leguntur, sed potiùs nonnulla similia exhibentur in *Regula ad Servos Dei*, quam modò adnotabam perperàm Augustino fuisse tributam. Inter cetera ibidèm hæc habentur. *Consequens ergò est, ut etiàm*

qui

qui suis filiis, aut aliquâ necessitudine ad se pertinentibus, in monasterio constitutis, aliquam contulerit vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, ut in rem communem redactum, cui necessarium fuerit, præbeatur.

Ad canonem 18. caus. 12. quæst. 1. nihil est, quod singulari opus habeat adnotatione. Integer ille extat in sermone 355.

Can. 18. caus. 12. q. 1.

Can. 8. caus. 13. q. 2. & can. 43. caus. 17. q. 4.

In eodem sermone 355. legitur canon 8. caus. 13. quæst. 2., ubi priora verba ità erant edenda : *Si quis irascitur in filium suum &c.* Ibidèm laudanda occurrit Augustini moderatio, dum repudiandas voluit Parentum oblationes, quas non religiosa charitas, sed potiùs odium in liberos in Ecclesiarum gratiam extorserat; quâ in virtute adeò Augustinus excelluit, ut à nonnullis plus æquo de adquirendo rerum dominio sollicitis reprehenderetur, ut idem refert pòst verba canonis 8. ità prosecutus : *Quia ergò feci hoc in quibusdam rebus, jam volunt bonitatem meam, vel commendationem famæ meæ in aliud vertere, ut alio modo me reprehendant, quia oblationes devotorum hominum nolo suscipere. Considerent, quàm multa susceperim. Quid opus est ea numerare? Ecce unum dico, Filii, Juliani hereditatem suscepi. Quare? Quia sine filiis defunctus est : Bonifacii hereditatem suscipere nolui, non misericordiâ, sed timore. Navicularium nolui esse Ecclesiam Christi.* Pòst hæc Augustini verba statim sequuntur ea, quæ edidit Gratianus in can. 43. caus. 17. quæst. 4., ubi aliud insigne moderationis exemplum profertur. Animadvertunt Maurini, pro postremis illis verbis, *non jure poli*, legendum esse *non jure Cœli*, juxtà optimos MSS. veteres codices.

Can. 12. caus. 32. q. 5.

Ad laudatam epistolam ad Seleuciam referendus est canon 12. caus. 32. quæst. 5., ubi Augustinus docebat, non re tantùm, sed intimâ cordis adfectione continentiam à Sanctimonialibus esse servandam.

De Regula Monachorum.

Verba canonis 7. dist. 42. apùd Collectores canonum primùm adparent in lib. Reginonis de Ecclesiasticis Disciplinis cap. 54.; ubi cum nonnulla sub nomine Augustini tradita fuissent, ità statim sequitur : Itèm alibi : *In oratorio prater orandi, & psallendi Dei cultum penitùs nihil agatur, ut nomini huic & opera jugiter impensa concordent.* Hinc Baluzius in notis ad Gratianum putavit, & Burchardum, & Ivonem, quibus Collectio Reginonis tanquàm exemplar haberi potuit, eadem verba Augustino tribuisse, ac tandèm adtribuisse Gratianum, qui aut Burchardum, aut Ivonem sequebatur. Addit Baluzius, se eadem verba invenisse in regula Tarnatensis Monasterii cap. 15. Ego nonnulla similia invenio apùd Augustinum in epist. 109., cujus hæc est inscriptio: *Objurgatio contrà Sanctimonialium dissensionem* : Additur in nonnullis codicibus: *Et pòst increpationem earum regularis informatio.* Possidius in Indiculo ità nominat : *Sanctimonialibus objurgatio, & regula.* Ceterùm verba Augustini alia sunt à verbis Gratiani, ibi : *Orationibus instate horis & temporibus constitutis : In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod est factum, & undè nomen accepit, ut si aliquæ, etiàm prater horas constitutas, si eis vacat, orare voluerint, non eis sit impedimento, quæ ibi aliquid agere voluerint.* Occasio hanc epistolam scribendi hæc fuit Augustino : Nimrùm quædam Sanctimoniales in electione præpositæ jurgiis Monasterium impleverant, diris inter se contentionibus discissæ. Decebat sanctum Antistitem, contendentes fæminas ad concordiam reducere, quod epistolâ missâ peragendum voluit, unà certas institutiones tradens, ad quas vitam suam universam componerent. Hinc autèm liquet, non benè usum fuisse Gratianum Augustini monumento, quod, cum pertineat ad Sanctimoniales,

Can. 7. dist. 42.

les, & privatum, quod in claustro positum erat, oratorium illarum traduxit ad Ecclesias publicas Clericorum.

De libro de agenda cura pro Mortuis.

Ad Paulinum Nolanum Episcopum scriptus fuit Augustini liber, de agenda cura pro mortuis, cujus causam ipsemet sanctus Antistes indicavit in lib. 2. Retract. cap. 64. ibi : *Librum de cura pro mortuis gerenda scripsi, cum interrogatus literis fuissem, utrum prosit cuique pòst mortem, quòd corpus ejus apùd Sancti alicujus memoriam sepeliatur?* Jam enim veteres Ethnici peculiarem sepulturæ sollicitudinem habuerant, putantes dolere quàm maximè defunctorum Manes, quousquè eorumdem corpora tumulo condita non fuissent, quemadmodùm liquet ex Poætis, præsertim ex Virgilio in lib. 6. Æneidos. Christiani viri, quod apùd Ethnicos superstitiosum erat, in piam religionem convertentes æquissimâ ratione, censuerunt, animabus Defunctorum grande solatium posse exhiberi, si corpora, quibus exutæ fuerant, ad Martyrum monumenta sepelirentur. Paulinus de hac re Augustinum consuluit, qui in hoc libro respondens, scripsit quidèm sepulturam per se nihil prodesse Defunctis : prodesse tamèn, occasione datâ; quia, cum Christiani viventes memorias Sanctorum Martyrum frequentarent, ex sepulturis ad Cadavera Martyrum factis excitabantur quodammodò, ut pro defunctis ibidèm quiescentibus orarent Deum; ac demùm tradidit, quomodò Sancti res humanas agnoscere possint, atque etiàm viventibus opitulari. Hinc facilè colligitur, quænam fuerit Augustini sententia in can. 19. caus. 13. quæst. 2. ex cap. ult. ejusdem libri deprompto, ubi sanctus Antistes docuit, quantùm allucinentur ii, qui, dum vivunt, nimiùm sibi indulgent, sperantes futurum, ut dum obierint, à fidelibus, quibus sua ultimâ voluntate bona relinquunt, adjuventur. Quamquàm enim fidelium orationes pro defunctis plurimùm prosint, intereà tamèn objurgandi erant, qui nihil sibi consulerent, dum viverent, totam spem suam in superstitum memoria collocantes. Hinc prætereà colligitur, quænam fuerit Augustini sententia in can. 29. eadem causâ, & quæstione, ubi traditur, nihil cognosci posse à defunctis ex iis, quæ in hac mortali vita geruntur, nisi speciali quadam Dei voluntate. Verba Augustini non integra exhibentur apùd Gratianum; siquidèm in cap. 15. ejusdem libri, undè canon excerptus est, ità legitur : *Fatendum est, nescire quidèm mortuos, quid agatur, sed dum hic agitur, posteà verò audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt, non quidèm omnia, sed quæ sinuntur indicare, qui sinuntur etiàm ista meminisse, & quæ illos, quibus hæc indicant, oportet audire. Possunt & ab Angelis, qui rebus, quæ aguntur hic, præsto sunt, audire aliquid mortui, quod unumquemque illorum audire debere judicat, cui cuncta subjecta sunt..... Possunt etiàm spiritus mortuorum aliqua, quæ hic aguntur, quæ necessarium est eos nosse, non solùm præterita, vel præsentia, verùm etiam futura, Spiritu Dei revelante, cognoscere, sicut non omnes homines, sed Prophetæ, dum hic viverent, cognoscebant, nec ipsi omnia, sed quæ illis esse revelanda Dei providentia judicabat. Mitti quoquè ad vivos aliquos ex mortuis, sicut è contrario Paulus è vivis in Paradisum raptus est, divina Scriptura testatur; nàm Samuel Propheta defunctus vivo Sauli etiàm Regi futura prædixit..... Quid de Moyse dicturi sumus, qui certè & in Deuteronomio mortuus, & in Evangelio cum Elia, qui mortuus non est, legitur apparuisse viventibus? &c.*

Can. 19. & 29. caus. 13. q. 2.

De libro de Natura, & Divinatione Dæmonum.

Librum de natura, ac divinatione Dæ-

Can. 1. 2. & 3. caus. 26. q. 3.

Dæmonum commemoravit Augustinus in lib. 1. Retractat. cap. 30. ibi : *Per idem tempus accidit mihi ex quadam disputatione necessitas, ut de divinatione Dæmonum libellum scriberem, cujus titulus iste ipse est.* Scribendi occasio hæc fuit. Quidam ex Ethnicis, ut Christianos ad superstitiones trahent, ità Dæmonum cultum prædicaverant, ut illis veri Dei honores, & insignia deberi jactarent, in eo præsertim, quòd fama esset, Dæmones divinare futura, atque ipsa intima hominum secreta aperire. De hoc interrogatus à nonnullis Christi fidelibus Augustinus, rescripserat, si ea vera essent prodigia, ad veri potiùs Dei permittentem voluntatem, quàm ad Dæmonum potestatem, referri oportere. Verùm heic non constitit Christianorum, Ethnicorumque contentio. Cum enim urgerent Ethnici, non videri decorum, tam excelsa miracula, quæ Deo reservari congruit, Dæmonibus Deo invisis perpetranda remitti, Catholici iterùm Augustinum consuluerunt, ut ab ipso, quid sibi respondendum esset, acciperent. En causam, quare Augustinus ad eam rem librum de divinatione Dæmonum adornavit. Multa in hoc libro edidit Augustinus, quibus docuit, non modicam esse Dæmonum, Deo permittente, in homines potestatem, in quo idem sanctus Vir deindè confessus est in lib. 1. Retract. cap. 30. excessisse, quemadmodùm liquet ex can. 3. caus. 26. quæst. 3., qui à præcedentibus, 1. & 2., non est dividendus, quemadmodùm nec divisus fuit à Gratiano; ut ità, quod fortè in canone 1. & 2. de Dæmonum potestate dicitur paulò amplius, ex eodem Augustino moderationem accipiat in can. 3. Erat illâ ætate vulgata opinio, & fama de Dæmonum præstigiis, quæ Ethnici decantabant, nec nisi inanitèr pugnavisset adversùs vulgi diuturnam credulitatem, qui facta plurima inficiari voluisset. Erat recens oraculorum memoria, contrà quæ nec viri, de civili Republica optimè meriti, ullum verbum fecerant. Commodius visum fuit eam ob rem Augustino, si, positâ factorum veritate, aliam viam iniret, statuendo, omnia ex permittentis Dei voluntate, non ex absoluta potestate Dæmonum accidisse; eâ enim ratione satis videbatur Ethnicorum objectionibus responderi. Ceterùm in libris Retractationum, ubi Augustinus, rem in sua causa meditabatur, tanta fuisse Dæmonibus permissa inficiatus est. His præjactis, facilè explicatur laudatus canon 2., qui reverà depromptus est ex eo Augustini libro cap. 3., ubi tamèn pro illis verbis prioribus, *sciendum est hanc esse naturam Dæmonum* ità legendum est : *Dæmonum ea est natura, ut aerei corporis sensu &c.* Itèm in vers. *deindè*, qui legitur in cap. 5., ista verba erunt pro Gratianeis substituenda : *Quæ cum ità sint, primum sciendum est, quoniàm de divinatione Dæmonum quæstio est, illos plerumquè prænuntiare &c.* Prætereà animadvertunt Maurini Monachi, versiculum *nonnunquàm verò* legi quidèm in libris editis, at verò abesse ab omnibus vetustis codicibus MSS. : undè gravis suboritur suspicio de irreptione ejusdem versiculi è margine à Glossographo incerto adjecta in textum Augustini. Quod attinet ad canonem 1. admonuerunt rectissimè Romani Correctores, illum tribuendum esse Rhabano potiùs, quàm Augustino; quòd si adhùc quæras, cur Augustino adscriptus fuerit, ego puto id evenire potuisse, quia Augustinus in lib. 7. de Civitate Dei cap. 35. scripserit, à Persis divinationum genus originem habuisse, quod etiàm initio ejus canonis legimus; quamobrèm ex similitudine sententiarum evenire potuit, ut, quòd Rhabani erat, Augustino etiàm facilè tribueretur.

SEC-

SECTIO IV.

De variis epistolis, ad plures directis.

De epistola ad Armentarium, Riparium, & Paulinam.

Can. 6. caus. 33. q. 5. Jàm Episcopus consecratus scripsit Augustinus epistolam ad Armentarium, & Paulinam conjuges, qui communi consensione Deo voverant continentiam, eos hortatus, ut in proposito perseverarent. Ex ea epistola depromptus est canon 6. caus. 33. quæst. 5., in cujus inscriptione perperàm legitur *Riparii* nomen, quod ego puto irrepsisse ex veterum Amanuensium oscitantia de prima epistolæ linea. Ità enim exorditur Augustinus: *Vir egregius filius meus Rufferius affinis vester retulit mihi, quid Domino voveritis &c.* Fortè in inscriptionem irrepsit ab initio nomen Rufferii, quod deindè mutatum fuerit in nomen Riparii; corruptos autèm hujusmodi codices secutus est Gratianus.

De epistolis ad Aurelium Episcopum.

Duæ exhibentur epistolæ ab Augustino scriptæ ad Aurelium, Episcopum Carthaginensem. Prima in vetustis editionibus erat numero 64., apùd Maurinos est 22. Irrepserat in Ecclesiam Carthaginensem inferendus abusus, quo, sub prætextu pietatis, ac religionis, Afri in Ecclesia commessationibus operam dabant immoderatis. Aurelius Augustinum adhùc Presbyterum per epistolam rogavit, ut & consiliis postulantem adjuvaret, & fusis ad Deum precibus à Deo, quod esset Ecclesiæ opportunum, impetraret. Respondit datâ epistolâ Augustinus, ex qua depromptum legimus canonem 1. dist. 44. in cujus initio deplorabat miserabilem Carthaginensis Ecclesiæ statum; dein in vers. *non ergò* prudens consilium dabat, quo non nisi maturiùs in peccantem multitudinem animadverteretur; siquidèm ibidèm profitebatur: *Tanta pestilentia est hujus mali, ut sanari prorsùs, quantùm mihi videtur, nisi Concilii auctoritate, non possit.*

Can. 1. dist. 44.

Altera epistola scripta est ad Aurelium ab Augustino, jam Episcopo consecrato, in causa duorum Monachorum. Nimirùm fratres duo recesserant de Monasterio Augustini jurisdictioni subjecto, non obtentâ ab Episcopo facultate, atque ad Aurelium sacræ ordinationis causâ transiverant. Monuit Augustinus Aurelium, ne illos Clericos ordinaret; additâ etiàm ratione, quia non decebat, homines, humilitate, & obedientia minimè præstantes, in Clerum assumi. Hinc depromptus est canon 36. caus. 16. quæst. 1.

Can. 36. caus. 16. q. 1.

De epistolis ad Auxilium, seu Auxentium, & ad Classicianum.

Ardenti & penè igneo stylo usus est Augustinus in epistola ad Auxilium Episcopum, licèt eam scripserit jam senio confectus. Cum enim Auxilius Classicianum quemdam virum spectabilem, atque ejus universam familiam excommunicavisset, eò quòd Classicianus cum quibusdam suæ potestati subjectis ad Ecclesiam venisset Auxilium rogaturus, ne æmulis suis, hostibusque faveret, Classicianus idem de ea re vehementèr conquestus est apùd Augustinum, qui statim Auxilium datâ epistolâ objurgavit, exagitavitque, tradens inter cetera, nemini ferendum esse, ut propter unius culpam universa familia excommunicetur. Hùcpertinet canon 1. caus. 24. q. 3., ubi nonnulla emendanda occurrunt; siquidèm in vers. *hæc enim*, ità legendum est: *Hæc enim fuit corporalis pœna, quâ legimus quosdam contemptores Dei, cum suis omnibus, qui ejusdem impietatis participes non fuerunt, pariter interfectos*; itèm in vers. *nunquàm hoc facere* ità legendum est: *Nun-*

Can. 1. caus. 24. q. 3. & Can. 10. caus. 1. q. 4.

Nunquàm hoc facere ausus sum, cum de quorumdam facinoribus immaniter adversùs Ecclesiam perpetratis gravissimè permoverer: sed si tibi fortè, quoniam justè fiat, Dominus revelavit &c. Adnotandum heic est, ex errore Amanuensium, vel Typographorum in ejus canonis inscriptione evenisse, ut pro nomine Auxilii scriberetur nomen Auxentii. Hùc quoquè pertinet canon 10. caus. 1. quæst. 4., cujus verba non Augustini sunt, sed Collectoris, qui quod uberius Augustinus scripserat in epistola sua ad Auxilium, paucis perstrinxit in canone suo. Quid apùd Augustinum habeatur, hùc non adfero, cum integra Augustini sententia adpareat in laudato canone 1. junctis iis, quæ modò fuerant emendanda.

Can. 87. caus. 11. q. 3. Ad hanc eamdem rem pertinet canon 87. caus. 11. quæst. 3., cujus priora verba adnotant Correctores Romani se apùd Augustinum non invenisse. Hodiè industriâ Maurinorum in lucem prodita sunt ex veteri codice Trecensis Ecclesiæ, continente Collectiones Cresconii, & Ferrandi Diaconi. In eo exhibetur fragmentum epistolæ Augustini ad Classicianum, quem modò ajebam cum tota familia fuisse ab Auxilio excommunicatum; illud autèm ità conceptum est: *Ego propter eos, qui pro peccato unius animæ totam domum ejus, id est, plurimas animas anathemate ligant, maximè ne ibi quisquam sine baptismate de corpore abscedat, & utrùm non etiàm de Ecclesia pellendi sunt, qui eò confugiunt, quò fidem fidejussoribus frangant, adjuvante Domino, & in Concilio nostro agere cupio, & si opus fuerit ad Sedem Apostolicam scribere, ut in his causis, quid sequi debeamus, concordi omnium auctoritate constituatur, atque firmetur. Illud planè non temerè dixerim, quòd si quisquam fidelium fuerit anathematizatus injustè, potiùs ei oberit, qui facit, quàm qui hanc patitur injuriam. Spiritus enim sanctus habitans in Sanctis, per quem quisque ligatur, aut solvitur, immeritam nulli ingerit pœnam. Per eum quippè diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ non agit perperàm.* Ex his facilè constat, quò pertineant priora verba Gratianei canonis. Quæ sequuntur in vers. *Pax Ecclesiæ* referenda sunt ad librum 3. de Baptismo contrà Donatistas cap. 18., ubi Augustinus ità scribebat de Christo Domino: *Sicut misit me, inquit, Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, inspiravit, & ait illis: Accipite Spiritum sanctum, si cujus remiseritis peccata, remittentur illi; si cujus tenueritis, tenebuntur. Ergò si personam gerebant Ecclesiæ, & sic eis hoc dictum est, tanquàm ipsi Ecclesiæ diceretur. Pax Ecclesiæ dimittit peccata, & ab Ecclesiæ pace alienatio tenet peccata non secundum arbitrium hominum, sed secundum arbitrium Dei, & orationes Sanctorum spiritualium, qui omnia judicant, ipsi autèm à nemine judicantur. Petra enim tenet, petra dimittit: columba tenet, columba dimittit: unitas tenet, unitas dimittit.* Itaquè longè distantia Augustini monumenta conjunxit in eo canone Gratianus, deceptus ex codice Anselmi Lucensis, in cujus lib. 12. cap. 66. ea omnia uno contextu descripta exhibebantur.

De epistolis ad Bonifacium Comitem.

Quatuor à Gratiano recensentur epistolæ Augustini ad Bonifacium Comitem. Fuit Bonifacius primò Tribunus, deindè Comes in Africa, qui, licèt armorum disciplinæ potissimùm deditus esset, in Christi tamèn institutionibus meditandis erat solertissimus, ac studiosissimus; quamobrèm necessitudinem cum Augustino, amicitiamque contraxerat, quemadmodùm liquet ex universis epistolis Augustini, ad eumdem directis. Occurrit in primis expendenda epistola in vetustis editionibus 50., & 185. apùd Maurinos. Quæsierat Bonifacius, quid discriminis intercederet inter Arianos, ac Donatistas, à quibus eâ ætate turbari res Ec-

clesiasticas noverat. Respondit sanctus Antistes, ità exordiens: *Laudo, & gratulor, & admiror, Fili dilectissime Bonifaci, quòd inter curas bellorum, & armorum vehementèr desideras ea nosse, quæ Dei sunt.* Deindè, postquàm attigit eorum Hæreticorum discrimina, docuit, Hæreticos universos Imperiali potestate coercendos esse, præsertim quòd rei immanium flagitiorum adversùs Catholicos admissorum probarentur; quâ occasione prudenter exposuit nonnulla de Donatistis, qui acerrimè Christianos vexabant, ratus, Bonifacium Ecclesiasticæ utilitati aliquâ ratione pro virili consulturum. Ex hac epistola depromptus est canon 1. dist. 9., & quidem eisdem verbis, dummodò adnotetur, quod jam adnotaverunt Romani Correctores ad versiculum *quicumque*, leviores quasdam occurrere verborum transpositiones, retentâ tamèn Augustini sententiâ; quam commodè unusquisque interpretabitur, quotiès animadvertet, ibidèm sermonem institutum fuisse de Imperatoribus, qui aliquandiù Christianis faverunt adversùs Donatistas, aliquandò verò, Donatistarum fraude ac dolo circumventi, visi fuerunt Donatistarum eorumdem causis præsidium adtulisse. Similem sententiam videtur alibi prodidisse Augustinus, dum scriberet adversùs Donatistas in can. 98. caus. 11. quæst. 3. Ex eadem epistola laudantur canones 23. 24. & 25. dist. 50. Quotiès de prioribus canonibus sermo sit, nimirùm 23. & 24., illi sanè Augustini non sunt, præsertim 24., ubi memoratur epistola Gregorii Magni ad Secundinum, Augustino longè recentior, sed sunt adjecti à Palearum auctore, qui fortè voluit quædam veluti breviaria sequentis canonis 25. præponere, paulò aliter tamèn congesta, & præter Augustini propositum. Itaquè ad Augustini epistolam tantùm referemus canonem 25., ubi sanctus Antistes totus erat in eo, ut adstrueret, bono pacis atque unitatis, Donatistas ad Ecclesiam revertentes in proprio ordine recipiendos esse, licèt generalis regula obtineret, Hæreticos reversos ad fidem in proprium gradum restituendos non esse. Postulabant dispensationem quamdam singularia illius temporis adjuncta, quemadmodùm indicatur in illis postremis canonis verbis: *Detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat.* Hùc quoquè pertinet Sanctio Concilii Carthaginensis, vulgò IV. anni 401., quæ refertur in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ num. 66. apùd Voellum, & Justellum ibi: *Pertractatis, & consideratis omnibus, quæ utilitati Ecclesiæ convenire videbantur, annuente, atque admonente Spiritu Dei, eligimus cum memoratis hominibus* (Donatistis) *quamvis de Dominici Corporis unitate inquietâ dissensione præcisis, lenitèr, & pacificè agere.* Et num. 68. *Placuit. ... habere Africam magnam necessitatem propter Ecclesiæ pacem, & utilitatem, ut & ipsis Donatistis quicumque Clerici correcto consilio ad Catholicam unitatem transire voluerint, secundum uniuscujusque Episcopi Catholici voluntatem, atque consilium, qui in eodem loco gubernat Ecclesiam, si hoc paci Christianæ prodesse visum fuerit, in suis honoribus suscipiantur.* His jungi posset definitio Concilii Africani, quæ habetur in cap. 1. de Parochiis apùd Gregorium IX. Ad illud Concilium Africanum respiciens Augustinus certiorem reddebat Bonifacium, quanta cum clementia Catholici cum Donatistis egissent, ut illos ad unitatem revocarent; eò nimirùm re adductâ, ut Donatistarum revertentium gratiâ rigorem disciplinæ plurimùm relaxarent. Hanc sanè Augustini sententiam si attigisset Gratianus, non adeò laboravisset in effingendis distinctionibus ad calcem canonis 24., ut canones canonibus conciliaret; non enim regula erat, quam ibidem cum Africana Ecclesia Augustinus præstituebat, sed singularis à regula dispensatio. Unum addo, pro illis verbis canonis 25. *Sed ne fortè etiam de*

Can. 1. dist. 9.

Can. 23. 24. & 25. dist. 50.

ce-

ceteris criminibus &c. ita legi in codicibus Augustini: *Sed ne forte etiam detectis criminibus &c.* Canon 28. caus. 12. q. 1. pertinet ad diluendam avaritiæ notam, quam Catholicis Donatistæ inurebant, tradentes, Catholicos concupivisse res, & bona Donatistarum; quod ut refelleret Augustinus, primò proposuit se paratum esse ad res omnes temporales Ecclesiæ, imò etiàm suas, si quas haberet, Donatistis quàm libentissimè concedendas, dummodo ipsi ad unitatem Catholicam reverterentur: deindè docuit, viros Ecclesiasticos non sui, sed pauperum gratiâ, bona temporalia possidere. Integra Augustini sententia describitur in can. 3. caus. 23., quæst. 7., ad quem laudatus canon 28. est referendus. In eadem epistola legitur canon 2. caus. 23. quæst. 3., exceptis illis verbis *contra hostes Ecclesiæ*, quæ in integris Augustini codicibus desiderantur. Ibi autèm refertur, Maximianum Episcopum Vagiensem (alii codices nominant Bagajensem, alii Vagajensem, alii Vaginensem) auxilium petiisse à Christiano Imperatore adversùs Donatistas, quod ab aliis factum fuisse idem Augustinus adnotat in laudato canone 1. dist. 9. Ex pluribus sejunctis Augustini sententiis compositus est canon 24. caus. 23. quæst. 4. Initio sanctus Antistes Cæciliani causam discutiendam suscepit, professus se adversùs Cæcilianum nolle recipere testimonia eorum, qui in hæresi Cæciliano eidem adhæserant, quòd sit positum in more improborum hominum in ipsos etiàm duces suos calumniari. Quod deindè sequitur in vers. *Molestus est medicus* præcedentibus minimè congruit. Siquidèm pòst multa Augustinus adversùs Donatistas stylum acuit, tanquàm adversus eos, qui saluberrimas leges, à viris prudentissimis latas, contempserant; comparatque hæreticos illos veluti furentibus, indisciplinatisque filiis, qui medico vel parenti resistunt. Hinc ità prosequitur: *Quapropter, si potestate*, (ex his emendabis vers. Gratianeum *si per potestatem*) *quam per religionem, ac fidem Regum tempore, quo debuit, divino munere accepit Ecclesia, hi, qui inveniuntur in viis, & in sepibus, id est, in hæresibus & schismatibus coguntur intrare: non quia coguntur, reprehendant, sed quo cogantur, attendant. Convivium Domini unitas est Corporis Christi, non solùm in Sacramento altaris, sed etiàm in vinculo pacis. De ipsis sanè possumus verissimè dicere* (ista Gratianus omisit, gradum faciens ad alia paulò disjuncta in vers. *Theodosius*) *quòd neminem cogant ad bonum; quoscunque enim cogunt, non cogunt, nisi ad malum. Verumtamèn antequàm istæ leges, quibus ad convivium sanctum coguntur intrare, in Africam mitterentur, nonnullis fratribus videbatur, in quibus & ego eram, quamvis Donatistarum rabies usquequaquè sæviret, non esse petendum ab Imperatoribus, ut ipsam hæresim juberent omninò non esse, pœnam constituendo eis, qui in illa esse voluissent, sed hoc potiùs constituerent, ut eorum furiosas violentias non paterentur, qui veritatem Catholicam vel prædicarent loquendo, vel legerent constituendo; quod eo modo fieri aliquatenus posse arbitrabamur, si legem piissimæ memoriæ Theodosii, quam generaliter in omnes hæreticos* (hic prosequitur Gratianus) *promulgavit, ut quisquis eorum Episcopus, vel Clericus ubilibèt esset inventus, decem libris auri mulctaretur, expressiùs in Donatistas, qui se negabant hæreticos, ità confirmarent.* Postrema hæc verba Gratianus omisit, qui statim progressus est ad vers. *Si duo*, ab antecedentibus valdè remotum. In eo versiculo Augustinus ostendere conatur, posse hæreticos ad fidei unitatem compelli, exemplo allato illorum, qui, in æde propè ruiturâ morantes, compelli possunt ad exeundum, ejus vi, qui casum prænoscit; quod & eadem similitudine prosequitur in vers. *Quòd si plurimi.* Pòst multa subsequitur versiculus *Si oportet* (verba illa, *inquiunt Donatistæ*, adjecta fuerunt à Gratiano), & pòst verba illa postrema *cooperit multitudinem peccatorum*

Can. 28. caus. 12. q. 1. & Can. 3 caus. 23. q. 7.

Can. 2. caus. 23. q. 3.

Can. 24. caus. 23. q. 4.

subsequuntur apùd Augustinum ea, quæ, uti diximus, habentur in can. 25. dist. 50. ex quo lucem uberiorem canonis hujus sententia accipere potest. Demùm pòst pauca sequitur apùd Augustinum Gratianeus versiculus *verùm in hujusmodi*, quo magis magisque præcedentia confirmantur. Nihil est, quod dignum singulari animadversione occurrat in canonibus

Can. 42. & 43. caus. 23. q. 4. 42. & 43. caus. 23. quæst. 4., postquàm Romani Correctores eosdem ad fidem integrorum codicum exegerunt. Totus ibidèm erat Augustinus, ut demonstraret, hæreticos cogi posse ad Catholicam unitatem, atque eam ob rem jure posse Ecclesiam Principum auctoritatem, & præsidia implorare.

Can. 48. caus. 23. q. 5. Canon 48. caus. 23. quæst. 5. in veteribus Gratiani exemplaribus non parùm dissonabat ab integris Augustini codicibus, hodiè verò Romanorum Correctorum studio emendatus est; ibidèm autèm demonstrabat Augustinus, Catholicos non odio adversùs Donatistas ferri, sed potiùs amore, ac benevolentiâ, ut eosdem ad Catholicam unitatem adducerent. Eamdem materiem cogendorum hæreticorum ad fidei unitatem persequutus est Augustinus in can.

Can. 1. caus. 23. q. 6. 1. caus. 23. quæst. 6., quam vel ipsius Christi Domini exemplo Paulo vim inferentis illustrabat. Si fortè hoc exemplum parùm aptum, & consentaneum alicui videatur, animadvertat, oportet, non ad rem probandam quasi philosophico argumento illud allatum fuisse, sed potiùs ad rem exornandam, uti contingere illi facilè potuit, qui, cum instituere deberet hominem militaribus rebus gravissimè occupatum, dulciore quadam, & planiore methodo utebatur.

Can. 4. caus. 23. q. 7. Canon 4. caus. 23. quæst. 7. olim apùd Gratianum exhibebatur, quasi depromptus ex epistola Augustini ad Vincentium. Romani Correctores inscriptionem emendaverunt, substituentes epistolam ad Bonifacium. Quod adhùc observandum occurrit, pertinet ad sententiarum transpositionem; etenim versiculus, *Si autèm*, itèm versiculus *Si corpus* describendi erant ante priora canonis verba. Scopus Augustini erat, ut responderet Donatistis, conquerentibus se propriis bonis fuisse spoliatos, suaderetque, ut ad unitatem redirent, pollicitus futurum, ut bona semèl amissa recuperarent. Observandum prætereà est, in versiculo, *In Christi ergò compagem*, postremo, Gratianum nihil aliud recensuisse, quàm quod initio canonis descripserat, nescio an oblitum eorum, quæ exaraverat, an inordinata monumenta ex depravatis codicibus sine discrimine derivantem.

Alia est Augustini ad eumdem Bonifacium epistola, in veteribus editionibus 70., & apùd Maurinos 220., cujus scribendæ hæc occasio fuit. Bonifacius Comes votum conceperat religiosæ vitæ in monasterio ineundæ; opere tamèn non implevit suasione Augustini: qui animo versans, quanta ex Comitatu Bonifacii Ecclesiæ utilitas esset accessura, eumdem admonuit, ne Comitatus dignitate abdicaret. Intereà Bonifacius navigationem muneris sui causâ suscipiens, captus amore cujusdam peregrinæ puellæ, eam duxit uxorem. Id sancto Antistiti placere non potuit, qui, etsi Bonifacium à Monasterio dimovisset, eum tamèn in proposito continentiæ manentem laudaverat. Quamobrèm epistolam ad illum misit paternarum, ità dixerim, querimoniarum plenam, in qua primo Bonifacium redarguit dissoluti voti reum, deindè uxorem illius veluti voti minimè consciam excusat; deniquè ità Bonifacium hortatur, ut, si per uxorem liceat, vetus propositum amplectatur: secùs, quoad fieri possit, ab inordinatis voluptatibus abstineat. Epistolæ inscriptio hæc est: *Domino filio in præsentem, & in æternam salutem Dei misericordiâ protegendo, & regendo Bonifacio Augustinus.* Hinc depromptus est canon 2. caus. 17. quæst. 2. ità ex integris Augustini codicibus emendandus: *Audi ergò me, imò Dominum*

Can. 2. caus. 17. q. 2.

num Deum nostrum per ministerium infirmitatis meæ. Recole, qualis fueris, adhùc in corpore constitutâ religiosæ memoriæ priore conjuge tuâ, & recenti ejus obitu; quomodò tibi vanitas sæculi hujus horruerit, & quomodò concupieris servitutem Dei. Nos novimus, nos testes sumus, quid nobiscum apùd Tubunas de animo, & voluntate tuâ fueris collocutus. Soli tecum eramus, ego, & frater Alypius. Non enim existimo, tantùm valuisse terrenas curas, quibus impletus es, ut hoc de memoria tua penitùs delere potuerint. Nempè omnes actus publicos, quibus occupatus eras, relinquere cupiebas, & te in otium sanctum conferre, atque in ea vita vivere, in qua servi Dei Monachi vivunt. Ut autèm non faceres, quid te revocavit, nisi quia considerasti, ostendentibus nobis, quantum prodesset Christi Ecclesiis, quod agebas, si eâ solâ intentione ageres, ut, defensæ ab infestationibus barbarorum, quietam, & tranquillam vitam agerent, sicut dixit Apostolus, in omni pietate, & castitate: tu autèm ex hoc mundo nihil quæreres, nisi ea, quæ necessaria essent hanc vitæ sustentandæ tuæ, ac tuorum, succinctus balteo castissimæ continentiæ, & inter arma corporalia spiritualibus armis tutiùs fortiùsque munitus. Cum ergò te esse in hoc proposito gauderemus, navigasti, uxorem duxisti: Sed navigasse obedientiæ fuit, quam secundum Apostolum debebas superioribus potestatibus: Uxorem autèm non duxisses, nisi susceptam deserens continentiam concupiscentiâ victus esses. Deindè pòst multa ità prosequitur Augustinus propè finem epistolæ: *Si enim conjugem non haberes, dicerem tibi, quod & Tubunis diximus, ut sanctitate continentiæ viveres*: Itèm pòst pauca: *Sed ut te ad istam vitam non exhorter, impedimento conjunx est, sine cujus consensione continenter tibi non licet vivere, quia etsi tu pòst illa tua verba Tubenensia ducere non debebas, illa tamen nihil eorum sciens innocenter tibi & simpliciter nupsit, atque utinàm posses ei persuadere continentiam, ut sine impedimento redderes Deo, quod te debere cognoscis. Sed si cum illa agere non potes, serva saltèm pudicitiam conjugalem.* His exactus est ad optimos codices Gratianeus canon; quos si præ oculis prisci Glossographi habuissent, inepta & symbolica quædam non adjecissent; etenim cum in veteribus Gratiani exemplaribus legeretur: *Navigasti, id est, uxorem duxisti*, adnotaverunt illi ad marginem: *Navigasti: sicut navigans, subjicit se variis periculis, nec proprio motu regitur, sed ventis, sic habens uxorem.*

Alia memoratur apùd Gratianum epistola Augustini ad Bonifacium Comitem numero 187. in can. 8. caus. 17. quæst. 4., ubi videtur de Bonifacio conqueri Augustinus, quod reum ab Ecclesia abstraxerit, & adèò vehementer conqueri, ut eumdem excommunicaret. Verùm epistolam illam & Lovanienses Theologi inter spurias rejecerunt, deindè etiàm Maurini Monachi, qui eamdem unà cum aliis ejusdem notæ in appendicem tomi 1. retulerunt, hac adjectâ censurâ: *Breviores epistolas sexdecim sub nomine Augustini & Bonifacii, prout in vetustis MSS. prænotantur, hic exhibitas repudiarunt Lovanienses Theologi; primùm quia multùm discrepant à vena, & stylo Augustini; deinde non recensentur à Possidio, neque ab ullo veterum citantur.... Itaquè docti plerique censent, eas ab otioso scriptore, styli exercendi causâ, confictas fuisse; quorum judicio tametsi adversetur Baronius, subscribendum esse existimamus.* His ego adjicio, epistolam hanc brevissimam fuisse contrà morem Augustini, qui gravitèr delinquentem Bonifacium fusâ oratione ad pœnitentiam induxit, quemadmodum constat ex collatione laudatæ epistolæ 50. Prætereà dubitari fortè posset, ne integra epistolæ sententia congruat disciplinæ illius ætatis, qualis vigebat in Africa, ubi Episcopi apùd publicos Magistratus pro reis graviorum criminum blandè intercedebant. Id indicat Augustinus in epistola 115. ad Fortunatum Cirtensem Episcopum de quodam Faventio, qui ad Ecclesiam

Can. 8. caus. 17. q. 4.

Hip-

Hipponensem confugerat, ità scribens: *Is cum ab ejusdem possessionis Domino nescio quid sibi metueret, ad Hipponensem confugit Ecclesiam, & ibi erat, ut confugientes solent, expectans, quomodò per intercessionem nostram sua negotia terminaret.* Itèm in serm. 18. de verbis Domini, ità eum adloquitur, qui reus ad Ecclesiam confugit: *Contremiscis, conturbaris, pallescis, ad Ecclesiam curris, videre desideras Episcopum, ad pedes ejus volutaris: Domine concutior, Domine in carcerem mittor, miserere mei. Ego quidèm curro propter carnem tuam; utinam tu curreres propter animam tuam.* Non nihil etiàm occurrit animadvertendum in verbis canonis, quod pertinet ad historiam Nabucodonosor: non memoro verba illa, quæ detraxerunt Correctores Romani, utpote quæ in optimis Augustini codicibus desiderantur, sed memoro, quod dicitur, Regem illum fuisse *in bovem ex homine commutatum.* Non enim adeò supinum & crassum mihi fingere possum Augustinum in interpretandis sacris literis, ut germanam Sacræ Scripturæ notitiam non haberet in re, ceteroqui perspicuâ. Non ecquidèm ego eò eundum puto, quò ivit Tertullianus, qui apùd Hieronymum in Danielem symbolicam enarrationem illam credidit, & nomine Nabucodonosor Luciferum intellexit Angelum lucis in Dæmonem transformatum; siquidèm hæc interpretatio non benè meo judicio congruit cum cap. 4. Prophetiæ Danielis, præsertim ubi legitur in fine, Nabucodonosor Dei gratiâ restitutum fuisse, & quidèm ampliore magnificentiâ decoratum, quod certè de Dæmone dici nequit. Illud tamèn rectissimè dicendum est, Regem illum non transformationem monstruosam passum fuisse, sed, uti apùd Danielem legitur, fœnum quasi bovem comedisse, & cum bestiis & feris ejus fuisse habitationem. Imò & eam transformationem facilè non admittunt verba illa Danielis: *Ex hominibus abjectus est, & fœnum ut bos comedit, & rore cœli corpus ejus infectum est, donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, & ungues ejus quasi avium.*

Jure potiùs tributa fuit Augustino alia ad Bonifacium Comitem epistola, quæ in vetustis editionibus erat 205., apùd Maurinos verò 189., cujus argumentum hoc est: Bonifacius, armatæ militiæ adscriptus, quæsiverat ab Augustino, quæ sibi vitæ ratio ineunda foret inter actus militares, quæque conditioni suæ morum singularis honestas accommodatior videretur. Hinc sanctus Antistes salutaria tradens præcepta Bonifacium informavit, obiter intereà docens, licere Christiano viro pro desiderio publicæ tranquillitatis arma tractare. Hùc pertinet canon 3. caus. 23. quæst. 1., cujus verba cum optimis Augustini codicibus consonant pòst Romanam Correctionem. Can. 3. caus. 23. q. 1.

De epistola ad Bonifacium Episcopum.

Inter numero plures, quas Augustinus scripsit, epistolas ad Bonifacium Episcopum Cataquensem, quem in epist. 143. & 149. *Sanctum Fratrem, & Coepiscopum suum* appellabat, una est, ex qua Gratianus nonnulla monumenta deprompsit, nimirùm numero 23. in vetustis editionibus, & 98. apùd Maurinos. Quæsiverat Bonifacius ab Augustino rationem, quare infantibus baptizandis prosit parentum fides, quandò tamèn parentum improbitas nocere non potest. Elegans sanè argumentum, dignum quòd ab Augustino pertractaretur. Et quidèm sanctus Vir fusâ oratione eam rem persecutus est, quemadmodùm liquet ex canone 129. de cons. dist. 4., cum quo jungendi erunt canon 8. caus. 1. quæst. 4., & canones 33. & 76. de cons. dist. 4. Non hic memoro, quæ jam Romani Correctores emendaverunt, ne actum agere videar. Tantùm singulos versiculos laudati canonis 129. expen- Can. 8. caus. 1. q. 4. can. 33. 76. & 129. de cons. dist. 4.

pendam, ut suis locis omnia accommodentur, atque, prout jacent apùd Augustinum, exhibeantur. Initio canonis Augustinus indicat quæstionem, sibi à Bonifacio propositam, & mystica quadam explicatione resolvit, ajendo, filios baptismate regeneratos quasi personam immutare, undè paternus & filialis nexus quodammodò dissolvatur, ne paterna vitia illis nocere possint. Cum postremis primi versiculi verbis jungendus erit canon 8. caus. 1. quæst. 4., cum utrobiquè eadem recenseantur, nonnullis tamèn in canone 8. adjectis, quæ in can. 129. desiderantur. Pòst pauca sequitur apùd Augustinum versiculus *Quomodò itaquè*; ubi tamen legendum est *Quandò itaquè*; sed ante ipsum collocandus erat versiculus *Regenerans*, etenim apùd Augustinum ità legitur, ut subsequatur verba laudati canonis 8. & præponatur verbis laudati vers. *Quomodò itaquè*. Hinc statim subsequitur versiculus *Potest enim*. De versiculo *Verumtamèn* nihil adiicio, quoniàm consonat cum integris Augustini exemplaribus. Pergo potiùs ad versiculum *Nec te*, cujus sententia apùd Gratianum paulò videtur obscura. En Gratianea verba: *Nec illud te moveat &c*, *& infrà*: *Celebrantur enim per eos necessaria ministeria.* Quæ hoc in loco desunt apùd Gratianum, supplenda sunt ex can. 33. eadem dist. 4., pòst cujus canonis verba ità prosequitur Augustinus: *Celebrantur enim per eos necessaria ministeria, & verba Sacramentorum, sine quibus consecrari parvulus non potest. Spiritus autèm ille sanctus, qui habitat in sanctis, ex quibus una illa columba deargentata charitatis igne conflatur, agit, quod agit etiàm per servitutem aliquandò non solùm simpliciter ignorantium, verùm etiàm damnabiliter indignorum.* Pòst hæc statim jungendus est versiculus *Offeruntur*, & paucis interjectis versiculus *Difficillimam*; in quò quæritur, quomodò parvulus dici possit credere, sive fidem habere, dum ejus animus, & voluntas non est in comperto. Augustinus deindè respondet in vers. *Ecce facio*, cujus verba minùs integra apùd Gratianum descripta sunt, quemadmodùm & verba subsequentis versiculi, ità à Gratiano exarati: *Itaquè parvulum &c. & infra.* Supplenda hæc erunt, ut conferenti statim liquet, ex can. 76. eadem dist. 4. Itaque vult Augustinus, dici non solùm fidem habere eum, qui actum fidei elicit, sed & eum, qui Sacramentum suscipit, in quo fidei symbolum est, non absimili ratione, quâ Christus quotannis Paschali tempore resurgere dicitur, quatenus resurrectionis symbolum exhibetur; atque hæc est sententia laudati versiculi *Ecce facio*, pòst cujus postrema verba magis magisque ità collocat in aperto sententiam suam Augustinus: *Nonne semèl immolatus est Christus in se ipso, & tamèn in Sacramento non solùm per omnes Paschæ solemnitates, sed omni die populis immolatur, nec utiquè mentitur, qui interrogatus eum responderit immolari. Si enim Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omninò Sacramenta non essent. Ex hac autèm similitudine plerumquè etiàm ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergò secundum quemdam modum Sacramentum Corporis Christi Corpus Christi est, Sacramentum Sanguinis Christi Sanguis Christi est, ità Sacramentum fidei fides est. Nihil est autèm aliud credere &c.* Heic sequuntur apùd Augustinum, quæ legimus in laudato can. 76. usquè ad illa verba: *Ad celebrationem pertinet Sacramenti*, pòst quæ paucis interjectis leguntur ea, quæ legimus in vers. *Itaquè Parvulum &c.* Deniquè pòst illa verba *Sacramentum percipiendo*, quæ extant in can. 76., collocanda sunt verba versiculi postremi canonis 129. à vers. *Cum autèm homo*, usquè in finem.

De epistola ad Casulanum.

Romanus quidam civis, qui exindè *Urbici* cognomento appellatus est, disser-

sertationem ediderat adversùs Romanæ Urbis consuetudinem, juxtà quam sabbato nulla jejunia celebrabantur, ostensurus sabbato esse jejunandum: quæcumque tamèn protulerat argumenta inania admodùm erant, cum potiùs inveheretur adversùs immoderatas nonnullorum comessationes atque æbrietates, quàm jejunii necessitatem demonstraret. Simplicioribus quibusdam ea dissertatio grave negotium facessebat, eamque ob rem proni ad schismata, aut dissidia adversùs Romanam Ecclesiam reddebantur. Hinc Casulanus quidam Presbyter occasionem arripuit consulendi Augustinum, ut perspicuè acciperet, quid esset de sabbati jejunio sentiendum. Prudentissimè Augustinus rescripsit in epistola, quæ in vetere editione erat 86., nùnc extat apùd Maurinos 36., docens sabbati jejunium neque improbari posse per se, neque generaliter in Ecclesia præcipi, sed maximas in ea parte esse variarum Ecclesiasticarum consuetudinum vires. En verba Augustini, quæ in aperto collocant sententiam canonis 7. dist. 11. ex eadem epistola deprompti. *Quod ergò me consulis, utrùm liceat sabbato jejunare, respondeo: Si nullo modo liceret, profectò quadraginta continuos dies nec Moyses, nec Elias, nec ipse Dominus jejunasset. Verùm istâ ratione concluditur, etiàm dominico die non illicitum esse jejunium. Et quisquis tamèn hunc diem jejunio decernendum putaverit, sicut quidam jejunantes sabbatum observant, non parvo scandalo erit Ecclesiæ; nec immerito; in his enim rebus, de quibus nihil certi statuit Divina Scriptura, mos populi Dei, & instituta majorum pro lege tenenda sunt.* Quæ apùd Gratianum subsequuntur in vers. *Et sicut*, apùd Augustinum desiderantur à Collectoribus ex aliis fortè Ecclesiasticis deprompta monumentis.

Can. 7. dist. 11.

Ex eadem epistola ad Casulanum laudavit Gratianus canonem 80. caus. 11. quæst. 3., cujus priora verba apùd Burchardum lib. 16. cap. 12. laudantur sub hac inscriptione: *Ex dictis S. Augustini*, & posteriora sub Augustini nomine in cap. 1. de falsis apùd Gregorium IX. Verùm facile est demonstrare, integrum canonem referendum esse ad Isidorum Hispalensem, qui in lib. 3. sententiarum cap. 55. ità scribebat: *Qui metu potestatis veritatem occultat, ejusdem veritatis iracundiam sibi cœlitùs provocat; quia plus pertimescit hominem, quàm divinam trepidat indignationem.* Et paulò superiùs in eodem capite: *Unum penè crimen habent, & qui falsitatem promit, & qui supprimit veritatem; qui ille obesse vult, & iste prodesse non vult.*

Can. 80. caus. 11. q. 3.

De epistola ad Clerum, & Populum Hipponensem.

Clericus quidam, nomine *Spes*, ex Collegio Augustini, accusatus de gravissimo crimine à Bonifacio Collegii ejusdem Presbytero, in Bonifacium accusatorem crimen retorsit, ità ut non adpareret, uter dicendus esset criminis reus. Prudenter eam causam tractari voluit Augustinus, ac primò curavit, ne crimen illud, sive Spei, sive Bonifacio tribuendum, in vulgus proderetur, & clanculùm utrique jussit, ut ad sepulchrum S. Felicis Nolani procederent, ut miraculo res transigeretur. Non tamèn diù latere potuit factum, cum Hipponensis populus de utroque, præsertim verò de Bonifacio, malè sentiret, ac proindè Bonifacii nomen, Bonifacio ipso consentiente, è Cathalogo Sacerdotum deletus est, quousquè liquidiùs apud omnes de veritate constaret. Ast interèà non destitit Augustinus pro officio Clerum simùl, ac populum admonere, ne temerè judicarent, neve ob paucorum delicta ceteri peccandi occasionem arriperent; quod quidem datâ epistolâ fecit, in veteribus editionibus 137., apùd Maurinos 78., sub hac inscriptione: *Dilectissimis fratribus, Clero, senioribus, & universæ plebi Hipponensis Ecclesiæ.* Ex hac epistola depromptus est canon 9. dist. 47., ubi docet Augustinus, faciè

Can. 9. dist. 47.

com-

commoveri populum non debere, ex eo quòd in Collegio Clericorum aliquis fuerit gravioris cujusdam criminis reus.

Ad eamdem prætereà epistolam pertinet canon 12. caus. 2. quæst. 1., quem jam alibi adnotabam falsò adscriptum sancto Ambrosio fuisse. Verba Augustini de Bonifacio criminis accusato hæc sunt: *Quapropter cum ego noluissem, hunc gravissimum dolorem cordis mei vobis præferri in notitiam, ne vos atrociter, & inaniter contristando turbarem, fortassis ideò Deus noluit vos latere, ut nobiscum orationibus incumbatis, ut quod ipse in hac causa novit, nos autèm nosse non possumus, etiàm nobis manifestare dignetur. Nomen autèm Presbyteri &c.* Hic sequuntur ea, quæ descripsit Gratianus, ubi cum memoratur quædam Concilii sanctio, intelligendum est Concilium Carthaginense, vulgò III. anni 397. Pòst verba laudati canonis 12. ità prosequitur Augustinus: *Bonifacius tamèn hanc humilitatem suscepit, ut literas acciperet, quibus in peregrinatione honorem suum quæreret, ut in loco, ubi ambo ignoti sunt, circa ambos æqualitas servaretur. Et nùnc, si vobis placet, ut nomen ejus non recitetur, ne iis, qui ad Ecclesiam accedere nolunt, sicut ait Apostolus, demas occasionem quærentibus occasionem, non erit nostrum hoc factum, sed eorum, quorum causâ fuerit factum. Quid enim obest homini, quod ex illa tabula non vult eum recitari humana ignorantia, si de libro vivorum non eum delet iniqua conscientia?* Postrema hæc verba retulit Gratianus in can. 50. caus. 11. quæst. 3. Nemo autèm ex hac epistola occasionem arripiat carpendi Augustinum, quòd fortè Divino miraculo voluntatem Dei tentandam voluerit; quamquàm enim dici posset, singulari Dei afflatu virum sanctissimum id fecisse, non sanè novo & inaudito exemplo, attamen adhùc suspicari licet, non omninò spem singularis prodigii ab Augustino habitam fuisse, sed potiùs sperasse sanctum Antistitem futurum, ut contendentes Clerici ad sepulchrum sancti Felicis, accedentes veritatem criminis spontè faterentur, & alter alterum ab illata calumnia liberaret, motus eo sincero testificandæ veritatis animo, quem excitare solent piè religiosèque susceptæ ad Sacra Templa, vel Martyriorum Ecclesias peregrinationes.

Can. 12. caus. 2. q. 1. & Can. 50. caus. 11. q. 3.

De epistolis ad Donatum Presbyterum, & ad Donatum Proconsulem.

Defecerat apùd Donatistas Donatus quidam Presbyter ex Hipponensi Augustini Ecclesia; quo tempore Imperatoriæ quædam leges editæ fuerant, quibus adacti fuerant Donatistæ, ut ad Catholicam reverterentur unitatem. Inter ceteros Donatus invitus & totâ animi contentione reluctans ad Ecclesiam reductus fuit, ad quem propterea paterno zelo plenam epistolam scripsit sanctus Episcopus, quæ in veteribus editionibus erat numero 204., nùnc apùd Maurinos 173. Ex eadem depromptus est canon 38. caus. 23. quæst. 4., quem Romani Correctores emendatum omninò exhibuerunt; ad eumdem autèm referendus est canon 54. eadem caus. & quæst., cum illius quamdam concisam contineat, & compendio breviatam, sententiam.

Can. 38. & 54. caus. 23. q. 4.

Alter est Donatus, ad quem scripta est Augustini epistola, in vetustis editionibus 127., & 100. apùd Maurinos. Is fuit Africæ Proconsul, qui, Imperatoris mandatis obtemperans, Donatistas hæreticos pœnis asperrimis affligebat, quem propterea monuit Augustinus, ut in ipsa severitate moderationem servaret, ne illorum corpora occidendo animas adduceret in æternum interitum, sed potiùs ità vexaret, ut ad Ecclesiæ unitatem adduceret. Hùc pertinet canon 3. caus. 23. quæst. 5., ubi quædam omissa fuerunt à Gratiano, quæ si recenseantur, clariorem reddent Augustini sententiam. Itaque pòst ea verba, *ne facias obsecramus*, ista subsequuntur

Can. 3. caus. 23. q. 5.

in epistola Augustini : *Neque enim vindictam de inimicis in hac terra requirimus; aut verò ad eas angustias animi nos debent coarctare , quæ patimur , ut obliviscamur , quid nobis præceperit , pro cujus veritate ac nomine patimur : diligimus inimicos nostros , & oramus pro eis. Undè ex occasione &c.*

De epistola ad Ecditiam.

Can. 4. & 5. caus. 33. q. 5.

Ecditia, religiosa quidèm , sed minùs prudens fæmina , pietatis fervore correpta , ignorante marito non solùm continentiam voverat , sed & vidualem vestem induerat , omniaque bona sua , plura etiàm ex familiaribus , in pauperum eleemosynas exhauserat. Hanc gravissimè corripuit Augustinus in epist. in veteribus editionibus 199. , & 262. apùd Maurinos , ex qua deprompti sunt canones 4. & 5. caus. 33. quæst. 5. , qui ut rectè explicentur , hujus epistolæ tenor expendendus erit. Initio ità scribebat Augustinus : *Omitto , quòd ipsam continentiam , illo nondùm volente , non secundum sanam doctrinam te suscepisse cognovi* ; pòst quæ tradebat , id nullâ ratione fieri potuisse , adferens ad eam rem verba Apostoli Pauli , quibus innuitur, mulierem non habere sui corporis potestatem , deindè ità prosequens : *Secundum hæc verba Apostolica , etiamsi se vir continere voluisset , & tu noluisses , debitum tibi reddere cogeretur , & illi Deus imputaret ad continentiam , si non suæ , sed tuæ cederet infirmitati : ne in adulterium caderes* (referuntur hæc initio canonis 5.) *maritalem tibi concubitum non negaret: quanto magis te , quam magis subjectam esse decuerat , ne ipse quoquè in adulterium diabolicâ sententiâ traheretur , in reddendo hujusmodi debito voluntati ejus obtemperare convenerat ? Sed hoc, ut dixi , omitto , quoniàm posteà tibi nolenti sibi ad reddenda debita conjugalia consentire , ad eadem continentiæ pacta ipse consensit , & tecum continentissimè diù vixit , suoque consensu à peccato illo , quo ei debitum carnis negabas, ipse te absolvit. Non ergò jam in tua causa ista vertitur quæstio , utrùm redire debeas ad concubitum viri ; quod enim Deo pari consensu ambo voveratis* (hinc exorditur Gratianus in can. 4.) *perseveranter usquè in finem reddere ambo debuistis ; à quo proposito si lapsus est ille , tu saltèm instantissimè persevera , quod te non exhortarer , nisi quia tibi ad hoc ipse consenserat. Nàm si nunquàm tenuisses ejus assensum, numerus te nullus defendisset annorum , sed pòst quantumlibet tempus* (hæc omittuntur à Gratiano) *me consuluisses , nihil tibi aliud responderem , nisi quod ait Apostolus : uxor non habet potestatem corporis sui , sed vir , de qua potestate sic tibi jam permiserat continentiam , ut eam tecum & ipse susciperet. Sed illud est, quod minùs te observasse contristor , quia tanto humiliùs, & obedientiùs ei obsequi in domestica conversatione debuisti , quanto ille tibi religiosiùs rem tam magnam etiàm imitando concesserat. Non enim quia paritèr temperabatis &c.* Hic rursùm prosequitur Gratianus in can. 4. , ubi , licet nonnulla identidèm omissa fuerint , perspicua tamèn exhibetur Augustini sententia. Unum adjicio , quod pertinet ad canonem 5. vers. *Quisquis igitur* : nimirùm iste versiculus non ea in epistola legitur , sed in enarratione in Psalmum 147. ad illa verba , *ante faciem frigoris ejus quis sustinebit ?* Ibi autèm hortatur Augustinus fideles , ut per bona opera securi expectent Christi judicis adventum ; atque eâ occasione ex doctrinâ Apostoli tradit , homines non gaudentes mundi rebus perfrui debere , & qui uxores habent , ita se gerere , ac si non haberent. Ex quibus apertè liquet , verba ejusdem versiculi parùm Gratiani proposito congruere.

De epistola ad Emeritum.

Vir summâ eruditione præstans erat Emeritus , abusus tamèn doctrinâ suâ, in concitando ardentiùs Donatistarum schismate , in quod ipse descenderat.

Eum

Eum cum reprehendere vellet Augustinus, eximiæ prudentiæ Episcopus, per epistolam salutavit, quæ in veteribus editionibus erat 164., nùnc 87. apùd Maurinos, illius scientiam laudans, intereà verò causam exposcens, cur ab unitate Ecclesiæ defecisset, & gravia subjiciens oculis argumenta ad doctrinam Donatistarum improbandam. Aurèum est epistolæ exordium his verbis: *Ego cum audio quemdam bono ingenio præditum, doctrinisque liberalibus eruditum, quamquàm non ibi salus animæ constituta sit, tamèn in quæstione facillima sentire aliud, quàm veritas postulat, quò magis miror, eò magis exardesco nosse hominem, & cum eo colloqui, & si id non possum, saltem literis, quæ longissimè volant, attingere mentem ejus, atque ab eo viissim attingi desiderio. Sicut te esse audio talem virum, & ab Ecclesia Catholica, quæ, sicut S. Spiritu prænuntiata est, toto orbe diffunditur, discerptum doleo, atque seclusum, quam ob causam nescio &c.* In hac epistola legitur Can. 34. caus. 1. q. 1. canon 34. caus. 1. quæst. 1., atque in ea parte, ubi docet Augustinus, Donatistas posse reverti ad Ecclesiam, quin tamèn necessarium sit, ea recipi ab iis Sacramenta, quæ apùd hæreticos recepissent. In eadem etiàm legitur canon 3. Can. 3. caus. 23. q. 3. caus. 23. quæst. 3., ubi respondit Augustinus Donatistis, conquerentibus se à Catholicis affligi, interveniente Principum potestate, quandò tamen se nihil tale adversùs Catholicos egisse profitebantur. Eâ occasione duo tradidit sanctus Vir; primum, Catholicos ad potestatem Principum confugisse, non ut nocerent, sed ut se tuerentur, & suâ; alterum, Principes à Deo esse majestate donatos, ut eâ utantur ad tuendam Dei religionem, & facinerosos homines atque irreligiosos coercendos. Romani Correctores jam adnotaverunt, adjiciendam fuisse particulam *non* Gratianeis exemplaribus, juxtà optimos codices Augustini.

De epistola ad Eudoxium.

Eudoxius quidam Presbyter, atque in Capraria Insula Clericorum Collegio Præfectus, nimio delitescens otio utilitatem Ecclesiæ negligebat. Eum hortatus est Augustinus, ut otio non ad ignaviam, sed ad pietatis opera uteretur; eâque occasione ceteros fratres in Collegio consistentes admonuit, ut Ecclesiæ utiles se se exhiberent. Epistolæ, quæ in veteribus editionibus erat 81., nunc apùd Maurinos 48., hæc est inscriptio: *Domino dilectio, & exoptatissimo fratri Compresbytero Eudoxio, & qui tecum sunt fratribus, Augustinus, & , qui mecum sunt, fratres, in Domino salutem.* Ex hac epistola depromptus est canon 30. caus. 16. quæst. 1., de quo nihil singulare adnotandum occurrit. Can. 30. caus. 16. q. 1.

De epistola ad Eusebium.

Quisnam fuerit Eusebius ille, ad quem directa est epistola Augustini in vetustis editionibus 169., & 35. apùd Maurinos, eruditi viri se ignorare professi sunt. Eum appellat sanctus Antistes *Dominum eximium, meritoque suscipiendum, & dilectissimum fratrem.* Ex eo quòd ea epistola ab Augustino jam Episcopo scripta fuerit, facilè conjicere possum & Episcopum Eusebium fuisse, sive quòd *Frater* vocetur, sive quòd ab Augustino in Ecclesiastica causa arbiter fuerit constitutus. Argumentum epistolæ hoc est. Scissa erat in duas partes diro schismate Ecclesia Hipponensis operâ Donatistarum, ibidèm consistentium, Catholicis præsidente Augustino, Donatistis Proculejano. Summâ tunc moderatione Augustinus utebatur; propterèà ubi intra suos limites consisterent Donatistæ, remissiùs cum illis agebat prudenti quadam dispensatione; quum verò confines suos excederent, nimirùm conarentur, ut Catholicos in sui perfidiam traherent, invicto zelo Can. 39. caus. 24. q. 1.

remedium gliscenti malo gravissimo meditabatur. Fuit tunc Subdiaconus quidam moribus corruptissimis, qui, à Catholicis ad Donatistas deficiens, immanibus, publicisque criminibus cuncta turbabat; quod ægrè ferens Augustinus non cum Proculejano rem voluit proprio studio per se componere, sed potiùs ad Eusebium scripsit, ut ipse causæ susciperet arbitrium, & admoneret Proculejanum, ut Clericos sui schismatis in officio contineret. His positis, facilè intelligitur sententia canonis 39. caus. 24. quæst. 1., cujus verba ex integra epistola ità supplenda sunt, atque emendanda: *Subdiaconus quondàm Spaniensis Ecclesiæ, vocabulo Primus, cum ab accessu indisciplinato Sanctimonialium prohiberetur, atque ordinata, & sana præcepta contemneret, à clericatu remotus est; & ipse irritatus adversùs disciplinam Dei, transtulit se ad illos* (videlicèt ad Donatistas) *& rebaptizatus est. Duas etiàm Sanctimoniales concolonas suas* (aliquot MSS. codices veteres habent: *cum colonis suis*) *de fundo Catholicorum Christianorum, sive idem transtulit, sive illam sequutæ, etiàm ipsæ tamen rebaptizatæ sunt, & nunc cum gregibus circumcellionum inter vagabundos greges fœminarum in detestabilis vinolentiæ baccationibus superbus exsultat. Et hoc fortassè Proculejanus ignorat. Ergò per tuam gravitatem atque modestiam eidem in notitiam perferatur, jubeat eum propter inobedientiam & perditos mores à sua communione removeri. Etenim ego, si Domino placet &c.* Quæ sequuntur in epistola, eadem omninò sunt, quæ descripsit Gratianus. Undè liquet, eò collimasse Augustinum, quò suaderet, ut quemadmodùm Catholici, ità hæretici delinquentes suos ad publicam fovendam tranquillitatem, quod fieri per tempora posset, coercerent.

De epistola ad Festum.

Can. 25. caus. 23. q. 4. Vix est, quod dignum animadversione videatur, ad epistolam Augustini ad Festum in vetere editione 167., apùd Maurinos 89. Totus ibidèm est Augustinus, ut tradat, Donatistas esse gravissimè coercendos, quoniàm pluribus vexationibus Ecclesiam turbabant. Festum autèm ad id præcipuè hortatur, quia Festus idem jam literas adversùs Donatistas scripserat, quibus tamèn non omninò Donatistæ paruerant. Ex hac epistola depromptus est canon 25. caus. 23. quæst. 4., ubi addenda esse videntur, quæ Gratianus omisit; etenim pòst illa verba: *Sed ambo sanati gratulantur*, hæc subsequuntur apùd Augustinum: *Denique non, sicut putant, & sicut jactant, tales eos suscipimus, quales fuerunt, sed omninò mutatos, quia esse Catholici non incipiunt, nisi hæretici esse destiterint; neque enim &c.*

De epistola ad Fortunatianum.

Acriter objurgaverat Augustinus Episcopum quemdam, qui visus fuerat tradidisse, Deum quasi corporeum corporeis oculis cerni posse, juxta hæresim Antropomorphitarum. Reprehensus Episcopus asperis verbis Augustino respondit, & veterum Patrum testimoniis, quod dixerat, confirmare conatus est. Nihil hinc antiquius fuit Augustino pacis amantissimo, quàm in gratiam, amicitiamque Episcopi illius redire; quamobrèm epistolam scripsit ad Fortunatianum Episcopum Siccensem, ut ejus interventione discissi animi reconciliarentur. Ea epistola in vetustis editionibus erat 111., & apùd Maurinos est 148.: ibi autèm docet datâ occasione sanctus Vir modum, quo in cœlesti, quam speramus, Patria Deus à nobis videbitur; & subjicit intereà quorumdam exempla, qui hallucinati sunt gravissimè, dum legentes in sacris literis humana membra Deo quodammodò adscribi, de Deo tanquàm de corpore cogitaverunt. Hùc pertinet canon 10. dist. 9., cujus verba cum Augustini epistola penitùs consonat. Can. 10. dist. 9.

De

De epistola ad Fortunatum.

Can. 21. & 36. de cons. dist. 4.

Quamquàm inter epistolas Augustini una ad Fortunatum scripta reperiatur, in vetustis editionibus 230., apùd Maurinos 115., ad illam tamèn minimè pertinent, quæ eo nomine à Gratiano commemorantur. Quod in primis spectat ad canones 21. & 36. de cons. dist. 4., adparent isti apùd Ivonem uno spiritu juncti in parte 1. Decreti cap. 191. Nimirùm, quæ Gratianus retulit in can. 21. collocantur pòst illa verba canonis 36. *Et stirpe venientes*; itèm pòst verba ejusdem canonis 21. ità collocata subsequitur versiculus *Nàm cum illa historia* in laudato can. 36. Apud Ivonem hæc habetur inscriptio: *Augustinus in libro ad Fortunatum.* Ego puto & Gratianum & Ivonem ex alio auctore, quàm ex Augustino, ea deprompsisse, & nomen Augustini ideò adposuisse, quòd illud adjectum vidissent in marginalibus incerti auctoris notis: Cujus suspicionis conjecturam ex eo gravem capio, quòd nonnulla consimilia tractata ab Augustino fuerint in disputatione habita contrà Fortunium quemdam Donatistam, (qui in lectione MSS. veterum sunt versati, facilè percipiunt, quomodò contigerit, ut pro nomine *Fortunii* legi scribive ab aliis potuerit nomen *Fortunati*) quem idem Augustinus memoravit in epist. ad Eleusium, & Glorium, apùd Maurinos 44., ubi inter cetera demonstratur, in administratione Sacramenti Baptismatis administri qualitates parùm attendi oportere. Sanè quod attinet ad baptismum, à Laico in extrema necessitate collatum, similia quædam traduntur ab Augustino in lib. 2. contrà epistolam Parmeniani cap. 13. ibi: *Quamquàm etsi Laicus aliquis pereunti dederit necessitate compulsus, quod cum ipse acciperet, quomodò dandum esset, addidicit, nescio, an piè quisquam dixerit esse repetendum: nullâ enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est; si autèm necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Sed etsi nullâ necessitate usurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit non potest dici non datum, quamvis rectè dici possit illicitè datum.*

Verba canonis 37. de cons. dist. 4. primùm adparent apùd Burchardum in cap. 16. lib. 4. sub hac inscriptione: *Ex dictis Augustini*; deindè similiter apùd Ivonem in parte 1. Decreti cap. 211., ubi tamèn nonnulla aliter describuntur, quàm apùd Gratianum, quemadmodùm jam Romani Correctores animadverterunt. Planè ea verba habentur in libro de Ecclesiasticis Dogmatibus, quem superiùs observabam non esse germanum Augustini opus, sed potiùs hominis Pelagiani.

Can. 37. de cons. dist. 4.

De epistola ad Glorium, Eleusium, & alios.

Effrænis Donatistarum impudentia, quâ pertinaciter ipsi, licèt pluriès à Catholicis viris convicti, in schismate permanebant, in causa fuit, ut crebrò adversùs eos Augustinus declamaret, quà publicis sermonibus, quà privatis ad varios missis epistolis. Declamavit autèm inter cetera in epistola olim 162., & 43. apùd Maurinos, cujus hæc est inscriptio: *Dominis dilectissimis, & merito prædicandis Fratribus, Glorio, Eleusio, Felici, Grammatico* (aliqui codices habent *Felicibus Grammaticis*) *& ceteris omnibus, quibus hoc gratum est, Augustinus.* Quoniàm verò viri illi *Fratres* ab Augustino appellantur, jure auguramur, eos in Episcopali gradu fuisse constitutos. Prima ejusdem epistolæ verba eadem sunt cum iis, quæ recensuit Gratianus in canone 29. caus. 24. quæst. 3. pòst Romanam Correctionem; ubi mens sancti Doctoris ea est, ut velit, eos, qui, veritatem edocti, à Donatistarum erroribus desciverunt, non hæreticos appellandos esse, sed eos tantummodò, qui pluriès convicti, in erro-

Can. 29. caus. 24. q. 3.

erroribus contumaces perstiterunt.

De epistolis ad Januarium.

Duæ sunt apùd Augustinum epistolæ ad Januarium scriptæ, qui in aliquibus MSS. codicibus testimonio Maurinorum notarius appellatur. Prior est apùd Maurinos 54., in veteribus editionibus 118., posterior apùd Maurinos 55., in veteribus editionibus 119. In priore Augustinus respondit Januario interroganti, quid agendum in iis causis sit, in quibus non constans & uniformis adparet Ecclesiarum omnium disciplina. Prudenter ajebat sanctus Antistes, in iis moribus uniuscujusque Provinciæ esse indulgendum; quò spectat canon 11. dist. 12. hodiè à Romanis Correctoribus emendatus. Illud adhùc animadvertendum superest in illis verbis *contra bonos mores injungitur*, quod observaverunt Maurini, nimirùm in aliquibus MSS. ità legi: *contrà bonos mores esse convincitur*. Quædam prætereà sunt apùd Gratianum omissa, quæ ad integram exhibendam Augustini sententiam adjicienda videntur; siquidèm pòst illa verba canonis *indifferenter est habendum*, ità habetur apùd Augustinum: *Et propter eorum, inter quos vivitur, societatem servandum est. Credo te aliquandò ex me audisse, sed tamèn etiàm nunc commemoro. Mater mea, Mediolanum me consecuta, invenit Ecclesiam Sabbato non jejunantem. Cæperat turbari, & fluctuare, quid ageret. Cum ergò talia non curabam, sed propter ipsam consului de hac re beatissimæ memoriæ virum Ambrosium. Respondit mihi, nihil se docere me posse, nisi quod ipse faceret, quia si meliùs nosset, id potiùs observaret. Cumque ego putassem, nullâ redditâ ratione, auctoritate solâ suâ nos voluisse admonere, ne Sabbato jejunaremus, subsecutus est, & ait mihi: Cum Romam venero, jejuno Sabbato; cum hic sum, non jejuno. Sic etiàm tu &c.* Ad hanc eamdem epistolam pertinet canon 84. vers. ult. de pœn. dist. 1. Videlicèt expendens Augustinus varias Ecclesiarum disciplinas exemplum adferebat aliquorum, qui quotidiè ad Eucharisticum Sacramentum accedebant, quandò alii ob reverentiam in Sacrosancta Mysteria rarò idem Sacramentum suscipiebant, ità edisserens: *Dixerit aliquis, non quotidiè accipiendam Eucharistiam. Quæsieris quare? Quoniàm, inquit, eligendi sunt dies, quibus puriùs homo, continentiùsque vivit, quo ad tantum Sacramentum dignus accedat; qui enim manducaverit indignè, judicium sibi manducat, & bibit. Alius contrà. Imò, inquit, si tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint, auctoritate Antistitis debet quisque ab altario removeri ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari.* Et pòst pauca: *Rectiùs inter eos fortassè quispiam dirimit litem, qui monet, ut præcipuè in Christi pace permaneant; faciat autèm unusquisque, quod secundum fidem suam piè credit esse faciendum.* Duo ex his Augustini verbis deducuntur: Primum est, versiculum postremum Gratianei canonis perperàm adsutum fuisse præcedentibus versiculis, quasi omnia ex eodem Augustini libro deprompta sint, cum priora ad Enchiridium pertineant, posteriora ad memoratam epistolam ad Januarium: Alterum est, verba postremi versiculi non exhibere ipsam Augustini sententiam, sed potiùs sententiam illorum, quos ibidèm Augustinus laudabat. Prætereà adeamdem Augustini epistolam pertinet canon 13. vers. *dixerit quispiam* de cons. dist. 2., quem jam superiùs expendebam, cum agerem de libro de Ecclesiasticis dogmatibus. Deniquè ad eamdem epistolam referendus est can. 54. de cons. dist. 2., ubi, cum memoraret Augustinus varias Ecclesiarum consuetudines in iis, quæ ex Christi præceptionibus non sunt definita, exemplum adfert in jejunio, ante Eucharistiæ susceptionem observando. Ibi sanè notandum est, quod Glossographi scripserunt ad illa verba: *Quod nulla orarum diversitate variatur*, adnotantes ità: *Orarum,*

Can. 11. dist. 12.

Can. 84. vers. ult. de pœn. dist. 1.

Can. 13. vers. 1. &

Can. 54. de cons. dist. 2.

rum, id est, regionum; neque enim laboravissent adeò, si codices Augustini ob oculos habuissent, in quibus non legitur *orarum*, sed *morum*.

Can. 12. dist. 12. Ad alteram epistolam ad Januarium referendus est canon 12. dist. 12., ubi tamèn non omnes codices consonant; siquidèm alicubi legitur *universæ Ecclesiæ...servilibus operibus....legalibus tamèn sarcinis*, ubi scripsit Gratianus *universalis Ecclesiæ.... servilibus oneribus....legalibus tamèn sacramentis.* Itèm propè finem

Can. 3. caus. 26. q. 2. ejusdem epistolæ legitur canon 3. caus. 26. quæst. 2., ubi pro voce illa *unitatem* substituendum est *vanitatem*. Ibidèm improbabat Augustinus morem nonnullorum, qui ex libris Sacræ Scripturæ propheticis divinare futura se posse credebant, quæ *Sortes Sanctorum* aliquandò appellatæ fuerunt, quemadmodùm in Concilio Agathensi in can. 6. caus. 26. quæst. 5., atque id recentioribus etiàm sæculis damnandum fuit, uti liquet ex Capitulari Francorum 3. anni 789. cap. 4. ibi: *Ut nullus in Psalterio, vel in Evangelio, vel in aliis rebus sortire præsumat, nec divinationes aliquas observare.*

De epistolis ad Hieronymum.

Cum Hieronymus studio penè incredibili novam sacrarum literarum interpretationem exornavisset, non potuit non concitare religiosorum plurium virorum animos, quòd facilè in suspicionem adducerentur futurum, ut rei novitate aliqua in Ecclesia turbarentur, præcipuè verò Septuaginta Interpretum versio, eò usquè receptissima, & ab Apostolica ipsa ætate in Ecclesia recepta vilesceret, ac contemneretur. Inter hos fuit Augustinus, qui, quamquàm Hieronymi ingenium, laboresque æqui boni faceret, hac tamèn in parte statim visus est contradixisse, adeò ut à nonnullis creditus esset Hieronymo invidere. Id ingenuè profitetur Augustinus idem in epist. 82. ad Hieronymum, quem rogavit, ut novæ interpretationis exemplar ad se mitteret, ità scribens inter cetera: *Ut hi, qui me invidere putant utilibus laboribus tuis, tandèm aliquandò, si fieri potest, intelligant, propterèà me nolle tuam ex Hebræo interpretationem in Ecclesiis legi, ne contra Septuaginta auctoritatem tanquàm novum aliquid proferentes magno scandalo perturbemus plebem Christi, quarum aures, & corda interpretationem audire consueverunt, quæ etiàm ab Apostolis probata est.* Cum Augustino idipsum tradebant plures gravissimi Antistites, ex rei novitate aliquid extimescentes; licet enim apùd ipsos magno esset in pretio Hieronymi doctrina, nondùm tamèn ejus versio ceteris vetustioribus antehabenda videbatur, quousquè publica Ecclesiæ definitio accessisset. Idem Augustinus in proposito Hieronymum monuit, ut aliò studia sua conferret, præsertim in vertendis è græco in latinum operibus Græcorum insignium, qui divinas literas commentariis illustraverant, ità scribens in epistola apùd Maurinos 28. *Petimus ergò, & nobiscum petit omnis Africanarum Ecclesiarum studiosa societas, ut interpretandis eorum libris, qui græcè scripturas nostras quàm optimè tractaverunt, curam atque operam impendere non graveris. Potes enim efficere, ut nos quoquè haberemus tales illos viros, & unum potissimùm, quem tu libentiùs in tuis literis sonas. De vertendis autèm in latinam linguam sanctis Literis Canonicis laborare te nollem, nisi eo modo, quo Job interpretatus es, ut signis adhibitis, quid inter hanc tuam, & Septuaginta, quorum est gravissima auctoritas, interpretationem distet, adpareat. Satis autèm nequeo mirari, si aliquid adhùc in Hebræis exemplaribus invenitur, quod tòt interpretes illius linguæ peritissimos fugerit. Omitto enim Septuaginta, de quorum vel consilii, vel spiritus majore concordia, quàm si unus homo esset, non audeo in aliquam partem certam ferre sententiam, nisi quod eis præeminentem auctoritatem in hoc munere sine controversia tribuendum existimo. Illi me*

plus

plus movent, qui cum posteriores interpretentur, & verborum, locutionumque Hebræarum vim, atque regulas mordicùs, ut fertur, tenerent, non solùm inter se non consenserunt, sed etiàm reliquerunt multa, quæ tanto post eruenda, & prodenda remanerent. Et aut obscura sunt, aut manifesta. Si enim obscura sunt, te quoquè in eis falli potuisse creditur: si manifesta, illos in eis falli potuisse non creditur. Hæc necessariò erant præjacienda, ut sententiæ Augustini, ad Hieronymum scribentis, apùd Gratianum relatæ, intelligerentur. In primis canon 5. dist. 9. Can. 5. dist. 9. depromptus est ex epistola in veteribus editionibus 19., & apùd Maurinos 82., ubi Augustinus candidè profitetur, se Hieronymi auctoritate non adeò moveri, ut ejus interpretationem Sacræ Scripturæ ceteris antiquioribus præferat, ad hanc rem ità scribens: *Ego enim fateor charitati tuæ, solis eis scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam; ac si aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quàm mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minimè intellexisse, non ambigam. Alios autèm lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinâque præpolleant, non ideò verum putem, quia ipsi ità senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi frater, sentire aliud existimo: prorsùs, inquam, non te arbitror sic legi tuos libros velle tanquàm Prophetarum, vel Apostolorum, de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est. Absit hoc à pia humilitate, & veraci de te ipso cogitatione.* Ex his verbis Gratiani canon erit emendandus.

Can. 7. dist. 9. Ex alia epistola ad Hieronymum, apùd Maurinos 40., & 9. in aliis editionibus, in qua eadem ferè res pertractatur, depromptus est canon 7. dist. 9., scilicèt Augustinus Hieronymum reprehendit, quod in expositione Divinarum Scripturarum videretur mendacium adprobare, dum scriberet, officiosa quædam mendacia sacrorum monumentorum scriptores aliquandò protulisse. Ne verò Augustinus idem in suis objurgationibus nimis acer & asper apùd Hieronymum haberetur, aliam scripsit epistolam apùd Maurinos 82., quâ traderet se monendi potiùs, quàm reprehendendi animo ità scripsisse, professus se libentissimè passurum, quotiescumque aliqua de causa abs Hieronymo reprehenderetur. Hùc pertinet canon 34. caus. 2. quæst. 7., cujus hæc verba sunt: *Idemidèm rogo, ut me fidenter corrigas, ubi mihi hoc opus esse perspexeris; quamquàm enim secundum bonorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, Episcopatus Presbyterio majus sit, tamèn in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est, licèt etiam à minore quolibet non sit refugienda, vel dedignanda correctio.* Can. caus. 34. 2. q. 7.

Sententia canonis 19. de pœn. dist. 2. legitur in alia epistola ad Hieronymum apùd Maurinos 167., alibi 29., in qua Augustinus improbat doctrinam Stoicorum tradentium, omnia peccata esse paria, eo usus argumento: virtutes, quæ vitiis opponuntur, in aliquibus excellentiores sunt, in aliquibus multò minores: ergò vitia nonnullorum graviora sunt, nonnullorum leviora. Ad eam rem ità de charitatis virtute scribit: *Hæc in aliis major, in aliis minor, in aliis nulla est. Plenissima verò, quæ jam non possit augeri, quandiù hic homo vivit, est in nemine, quandiù autèm augeri potest, profectò illud, quod minus est, quàm debet, ex vitio est.* Sunt hæc quæ in laudato canone 19. Gratianus voluit describenda. Can. 19. de pœn. dist. 2.

Non est hoc in loco omittendum, Augustinum, licèt Hieronymo sacras literas novâ interpretatione prodenti ab initio visus fuerit obstitisse, tandèm verò ejusdem labores probavisse, ac laudavisse, præsertim postquàm, mortuo Hieronymo, multi Hieronymi famæ

mæ detraherent. Hinc in lib. contrà Julianum 1. num. 34. ità de Hieronymo scripsit : *Græco, & Latino, insuper & Hebræo eruditus eloquio, ex occidentali ad orientalem transiens Ecclesiam in locis sanctis, atque in literis sanctis usquè ad decrepitam vixit ætatem.* Et lib. 2. propè finem : *De illo autèm sancto Presbytero, quæ secundum Dei gratiam, quæ data est ei, sic in Ecclesia laboravit, ut eruditionem Catholicam multùm in latina lingua multis & necessariis literis adjuvaret.*

De epistola ad Irenæum.

Can. 45. & 57. de cons. dist. 2.

Nescio, an ex Gratiani, an potiùs ex Amanuensium oscitantia profluxerit, ut duo laudarentur monumenta, quasi deprompta ex epistola Augustini ad Irenæum, scilicèt canon 45. & 57. de cons. dist. 2., quandò nulla est hujusmodi inscriptionis apùd Augustinum epistola : imò & qui fuerit Irenæus ille, compertum esse non potest. Verba canonis 45. jam olim descripta fuerant ab Ivone Carnotensi in cap. 8. & 9. partis 2. Decreti, ubi tamèn diversa habetur inscriptio, diversa quoquè verba exhibentur. Etenim in cap. 8. laudatur Augustinus *in expositione Psalmi* 53. *&* 98. his verbis : *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi : spiritualiter intellectum vivificabit vos, caro autèm non prodest quidquam. Sed quomodò illi intellexerunt. Carnem quippè sic intellexerunt, quomodò in cadavere venditur, aut in macello dilaniatur.* In cap. 9. iterùm Agustinus laudatur, sed *in homilia Psalmi* 28. his verbis : *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent ; ipsum quidèm, & non ipsum, ipsum invisibiliter, non ipsum visibiliter. Undè subditur : Etsi necesse est, illud visibiliter celebrari, necesse est tamèn invisibiliter intelligi.* Sententia Augustini quærenda est in enarrat. in Psalmum 98., ubi hæc leguntur ; ex quibus sanè & Ivonis & Gratiani editio est emendanda : *Spiritualiter intelligite, quod locutus sum : non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritaliter intellectum vivificabit vos ; &, si necesse est, illud visibiliter celebrari, oportet tamèn illud invisibiliter intelligi.* Hæc ipsa Augustini verba recensuit etiàm Beda in cap. 11. epist. 1. ad Corinthios. Canon autèm Gratianeus 57. videtur depromptus ex tractatu Augustini 26. in cap. 6. Evangelii Joannis, ibi : *Ego sum panis vivus, qui de Cælo descendi. Ideò vivus, quia de Cælo descendi. De Cælo descendit & manna, sed manna umbra erat, iste veritas est. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Hoc quandò caperet caro, quod dixit panem carnem ? vocatur caro, quod non capit caro, & ideo magis non capit caro, quia vocatur caro. Hoc enim exhorruerunt, hoc ad se multum esse dixerunt, hoc non posse fieri putaverunt. Caro mea est, inquit, pro mundi vita. Norunt fideles Corpus Christi, si Corpus Christi esse non negligant. Fiant Corpus Christi, si volunt vivere de Spiritu Christi: De Spiritu Christi non vivit, nisi Corpus Christi &c.* Quòd si quæratur, quomodò irrepere potuerit in inscriptiones canonum *epistola ad Irenæum*, ego suspicor, olim fortè ad marginem illorum monumentorum adjectam fuisse notam epistolæ Augustini ad *Januarium*, in qua nonnulla de suscipiendo Corpore Christi traduntur, ut curiosus interpres eam epistolam adire posset ; deindè autèm notam illam in inscriptionem irrepsisse, & pro nomine *Januarii* adpositum fuisse nomen *Irenæi* ex errore & oscitantia Amanuensium.

De epistola ad Julianum Comitem.

Quicumque canonem 2. de pœn.

Can. 2. de pœn. dist. 2. dist. 2., qualis apùd Gratianum exhibetur, contempletur his verbis expressum : *Charitas , quæ deseri potest , nunquàm vera fuit* ; fortè statim putabit, colligi ex eo posse, charitatis virtutem nunquàm in eo fuisse , qui deindè lethale crimen admiserit. Idem videtur tradidisse Gratianus in præcedentibus verbis. Idem aliqui colligere visi sunt in lib. 3. sentent. dist. 31. Petri Lombardi, quos tamèn ibidèm Lombardus idem refellit, laudata verba sub nomine Augustini ità explicans : *Quod dicitur, charitas nunquàm fuisse vera, quæ deseri potest, non ad essentiam charitatis refertur, sed ad efficientiam ; quia non efficit charitas , quæ deseritur , hominem verè beatum , nec perducit ad verum bonum.* Mihi alia via ineunda videtur, quàm quæ inita à Lombardo fuit, in eo monumento explicando. In primis enim observo, laudata verba non esse Augustini. Reperiuntur illa in libello exhortationis, seu de salutaribus documentis, ad quemdam Comitem directo , rejecto à Maurinis in appendicem tomi 6. operum Augustini ; & quidèm jure optimo, cum libelli stylus minimè Augustino conveniat. Potiùs tribuendus esset liber Paulino Aquilejensi, seu Forojuliensi Patriarchæ, sæculi octavi Scriptori. Referunt iidem Maurini ad hanc rem veterem Codicem MSS. Colbertinum , in quo hæc adposita erat libello inscriptio: *Sermo S. Paulini, Forojuliensis Episcopi, cuidam amico suo , in sæculo militanti , pacem, & prosperitatem , salutem , & gaudium sempiternum optat in Domino Jesu Christo Salvatore nostro.* Disputant eruditi, quisnam fuerit ille Paulini amicus , quem alii Julianum dicunt , alii Æricum , ac posteriores id conjiciunt ex epist. 94. Alcuini , ad eumdem Æricum scripta, suspicati pro Ærico Juliani nomen in scriptionem libri irrepsisse , quòd nonnulla in eumdem librum fuerint ex Juliano Pomerio derivata. Deindè verba à Gratiano descripta erunt ità edenda, qualia apùd Paulinum sunt, atque ex Paulini sententia explicanda. Jam diù Paulinus, Ecclesiæ suadente utilitate , ab amicis secesserat , quos tamèn identidem datis & acceptis epistolis colebat. Inter ceteros ad memoratum Comitem scribens: ait : *Licet enim me mutationis habitus longè tulisset à vobis corpore, sed nullatenùs charitate , quia charitas, quæ deseri potest, nunquàm vera fuit.* Agebatur de ostendenda benevolentia Paulini versùs amicos, quos ut ut absentes amare se profitebatur : eam autèm ipse exhibebat , ut demonstraret fictam fuisse necessitudinem, quæ mutatione locorum amitteretur. At quomodò hæc charitati fidelium erga Dei generaliter accommodari possint, ego non video , ut deducatur , habitum charitatis inter fideles nunquàm amitti posse. Utinàm & Gratianus & Lombardus authographum codicem præ manibus habuissent ; neque enim in recensendo brevi fragmento adeò ingenia sua torsissent.

De epistola ad Lotharium.

Laudavit Ivo in parte 10. Decreti cap. 79. epistolam Augustini *ad Letarium* quam Gratianus *ad Lotharium* scriptam adseruit in can. 38. caus. 23. quæst. 5. Et Ivo, & Gratianus inscriptionem corruperunt. Habetur canon in epistola ad Nectarium, in veteribus editionibus 254., apùd Maurinos 104. Nectarium ibidèm Augustinus appellat *eximium , meritoque honorabilem , ac suscipendum fratrem* , ex quibus facilè deducitur, eum fuisse Episcopali dignitate insignitum. Rogaverat Nectarius Augustinum , ut quibusdam civibus, olim gravissimorum criminum reis, maximæ admissæ in viros Ecclesiasticos cladis, vastatarum sacrarum ædium, ac similium , indulgentiam concederet, & gravissimam indictam pœnitentiam relaxaret , intra breviora tempora coercendo. Respondit Augustinus , Ecclesiæ maximè interesse enormia ejusmodi scelera atrociter ad aliorum exemplum puniri ; quò pertinent verba laudati canonis 38. , ubi pro illis *parcit , & favet* legitur

Can. 38. caus. 23. q. 5.

gitur apùd Maurinos *parcit*, *& fovet*.

De epistolis ad Macedonium.

Si quod est in tota Ecclesiastica vetustate argumentum, undè prisca disciplina eruatur reorum gratiâ, ad Ecclesias confugientium, illud sanè potissimùm exhibetur in epistola Augustini ad Macedonium, apùd Maurinos 153., & in antiquis editionibus 54. Nimirùm ubi atrocioris cujusdam criminis reus ad Ecclesiam accessisset, & ad Ecclesiæ Antistitem, delicti veniam petiturus, inter pœnitentes recipiebatur, & non nisi pòst diuturnum tempus severitate canonum expiatus restituebatur in communionem; de qua re ità Augustinus ajebat in epist. 159. *Vocatur quidèm & ista damnatio, sed quis non intelligat magis beneficium, quàm supplicium, nuncupandum, ubi nec sæviendi relaxatur audacia, nec pœnitendi medicina subtrahitur.* Dum verò reus pœnitentiæ publicæ per Ecclesiam subjiciebatur, consueverant Episcopi precibus à publicis Magistratibus intercedere, ut publicas pœnas, petità etiàm, ubi opus esset, summi Imperantis veniâ, remitterent, ac relaxarent. Itaquè Macedonius vir, ut ait Augustinus, *in Republica negotiosissimus, & non suis, sed alienis utilitatibus attentissimus*, Augustinum, quem *merito venerabilem, & unicè colendum Patrem* appellavit, interrogaverat, quâ ratione Episcoporum officium intercedendi apùd publicos Magistratus pro reis sacros ipsos Antistites teneret. Elegantissimè epistolâ suâ respondit Augustinus, inter cetera vulgari à nonnullis propositæ querimoniæ satisfaciens; nimirùm, cum nonnulla putarent, fures ab Ecclesia exceptos ab onere restituendi per Ecclesiam liberari, cujus rei argumentum tradit lex 1. cod. de his, qui ad Eccles. confug., scribit sanctus Vir, nunquàm illud per Ecclesiam fieri, sed potiùs pœnitentes fures, quotiès fieri posset, ut restituerent res ablatas, per Ecclesiam adjuvari. Ex hac epistola depromptus est canon 62. dist. 50., cujus verba corruperat Gratianus: aptiùs autem iterùm descripsit in can. 22. de pœn. dist. 3. Ibidèm Augustinus Macedonio suadebat, ut illis etiàm, qui iteratò deliquissent, & pœnitentiæ causâ ad Ecclesiam confugerent, veniam concederet. Jungendi prætereà sunt canones 71., caus. 11. quæst. 3. & 15. caus. 14. quæst. 5.; etenim, quod paucis traditur in can. 71. ex sententia Augustini, fusius, integriusque describitur in can. 15., præsertim pòst Correctionem Romanam. In eo ibidèm erat Augustini propositum, ut demonstraretur, non omninò habita fuisse tanquàm abolita crimina reorum, ad Ecclesiam confugientium, ac pœnitentium; etenim, si quis eorum injustè quidpiam rapuisset, etiàm pòst pœnitentiam exactam restituere cogebatur: atque eâ occasione obiter nonnulla attingebat sanctus Doctor exempla illorum, qui res alienas occupare injuriâ dicebantur. Pòst verba canonis 15., qualia apùd Gratianum hodiè jacent, vix paucis interjectis, ea sequuntur, quæ legimus in can. 11. caus. 14. quæst. 4. ad eamdem rem, uti liquet, pertinentia. Hùc etiàm spectat canon 1. caus. 14. quæst. 6., cujus verba hodiè à Romanis Correctoribus emendata exhibentur. Nimirùm, urgebat Augustinus, non adeò fovendos esse reos ad Ecclesiam confugientes, ut raptarum rerum restitutione liberarentur, ibi: *Quod autèm in epistola tua sequitur, ubi dicis verum nunc & mores nostri sunt, & sceleris pœnam cupiunt sibi homines relaxari, & id, propter quod scelus admissum est, possidere, pessimum hominum genus commemoras, cui pœnitendi medicina omninò non prodest; si enim res aliena, propter quam &c.* Hinc exorditur Gratianus. Erant olim alienarum familiarum expilatores, qui deindè, ære alieno pergravati, ideò ad Ecclesias confugiebant, ut à creditorum molestiis vindicarentur, imò & creditores suos

Can. 62. dist. 50. & can. 22. de pœn. dist. 3.

Can. 71. caus. 11. q. 3. & Can. 15. caus. 14. q. 5.

Can. 11. caus. 14. q. 4.

Can. 1. caus. 14. q. 6.

omninò fraudarent. Id *pessimum hominum genus* Augustinus vocabat, inter quos nonnullos Judæos extitisse testatur laudata lex 1. cod. de his, qui ad Eccles. confug. Hos, ubi dolo, & fraude ad Ecclesiam accessissent, Viri Ecclesiastici repellebant; ubi verò pœnitentiæ gerendæ causâ confugissent, eleemosynis in illos Ecclesiæ largitate collatis, adjuvabantur, ut creditoribus satisfacerent; quemadmodùm Augustinum ità fecisse constat ex epistola 268. ad plebem Hipponensem in causa cujusdam Fascii, debito 17. solidorum gravati. Extat in hanc ipsam rem Constitutio Theodosii Magni in l. 1. cod. Theodos. de his, qui ad Eccles. confug., ubi jubebat Imperator, aut neminem debitorem publici ærarii in Ecclesiam recipiendum; aut si reciperetur, Ecclesiasticos ipsos viros ad debitum solvendum obligari. Elegantissima sunt, quæ in eadem epistola describuntur derivata in canonem 4. caus. 23. quæst. 5., ubi Augustinus ità commendat sollicitudinem, & pietatem Episcoporum in intercedendo pro reis, ut tamen unà laudetur religio judicum, & severitas in eisdem reis cœrcendis. Quod emendandum erat, aut adnotandum in codice Gratiani jam Romani Correctores animadverterunt. Juvat hoc in loco & nonnulla subjicere de canone 5. eadem causâ & quæstione ab auctore Palearum adjecto. Is sanè apùd Augustinum desideratur, & potiùs opus esse videtur incerti nominis Glossographi, qui paucis præcedentem canonem interpretari conatus est: & quidèm ipse verba mutuatus fuisse videtur à Gratiano, qui similia ad interpretationem monumentorum veterum Patrum tradidit pòst canonem 42. de pœn. dist. 3. in fine. Ceterùm nec Glossographum, nec Gratianum longè abiisse ab Augustini sententia puto; licet enim Augustinus voluerit, illis quoquè reis esse indulgendum, qui pluriès in crimina lapsi fuissent can. 62. dist. 50. juncto can. 22. de pœn. dist. 3., non tamen ità parcendum reis voluit, ut etiàm pervicacibus, & pejora molientibus, subveniretur. Ad eamdem epistolam pertinet canon 17. caus. 23. quæst. 5., ubi Episcopalis humanitas in intercedendo laudatur. Eò etiam spectant canones 18. & 19. eadem causâ, & quæstione, qui cum integra epistola consonabunt, quotiès pro illis verbis canonis 18. *Non frustrà sunt instituta potestas Regis, & cognitoris jus, ungulæ carnificis &c.* ità legatur: *Nec ideò sanè frustrà sunt instituta potestas Regis, jus gladii cognitoris, ungulæ &c.* Deniquè ad eam epistolam referendus est canon 33. de pœn. dist. 3. ad optimos codices à Correctoribus Romanis exactus. Adnotant Maurini Monachi ea verba *In Ecclesiâ locus humillimæ pœnitentiæ* in nonnullis quidèm codicibus legi, sed in aliquibus pro illis haberi: *locus ille pœnitentiæ*, in aliis: *locus ille pœnitendi.*

Can. 4. 5. 17. 18 19. caus. 23. q. 5.

Can. 33. de pœn. dist. 3.

Alia est Augustini epistola ad eumdem Macedonium scripta, apùd Maurinos 155., in veteribus editionibus 52. sub hac inscriptione: *Augustinus Episcopus, famulus Christi, familiæque ejus dilecto Filio Macedonio in Domino salutem.* Ibidèm sanctus Vir sciscitantem virum docet, beatam vitam à solo Deo tanquàm à munificentissimo omnis boni largitore proficisci. Hinc depromptus est canon 53. caus. 23. quæst. 4., cujus verba cum integris epistolæ exemplaribus penitùs consonant.

Can. 53. caus. 23. q. 4.

De epistolis ad Marcellinum Comitem.

Duæ extant Augustini epistolæ ad Marcellinum Comitem scriptæ, qui ibidèm *Dominus eximius, & merito insignis, atque charissimus filius* nominatur; Prior apùd Maurinos 133., in veteribus editionibus 159., posterior apùd Maurinos 158., in veteribus editionibus 139., utrobiquè autèm Augustinus Marcellinum Tribunum militum hortabatur, ut Donatistas insequeretur, ità tamen, ut

à pœna sanguinis abstineret, sed salutari quadam ratione illos ad unitatem Catholicam revocaret. Ideò verò sanctus Vir opportunum duxit, militum animos ad eam aggrediendam provinciam sollicitari, quia Donatistæ publicam pacem rapinis, grassationibus, cædibus omnia turbaverant. Ex quo facilè intelligitur canon 1. caus. 23. q. 5. depromptus ex priore epistola, ubi gravissima Donatistarum crimina recensentur, & Marcellinus ad eos coercendos inducitur. Romani Correctores jam curaverunt, ut Gratianeum monumentum ex integris epistolæ codicibus emendatus exhiberetur. Inter cetera autèm jure observaverunt vocem illam *notariis* dubiam incertamque lectionem efficere, vel quòd in pluribus sive editis, sive MSS. Augustini codicibus legatur non *notariis*, sed *notaria*, vel *notoria*; vel quòd non ea possit esse Augustini sententia, ut notarii quidam essent homines accusandis sontibus addicti, quorum propterea ministerio Donatistæ accusarentur; sed potiùs *notaria*, sive *notoria* appellantur *quædam testificationum genera*, quemadmodùm interpretatus est Budæus in 2. editione adnotationum in Pandectas in l. 6. ff. ad Sen. cons. Turpillianum pag. mihi 109. Horum sanè *notariorum*, sive *notariarum* mentio fit tum in dicta l. 6. §. 3., tum in l. 7. cod. de accusation., quam ad rem observare juvat, apùd veteres aliud fuisse notas, aliud literas: literis scriptura clara, perspicuaque constabat; notis verò subobscura, nec facilè universis comperta, imò etiam paucis contracta. Itaquè subobscuræ istæ scripturæ, non literis, sed notis signatæ, *notoria*, sive *notaria* appellabantur, uti apùd Augustinum in Breviculo collationis adversus Donatistas, & apùd Apulejum in lib. 7. de asino aureo. Notoriam hujusmodi scripturam edere solebant Parentes, dum inter liberos hæreditatem prædividebant, ne fortassè paterna voluntas perspicua liberis redderetur, sed notarum interpretatio abs judice tota penderet, quemadmodùm eruitur ex l. 1. cod. Theodos. familiæ erciscundæ. Prætereà eisdem notis utebantur accusatores in judiciis publicis; itèm, ut ait Alexander ab Alexandro in lib. 2. genial. cap. 30. propè finem: *Romanis per signa, ac parvas, brevesque notas multarum literarum sensa colligere per notarios usus invaluit, adeò ut, quamvis citato sermone editas, in foro actiones per notas facilè actuarii exciperent, ac sensa, & verba intelligerent.* Itaquè, ubi de Donatistis ageretur, ajebat Augustinus, eos per notaria signa fuisse convictos, scilicèt ex notis adjectis in libellorum inscriptionibus, quas adversùs Catholicos fecerant. In posteriore epistola leguntur verba canonis 2. caus. 23. quæst. 5. ubi eadem materies tractatur; nimirùm de Donatistis tanquàm reis gravissimorum criminum coercendis.

Can. 1. caus. 23. q. 5.

Can. 2. caus. 23. q. 5.

De epistola ad Maximinum.

Maximinus, Siniti in Hipponensi Provincia Episcopus, Donatistis non tantùm ipse adhæserat, sed & alios, quibus præerat, sibi sociaverat; quamquàm deindè ad Catholicam reversus fuerit unitatem, ac pòst Catholicam pacem Donatistis redeuntibus datam in Episcopatu ex Ecclesiastica dispensatione permanserit, de quo propterea honorificam mentionem fecit Augustinus in lib. 22. de Civitate Dei cap. 8. num. 6. Dum autèm Donatistas Maximinus sequeretur, lusus fuerat Diaconum quemdam Mutugennensis Ecclesiæ, à Catholicis ad Donatistas deficientem, rebaptizare. Id ægrè ferens sanctus Hipponensis Antistes statim ad Maximinum epistolam scripsit, plenam doloris, & querelæ, apùd Maurinos 23., in vetustis editionibus 203., ex qua deprompta sunt verba canonis 108. de cons. dist. 4.

Can. 108. de cons. dist. 4.

De epistola ad Onoratum.

Onoratus quidam, Ecclesiæ Thiavensis Episcopus, Vandalorum vexatio-

Can. 9. caus. 32. q. 5.

tiones pertimescens, à Diœcesi, quam Vandali invadere meditabantur, secedere se posse putabat. Quod propositum ubi compertum Augustino fuit, probari non potuit; Hinc Augustinus sui officii immemorem Episcopum reprehendit epistolâ apùd Maurinos 228., & in vetustis editionibus 180., ad quam pertinet canon 9. caus. 32. quæst. 5., ubi traditur, magis verendum Christiano homini esse, ne interior animi virtus ac constantia intereat, quàm ne corpus pereat, aut fatigetur; quod confirmatur castitatis exemplo, quæ non violentiâ in corpus illatâ amittitur, sed interiore voluntatis consensione.

De epistola ad Pascentium.

Can. 3. caus. 32. q. 6. Nullum non moverunt lapidem hæretici, ut Augustinum in partem suam quoquo modo traherent, seu ut ejus animi vires sibi infensas declinarent, seu ut magnum hæreseos suæ præsidium quærerent. Cum verò immotus in vera fide, & hæreseos impugnator strenuus semper extiterit, hæretici confugerunt ad callidas artes, nimirùm cœperunt Augustinum clanculùm ad sua vocare colloquia, unionis & charitatis sanciendæ prætextu, ut deindè facilè in vulgus jactarent, Augustinum sibi tandèm aliquandò adhæsisse. Id adorsus est Pascentius, domus Regiæ Comes, & fide Arianus, qui Augustinum Carthaginem advocatum allocutus, ut refert Possidius cap. 17., in professione fidei, de qua edenda agebatur, elusit, subdolè surripiens Augustini suffragium, pòst quod palàm clamare cœpit, Augustinum à se victum fuisse. His gravissimè commotus sanctus Antistes ad eumdem Pascentium epistolam scripsit, quæ olim erat 164., nùnc apùd Maurinos 238., vehementer conquestus, quòd turpiter notaretur, eodem tempore reddens suæ integerrimæ fidei rationem. Hujus epistolæ fragmentum exhibetur in can. 3. caus. 32. quæst. 6., his verbis: *Ne ulteriùs dicas, quod te audio non tacere, non me fuisse ausum tibi dicere fidem meam, his literis accipe, quod & tu legas, & cui volueris legendum tradas, & quod volueris vicissim scribendo ipse respondeas. Iniquum est enim, ut quisque de alio judicare velit, & judicari de se nolit.* Hanc sententiam Gratianus ad eam quæstionem protraxit, in qua disputabat, nùm adulter possit uxorem adulteram dimittere.

De epistola ad Petrum Diaconum.

Canon 3. de cons. dist. 4., qui Augustino tribuitur, ad Petrum Diaconum scribenti, non est Augustini, sed potiùs Fulgentii Ruspensis in libro *de fide ad Petrum*, quem in appendicem tomi 6. Maurini Monachi rejecerunt, & de quo superiùs mentionem feci ad can. 55. caus. 1. quæst. 1., & can. 3. caus. 15. quæst. 1. Porrò laudatus canon 3. de cons. dist. 4. legitur in cap. 26. & 27. ejusdem libelli, cum quibus omninò consonabit, si pro illis Gratiani verbis *sempiterno igne puniendos*, ità legamus: *Ignis æterni supplicio sempiterno puniendos.* Hæc sanè codicum varietas adnotanda potissimùm ab iis erit, qui in ea disputatione versantur, an parvuli, sine baptismate decedentes, ignis pœnâ damnentur; etenim non nihil distare videtur inter duas illas loquendi formulas, *sempiterno igne puniri*, & *ignis æterni supplicio sempiterno puniri*: nàm, qui igne punitur, verè sentit pœnam ignis, qui verò punitur supplicio sempiterno ignis æterni, videtur quidèm æternis pœnis damnatus in loco æterni ignis, non tamèn ignem pati. Sunt, non inficior, gravissima Augustini testimonia, quibus sanctus ille vir visus fuit de pœna non baptizatorum infantum asperè nimis sensisse. Verùm, si sancti Viri scopus attendatur, fortè non videbitur adeò verborum cortici inhærendum, ut lenior non capi interpretatio possit. Pelagianos Augustinus impugnabat, qui

Can. 3. de cons. dist. 4.

pec-

peccato originis non inquinatos ajebant infantes, eosdemque prætereà æternâ vitâ ex Dei liberalitate & gratia donari. Æstu disputationis correptus sanctus Antistes eò perrexit, ut infantes illos, veluti peccati reos, ipsis gehennæ suppliciis damnatos assereret. Ceterùm, ubi de ea re quærendum sollicitè voluit, plurimùm se dubitare professus est, ita scribens in lib. 5. contrà Julianum cap. 10. *Quis dubitaverit, parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissima futuros? Quæ, qualis, & quanta erit, quamvis definire non possim, non tamèn audeo dicere, quod eis, ut nulli essent, quam ut ibi essent, potiùs expediret.* Quod de Augustino ajo, idipsum facilè dixerim de Fulgentio Ruspensi, qui Augustino doctrinæ sempèr adhæsit.

De epistola ad Possidium.

Testatur Augustinus in epist. ad Donatistas, apùd Maurinos 15.; Possidium fuisse Calamensem Episcopum, ad quem epistolam scripsit, in veteribus editionibus 73., apùd Maurinos 245. sub hoc titulo: *Domino dilectissimo, & venerabili Fratri, & consacerdoti Possidio, & qui tecum sunt, Fratribus Augustinus, & qui mecum sunt Fratres in Domino salutem.* Agitur in ea epistola de vitandis inanibus seu virorum, seu mulierum ornamentis, præsertim iis, quæ ad mentiendum, vel ad superstitiosum cultum parantur. Exindè deprompta sunt verba canonis 38. de cons. dist. 5., ubi nomine *inaurium* non intelliguntur ea ornamenta, quæ fœminæ ad ornatum deferre solent, quemadmodùm recentes Glossographi perperàm adnotaverunt, sed potiùs annuli quidam ex una tantùm aure pendentes, quos seu viri, seu fœminæ ideò deferebant, quòd tum crederent, se fore omnia pericula feliciter evasuros, inani, & perniciosâ superstitione. Id non solùm innuit Augustinus in iis verbis, *execrandam ligaturarum superstitionem*, sed etiàm in can. 6. caus. 26. quæst. 2. ibi: *Ad hoc genus pertinent omnes etiàm ligaturæ, atque remedia, quæ medicorum quoquè disciplina condemnat, sive in præcantationibus, sive in quibusdam notis, quas characteres vocant, sive in quibusdam rebus suspendendis, atque ligandis, vel etiàm saltandis quodammodò, non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes, aut occultas, aut etiàm manifestas.....sicut sunt inaures in summo aurium singularium, aut de struthiorum ossibus ansulæ in digitis &c.* Observatur facilè, Gratianeum canonem parùm Gratiani proposito convenire, cum in præcedentibus de Sacerdotum vita & honestate tractetur, in subsequentibus de vera doctrina fidei in asserenda Divina Spiritus sancti naturâ.

Can. 38. de cons. dist. 5.

De epistola ad Publicolam.

Publicolam, ad quem Augustinus scripsit, vulgò tradunt fuisse Melaniæ filium, quem vitâ functum fusis elogiis Paulinus commendat in epistola ad Augustinum, inter Augustinianas 94. apùd Maurinos. Illum Augustinus ipse *honorabilem, & dilectissimum filium* vocavit in epistola apùd Maurinos 47. Nonnulla quæsiverat Publicola à sancto Antistite; & primò, àn liceret à Barbaris, qui non veri Dei, sed Dæmonis nomen jurejurando invocabant, dum sponderent se fruges Christianis Dominis servaturos, jusjurandum recipere. Dubitabatur enim in primis, àn qui jusjurandum ejusmodi reciperet, videretur cum Barbaris ipsis idololatriam communem habere, deindè, àn fruges, Dæmonum invocatione servatæ, quasi impiè maculatæ haberentur, propterèaque tales, à quibus esset necessariò abstinendum. Eâ ipsâ occasione interrogaverat Publicola, àn liceret Christiano manducare quidquam *de area trituratoria tritici, vel cujuscumque leguminis, aut torculari, de quo Dæmoni oblatum esset.* Prioribus his quæstio-

tionibus respondens Augustinus ea scripsit, quæ maximâ in parte habentur in can. 3. 15. & 16. caus. 22. quæst. 1. & in canone 10. caus. 26. quæst. 2., quibus opportunum erit addere canones 2. 5. 6. 7. & 8. caus. 22. quæst. 1., licèt aliundè deprompti sint, cum idem argumentum exhibeant. Ait Augustinus in ea epistola: *Movet te certè* (hic est canon 16. caus. 22. quæst. 1.), *utrùm ejus fide utendum sit, qui, ut eam servet, per Dæmonia juraverit. Ubi te volo priùs considerare, utrùm, si quispiam per Deos falsos juraverit se fidem servaturum, & eam non servaverit, non tibi videatur bis peccasse? Si enim tali juratione promissam custodiret fidem, ideò tantùm peccasse judicaretur, quia per tales Deos juravit. Illud autèm nemo reprehenderet, quia fidem servavit. Nunc verò, quia & juravit, per quos non debuit, & contrà pollicitam fidem fecit, quod non debuit, bis utiquè peccavit; ac per hoc, qui utitur fide illius, quem constat jurasse per Deos falsos, & utitur, non ad malum, sed ad licitum, & bonum, non peccato ejus se sociat, quo per Dæmonia juravit, sed bono pacto ejus, quo fidem servavit. Neque hic eam fidem dico servari, quâ fideles vocantur, qui baptizantur in Christo; illa enim longè alia est, longèque discreta à fide humanorum placitorum, atque pactorum. Verumtamèn sine ulla dubitatione minus malum est per Deos falsos veraciter jurare, quàm per Deum verum fallacitèr. Quanto enim, per quod juratur, magis est sanctum, tanto magis est pœnale perjurium. Alia ergò quæstio est, utrùm non peccet, qui per falsos Deos sibi jurari facit, quia ille, qui ei jurat, Deos falsos colit. Cui quæstioni possunt illa testimonia suffragari, quæ ipse commemorasti de Laban & Abimelech, si tamèn Abimelech per Deos suos juravit, sicut Laban per Deum Nachor. Hæc, ut dixi, alia quæstio est, quæ me merito fortassis moveret, nisi illa exempla occurrissent de Isaac, & Jacob, & siqua alia possunt inveniri. Si tamèn illud adhùc movet, quod in novo testamento* (hic est canon 3. ead. caus. & quæst.) *dictum est, ne omninò juremus. Quod quidèm mihi propterea dictum videtur, non quia verum jurare peccatum est, sed quia pejerare immane peccatum est, à quo nos longè esse voluit, qui omninò ne juremus admonuit. Sed tibi aliud videri scio, undè nunc disputandum non est, ut illud potiùs agamus, undè me consulendum putasti. Proindè, sicut non juras, ità nec alium, si hoc placet, jurare compellas; quamvis* (hic est canon 15. ead. caus. & quæst.) *dictum sit, ne juremus, nusquàm autèm in scripturis sanctis legi meminerim, ne ab alio jurationem accipiamus. Alia verò quæstio est, utrùm eâ pace debeamus uti, quæ inter alios invicèm jurantes facta est. Quod si nolumus, ubi vivamus in terris, nescio, utrùm invenire possimus. Neque enim tantummodò limiti, sed universis Provinciis pax conciliatur juratione barbaricâ. Undè & illud sequetur, ut non fruges tantùm, quæ ab eis custodiuntur, qui per Deos falsos juraverunt, sed ubiquè inquinata sint omnia, quæ ipsâ pace muniuntur, quam juratio illa confirmat. Quòd si absurdissimum est dicere, nec ità te movebant. Item si de area* (hic est canon 10. caus. 26. quæst. 2.), *vel torcular tollatur aliquid ad sacrificia Dæmoniorum, sciente Christiano, peccat, si fieri permittit, ubi prohibendi potestas est. Quòd si factum comperit, aut prohibendi potestatem non habuit, utitur mundis reliquis fructibus, undè illa sublata sunt, sicut fontibus utimur, de quibus hauriri aquam ad usum sacrificiorum certissimè scimus. Eadem est ratio lavacrorum. Neque enim spiritum deducere ex aere dubitamus, in quem scimus ire fumum ex aris omnibus, & incensis Dæmoniorum.* His satisfecit Augustinus primæ interrogationi Publicolæ. Et multa pertinent ad interpretationem præcepti Dominici apùd Matthæum cap. 5. ibi: *Ego autèm dico vobis, non jurare omninò &c.* Hùc, ut notabam, opportunum duxi non absimiles referre canones, quales sunt canon 5. & 6. caus. 22. quæst. 1., ubi verba eadem Dominica interpretatus est Augustinus in lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 17., & ubi

Can. 2. 3. 5. 6. 7. 8. 15. 16. caus. 22. 1. & Can. 10. caus. 26. q. 2.

ubi pro illis Gratiani verbis: *Nisi necessitas cogat, videlicèt cum videt....juratione firmetur*, legendum est ex integris Augustini codicibus, *nisi necessitate, cum videt.... juratione firmentur.* Postrema verba canonis 5. eadem sunt cum primis verbis canonis 6., ità legenda: *Tu enim non malum facis, qui benè uteris juratione, quæ, etsi non bona, tamèn necessaria est, ut alteri persuadeas, quod utiliter suades. Sed à malo est illius, cujus infirmitate jurare cogeris.* Opportunum quoquè est hùc referre, quod idem Augustinus tradidit in can. 2. caus. 22. quæst. 1., ubi interpretabatur verba Pauli in epist. ad Galatas cap. 1. *Quæ autèm scribo vobis, ecce coràm Deo, quia non mentior*, ità subjiciens: *Qui dicit: ecce coràm Deo, quia non mentior, jurat utiquè. Et quid sanctius hac juratione? Sed non est contrà præceptum &c.* Quæ sequuntur apùd Gratianum, consonant cum Augustini codicibus, dummodò utamur Romanorum Correctorum emendatione. Deniquè opportunum est hùc referre similes Hieronymi interpretationes in can. 7. & 8. ead. caus. & quæst., nimirùm in can. 7. interpretabatur Hieronymus caput 4. Jeremiæ: *Et jurabis, vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in justitia; & benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt.* Verba Hieronymi eadem sunt cum Gratianeis, si pro illis *quomodò ergò...& juratur per Dominum*, ista substituas: *Et quomodò ergò....& jurat per Dominum.* In canone 8. interpretabatur Hieronymus verba Matthæi, modò laudata, sic scribens in lib. 1. Commentariorum in Matthæum: *Hanc per elementa jurandi pessimam consuetudinem sempèr habere Judæi noscuntur, sicut prophetalis eos sempèr arguit sermo. Qui jurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem jurat. In lege præceptum est, ut non juremus, nisi per Dominum Deum nostrum. Judæi per Angelos, & Urbem Jerusalem, & templum, & elementa jurantes, creaturas, resque carnales venerabantur honore, & obsequio Dei. Deniquè considera, quòd hic Salvator non per Deum jurare prohibuerit, sed per Cœlum, & terram, & Hierosolymam, & per caput tuum. Et hoc quasi parvulis fuerat lege concessum; ut quomodò victimas immolabant Deo, ne eas Idolis immolarent; sic & jurare permitterentur in Deum: non quòd rectè hoc facerent, sed quòd melius esset, Deo id exhibere, quàm Dæmonibus. Evangelica autèm veritas non recipit juramentum, cum omnis sermo fidelis pro jurejurando sit.*

Altera Publicolæ interrogatio hæc erat: *Si Christianus videat, se à Barbaro, vel Romano velle interfici, debet eos ipse Christianus interficere, ne ab illis interficiatur; vel, si licet, sine interfectione eos repellere, vel impugnare, quia dictum est, non resistere malo? Si murum possessioni debet Christianus facere propter hostem, & si ille Christianus, qui fecerit murum, causa non existit homicidii, cum indè aliqui cœperint pugnare, & interficere hostes?* Quæ leguntur in can. 8. caus. 23. q. 5. exhibent Augustini responsionem, ubi tamèn pro verbis illis: *Ne ab eis quisquam occidatur....nec reus est mortis alienæ, qui cum suæ possessionis ex lapidibus murum circumduxerit, aliquis ex ipsorum lapsu percussus intereat...commemorando finire*, legendum est: *Ne ab eis quisque occidatur....nec reus est mortis alienæ, qui suæ possessioni murum circumduxerit, si aliquis ex ipsius ruinis percussus intereat... commemoranda finire.* Ità pòst illa verba, *aut dentes canis*, & pòst verbum *irrigari*, adjiciendæ erunt notæ interrogationis, quæ in plerisque Gratiani codicibus desiderantur. Totus, ut liquet, ibidèm est Augustinus, ut demonstret, causâ tuendi honoris, vel patrimonii, hominem ab homine occidi non licere, nisi publica accedat auctoritas. Quam mentem suam jam clariùs aperuerat in lib. 1. de libero arbitrio cap. 5. ità de divina providentia locutus: *Quomodò enim apùd eam sunt isti peccato liberi, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?* Hæc sanè didicerat à Præceptore suo Ambrosio in

Can. 8. caus. 23. q. 5.

lib. 3. de officiis cap. 4. ità scribente: *Non videtur, quòd Vir Christianus & justus, & sapiens quærere sibi vitam alienâ morte debeat, utpote qui, etiamsi in Latronem armatum incidat ferientem, referire non possit, ne, dum salutem defendit, pietatem contaminet*; quod & olim Cyprianus docuerat ità scribens in epist. 56. *Occidere non licet, sed occidi necesse est*; & in epist. 57. *Occidere innocentibus nec nocentem liceat.*

De epistola ad quemdam Comitem.

Canon 7. caus. 3. quæst. 7. sub hac inscriptione exhibetur *Augustinus ad quemdam Comitem*; undè in obscuro collocatur monumentum, ex quo depromptus fuisse videatur. Referendus est canon ad libellum, cui titulus est *exhortationis liber*, sive *de salutaribus documentis*, rejectum à Maurinis in appendicem tomi 6., qui liber ad quemdam Comitem directus præfertur, undè Gratianus laudavit canonem 2. de pœn. dist. 2. Superiùs ad eumdem canonem 2. animadverti, eum esse potiùs tribuendum Paulino Forojuliensi, noni sæculi Scriptori. Ex iis autèm, quæ tùnc adnotabam, facilè colligi potest, quænam haberi debeat memorati canonis 7. auctoritas. Ceterùm canon ipse cum optimis exemplaribus penitùs consonat.

Can. 7. caus. 3. q. 7.

De epistola ad Seleucianam.

Novatianus quidam, omnem pœnitentiæ viam baptizatis peccatoribus præcludens, cum urgeretur B. Petri exemplo, qui, licèt peccasset post sui vocationem ad Christum, pœnitentiâ tamèn reconciliatus Deo fuit, respondebat, Petrum eumdem nondùm fuisse Christi baptismate regeneratum, antequàm deliquisset. Hinc plures in errorem hujusmodi trahere conabatur, inter ceteros Seleucianam quamdam, quam erudiendam voluit Augustinus, admonendamque in epistola 265. apùd Maurinos, & in veteribus editionibus 108., ubi eam *Religiosissimam, & in Christi dilectione honorandam famulam Dei* appellat. Hinc depromptus est canon 97. de cons. dist. 4. in ea parte, quâ tradebatur, duplicem esse pœnitentiam Deo acceptam, alteram peccatorum antè baptismum, alteram peccatorum pòst baptismum admissorum. De priore pœnitentiæ specie expressa sunt Gratiani verba; de posteriore, de qua sanè præcipuè Augustinus agebat, nihil à Gratiano fuit adjectum.

Can. 97. de cons. dist. 4.

Clariùs intelligitur Augustini propositum ex can. 147. de cons. dist. 4., qui cum vulgatis Augustini codicibus consonat, quamquàm in nonnullis MSS. veteribus testentur Maurini aliquid exhiberi, quod in vulgatis desideretur, nimirùm pòst illa verba, *sed per discipulos suos*, ità alicubi legitur: *Quos intelligimus in hoc facto fuisse baptizatos, neque enim non baptizati baptizare poterant. Constat ergò eos, qui baptizabant alios, jam fuisse baptizatos, sive baptismo Joannis, sicut nonnulli arbitrantur, sive, quod magis credibile est, baptismo Christi &c.* Verba hæc ità descripta gravem excitare quæstionem possent, nùm Augustinus opinatus aliquandò fuerit, baptisma irritum esse, quotiès à non baptizato conferatur, si potiùs hæc MSS. aliquot veterum editio sequenda esset, & recedendum à vulgata; nàm quod spectat vulgatam lectionem, in qua non exhibentur verba illa, *neque enim non baptizati baptizare poterant*, mens Augustini eo tantùm reducitur, ut demonstretur ex sancti Viri mente jam baptizatos fuisse Apostolos, cum aliis baptisma conferrent: cum non sit verosimile, Apostolos aliis Sacramentum tanquàm necessarium contulisse, quod ipsi minimè suscepissent. Ceterùm, etiamsi MSS. codicibus inhærendum sit, adhùc commodam verba illa capiunt interpretationem. Ait Augustinus, baptizare non potuisse non baptizatos; id est, non jure potuisse baptizare Apostolos, si baptismum ipsi non suscepis-

Can. 147. de cons. dist. 4.

sent;

sent ; cum jure non possit quis alicui tanquàm necessarium Sacramentum exhibere, quod ipse negligit. Ab ea disputatione, nùm baptisma à non baptizato collatum validum esset, Augustinus abstinuit, neque enim oportebat in eam controversiam adduci. Additur his, Augustinum contrà Novatianos disputantem Novatianorum principiis usum facilè fuisse, ut arctiùs eos obstringeret. Cum enim Novatiani, Donatistis consentientes, irritum crederent, baptisma ab hæretico collatum, potiore jure irritum credebant baptisma collatum à non baptizato. Hinc sanctus Vir ex opinatione Novatianorum deducere potuit, Apostolos baptizatos fuisse, quandò constabat ipsos ritè baptizavisse, quò tendebat præcipuus ipsius scopus. Demùm observo, temporibus Augustini nondùm fuisse eam controversiam definitam, àn baptisma à non baptizato collatum valeret, in ea enim adeò anceps aliquandò fuit sanctus Antistes, ut ad eam dirimendam generalis Concilii definitionem esse crederet expectandam, uti liquet ex can. 31. de cons. dist. 4. Imò & in ea quæstione, quæ olim agitabatur de baptismo collato ab hæreticis, Patres Ecclesiastici, ipse inter ceteros Augustinus, ut demonstrarent hæreticos validè baptisma conferre, eo argumento utebantur, quòd hæreticus, semèl suscepto baptismate, à baptismate minimè caderet, quod in Ecclesia semel susceperat, ac propterea neque caderet à potestate administrandi baptismatis ; ex quo deducitur, in ea illos opinione fuisse, ut facultas conferendi illius Sacramenti à suscepto eodem Sacramento pendere quoquo modo videretur, arg. can. 34. de cons. dist. 4. Illa controversia de recipiendo baptismate à non baptizato collato diutiùs in Ecclesia viguit, ac primùm à Nicolao I. Pontifice, medio sæculo 9. finita fuisse videtur, can. 24. de cons. dist. 4. ; quamobrèm jure poterat Augustinus eo etiam uti argumento, ut ostenderet, Apostolos baptizatos fuisse, quòd alios baptizarent.

De epistola ad Severum.

In can. 22. caus. 22. quæst. 4. laudatur à Gratiano Epistola Augustini, scripta ad Severum, Episcopum Milevitanum. Est hîc, quod observatione dignissimum videtur Extant in codicibus Augustini duæ epistolæ ad Severum directæ, in vetustis editionibus 240. & 241., apùd Maurinos 62. & 63., in quibus hæc species agitur, ac dirimitur. Severus Milevitanus, per diœcesim Hipponensem transiens, Timotheum quemdam diœcesis Hipponensis Subdiaconum præter Augustini consensum ordinaverat, sibique jurejurando obstrinxerat. Ægrè id tulit sanctus Hipponensis Episcopus, præsertim cum Timotheus malè facti pœnitens ad Augustinum regredi meditaretur, parùm attentâ præstitâ jurisjurandi fide ; & in primis conquestus est de Severo, quòd suæ jurisditionis fines transgressus esset, deindè solatus est Timotheum, quem jurisjurandi fide, utpote non æquâ, solutum esse profiteretur, generalitèr docens non obligare hujusmodi juramenta, quæ legibus adversarentur. Aliæ Augustini epistolæ ad Severum nullibi adparent. Verùm Gratianus aliam omninò speciem inter Augustinum & Severum fingit pertractatam. Nimirùm fingitur Severus Augustinum consuluisse de Ubaldo quodam, qui concubinam suam justo sibi matrimonio sociaverat, matrem autèm suam, & fratres, denegatis necessariis subsidiis, de domo se expulsurum promiserat, imò & sponsionem suam jurejurando firmaverat. Hinc inducitur Augustinus respondens, valere quidèm conjugium cum concubina contractum, sed sponsionem jurejurando firmatam de matre fratribusque expellendis irritam esse debere, cum jusjurandum vinculum iniquitatis esse non possit. Quid ergo ? Agnoscendum sanè erit tanquàm

Can. 22. caus. 22. q. 4.

fictitium hujusmodi monumentum ab eo elucubratum, qui se se exerceret in rebus Ecclesiasticæ disciplinæ, & sententias Patrum imitaturus novas species effingeret, quibus easdem sententias accommodaret. Quod enim Augustinus ad Severum scribens de jurisjurandi servanda fide tradebat in Clericis ab alieno Episcopo ordinatis, traduxit incertus quidam scriptor ad aliam speciem non prorsùs absimilem, & quidem retento Augustini nomine ad Severum scribentis, ut indicaret, definitionem illam esse Augustino ad Severum scribenti conformem. Planè stylus Augustino minimè congruit, præsertim in illis verbis *à justo Judice degrandinabitur*. Itèm, quod memoratur in ea specie, jam expetitum fuisse sancti Ambrosii judicium, qui nomine *Patris nostri* appellatur, minùs aptum esse videtur; licèt enim *Pater* ab Augustino fortè appellari potuisset, eo tamèn nomine minùs accommodatè donari potuisset à Severo Milevitanæ Ecclesiæ Episcopo. Itaquè concludemus, canonem in ea parte, quâ traditur, jusjurandum adversùs pietatem elicitum non esse servandum, consonare cum optimis Augustini sententiis; in reliquis verò nihil omninò cum Augustini sententiis habere commune.

De epistola ad Valerium.

Can. 7. dist. 40. Statim ac Augustinus, Valerio Hipponensi Episcopo suadente, imò & propemodùm impellente, Presbyter fuit ordinatus, perpendens difficile sibi & operosum officium imminere, quo præsertim populum in divina sapientia instituere teneretur, epistolam ad Valerium Episcopum suum, quem *Dominum beatissimum, & venerabilem in conspectu Domini sincerâ charitate charissimum Patrem* appellavit, dedit, postulans, ut sibi tantispèr otii concederetur, quo, à Civitate, & Ecclesiasticis officiis vacans, se ad exercendum Sacerdotale munus semotus à ceteris præpararet. Quod ut vividiùs peteret, usus est initio epistolæ aureis illis verbis, quæ retulit Gratianus in can. 7. dist. 40., digna propterèa, quæ virorum Ecclesiasticorum animis inserantur, ac perpetuò hæreant.

De epistola ad Victorianum.

Quùm Vandali vastassent plures Europæ Provincias, Italiam præsertim, atque Hispaniam, miserumque in modum in Monasteriis Virginum Deo dedicatarum grassarentur, Sacri Ecclesiarum Administri conqueri invicèm, & solari mutuis officiis debuerunt. Exemplum hujus rei adparet in epistola Augustini adhùc Presbyteri ad Victorianum Consacerdotem apùd Maurinos 111., in veteribus editionibus 122.; à quo cum accepisset Vandalorum ausu nefaria plura committi, retulit, similia plura in Hipponensi Ecclesia agi à Donatistis, qui Vandalorum impietatem, ac sævitiam imitabantur. Hùc pertinet canon 7. caus. 32. quæst. 5., ubi exhibentur postrema epistolæ verba, & quidèm ea ipsa, quæ in editis codicibus describuntur. Adnotant Maurini, paulò alitèr haberi in quodam Corbejensi codice *optimæ notæ*, ut ipsi ajunt, in quo pro verbis illis: *Aut si permittit, cum earum animus nullâ consensionis turpitudine maculatur &c.* ista leguntur: *Aut si permittet, non imputabit; cum enim animus nullâ consensionis turpitudine maculatur &c.* Can. 7. caus. 32. q. 5.

De epistola ad Vincentium Rogatistam.

Vincentius quidam Cartennensis Episcopus è schismate Rogatiano epistolam adversùs Catholicos generaliter scripserat, quæ cum per manus uniuscujusque passim traduceretur, offensioni fuit sacris Antistitibus, qui sua, & Ecclesiæ universæ interesse putaverunt, si scripto edi- Can. 9. dist. 9.

edito refelleretur. Id præstitit Augustinus in sua epistola apùd Maurinos 113., in veteribus editionibus 48., ubi præsertim de cohibendo hæreticorum ausu sermonem habuit. Ibidèm ait, se jam olim in ea fuisse opinione, ut hæretici ratione potiùs, ac solidâ philosophiâ refellerentur, quam vi & armis reducerentur ad unitatem; deindè experientiâ se cognovisse tandèm, auctoritatem Principum utiliùs implorari, ut vi factâ hæreticorum perfidia coerceretur. Hac occasione duo pressiùs urget sanctus Antistes: Primùm Donatistarum pervicaciam, & anabaptismum refellit: secundò probat, à Summis Imperantibus ad fidem colendam, veramque exhibendam religionem, hæreticos jure compelli.

Can. 9. dist. 9. Ex hac epistola depromptus est canon 9. dist. 9. hodiè à Romanis Correctoribus ad integros Augustini codices exactus. Opposuerat Vincentius ad præsidium sui schismatis concertationes, divisionesque Sanctorum veterum Patrum, Hilarii, Cypriani, & Agrippini, quorum tamèn memoria cum laude in Ecclesiis celebrabatur. Contrà Augustinus ajebat, exempla Patrum parùm prodesse posse Rogatistis, vel quò dicta eorum Patrum minus cautè dicta viderentur, vel quòd ipsi fidem suam pro Ecclesiæ unitate tandèm aliquandò etiàm effusione sanguinis, sive illustri martyrio purgavissent.

Can. 31. caus. 1. q. 1. Ad canonem 31. caus. 1. quæst. 1. nihil occurrit, quod singulari opus habeat observatione. Quæ ibidèm traduntur, eò spectant, ut Donatistarum anabaptismus improbaretur.

In canone 37. caus. 23. quæst. 4. multa continentur, quæ sparsim alibi Gratianus idem recensuit; nimirùm in can. 10. eadem causâ & quæst., in can. 1. & 2. caus. 1. quæst. 4., in can. 2. caus. 5. quæst. 5., & in can. 3. caus. 23. quæst. 6. At quidèm priora verba canonis 37. leguntur initio epistolæ; quæ sequuntur in vers. *Si enim*, paulò inferiùs habentur, quemadmodùm & paulò inferiùs subsequitur versiculus *At enim*. Verba versiculi *Non omnis* jam relata fuerant in can. 2. caus. 5. quæst. 5., sicut & verba versiculi *Et noveris*, quæ penitùs consonant cum epistola Augustini. Ceteri versiculi, usquè ad vers. *Constantinus*, eodem ordine leguntur apùd Augustinum, quo extant apùd Gratianum. Is verò versiculus *Constantinus* pertinet ad causam Cæciliani Carthaginensis Episcopi; qui, cum esset coram Imperatore à malis hominibus accusatus, absolutus fuit, quòd accusatores in probationibus defecissent; cumque adhùc accusatores non adquiescerent, sed duriùs in dies adversùs Cæcilianum agerent, Constantinus Imperator in pœnam odii gravissimi illos spoliavit bonis, fisco vindicatis. Id refert Augustinus in epist. apùd Maurinos 43. ad Glorium, & Eleusium. Præterea ad eamdem Cæciliani causam pertinet versiculus *Certè*; ubi, cum traderetur, Cæcilianum de pluribus criminibus, non tamèn probatis, accusatum fuisse, propterèaque à suo Episcopatu deturbari minimè debuisse, concluditur populum Carthaginensem excusandum fuisse, si illi Episcopo morem gereret, cum ejusdem crimina penitùs ignoraret; neque enim, ait Augustinus, alicujus crimen maculat nescientem; quod repetitur in can. 1. & 2. caus. 1. quæst. 4., tum ex dicto can. 37., tum ex notis Romanorum Correctorum emendandis. Quæ retulit Gratianus in vers. *Facta* jam descripserat paulò superiùs, id est, in can. 10. eadem causâ 23. quæst. 4. & quidèm nonnullis ex Augustini epistola adjectis. Hodiè hæc omnia à Romanis Correctoribus penitùs emendata exhibentur. Pòst pauca in eadem epistola sequitur canon 3. caus. 23. quæs. 6., cujus priora verba ad eos respiciunt, qui criminum Cæciliani minimè conscii, Cæciliano ipsi in Episcopatu consistenti adhærebant. Quæ sequuntur in vers. *Mea primùm* eo spectant, quod ajebam nupèr, dum dicerem, Augustinum profes-

Can. 10. & 37. caus. 23. q. 4.

Can. 1. & 2 caus. 1. q. 4.

Can. 2. caus. 5. q. 5. &

Can. 3 caus. 23. q. 6.

fessum fuisse, se olim censuisse hæreticos non vi, sed ratione esse ad unitatem adducendos, deindè verò opinionem mutavisse. Apùd Augustinum priora hujus versiculi verba ità leguntur: *Mea primitùs sententia non erat, nisi neminem ad unitatem Christi esse cogendum &c.*

Can. 41. caus. 23. q. 4. De canone 41. caus. 23. quæst. 4. nihil est singulare, quod animadvertendum occurrat. Consonat ipse cum optimis epistolæ exemplaribus.

Can. 1. caus. 23. q. 7. & Can. 38. caus. 24. q. 1. Jungendi invicèm sunt canon 1. caus. 23. quæst. 7. & can. 38. caus. 24. quæst. 1. uterque ex eadem hujus epistolæ parte descriptus, ex ea nimirùm, in qua Augustinus demonstrat satius esse, ut vi potiùs ad unitatem hæretici adducantur, non quidem eo animo, ut indignationi, vel avaritiæ indulgeatur, sed ut eorumdem ad Ecclesiam regressus intendatur.

Can. 43. de pœn. dist. 1. Denique canon 43. de pœn. dist. 1. legitur in fine ejusdem epistolæ, ubi pro illis prioribus Gratiani verbis *neminem putes*, legitur in epistola Augustini: *Nec quemquam putes.*

SECTIO V.

De ceteris Augustini monumentis.

De libro Soliloquiorum.

Can. 22. caus. 2. q. 7. Quod Gratianus in can. 22. caus. 2. quæst. 7. retulit, quasi depromptum ex libro Soliloquiorum Augustini, de Prælatis, qui sui accusationem fieri ex auctoritate antiquorum canonum minimè patiuntur, Augustino sanè minimè tribui potest, cum nihil tale in sancti Viri codicibus exhibeatur. Sanè in libro Soliloquiorum longè diversa pertractantur; nimirùm colloquia illa sunt inter animam sancti Antistitis & Deum, inter quæ sublimioris sapientiæ argumenta miscentur; non pauca etiam ex subtilibus Platonis libris decerpta Christianæ Fidei mirum in modum accommodantur. Non defuere Glossographi, qui nomine libri Soliloquiorum Augustini intellexerunt Commentaria Augustini in Psalmos. Verùm neque unquàm enarrationes Augustini in Psalmos Soliloquia apùd Collectores Canonum dictæ fuerunt; neque in eisdem enarrationibus reperiri possunt verba laudati canonis 22. Ego puto sive ex canonis stylo, sive ex canonis argumento, eumdem editum fuisse pòst vulgatas Isidori Mercatoris epistolas; siquidèm ibidèm laudantur veteres canones, quibus vetitum videtur, ne Episcopi à quoquam accusentur. At isti veteres canones non alibi demonstrari possunt, quàm in commentitiis epistolis Mercatoris.

De libris Confessionum.

Eximiam Augustini humilitatem, animique missionem præseferunt ejus libri tredecim Confessionum, in quibus quæ vel ipse interiore animi adfectione versaverat, vel exteriùs facto prodiderat, candidè simpliciterque exposuit, exordiens à vitæ suo primordio usquè ad eam ætatem, quâ se uberem divinæ sapientiæ fructum percepisse testatur. Quamobrèm in primo libro pueritiæ culpas deflet, profitens se in lusus potiùs & jocos, quàm in literarum studia, fuisse proclivem. In secundo sexti decimi animi excessus deplorat, seu dum ardenti libidine corriperetur, seu dum imprudenter cum sodalibus quamdam rem furto subripuit. In tertio recenset ætatem annorum 17. 18. & 19. in urbe Carthaginensi transactam, lubricis amoribus deditam, imò & in hæresim Manichæorum inclinatam; quâ occasione lacrymas genitricis de perditis filii moribus lugentis commemorat. In quarto dolet, se plures in errorum suorum vocavisse societatem, ac per annos novem Manichæorum dogmatum apùd alios vindicem fuisse, atque assertorem. In quinto 29. suæ ætatis annum revolvit, professus se Fausti Manichæi im-

imperitiam agnovisse, quo tempore de abjicienda Manichæorum hæresi sedulò cogitavit; idque eo faciliùs adgressus est, cum Mediolanum pergens S. Ambrosii prædicationes audivit. In sexto exponit, quibus animi adfectionibus torqueretur, quibus modò in vitia, & hæreses, modò ad virtutes, & rectam Christi fidem flectebatur, dum trigesimum annum ageret. In septimo refert, se in anno 31. constitutum adeò ignorantiæ tenebris caligavisse, ut quam in partem inclinaret, deliberare non posse videretur. In octavo ait, se anno demùm 32. ad Deum fuisse conversum. In nono enarrat, voluisse se Rethorum scientiæ, in qua multùm pridèm profecerat, vale dicere, ut se totum in res sacras, divinasque conferret; quâ occasione aliqua attingit de suo Baptismate, & de Matris Monicæ laudibus. In decimo gaudet, se tandèm aliquandò Deo addictum fuisse, cujus gratiâ veteris hominis vestigia paulatim delenda confidit. In tribus postremis libris multa, & selecta divinarum literarum monumenta expendit. En paucis expressam universam totius operis materiem. Animadvertendum tamèn est, in eisdem libris quædam ab Augustino agnita fuisse tanquàm minus aptè dicta, quæque in lib. 2. Retractat. cap. 6. notavit, ibi: *In quarto libro cum de amici morte animi mei miseriam confiterer, dicens, quòd anima nostra una quodammodo facta fuerat ex duabus; & ideò, inquam, fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram, quæ mihi quasi declamatio levis, quam gravis confessio videretur, quamvis utcumquè temperata sit hæc ineptia in eo, quod additum est: fortè. Et in libro 13. quod dixi, firmamentum factum inter spiritales aquas superiores & corporales inferiores, non satis consideratè dictum est; res autèm in abdito est valdè.*

Ex lib. 3. cap. 8. deprompti sunt, proptereàque simùl jungendi can. 2. dist. 8. & can. 13. caus. 32. quæst. 7.

Can. 2. dist. 8. & Can. 13. caus. 32. q. 7.

Ibi Augustinus tradit, peccata adversùs naturæ leges admissa ubiquè locorum esse detestanda, contra quam regulariter contingat in delectis, quæ adversùs certorum hominum, seu in certa urbe, vel Provincia consistentium, disciplinas, & consuetudines admittuntur. Ordo verborum apùd Augustinum is est, ut præponantur verba canonis 13., pòst quæ statim verba canonis 2. subjiciantur.

Canon 8. caus. 26. quæst. 2. exhibetur in lib. 4. cap. 3., ubi refert Augustinus pudere se, quòd Mathematicos olim secutus fuisset. Optimi Augustini codices habent: *Illos planos, quos Mathematicos vocant, planè consulere non desistebam, quod quasi nullum eis esset sacrificium &c. Planorum* nomen nec Gratiano placuit, nec nonnullis Augustinorum operum Correctoribus, qui, in eo mendum irrepsisse rati, *planetarios* scripserunt; perperàm tamen: etenim apùd latinæ linguæ Scriptores *Planus* olim dicebatur quicumque sycophanta, aut impostor egregius, uti testatur Gellius in lib. 16. noctium Atticarum cap. 7. Plani illi Augustini temporibus honesto Mathematicorum nomine se appellabant, ut fraudes sub scientiæ specie tegerent, ex contemplatione syderum se futura divinare jactantes. Illorum autèm duo erant diversa genera. Primum teterrimum erat, eorum scilicèt, qui Dæmonibus sacrificabant, & impiis hostiis futura prædicebant. Alterum, perniciosum quidèm Reipublicæ, sed inanibus rebus, & subdolis, fraudibus omnia conficiens, sine sacrificiis. Non primum, sed secundum hoc genus secutum se fuisse profitetur Augustinus etiàm pòst Baptismum, cujus rei se pœnitere professus est, cum Christiana fides, & pietas à quibuscumque ejusmodi fraudibus fideles avertere debeat.

Can. 8. caus. 26. q. 2.

Verba canonis 39. caus. 27. quæst. 2. habentur quidèm in cap. 3. libri 8., sed aliter sonant, quàm apùd Gratianum. Ibidèm Augustinus suam conversio-

Can. 39. caus. 27. q. 2.

sionem ad Deum serò factam commemorans, sibi blanditur, Deo maximè placuisse, quòd Deus maximum habere se gaudium profiteatur, cum convertitur peccator diutiùs peccatis involutus, quasi Deus diutiùs peccatorem expectaverit, ac tandèm cum majore jucunditate susceperit. Ad eam rem duas adfert similitudines; primam illius, qui cum diù fame laboraverit, escâ libentiùs fruitur; alteram illius, qui puellam sibi jam olim conventione desponsatam conjugio tandèm sibi conjunxit. Itaquè illa verba *institutum est*, quæ in laudato canone occurrunt, non ità accipienda sunt, quasi certis legibus, & præceptionibus definitum fuerit; sed ut explicetur, aliquandò id posse contingere.

De quibusdam Canonibus, sub Augustini nomine apùd Gratianum exhibitis.

Can. 6. dist. 9. Supersunt adhùc monumenta quædam numero non pauca, quæ apùd Gratianum sub Augustini nomine exhibentur. Hujusmodi est in primis canon 6. dist. 9., quem tamèn jam Romani Correctores observaverunt adscribi potiùs Hieronymo debuisse, veluti depromptum ex ejus epistola ad Licinium genere Bœticum. Castam vitam unà cum Theodora conjuge agebat Licinius, divinarum scripturarum studio assiduo operam dans, & meditatus iter in Jerosolymam. Ista consilia laudabat Hieronymus, præsertim in Jerosolymam iter, undè in optimis Judæorum codicibus divina eloquia scrutandi facilior occasio præberetur. Ajebat autèm inter cetera, ità Hebræos codices conferre posse ad attingendam veteris testamenti scientiam, uti Græci codices ad novi testamenti meditationem plurimùm conferebant.

Can. 5. dist. 38. Frustrà apùd Augustinum quæreres verba canonis 5. dist. 38. Romani Correctores similia invenerunt apùd Bedam in Pœnitentiali, itèm in libro de Ecclesiasticis officiis, & alibi. Similia ego prætereà reperio in Capitulari Caroli Magni, dato ad Saltz quarto sui imperii anno, ubi pòst plura capita sequitur Imperatoris admonitio ad Presbyteros directa his verbis: *In primis ut Sacerdos Dei de divina scriptura doctus sit, & fidem Trinitatis rectè credat, & alios doceat, & suum officium benè possit implere; ut totum Psalterium memoritèr teneat, ut signaculum & baptisterium memoritèr teneat; ut de canonibus doctus sit, & suum pœnitentiale benè sciat; ut cantum, & computum sciat.* Sed hæc nondùm rem totam conficere videntur, neque satis demonstrare, quo ex fonte derivatum fuerit Gratiani monumentum. Ego integrum illud reperio in Capitulari Ahytonis Basileensis Episcopi, qui vixit circà sæculum Ecclesiæ nonum, edito apùd Labbeum. In eo voluit Ahyto declarare in prioribus capitulis ea, quæ Sacerdotibus sunt necessaria, & in cap. 6. ità scripsit: *Sextò, quæ ipsis Sacerdotibus necessaria sunt ad discendum, id est, liber Sacramentorum, Lectionarium, Antiphonarium, Baptisterium, Computus, Canon Pœnitentialis, Psalterium, Homiliæ per circulum anni Dominicis diebus, & singulis festivitatibus aptæ. Ex quibus omnibus si unum defuerit, Sacerdotis nomen vix in eo constabit, quia valdè periculosæ sunt Evangelicæ minæ, quibus dicitur: Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Itaquè facilè contingere potuit in veteribus codicibus erratum aliquod irrepsisse, ut cum fragmentum illud sub nomine Ahytotonis recenseretur, Ahytoni Augustinus ob literarum similitudinem substitueretur. Quandò verò in eo canone Sacramentarium memoratur, ego intelligo librum illum, quem hodiè *Missalem* appellamus, quod deduco ex capite 5. Concilii Rhemensis, relato apùd Reginonem in lib. 1. cap. 60. ibi: *Expletâ missâ, Calix, & Sacramentorum liber cum vestibus sacerdotalibus in mundo loco sub sera*

sera recondantur; & in cap. 68. apùd eumdem Reginonem traditur, in libro Sacramentorum recondi consuevisse Corporale, in quo in celebratione Missarum Corpus Christi collocatur. Quod de Computi studio traditur in laudato canone, certum est, id pluribus Ecclesiæ sæculis in generalem Cleri disciplinam evasisse, neque aliquis facilè admittebatur ad sacram ordinationem, nisi Computi regulas calleret. Extat ad hanc rem synodalis antiqua admonitio, à Baluzio edita, ad calcem Reginonis pag. mihi 602.; in qua ità Sacerdos monebatur in fine: *Computum, si non majorem, saltèm minorem, id est, epactas, concurrentes, regulares, terminos paschales, & reliquos, si est possibile, sapiat.*

Can. 29. caus. 1. q. 1. Non possum ullo modo Gratiano consentire, ubi Augustino adscribendus putetur canon 29. caus. 1. quæst. 1., etenim & stylus, & disserendi ratio, præsertim in prioribus verbis, adeò dissonat à Sanctorum Patrum sententiis, ut ipsis penitùs indigna videatur. Erit illud monumentum obscuri cujusdam sæculi sequioris auctoris, fortè undecimi, aut duodecimi sæculi, quo tempore simoniæ vitium longè, latèque in virorum Ecclesiasticorum animis grassabatur. Auctor fragmenti, ut majorem rebus suis auctoritatem conciliaret, Augustini nomen adjecit. Ceterùm si velimus ejus canonis vice aliqua substituere ex Augustino, ut probetur ex illius mente, Simoniacos gratiam Dei obtinere non posse, ego in medium proferam, quæ de Simone Mago ait sanctus Vir in concione 2. in Psalmum 30. ibi: *Qui se putavit pecuniâ comparare Spiritum sanctum, etiàm Apostolos avaros arbitratus est, sicut erat ipse impius, & superbus. Continuò Petrus: Pecunia tua, inquit, tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecuniâ comparare. Non est tibi sors, neque pars in fide hac, id est, non pertines ad istam gratiam, quam gratis omnes accepimus, qui pecuniâ te putas posse emere, quod gratis datur.* Hæc quidèm de Simone Simoniacorum Principe occasione datâ Augustinus ajebat. Ceterùm Augustino nullibi singulare fuit propositum, ut adversùs Simoniacos verba faceret, cum tùnc temporis ab eo scelere Clerici abstinerent, undè novum suppetit argumentum, ut demonstretur, canonem illum non facilè Augustino tribui posse.

In parte 2. cap. 13. jam animadverti ad canonem 6. caus. 2. quæst. 1., priora illa inscriptionis verba: *Item decrevit Zephirinus Papa*, potiùs pertinere ad canonem 5. præcedentem; inscriptionem autèm canonis 6. eam esse: *Item Augustinus.* Certum tamèn est, neque Augustino ea verba tribui posse; quod & Romani Correctores observaverunt. Ceterùm similis sententia passim in Augustini codicibus exhibetur, cum pluriès docuerit sanctus Antistes, malos, eos scilicèt, qui occultorum criminum rei sunt, esse in Ecclesia Dei tolerandos, adlato etiàm Judæ proditoris exemplo, quem Christus ab Apostolorum consortio non ejecit, quemadmodùm constat inter cetera ex can. 18. caus. 2. quæst. 1. & can. 1. & 2. caus. 23. quæst. 4. Verosimile est, recentiorem quemdam Scriptorem, similem sententiam editurum, Augustini nomen rebus suis adjecisse.

Can. 6. caus. 2. q. 1.

Prætereà frustrà in codicibus Augustini quæreres verba canonis 32. caus. 2. q. 7. quæst. 7., quæ Ivo Carnotensis in parte 5. Decreti, cap. 315. Gregorio adscripsit: imò & ipse Gratianus in can. 2. dist. 83. Sed neque Gregorii, neque Augustini illa sunt, præsertim verò Augustini stylum exhibere non potest, quod desides Episcopos *canes impudicos* appellat. Ego puto eum, qui primus hunc canonem seu sub Gregorii, seu sub Augustini nomine vulgavit, abusum fuisse monumento Eucherii Lugdunensis Episcopi, qui Augustini ætate vivebat. Extat apùd ipsum in libro formularum spiritualium hæc sententia: *Canis segnes prædicatores de-*

Can. 32. caus. 2. q. 7.

signat, ut ibi: Canes muti non valentes latrare. Textus hic est Isaiæ cap. 56. Aut abusus fortè fuit simili propemodùm sententiâ Isidori Hispalensis, in lib. 3. Sententiarum ità scribentis: *Speculatores cæci omnes, id est, imperiti Episcopi nescierunt, inquit, universi canes muti non valentes latrare, hoc est, plebes commissas non valentes resistendo malis per verbum doctrinæ defendere.*

Can. 81. caus. 11. q. 3. Canon 81. caus. 11. quæst. 3. paucis continet sententiam Augustini, expressam in can. 23. de pœn. dist. 1. supe. ius jam explicato, cum agerem de tractatu sancti Antistitis in Joannem. Plurimùm p æterea cum eodem consonant, quæ tradit Augustinus in enarrat. in Psalmum 69. ibi: *Duo sunt genera persecutorum, vituperantium, & adulantium. Plus persequitur lingua adulatoris, quàm lingua interfectoris.* Hùc etiàm referri possent similia quædam, quæ leguntur in serm. 29. ad Fratres in Eremo, si ille sermo reverà esset Augustini. Ità ibidèm legitur: *Non solùm est lingua dolosa illa, quæ seminat inter fratres discordias, quæ suscitat lites, quæ incitat furores, quæ etiàm conventus conturbat; sed etiam illam dolosam linguam dicimus; quæ te laudare adulando procurat....Atlibus autèm Deum deprecari debemus, ut nos liberet, & liberemur...Quarè eos, ut mortem, fugere debemus, nisi quia adulatores sunt, quia mendacia diligunt, & faciunt?* Ex his videtur auctor canonis sententiam suam prodidisse, & nomine Augustini donasse.

Can. 87. caus. 11. q. 3. Videretur hic locus expendendi can. 87. caus. 11. quæst. 3. Verùm jam satis de eo verba feci superiùs, ubi epistolam Augustini ad Auxilium explicabam.

Can. 92. caus. 11. q. 3. Nihil etiàm adjicio in præsentia ad can. 92. caus. 11. quæst. 3. Etenim suo loco observavi cum Romanis Correctoribus, eumdem potiùs pertinere ad librum Ambrosii de Paradiso.

Can. 3. caus. 13. q. 2. Priora verba canonis 3. caus. 13. quæst. 2. perperàm tributa sunt Augustino, apùd quem minimè reperiuntur. Imò, si eadem, uti jacent, considerentur generaliter, exhibebunt ipsa barbararum gentium disciplinam, non facilè à sancto Ecclesiæ Antistite recipiendam, qualis refertur apùd Alexandrum ab Alexandro in lib. 3. genial. dier. cap. 7. ibi: *Indorum pervulgata historia est, ut, viro defuncto, quæ charissima conjunx in vita fuerat, eodem igne absumatur, unàque concremetur. Thracibus, & Getis erat iste mos, ut, viro defuncto, præcipuè dilecta conjunx maximo cultu ornata ad tumulum duci, & à propinquiore mactari, eodemque tumulo humari debebat.* Non ignoro quidèm, Gratianum sub nomine Augustini eum canonem recensentem eò tantùm respexisse, ut traderet uxorem sequi deberi virum suum etiàm in morte, quod sepulturam attinet, nimirùm in eodem sepulchro mortuam indè uxorem esse tumulandam. Sed neque hæc esse potuit germana Augustini sententia, qui optimè callebat, imò & expressè aliquandò tradidit, parum prodesse defunctis Christianis locum, in quo eorumdem cadavera sepeliantur. Hùc pertinet, quod Augustinus idem scribit in lib. 9. Confessionum cap. 11., nimirùm matrem suam, ad supremum vitæ diem redactam, de sepulchro, quod olim juxta viri cadaver elegerat, mutavisse sententiam, ità filium, ceterosque lateri adstantes, allocutam: *Ponite hoc corpus ubicumquè, nisi vos hujus cura conturbet. Tantùm illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis mei, ubi fueritis.* Hæc verba læto animo excipiens Augustinus, summo Deo gratias, agens ità scripsit: *Noveram, quantâ curâ semper æstuasset de sepulchro, quod sibi providerat, & præparaverat juxtà corpus viri sui; quia enim valdè concorditer vixerant, id etiàm volebat, ut est animus humanus minùs capax divinorum, adjungi ad illam felicitatem, & commemorari ab hominibus concessum sibi esse pòst transmarinam peregrinationem, ut conjuncta terra tegeretur. Quandò autem ista inanitas plenitudine bonitatis tuæ* (Deum hic allo-

alloquebatur) *caperat in ejus corde non esse, nesciebam, & lætabar admirans, quòd sic mihi aperuisset.* Nihil amplius adjicio de vers *soror*, de quo suo jam loco agendum fuit, ubi de sancto Gregorio.

Can. 16. caus. 13. q. 2. Ad canonem 16. caus. 13. quæst. 2. nihil est, quod specialiter adjiciatur, postquàm Romani Correctores illum Gregorio Magno in libris Dialogorum adscripserunt, ipsa etiàm libri verba describentes. Reverà eidem Gregorio adtribuerunt Patres Concilii Triburiensis in can. 17. Illud unum investigandum superesset, àn libri Dialogorum jure sint Gregorio adscripti: verùm hæc fuerunt alibi observanda. Tantùm addam, plurima his similia haberi apùd Augustinum in libro, jam superiùs memorato, de agenda cura pro mortuis.

Romani Correctores jam ostenderunt Can. 1. caus. 17. q. 1. locum, undè decerptus est canon 1. caus. 17. quæst. 1. falsò tributus Augustino, nimirùm extat ille apùd Cassiodorum in Psalmum 75. vers. 12., quod monumentum ità ab auctore Glossæ ordinariæ describitur: *Quædam sunt, quæ nec promittentes debemus solvere, ut non occides, & hujusmodi. Alia sunt, quæ nisi vovemus, non cogimur implere, ut virginitatem servare. Ad hæc ergò vovenda invitat omnes, qui in circuitu ejus sunt per fidem.*

Can. 10. caus. 22. q. 4. Si veris ad Augustinum exigere verba canonis 10. caus. 22. quæst. 4., difficilè locum, ad quem exigantur, invenies; nisi potiùs putes, ea referri ad factum Augustini, qui magnâ sanè sapientiâ in suis Retractationum libris revocavit, quæ aliàs minùs prudenter scripserat. Ceterùm simile adhùc nonnihil reperio in epistola ad Marcellinam, apùd Maurinos 143. ibi: *Dicti mali, vel stulti, vel incommodi pœnitere, utiquè cordatorum est.* Itaquè, si verba laudati canonis Augustini non sunt, illius tamèn sententiam ibidèm descriptam esse dicemus.

Can. 19. caus. 22. q. 5. Vel ex una loquendi formula adparet, falsò tributum esse Augustino canonem 19. caus. 22. quæst. 5.; quod enim ibidèm memoratur de Regibus, de jurejurando Regibus præstito, de Sanctæ Synodi censura, & temporibus, & Provinciis, in quibus vivebat Augustinus, minimè congruit. Hæc sanè, fateor, leguntur sub Augustini nomine in Pœnitentiali Romano, edito ab Antonio Augustino tit. 2. cap. 7., ubi tamèn pro illis verbis *& posteà perversè, & dolosè ejus regnum tractaverit... crimen admiserit, degradetur*, legitur: *Et postmodùm perversè ejus regnum, & dolosè tractaverit... crimen perpetraverit, degradetur.* Verùm referenda potiùs sunt ad varios canones Conciliorum Toletanorum, quibus eadem materies fuso stylo tractatur, nimirùm in can. 2. Concilii Toletani X. anni 658., & jam pridèm in can. 75. Concilii Toletani III. anni 633. sub Isidoro Hispalensi, ac tandèm in can. 9. & 10. Concilii Toletani XVI. anni 693.; quos omnes canones fortè paucis perstringere incerti nominis Auctor, aut Collector voluit sub decoro Augustini nomine, undè & Ivo in parte 13. cap. 78., & Gratianus in dicto can. 19. errandi sumpsit occasionem.

Etsi verba canonis 2. caus. 23. q. 4. eadem non legantur in codicibus Augustini, multa tamèn illis similia reperiuntur; siquidèm, cum sancto Antistiti non semèl agendum fuerit adversùs Donatistas, qui ex bonis Ecclesiam tantùm constare dicebant, clamandum fuit identidèm, malos in Ecclesia tolerari oportere, præsertim Christi Servatoris exemplo, qui Judam proditorem licèt impium diutiùs passus est inter Apostolos commorari. Unum tantùm recensebo Augustini monumentum in tract. 50. in Joannem ibi: *Quid ergò voluit Dominus noster Jesus Christus, Fratres mei, admonere Ecclesiam suam, quandò unum perditum inter duodecim habere voluit, nisi ut malos toleremus?* Et paulò infrà: *Talis erat iste Judas, & tamèn cum sanctis discipulis undecim intrabat, & exibat. Ad ipsam Dominicam cœnam pariter accessit,* Can. 2. caus. 23. q. 4.

conversari cum eis potuit, eos inquinare non potuit. De uno pane Petrus & Judas accepit &c.

Can. 23. caus. 23. q. 4. Canon 23. caus. 23. quæst. 4. ideò Augustino passim tribuitur, quia excerptus est partim ex Prospero, partim ex Fulgentio, qui in suis operibus Augustinum tueri adversùs Semipelagianorum calumnias, ejusdemque doctrinam interpretari conati fuerunt, ex quo Augustini discipuli passim apùd omnes audiunt. Duo autèm præ ceteris laudatorum virorum commemorantur opuscula, alterum Fulgentii ad Monimum, cujus ipse Fulgentius meminit in epist. 5. ad Eugyppium, alterum Prosperi adversùs capitula Gallorum pro Augustino; in quibus adeò Augustini doctrina, & gratiosæ adversùs Pelagianos prædestinationis sententia vindicatur, ut hæc ipsa opera Augustino alicubi tribuantur, & inter sancti Hipponensis Antistitis codices recenseantur; undè posteriores Collectores potuerunt, quod erat Fulgentii vel Prosperi, adscribere Augustino. Itaquè in libro Fulgentii ad Monimum extat initium canonis 23. lib. 1. cap. 26. usquè ad illa verba *cecidisset in culpam.* Versiculus *Prædestinationem* habetur in laudato libro Prosperi cap. 6.: prætereà in cap. 11. ejusdem libri legitur versiculus *cum verò*; ad quem Maurini Monachi animadverterunt pro verbis illis, *ipsi sibi pœnas debuerint*, legi in quodam codice MSS. *ipsi sibi pœna fieri debuerint.* Item in cap. 12. legitur integer versiculus *Vires*, ut liquet ex collatione Gratianci monumenti cum accuratissima editione Maurinorum in appendice tomi 10. operum Augustini. Versiculus *Prædestinatio* legitur in cap. 15. num. 6., & versiculus *In malis autèm* exhibet posteriora opusculi verba. Deniquè ea, quæ subjiciuntur in vers. *Hi autèm* usquè in finem, habentur apùd Prosperum in alio opusculo, à quibusdam etiàm Augustino tributo, cui titulus est responsionis adversùs objectiones Vincentianas pro Augustino. Fuit enim Vincentius quidam Lerinensis Semipelagianorum fautor acerrimus, qui Augustini scripta diris conviciis mordebat, adversùs quem propterea opportunum fuit, ut Prosper, sancti Viri defuncti discipulus, constanter sapienterque pugnaret. Porrò verba versiculi leguntur in cap. 12., cum quo penitùs consonant.

Si priora verba canonis 35. caus. 23. quæst. 4. inspiciamus, eadem jure optimo referri ad Augustinum possunt, cum non uno in loco apùd eumdem sanctum Virum ea sententia exprimatur. Profero in primis ejus enarrationem in Psalmum 100. ibi: *Odire debes prævaricatores, non homines. Unus homo prævaricator: Videte, quia duo nomina habet, homo, & prævaricator. Hominem Deus fecit, prævaricatorem ipse homo se fecit. Ama in illo, quod Deus fecit, persequere in illo, quod ipse sibi fecit. Cum enim persecutus fueris prævaricationem ejus, occidis, quod homo fecit, & liberatur, quod Deus fecit. Facientes prævaricationem odio habui &c.* Deinde similia alia habentur in enarratione in Psalmum 102. ibi: *Cum dico: occurrit tibi homo peccator, duo nomina dixi: Hæc duo nomina non superflua sunt. Duo nomina, aliud quod homo, aliud quod peccator. Quod homo, opus est Dei; quod peccator, opus hominis est. Da operi Dei, noli operi hominis. Et quomodo, inquis, me prohibes dare operi hominis? Quid est dare operi hominis? Peccatori dare propter peccatum, placenti tibi propter peccatum.* Pòst pauca sequuntur ibidèm verba canonis *Qui venatoribus* dist. 36. Item similia leguntur in sermone olim 94. de tempore, & 14. apùd Maurinos, ubi de corrigendis peccatoribus agitur, ibi: *Duo enim nomina sunt, homo, & peccator: hominem Deus fecit, peccatorem se ipse homo fecit. Pereat, quod fecit homo; liberetur, quod fecit Deus.* Deniquè in sermone de tempore, olim 109., & 22. apùd Maurinos, eadem ferè describuntur. Ceterùm quæcumque monumenta hic illinc deprompta ex Augusti-

Can. 35. caus. 23. q. 4.

ni

ni codicibus adferantur, nusquàm ea ipsa sunt integra, quæ Gratianus in canon 35. delineavit. Potiùs integer canon habetur apùd Bedam in Commentario epistolæ ad Galatas cap. 6., ex quo Gratiani erratum profectum fuisse videtur; cum enim priora essent Augustini, posteriora Bedæ, illa ab istis non secernens Collector omnia tribuit Augustino, eo vel maximè, quòd ea Bedæ Commentaria hanc habeant in vulgatis codicibus inscriptionem: *Expositio D. Patris Augustini Episcopi in epistolam D. Pauli ad Galatas, per Venerabilem Bedam Presbyterum collecta.* Reverà Beda ipse in iis Commentariis tot tantaque congessit monumenta Augustini, ut non Beda, sed Augustinus scripsisse videatur.

Can. 50. caus. 23. q. 4. De canone 50. caus. 23. quæst. 4. jam judicium tulerunt Romani Correctores, adnotantes, eum non esse Augustini, sed potiùs pertinere ad initium epistolæ Gregorii Magni, scriptæ ad Marinianum, seu, ut alii legendum putant, Marmianum, seu, ut alii, Martinum. Quæ sequuntur in vers. *Nonne Achar*, ipsa verba sunt libri Josue in cap. 22.

Can. 15. caus. 26. q. 7. Romani iidem Correctores prætereà indicaverunt, undè excerptus fuerit canon 15. caus. 26. quæst. 7. Augustino tributus: nimirùm legitur ille in Concilio Turonensi, anni 813. Caroli Magni tempore celebrato, cap. 42. exceptis postremis illis verbis, in quibus certa pœna in maleficos, sive Laicos, sive Clericos infligitur; nihil enim tale apùd Turonenses Patres habetur, quemadmodùm nec legitur in additione 3. Capitularium, à Baluzio edita cap. 93., ubi idem monumentum describitur. Primus Burchardus, sub Augustini nomine canonem laudavit in lib. 10. cap. 40., fortè quòd abstinere vellet à laudandis Francorum Capitularibus, quemadmodùm pluriès alibi animadvertere debui, primus enim pœnam adjecit, sive in Clericos, sive in Laicos, ut suæ diœceseos disciplinam indicaret.

Verba canonis 16. caus. 26. q. 7. apùd Augustinum non inveniuntur; sed tantùm similia quamplurima, præsertim in cap. 79. Enchiridii, & in lib. 2. de Doctrina Chriastiana c. 20. & seq., quæ hùc loci referre nimis operosum esset ob monumentorum amplitudinem. Agitur in eo canone de superstitiosis Ethnicorum observationibus evitandis, quas sanè fugiendas sæpè ac sæpiùs monuit Augustinus; quamobrèm non dubitavit auctor canonis Augustini nomen, quasi auctoris, inscribere. Non tamèn piget nonnulla adnotare de iis, quæ ibidèm memorantur, nimirùm de Kalendis Januarii, diebus Ægyptiacis, somniis Danielis, ac sortibus Apostolorum. Kalendæ Januariæ maximè solemnes fuerunt apùd Gentiles, illos præsertim, qui ab Januario mense annum exordiebantur; creditum enim erat apùd eos novum annum lætissimo gaudio esse excipiendum. Mos erat eo die adeò immania gestientis animi signa præseferendi, ut non gaudere, sed insanire, aut furere homines viderentur. Turpissimos in cantus erumpebant, immoderata quoquè convivia, atque inter ipsa inhonestas saltationes habebant; quodque spectaculi celebratioris erat, unusquisque personatus incedebat non tantùm mutatis invicèm mulieribus, ac virilibus indumentis, sed etiàm adsumptis brutorum figuris, ursorum præsertim, vitulorum, ac cervorum, ut mutorum animalium naturam liberiùs ac licentiam imitarentur. Hanc profectò luxuriem detestabantur vehementissimè, ac lugebant Sancti Ecclesiarum Antistites; qui propterèà in sermonibus, ad populum eo die factis, Christianos impensè monebant, ne & ipsi vulgaribus corrupti populi consuetudinibus indulgerent, quemadmodùm adparet inter cetera ex serm. 129. & 198. in appendice tomi 5. operum Augustini Maurinæ editionis, qui licèt Augustini non sint, non tamèn sunt contemnendi auctoris. Paucis ità describitur ea solemnitas in serm. 198.

Can. 16. caus. 26. q. 7.

Solemnitas gentium, quæ fit hodierno die in Lætitia sæculi, atque carnali, in strepitu vanissimarum, ac turpissimarum cantionum, in conviviis, & saltationibus turpibus, in celebratione ipsius falsæ festivitatis. Non defuerunt Episcopi, qui, ad averrendos magis magisque fidelium animos, eo die jejunium indicerent, ut colligitur ex laudato serm. 129., itèm ex canone 11. Concilii Toletani IV., & can. 17. Concilii Turonensis II. Videsis ad hanc rem caput 7. & 17. partis 11. Decreti Ivonis Carnotensis. Putant viri eruditi, exindè ortam apùd Christianos Baccanalium, ut vocant, dierum originem, translato scilicèt Gentilium more à Kalendis Januariis in dies, Quadragesimale jejunium præcedentes; præsertim postquàm Kalendis Januariis primùm institui cœpit jejunium, deinde solemnis indicta fuit Circumcisionis Dominicæ celebratio. De diebus Ægyptiacis variæ sunt eruditorum opiniones. Sanè Ægyptii delectati sempèr fuerunt in cursu solis & syderum contemplando, notandoque, cujus rei argumentum est, quòd vulgatus annus ad cursum solis exactus vulgo Ægyptiis accepto feratur. Intereà apùd illos inani quadam observatione dies à diebus distingui consueverunt, quorum plures atri & infausti dicebantur, quibus mali ominis esset aliquid moliri, aut exordiri, quemadmodùm animadvertit Alexander ab Alexandro in lib. 4. Genialium cap. 20.; quod & indicat Augustinus in expositione epistolæ Pauli ad Galatas cap. 4. his verbis: *Jam verò ne aliquid inchoetur aut ædificiorum, aut hujusmodi quorumlibet operum, diebus, quos Ægyptiacos vocant, sæpè etiàm nos monere non dubitant, nescientes, ut dicitur, ubi ambulant.* Horum sanè dierum superstitiosam observationem, quemadmodùm jam improbaverat Apostolus in epist. ad Galatas cap. 1. vers. 10. & 11., ità damnaverunt sancti Patres in suis sermonibus ad Populum, quasi eadem fidelium animos à divina homines regente providentiâ avocaret. Quid verò *Somnialia scripta, falso Danielis nomine intitulata*, quemadmodùm dicitur in laudato can. 16.? Ea expendens Sixtus Senensis in lib. 2. Bibliothecæ Sanctæ tomi 1. pag. mihi 118. tradit, quædam scripta fuisse, in quibus exhiberetur superstitiosa somniorum interpretatio, qualis ea erat, quam Artemidorus Græcus auctor ediderat. Sanctus Athanasius hunc librum reprobavit in Synopsi, tanquàm apocriphum Danielis. Denique *sortes Apostolorum* liber quidam, auguriorum plenissimus, appellabatur, undè quid futurum, quasi ex certo divinæ providentiæ revelantis oraculo, prænosceretur. Hunc librum tanquàm apocryphum rejecit Gelasius Papa in celebri can. *Sancta Romana* dist. 15. Quòd si adhùc quæratur de qualitate, ac naturâ sortium, quas Apostoli iniverunt in electione S. Matthiæ, rem illustrabit Augustinus in serm. 2. in psalmum 30. propè finem, cujus fragmentum legitur apùd Gratianum in can. 1. caus. 26. quæst. 2. de quo jam superiùs fuit agendum.

Verba canonis 3. caus. 27. quæst. 2. non habentur quidèm apùd Augustinum, sed eadem ipsa sententia pluribus in locis exprimitur, præsertim in libro de Sancta Virginitate, quæmadmodùm Romani Correctores observaverunt. Plura etiàm sunt ad eam rem pertinentia in libris de nuptiis, & concupiscentia; hinc lib. 1. cap. 12. legitur. *Cur ergò non conjuges maneant, qui ex consensu concumbere desinunt, si manserunt conjuges Joseph & Maria, qui concumbere nec cœperunt?* Itèm in lib. 23. contrà Faustum cap. 8. ità de S. Joseph Augustinus scribebat: *Neque enim, quia concubitu non permixtus, ideò non maritus; cum ipse Matthæus narret ab Angelo Mariam conjugem ipsius appellatam, qui narrat, quòd non ipsius concubitu, sed de Spiritu sancto conceperat.* Ex his, similibusque sententiis elucubratum à Gratiano fuit laudatum monumentum, quod propte-

Can. 3. caus. 27. q. 2.

tereà non injuriâ sub Augustini nomine exhibuit. Cum autèm certissimum sit, hujusmodi fuisse de conjugio Augustini sententiam, nemo statim non colligit, sancto Viro tribui non posse canonem 16. caus. 27. quæst. 2., qui sanè in ejus codicibus non invenitur. Correctores Romani putaverunt, in eo potiùs exhiberi summam quamdam sequentis canonis: verùm ego adhærere non possum eisdem, cum iterùm ea verba sub Augustini nomine legam apùd Gratianum post canonem 28. caus. 27. quæst. 2., nisi dicatur, ex eo codice derivata illa fuisse, in quo cohærerent, & veluti summarium haberentur canonis 17. eadem causâ & quæstione.

Can. 16. caus. 27. q. 2.

Locus hic videretur faciendus canoni 23. de pœn. dist. 1., sed jam illum superiùs expendi, ubi agerem de tractatu Augustini in Joannem.

Can. 23. de pœn. dist. 1.

Non aliâ de causâ adscribi potest Augustino canon 14. de pœn. dist. 2., nisi quòd in enarratione in Psalmum 103. ad verba illa, *qui tegis aquis superiora ejus*, Augustinus symbolo quodam aquarum nomine charitatem intelligit, & longo sermone interpretatur. Ad imitationem sancti Doctoris charitatem nomine aquarum intellexit alius interpres, qui explicabat verba Christi in Evangelio Joannis: *Qui biberit ex aqua, quàm ego dabo ei, non sitiet in æternum.*

Can. 14. de pœn. dist. 2.

In canone 30. de pœn. dist. 2. paucis perstringitur Augustini sententia, quæ fusiùs legitur in tractatu 6. in cap. 3. Epist. Joannis, ubi tradit Augustinus, hominem ità non posse velut in medio consistere, ut neque Deum amet, neque aversetur, ibi: *Qui non diligit, manet in morte: ne putetis fratres, leve esse odisse, aut non diligere. Audite quod sequitur: omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Jam ergò si contemnebat quisquam odium fraternum, nunquid, & homicidium in corde suo contempturus est? Non movet manus ad occidendum hominem; homicida jam tenetur à Domino: vivit ille, & iste jam interfector judicatur. Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est, & scitis, quia omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. In hoc cognoscimus dilectionem. Perfectionem dilectionis dixit perfectionem illam, quam commendavimus &c.* Quæ sequuntur apùd Gratianum in vers. *Nemo*, sunt verba Evangelii apùd Matthæum cap. 6., & apùd Lucam cap. 16.

Can. 30. de pœn. dist. 2.

Jam adnotaverunt Romani Correctores, ad quos veluti fontes referendus sit canon 10. de pœn. dist. 4. Nimirùm excerptus ille fuit ab auctore Glossæ ordinariæ ad verba Pauli in 2. ad Timotheum 2., & ibidèm ex Beda. Itèm adnotaverunt, similia quædam legi in tract. 12. in Joannem, ibi: *Qui credit in eum, non judicatur; qui autèm non credit, quid dicturum sperabas, nisi judicatur? Jam, inquit, judicatus est: nondùm apparuit judicium, sed jam factum est judicium; novit enim Dominus, qui sunt ejus: novit, qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam*, & in lib. 20. de Civitate Dei cap. 7. ibi: *Nec moveat, quòd sæpe diabolus seducit etiàm illos, qui jam regenerati in Christo vias ingrediuntur Dei; novit enim Dominus, qui sunt ejus. Ex his in æternam damnationem neminem ille seducit.*

Can. 10. de pœn. dist. 4.

Canon 36. de cons. dist. 1. sive apùd Burchardum, sive apùd Ivonem, sive apùd Gratianum sub nomine Augustini laudatur. Habeo ego Gratianeum codicem, in quo hæc est inscriptio: *Augustinus Ignaro.* Mendosa sanè inscriptio, cum nullibi inter opera Augustini adpareat Ignari nomen, ad quem scripserit Augustinus. Ego puto, fragmentum illud nihil aliud esse, quàm breve quoddam compendium epistolæ Augustini ad Onoratum, de qua suprà sermonem institui: scilicèt ibidèm traditur, Episcopos de Ecclesia sua posse in alium locum migrare, ubi necessitas Ecclesiæ id exposcit; itèm ubi dissentiones ac schismata emergant; uno verbo, *quandò verè videtur utile esse ad loca tutiora migrare*, ut ibidèm propè finem scribit Augus-

Can. 36. de cons. dist. 1.

gus-

gustinus. Hinc conjicio, in meo Gratianeo codice legi debuisse *Augustinus Onorato*, & non nisi ex Amanuensis, aut Typographi incuriâ adscriptum fuisse *Ignaro*.

Can. 52. de cons. dist. 1. Augustini temporibus minimè congruit canon 52. de cons. dist. 1., qui potiùs adscribendus erat Teodulpho Aurelianensi Episcopo, sæculi noni Scriptori: nimirùm ipse in cap. ult. Capitulorum, Clericis suis datorum ad bonum Ecclesiæ regimen, ità scribebat: *Admonendus est populus, ut antè publicum peractum officium ad cibum non accedat, & omnes ad Sanctam Matrem Ecclesiam missarum solemnia, & prædicationem audituri conveniant, & Sacerdotes per Oratoria nequaquàm missas, nisi tam cautè ante secundam horam, celebrent, ut populus à publicis solemnitatibus non abstrahatur, sed sive sacerdotes, qui in circuitu urbis, aut in eadem urbe sunt, sive populus, ut prædiximus, in unum ad publicam missarum celebrationem conveniant, exceptis Deo sacratis fœminis, quibus mos est ad publicum non egredi, sed claustris monasterii contineri.* Is est Theodulphus, qui in Poëtica sacra plurimùm valuit, cuique tribuitur hymnus *Gloria, laus, & honor*, quem hodiè canimus in die Dominica Palmarum. Primus autèm Augustino tribuit canonem Theodulphi Burchardus, utpotè qui Francorum monumentorum auctores nominare nolebat apùd Germanos, penès quos scribebat, quemadmodùm multis in locis fuit animadvertendum. Ex Burchardo errandi occasionem recentiores Collectores habuerunt.

Can. 36. & 62. de cons. dist. 2. & Can. 131. de cons. dist. 4. Canon 36. de cons. dist. 2., qui initio exhibet eadem verba, quæ leguntur in can. 62. de cons. dist. 2., & in fine ea exhibet, quæ leguntur in can. 131. de cons. dist. 4. non est Augustini, sed potiùs Bedæ in epistolam 1. Pauli ad Corinthios. Ideò autèm Augustino tribui potuit, quia Beda sua ipsa Commentaria variis Augustini monumentis ornavit. Verborum dispositio non eadem est apud Bedam, quæ reperitur apùd Gratianum; etenim apùd Bedam præponuntur verba versiculi *Ità Dominus*, quæ apùd Gratianum subsequuntur. Item in postremis canonis verbis, ubi legit Gratianus, *quandò in se hoc, quod illud Sacramentum significat, invenit*, aliter habetur apùd Bedam, ibi: *Quandò ipse hoc, quod illud Sacramentum significat, invenit.* Apùd Bedam ità Augustini monumenta laudantur, ut priora deprompta dicantur *ex sermone de Sacramento fidelium, feria 2. Paschæ*; posteriora *ex sermone ad infantes ad altare de Sacramento.* Cum autèm hodiè isti tituli in codicibus Augustini non extent, nulla esse dubitatio potest, quin ibidèm commemorentur tractatus 26. & 27. in Joannem, ubi multa illis similia continentur, quorum etiàm aliqua superiùs explicavi, præsertim ad canones 46. & 47. de cons. dist. 2.

Videretur hic concedendus locus canoni 47. de cons. dist. 2., utpotè qui Augustino tribuitur, quin locus indicetur, ad quem sit referendus. Verùm jam superiùs de eodem sermonem habui, dum tractatus Augustini in Joannem expenderem. Can 47. de cons. dist. 2.

Quod contigit in can. 36. de cons. dist. 2., qui cum esset Bedæ, Augustini nomine, uti diximus, descriptus fuit, idipsum evenit in can. 61. de cons. dist. 2. in expositione epistolæ 1. ad Corinth. cap. 10. ad illa verba: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Ait Beda: *Non omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi fit Corpus Christi.* Can. 61. de cons. dist. 2.

Verba canonis 67. de cons. dist. 2. jam superiùs expendi, ubi agerem de enarrationibus Augustini in Psalmos. Inferiùs verò, ubi agendum erit de Paschasii Abbatis monumentis, expendenda erunt verba canonis 72. de cons. dist. 2. cum rectiùs Paschasio tribuantur, quàm Augustino. Can. 67. & 72. de cons. dist. 2.

CA-

CAPUT XX.

De Paulino Nolano.

Paulini Nolani monumentum unicum extat apùd Gratianum, ex epistola ad Romanianum depromptum.

Is est canon 12. *caus.* 7. *q.* 1. *ex integra epistola supplendus.*

FLoruit sub finem quarti Ecclesiæ sæculi usquè ad annum 431. Pontius Meropius Paulinus, origine Romanus, & in Aquitania natus, vir ab adolescentia in Poætica & oratoria facultate ab Ausonio egregiè instructus; qui pòst exercitas summas in foro dignitates publicas, Christi fidem, instituente Ambrosio Mediolanensi, & baptizante Delphino Burdegalensi Episcopo, suscepit. Multum ille in rerum divinarum, sacrarumque doctrina profecit, viris illustribus, seu ob eximiam morum integritatem, seu ob præclaram sapientiam, charissimus, & laudatissimus, præsertim memorato Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Eucherio, Prospero, Severo Sulpitio, Martino Turonensi. Uxorem Therasiam castè dilexit, cum qua pòst susceptum & vitâ functum filium convenit, ut conjugium in perpetua continentia transigeretur. Hinc primùm circa annum 393. Presbyter ordinatus est, ac deindè Nolam secedens, pòst monasticam vitam diù initam, tandèm Nolanus Episcopus consecratus insignia exhibuit usquè ad mortem Episcopalis sanctimoniæ exempla. Ad annum 396. pertinet epistola, numero 7. in editione Muratorii, scripta ad Romanianum & suo & uxoris nomine, quo nimirùm tempore nondùm ad Episcopalem Sedem ascenderat, sub hac inscriptione: *Domino, merito prædicabili & honorando fratri Romano, Paulinus, & Therasia.* Gratulatur ibidèm de rebus Ecclesiasticis optimè in Africa gestis, atque inter cetera de electione Augustini in Hipponensem Episcopum, vivente adhùc Antistite Valerio, his verbis: *Non autèm tantùm hoc scribimus gratulandum, quòd Episcopatum Augustinus acceperit; sed quòd hanc Dei curam meruerint Africanæ Ecclesiæ, ut verba cœlestia Augustini ore perciperent; qui ad majorem Dominici muneris gratiam novo more provectus, ità consecratus est, ut non succederet in Cathedra Episcopo, sed accederet. Nàm, incolumi Valerio, Hiponensis Ecclesiæ Coepiscopus Augustinus est, & ille Beatus Senex, cui purissimam mentem nulla unquàm liventis invidiæ macula suffudit, dignos sui cordis pace nùnc ab Altissimo fructus capit, ut, quem successorem Sacerdotii sui simpliciter optabat, hunc mereatur tenere collegam. Credine hoc potuit, antequàm fieret? Sed in hoc quoquè omnipotentis opere dici Evangelicum illud potest: Hominibus hæc ardua, apùd Deum autèm omnia possibilia &c.* Nemo hinc non intelligit, novam hanc visam fuisse Paulino eligendi Episcopi rationem, quam propterèà, uti Ecclesiæ Africanæ maximè utilem, atque opportunam, in singularem Dei providentiam retulit. Hinc & suppleri, & explicari poterit Gratianeus canon 12. caus. 7. quæst. 1.

CAPUT XXI.

De Prospero.

Præter ea, quæ Gratianus edidit sub nomine Augustini quasi excerpta ex libro Sententiarum Prosperi, de quibus jam superiùs agendum fuit in cap. 19., alia sunt, quæ apùd eumdem Collectorem Prospero tribuuntur, quemadmodùm ex sequentibus liquet.

Ex responsionibus ad 2. objectionem Gallorum. — *Can.* 14. *de pœn. dist.* 4. *parùm conveniens proposito Gratiani.*

Ex Libris de vita contemplativa. — *Can.* 7. *dist.* 35. / *Can.* 7. *caus.* 1. *q.* 2. / *Can.* 8. *caus.* 1. *q.* 2. / *Can.* 9. *caus.* 1. *q.* 2. / *Can.* 13. *caus.* 12. *q.* 1. / *Can.* 25. *caus.* 12. *q.* 1. / *Can.* 18. *caus.* 24. *q.* 3. / *Can.* 31. *de pœn. dist.* 1. / *Can.* 32. *de pœn. dist.* 1. / *Can.* 5. *de pœn. dist.* 2. — *potiùs tribuendi Juliano Pomerio.*

MAxima fuit animorum conjunctio inter S. Augustinum Hipponensem, & S. Prosperum Aquitanum, virum rethorem, atque, ut vulgò traditur, Leonis Magni Papæ Notarium; nunquàm verò, ut quibusdam eruditis placet, Episcopum. Unà hic cum Hilario, non Arelatensi Episcopo, sed alio Laico, amicitiam inivit, undè uterque Augustini discipulus nuncupatur; quòd Augustini doctrinam impensè coluerint, & invictâ constantiâ adversùs quorumdam Massiliensium, seu Semipelagianorum objecta sustinuerint, laboribus, vigiliis, itineribus, & studiis non parcentes. Floruit Prosper sæculo Ecclesiæ quinto ab initio ultrà dimidium, viris eximiis illius ætatis spectatissimus. Inter ejus opera ad vindicandam Augustini doctrinam extat libellus sub hoc titulo: *Pro Augustino responsiones ad capitula objectionum Gallorum calumniantium.* Siquidèm, mortuo Augustino, nonnulli Gallicani, suppresso tamèn nomine suo, carpere non dubitaverant ejusdem sancti Antistitis doctrinam de gratia, de prædestinatione, & de libero arbitrio; conati demonstrare, Augustinum errasse in pluribus, eamque ob rem Pelagianorum fovere hæresim videbantur. Quæ adversùs Augustinum objiciebantur, ad quindecim capita retulit Prosper, Augustinianarum sententiarum vindex, & singulis objectionum capitibus singulas opposuit responsiones. Secunda Gallicanorum objectio hæc erat: *Quòd ab eis, qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum.* Can. 14. de pœn. dist. 4. Ità respondit Prosper: *Omnis homo, qui credens in Patrem, & Filium, & Spiritum S. regeneratur in baptismo, tam à propriis peccatis, quæ malâ voluntate & actione contraxit, quàm ob originali, quod à parentibus traxit, absolvitur. Sed relapsum pòst baptismum ad infidelitatem, & impios mores, qui negat originali peccato fuisse purgatum, tàm falsa opinatur, quàm qui eumdem asserit, non æterna morte esse damnandum. Qui enim*

enim recedit à Christo, & alienus (in aliquot codicibus legitur *alienatus*) *à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed non in id, quod remissum est, recidit, nec in originali peccato damnabitur; qui tamèn propter postrema crimina eâ morte afficietur, quæ ei propter illa, quæ remissa sunt, debebatur. Quod quia Dei præscientiam nec latuit, nec fefellit; sine dubio talem nunquàm elegit, nunquàm prædestinavit, & periturum nunquàm ab æterna perditione discrevit.* Hùc, ut liquet, referendus est canon. 14. de pœn. dist. 4., cujus sanè sententia plurimùm distat à quæstione, quàm proposuerat Gratianus; atque idem Collector non admodùm laboravisset in subjicienda canonis interpretatione, si mentem Prosperi, qualis ex integra sententia eruitur, attigisset.

Plures alii extant canones apùd Gratianum nomine Prosperi editi, qui tamèn reverà Prosperi non sunt, cum pertineant ad libros de vita contemplativa, quos, hodiè nemo ignorat, fuisse potiùs Juliano Pomerio adscribendos. Fuit Julianus Pomerius genere Maurus, qui tamen in Gallia educatus fuit Prosperi Aquitani temporibus, licèt Prospero junior, Sacerdotio insignitus, & Monasterio Præfectus, pòst medium quinti sæculi, & quod mirum est, adeò Prosperum in stylo & ratione scribendi imitatus, ut vix unum ab altero distingueres; quod ego puto occasionem dedisse, ut liber Pomerii codicibus Prosperi adsueretur. Erat uterque professione Rhetor, & verosimiliter, uti in eadem Provincia, ità eisdem institutionibus eruditus. Argumenta verò, quibus libri de vita contemplativa Juliano potiùs, quàm Prospero, tribui debeant, multa sunt, & passim congeruntur ab eruditis. In primis enim multi indicantur veteres MSS. Codices, in quibus non Prosperi, sed Juliani nomen adponitur; deindè in lib. 2. cap. 9. mentio fit Hilarii Arelatensis Episcopi, quasi jam pridèm, & olim defuncti, quæ sanè mentio juniori Juliano, quàm Prospero, magis congruit; præsertim quòd Prosper non adeò fortè Hilarium Arelatensem laudavisset, quem in literis ad Augustinum testatus est in sancti Hipponensis Antistitis doctrinam minùs propensum, ut ut aliàs clarum meritis, & auctoritate, & optimis studiis venerabilem. Prætereà, quod maximi momenti est, adducitur testimonium Isidori Hispalensis, qui in lib. de Scriptor. Eccles. cap. 12. libros eosdem Juliano Pomerio adscripsit. Primus octavo sæculo libros illos Prospero tribuit Chrodogangus, Metensis Episcopus, in Regula Canonicorum, quem deindè alii secuti sunt: inter ceteros Jonas Aurelianensis in lib. de Laicali institutione, Patres Concilii Aquisgranensis anni 818. & Concilii Parisiensis VI. pòst annos 13. celebrati. Hæc extat librorum inscriptio: *Juliani Pomerii in libros de vita contemplativa, ad Julianum Pontificem, Prologus*, quem deindè subsequuntur libri tres, quorum prior reverà contemplativæ vitæ rationes explicat: sed aliud posteriorum propositum esse videtur; nimirùm in secundo libro de Clericorum virtutibus, & Ecclesiastico cultu, ac regimine agitur; in postremo de vitiis & virtutibus oratio instituitur.

Quæ apùd Gratianum exhibentur, omnia ferè, nimirùm unico excepto monumento, ad secundum librum referenda sunt, ubi de Clericorum conversatione disseritur. In primis in cap. 22. ubi nonnulla abstinentiæ præcepta traduntur, legitur canon 7. dist. 35. ibi: *Jam de vino abstinendo, vel percipiendo, quid dicam, undè S. Apostolus certam fixit regulam dicens: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Quasi diceret: luxuriam facit, & nutrit vini perceptio nimia, non natura; & propterea non uti vos vino, sed inebriari prohibeo; quandoquidèm infirmum stomachum moderatus usus vini confortat, ebrietas animum corpusque debilitat.* Can. 7. dist. 35.

Unà jungendi sunt canones 7. 8. 9.

Can. 7. caus. 1. quæst. 2. & can. 13. & 25. 9. caus. 12. quæst. 1., quoniàm uno fere contextu, licèt diversis capitibus, apùd Pomerium continentur, nimirùm in cap. 9. 10. 11. & 12., ubi Clericorum disciplina stabilitur, quæ bonorum temporalium spectat possessionem. Exorditur Pomerius in cap. 9. *Expedit facultates Ecclesiæ possideri &c.* Hic est canon 13. caus. 12. quæst. 1., ubi tamèn pro illis verbis: *sine impedimento perfectionis posse Ecclesiæ facultates, quæ sunt profectò communes, possideri*, legitur in vulgatis Juliani codicibus: *sine impedimento perfectionis posse, quæ sunt communia Ecclesiæ, possideri*: aliqui MSS. codices habent *posse Ecclesiæ, quæ sunt perfectò communia, possideri*; alii præterea: *Posse Ecclesiæ facultates, quæ sunt communes, possideri.* Itèm pro verbis illis *evidenter clamant* legitur in vulgatis codicibus *evidentibus clamant*; ac demùm pro postremis Gratiani verbis, quæ sanè consonant cum vulgatis Juliani codicibus, in aliquot MSS. exemplaribus habetur, *nunquàm eas habuissent, qui &c.*: alibi *nunquàm eas haberent, qui &c.*: alibi *nunquàm eas suscipere debuerant, qui &c.* omissâ voce *retinere.* Qui ibidèm memorantur Antistites, erant Paulinus Nolanus, & Hilarius Arelatensis, jam pridèm vitâ functi. Subsequitur statim Pomerius, & ait in eodem cap. 9. *Undè datur intelligi, quòd tanti, ac tales viri, qui volentes esse Christi Discipuli renunciaverunt omnibus, quæ habebant, non ut possessores, sed ut procuratores facultates Ecclesiæ possidebant. Et idcircò, scientes, nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas vindicaverunt in usus suos, ut proprias, sed ut commendatas pauperibus diviserunt. Hoc est enim possidendo contemnere, non sibi, sed aliis possidere; nec habendi cupiditate Ecclesiæ facultates ambire, sed eas pietate subveniendi suscipere? Quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune; nec aliquid indè eis, qui sibi de suo sufficiunt, debet erogare, quando nihil aliud sit habentibus dare, quàm perdere.* Postrema hæc verba paulò aliter descripta retulit Gratianus initio laudati canonis 7. Hinc pergit Pomerius in cap. 10. *Nec illi, qui sua possidentes dari aliquid sibi volunt, sine grandi peccato suo, undè pauper* (alicubi legitur *ea, undè pauper*) *victurus erat, accipiunt. De Clericis quidèm dicit Spiritus sanctus* (legitur in aliquot codicibus *dicit Propheta*) *peccata populi mei comedunt* (alicubi *comedent*). *Sed sicut nihil, &c.* usquè in finem canonis. Non sunt omittenda, quæ Pomerius ad eamdem rem ità prosequitur, siquidèm mirum in modum sinceram explicant auctoris de rerum Ecclesiasticarum usu sententiam. *Ipsi quoquè pauperes, si se possunt suis artificiis aut laboribus expedire, non præsumant, quod debet debilis, aut infirmus accipere; ne fortè Ecclesia, quæ potest omni solatio destitutis necessaria ministrare, si omnes etiàm nihil indigentes accipiant, gravata, illis, quibus debet, subvenire non valeat. Qui autèm Ecclesiæ serviunt, & labori suo velut debita reddi oportere credentes, ea, quibus opus non habent, aut accipiunt libenter, aut exigunt, nimis carnaliter sapiunt, si putant, quòd Ecclesiæ fideliter servientes stipendia terrena, ac non potiùs præmia æterna percipiant. Sæcularis quippè militia, quia cœlestia non habet, terrena strenuè militantibus præstat. Undè satis indignum est, si fidelis, & operosa devotio Clericorum propter stipendium temporale præmia sempiterna contemnat. Quòd si quilibet minister Ecclesiæ non habet, unde vivat; non ei præmium reddat hic, sed necessaria præstet Ecclesia; ut in futuro præmium laboris sui recipiat, quod in hac vita jam spe Dominicæ promissionis certus expectat. Illi quoquè, qui velut idonei nihil quidèm sibi dari velut debitum poscunt, sed tamèn Ecclesiæ sumptibus vivunt; non est meum dicere, quali peccato cibos pauperum præsumendo suscipiant, qui Ecclesiam, quam juvare de propriis facultatibus debuerunt, suis expensis insuper gravant; propter hoc fortassis in con-*

congregatione viventes, ne aliquos pauperes pascant, ne advenientes susciplant, aut ne suum censum expensis quotidianis imminuant. Quòd si aliquid de fructibus suis Ecclesiæ, velut pro ipsa expensa sua, contulerint, non se præferant inani jactantiâ illis, quos nihil habentes pascit, & vestit Ecclesia, quia perfectior est ille, qui se mundi rebus expoliat, aut qui, cum nihil habuerit, nec habere desiderat, quàm ille, qui ex multis, quæ possidet, Ecclesiæ aliquid præstat, ac se de eo, quod præstiterit, forsitàn jactat. Dura sunt, quæ dico, nec ego diffiteor. Dura sunt, sed observare nolentibus. Ceterùm, si fiant ista, quæ difficilia non facientibus sunt, statim facilia facientibus fiunt. Non ergò, quæ nolumus observare, impossibilitas nobis facit dura, sed novitas. In usum veniant, & neminem frequentata conturbant. Nàm quæro, quid sit eorum, quæ dixi, difficile? Ut homo id, quo opus non habet, ab Ecclesia non accipiat, an ut quod habet sine causa contemnat? Si propter hoc non vult sua relinquere, ut habeat, undè vivat; ut quid accipit, undè rationem reddat? Ut quid de peccatis alienis sua multiplicat? His verbis & supplendus, & emendandus erit, singula in locum suum redigendo, canon 8. caus. 1. quæst. 2. Sequitur apùd Pomerium caput 11. his verbis. *Itaquè Sacerdos, &c.*, quæ habentur in canone 9. eadem causà & quæst. à principio usquè ad illa verba *vivendi necessitas*, junctis Romanorum Correctorum observationibus. Pòst hæc nectenda sunt verba canonis 25. caus. 12. quæst. 1., leguntur enim in cap. 12. immediatè sequenti. Multa deindè subjicit Pomerius ad eamdem rem usquè ad caput 14., in quo exhibentur ea, quæ edidit Gratianus in dicto can. 9. vers. *De talibus* usquè in finem. Quicumque hæc omnia Pomerii dicta considerabit solertissimè, non dubito, quin scriptoris ejusdem sententias parùm inveniat recentiorum scriptorum opinionibus accommodatas; etenim recentiores seu Theologi, seu Canonum Interpretes, quasi certi de jure Clericorum in fructus bonorum Ecclesiæ, quæ administrant, disputationes miscuerunt de jure dominii, de usufructu, de usu; quandò Pomerius, & cum illo nonnulli alii ex vetustis Patribus ne usum quidèm tradiderunt Clerico, qui ex propriis ali possit. Videatur ad hanc rem canon 23. caus. 12. quæst. 1. in iis potissimùm verbis *si tamèn indiget*, canon 3. caus. 23. quæst. 7., Paschalis II. apùd Gerohum Præpositum Reicherspergensem in Psalmum 64., & Benedictus III. in epist. 3. ad Episcopos Galliarum, ubi demonstrat, Episcopos nihil ex Monasteriorum redditibus accipere debere, hâc adjectâ ratione: *Si enim Clericorum, qui de propriis abundant reditibus, communicatio prohibetur cum eis, quæ conferuntur Ecclesiæ, ne dum illi acceperint, qui de propriis abundant, eorum, qui nihil habent, inopia non levetur; quâ conscientiâ Episcopus &c.* Mihi sanè nunquàm displicere potuit in conspectu horum omnium, quod in proposita quæstione tradidit Dionysius Chartusianus in tractat. de vita Canonicorum art. 24. ità scribens: *Salubriùs, & securiùs creditur, ac paretur dictis Sanctorum, per quos locutus est Spiritus Dei, quàm Scholasticorum quorumdam, qui suo magis, quam expedit, credunt, & nituntur ingenio, auctoritatem sanctorum ad suam retorquentes opinionem.*

Unà prætereà jungendi sunt canon 18. caus. 24. quæst. 3., canon 31. & 32. de pœn. dist. 1., sunt enim deprompti omnes ex cap. 7. ejusdem libri. Ibi tradebat Pomerius, quantum remedii habeat in Ecclesia confessio peccatorum, & quale mereatur occultatio dolosa supplicium. Ajebat autèm ad eam rem inter cetera: *Cum verò nobis fratres quilibet nostri peccata sua, tanquàm medicis vulnera, quibus urgentur, aperiunt, operam dare debemus, ut quantociùs ad sanitatem, Deo auctore, perveniant, ne in pejus dissimulatâ curatione proficiant. Ea autèm crimina quorumlibet &c.* Hic subsequuntur verba canonis 18. caus. 24. quæst. 3., ubi tamèn observanda est levis

Can. 18. caus. 24. q. 3. & Can. 31. & 32. de pœn. dist. 1.

vis quædam codicum varietas; siquidèm ubi Gratianus scribit *Medela processerit... tanquàm putres... abscindi... si abscissa non fuerit... saltèm reliquæ carnis... suæ perditionis inficiant*, aliqui codices habent: *Medela profecerit... tanquàm putridæ... abscidi... si abscisa non fuerit... salutem reliquæ carnis... suæ perversionis inficiant.* Pòst hæc statim sequuntur verba canonis 31. de pœn. dist. 1., qui ut deindè jungatur cum can. 32. sequenti, hæc erunt adjicienda. Pomerius pòst illa verba *æterni ignis incendia*, ait: *At hi, qui in aliquo gradu Ecclesiastico constituti aliquod occultè crimen admittunt, ipsi se vanâ persuasione decipiunt, si eis videtur propterea communicare, & officium suum implere debere, quòd homines occultatione sui criminis fallunt. Exceptis enim peccatis, quæ tam parva sunt, ut caveri non possint, pro quibus expiandis quotidiè Deo clamamus, & dicimus: dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; illa crimina caveantur, quæ publicata suos auctores humano faciunt damnari judicio. Qui autèm ea commiserint, & ideò prodere metuunt, ne sententiam justæ excommunicationis accipiant, sine causa communicant; imò verò dupliciter contrà se iram divinæ indignationis exaggerant, quòd & hominibus innocentiam fingunt, &, contempto Dei judicio, abstinere se ab altari propter homines erubescunt. Quapropter Deum sibi facilius placabunt illi, &c.*

Can. 5. de pœn. dist. 2. Ad librum 3., in quo de vitiis & virtutibus agitur, referendus est canon. 5. de pœn. dist. 2.; siquidèm in cap. 13. & sequentibus virtus charitatis laudatur disertâ oratione his verbis: *Charitas est, ut mihi videtur, recta voluntas, ab omnibus terrenis, ac præsentibus prorsùs aversa, juncta Deo... corrumpi nescia... præmium perfectorum. In peccatis suis mortuos suscitat, languentes sanat, perditos instaurat, spem desperatis inspirat, pacificas mentes inhabitat, fructuosa in pœnitentibus, læta in proficientibus, gloriosa in perseverantibus, victoriosa in martyribus, operosa in omnibus omninò fidelibus. Quam fides concipit, ad quam spes currit, cui profectus omnium servit, ex qua quidquid est boni operis vivit, sub qua obedientia crescit, per quam patientia vincit, propter quam carnalia blandimenta devotio religiosa contemnit; sine qua nullus Deo placuit, cum qua nec potuit aliquis peccare, nec potuerit. Hæc est charitas vera... sed errare.* His & supplendus, & emendandus erit canon 5. à princ. usquè ad vers. *Ergo*, ubi tamèn omisi, quæ apùd Gratianum cum Pomerii codicibus consonant. Versiculus *Ergò* legitur in cap. 15., ubi pro illis verbis, *nisi illi copulari animo*, legitur apùd Pomerium in vulgatis codicibus; *nisi illi occupari animo*, alibi: *nisi illi occupare animum*; in aliquibus, quemadmodùm apùd Gratianum; item pro illis Gratiani verbis: *quem in se censuit diligendum*, legitur apùd Pomerium: *quem ipse in se censuit diligendum.* Prosequitur Pomerius scribens: *Sed de mundo, quòd diligi omninò non debeat, ipsius Dei nostri per sanctum Joannem Apostolum vox est, dicentis, nolite diligere mundum. Corpus autèm nostrum,* (hic sequitur Gratianus in vers. *Corpus*) *quia pars nostri est, ad hoc nobis est diligendum, ut saluti ejus, ac fragilitati naturaliter consulamus, & agamus, quatenùs spiritui ordinatè* (legunt aliqui *ordinanti*) *subjectum, ad æternam salutem acceptâ immortalitate, & incorruptione perveniat, non, suis voluptatibus diffluendo, animæ rigorem sibi cedentis emolliat, puritatem polluat, & totam dignitatem suæ delectationis* (legunt alii *dilectionis*) *morbo corrumpat. Proximos autèm &c.* Hic iterùm Gratianus suquè ad illa verba *participes diligamus*; pòst quæ statim Pomerius: *Quia non eos, sicut nos ipsos amamus, quandò propter illa superiùs dicta diligimus. Neque enim ideò proximum tamquàm se ipsum diligit quisque, quia sibi frater aut soror, pater aut filius, mater aut filia, nepos aut neptis est. Carnaliter quippè amat, qui taliter amat: quoniàm non illi tantùm* (hæc pauca sequentia edidit Gratianus, aliqua tamèn omittens) *proximi nostri credendi sunt, quos nobis gradus sanguinis jungit; sed proximi nostri credendi*

sunt

sunt omnes homines, naturæ nostræ, sicut dixi, participes. Nàm si propinquos nostros, quamvis incompositos, turpes, ac malè moratos, plùs, quàm quoslibet sanctos, quos à nobis secundum sanguinem vocamus extraneos, diligamus, non solùm carnaliter diligimus, sed etiam graviter in tali eorum dilectione peccamus. Proindè secundum nos proximos omnes &c. Quæ sequuntur, integra apùd Gratianum exhibentur.

CAPUT XXII.

De Cyrillo Alexandrino.

Tres Cyrilli apùd Gratianum memorantur epistolæ; atque ex iis singulis singuli canones.

Ex epist. ad Joannem Antiochenum. — *Can.* 13. *dist.* 50. *perperàm Cyrillo adscriptus.*

Ex epist. ad Maximum, Diaconum Antiochenum. — *Can.* 15. *caus.* 1. *quæst.* 7. *jam à Romanis Correctoribus ad codices optimos exactus.*

Ex epist. ad Gennadium, Presbyterum, & Archimandritam. — *Can.* 16. *caus.* 1. *quæst.* 7. *jam à Romanis Correctoribus ad codices optimos exactus.*

NON tantùm eruditione sacrorum, aut alacritate in dogmatibus fidei tuendis, sed etiàm eximiâ rerum agendarum prudentiâ, ornatum Cyrillum Patriarcham Alexandrinum universi Ecclesiastici Historici prædicaverunt. Etsi enim nihil aliud superesset ad æternum ejus sapientiæ monumentum, quàm acta Concilii Ephesini adversùs Nestorium, & Nestorianos omnes, cui ipse anno 431. nomine Cœlestini Papæ præfuit, jam satis haberemus, undè ætatibus universis commendatissimus adpareret. Alia tamèn multa supersunt, ac præsertim elegantes ad populum homiliæ, quas, ut Gennadius refert, Græciæ Episcopi ad declamandum memoriæ commendabant. Pauca ex sancti Viri codicibus derivavit Gratianus, imò nec omnia quidèm eidem Antistiti verè adscribenda.

Can. 13. dist. 50. Non est sanè Cyrilli canon 13. dist. 50., quamquàm in vulgatis ante Romanam Correctionem Gratiani codicibus tribueretur Cyrillo, ad Joannem Antiochenum scribenti. Quomodò enim Cyrillo tribui potuit monumentum, in quo plura recensentur facta, Cyrillo longè posteriora, qualia præsertim sunt, quæ in Concilio Suessionensi de Carolo Calvo, & de Nicolao Papa narrantur? Erratum profluxit ex Burchardi Codice. Siquidèm in eo in lib. 1. cap. 232. sub nomine Cyrilli, ad Joannem Antiochenum scribentis, exhibetur quædam fidei formula, quæ tamèn Cyrilli ejusdem ne esse quidèm integra potest, quòd Eutychis mentio fiat, quasi jam vivente Cyrillo damnati; deindè in cap. 233. subjiciuntur sine ulla auctoris inscriptione exempla varia damnatorum Episcoporum, qui reconciliati Ecclesiæ, inque suam dignitatem restituti fuerunt. Quamobrèm qui incidit in illud Burchar-

chardi caput, facilè titulum, seu inscriptionem præcedentis capitis eidem accommodavit. Quid ergo? Est canon iste habendus tanquàm brevis à Burchardo edita enarratio factorum, de quibus hoc in loco nonnulla dicere opportunum videtur.

Initio adfertur exemplum Joannis Chrisostomi, qui dicitur dijudicatus primùm, sed iterùm restitutus. Hæc fuit Chrisostomi causa: Theophilus Patriarcha Alexandrinus propè finem quarti sæculi quosdam Monachos, licèt innoxios, graviter fuerat insecutus, qui, propterea ad Chrisostomum Constantinopolitanum Patriarcham humiliter confugientes, ab ipso tanquam ab optimo Parente benevolè suscepti fuerunt. Id occasionem præbuit Theophilo in Chrisostomum odium convertendi, quem propterea de variis criminibus insimulare cœpit, adeò ut nonnulli Antistites, in vicinia constituti, à Chrisostomi se communione abduxissent. Ampliùs progressus est Theophilus; nimirùm aliquot convocatis Episcopis apùd Quercum Suburbium Chalcedonense, quæsitis suffragiis Chrisostomum à Sede Episcopali deposuit, & Ecclesiasticâ communione privavit. Verùm cum fortè agnosceret, Synodalem sententiam inanem extituram & sine effectu, quòd de Constantinopolitano Episcopo ageretur; Imperatoris animum circumvenit, ac potissimùm occasione arreptâ Eudoxiam Augustam in sanctum Antistitem concitavit. Cum enim Chrisostomus in solemnitate quadam publica, in Augustæ honorem indicta, populum publicè monuisset, ne turpibus, atque inhonestis jocis, præsertim propè divinas ædes, vacaret, Theophilus nihil antiquius habuit, quàm Augustam certiorem facere de Chrisostomi ergà illam invidia, conantis à debita ergà Imperantes reverentia & obsequio populum avertere. Itaquè brevi tempore in his rerum adjunctis ab Urbe Constantinopolitana exulare sanctus Antistes debuit, conquestus in recessu de Theophili insidiis, quas detegere non dubitavit Innocentio Papæ. Prudentissimus Pontifex Maximus in generali Concilio causas omnes dirimendas optabat; ægrè enim admodum ferebat, Imperantium animos adversùs Chrisostomum acerbè fuisse provocatos. Verùm Concilii celebrationem improbitas aut inopportunitas temporum prorogabat; atque intereà in exilio Chrisostomus obiit, cujus tamèn integritas & doctrinæ & sanctimoniæ passa non fuit ob egregiam nominis famam causam extingui. Hinc Innocentius, convocatis Romæ, quos per tempora potuit, Episcopis, Chrisostomum licèt vitâ functum communione donandum declaravit, atqui ità habendum, quasi nunquàm Episcopali dignitate excidisset, jubens, ut illius nomen in Ecclesiasticis Constantinopolitanis dypticis describeretur. Istud profectò exemplum parum facere potest ad rem, à Gratiano propositam, cum in ea quæstione versaretur: an Episcopus, à Sede sua ob crimina dejectus, per pœnitentiam reconciliatus restitui in Sedem suam possit. Absit enim à nobis de viro integerrimo Joanne Chrisostomo ità sentire, ut credamus, illum jure aliquandò fuisse damnatum, & demùm restitutum in gradum suum, habitâ pœnitentiæ ratione.

Non absimile est alterum exemplum de Marcello Episcopo, per calumniam etiàm perfidorum hominum à Sede sua dejecto, ac tandèm in pristinum honorem revocato. Fuit Marcellus quarto sæculo Ancyræ Episcopus, & Galatiæ Primas, atque in Nicæna Synodo alacriter adeò Arianos, eorumque hæresim impugnavit, ut Arianorum omnium odia facilè in se converterit. Hæretici omnem moverunt lapidem, ut Marcellus à dignitate sua dejiceretur, eumdem inter cetera accusantes, quasi prædicavisset, *Filium Dei principium ex Maria habuisse, & regnum ejus finem habiturum*, uti refert Socrates lib. 1. cap. 24., & Sozomenus lib. 2. histor. Eccles. cap. 31. Diù in sus-

suspenso non mansit causæ diremptio. Etenim Ariani accusatores quàm primùm curaverunt, ut quorumdam Episcoporum sibi faventium convocaretur Concilium, quemadmodùm reverà celebratum fuit in urbe Constantinopolitana anno 336., in quo Marcellus & damnatus, & ab Ancyrana sede depositus, Basilio in ejus locum suffecto. Ceterùm Marcelli fides integerrima sempèr fuerat, uti demonstravit S. Athanasius in Apologia 2., & in epistola ad solitariam vitam agentes. Itaquè debuit ejus causa in Romano Concilio anni 341. sub Julio Pontifice retractari, ubi Marcellus idem adfuit, factâque fidei professione, cujus exemplar refert Epiphanius hæresi 72., absolutus fuit, & in liberam suæ dignitatis possessionem restitutus.

Eadem ferè fuit Asclepii causa. Refert Theodoretus lib. 1. historiæ cap. 24. in fine, Asclepium Gazæ Episcopum ante Nicænum Concilium Arianis adhæsisse, dum verò ad Concilium Nicænum convenisset, acceptâ communi Episcoporum de Divini Verbi consubstantialitate sententiâ, à proposito discessisse, atque adversùs Arianos ipsos acerrimè decertasse. Quantum id displicuisset Arianis, facilè unusquisque conjiciet. Isti propterea in Tyrio conventiculo Asclepium tanquàm falsæ doctrinæ assertorem damnaverunt, atque ab Episcopatu deposuerunt, substituto in ejus locum Quintianio. At, retractatâ Asclepii causâ in laudata Synodo Romana sub Julio, absolutus fuit Asclepius, & nunquàm excidisse ab Episcopatu Gazensi declaratus.

Lucium quoquè Hadrianopolis Episcopum acriter persecuti sunt Ariani, quòd ille Nicænæ fidei fuerit propugnator invictus, nec cessaverit in Conciliis Ecclesiasticis hæreticorum perfidiam exagitare. Illum propterea ab Ecclesia sua Ariani vi factâ dejecerunt, teste Socrate lib. 2. cap. 5. & 8., ac Sozomeno lib. 3. cap. 5. & 7. Hinc Romam, quemadmodùm ceteri ejusdem causæ consortes, ad Julium Papam confugit, à quo tanquàm innocens fuit ab omni suspicione criminis absolutus. Ut verò in sedem suam restitueretur, deducta res est ad Concilium Sardicense, in quo convenientibus ejus accusatoribus pleno judicio causa discuteretur. Verùm, cum Ariani in eodem Concilio improbam se causam habere novissent, à Synodo aufugerunt; quod sanè ægrè tulerunt Hadrianopolitani expectantes causæ eventum, atque eam ob rem fuerunt adversùs Arianos, urgente eodem Lucio, indignati. Eam ob rem dira orta fuit contentio inter Arianos & Hadrianopolitanos, quam Ariani iidem arreptis armis graviorem reddiderunt. Armorum autèm impetu cecidit ipsemet Lucius, qui propterea tanquàm Martyr ab Ecclesia colitur 3. Idus Februarii, teste Baronio ad annum 348. num. 3.

Eodem sæculo non fuit immunis à vexationibus Arianorum Cyrillus Hierosolymitanus, utpote qui invictus erat Nicænæ fidei custos, & vindex. Frequenter tùnc Catholici, Arianique vicissim pugnabant, Episcopi unius sectæ Episcopis alterius infensi, quorum qui Catholici ab Arianis dejiciebantur brevi ob varios contentionum exitus restituebantur in sedem. Ad rem de Cyrillo scribit Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis his verbis: *Cyrillus Hierosolymorum Episcopus, sæpè Ecclesiâ pulsus, & receptus ad extremum sub Theodosio Principe, octo annis inconcussum Episcopatum tenuit.* Præcipui, atque infensissimi Cyrilli hostes fuerunt Acacius Arianorum signifer, & Eutychius Episcopus Eleutheropolis, uti tradit Epiphanius hæresi 73., insuper Arsenius, Heraclitus, & Hilarius, singuli successivè ab Arianis in Hierosolymitana sede substituti. Quis sanè non videat, quàm incautè nobis illudat in proposito canone Gratianus, qui tantorum virorum in Episcopatu constitutorum exempla proponit, quasi improborum hominum pòst pœnitentiam restitutorum in dignitatem?

Jam verò prosequamur, & involucra dissolvamus.

Referuntur ibidèm acta Polychronii Hierosolymitani Episcopi, qui vulgò traditur à sede sua primùm depositus, deinde à Sixto III. restitutus. Habentur ista apùd Labbeum in Sixto III., ex quibus colligitur, Polychronium fuisse accusatum de criminibus pluribus, atque inter cetera quòd supra Pontificem Maximum se se extulisset insigni ambitu, & quòd Episcopos simoniacè ordinasset; ac tandèm fuisse absolutum. Quamquàm tamen horum actorum mentionem fecerit Nicolaus I. in epist. ad Michaelem Imperatorem, & Petrus Damiani in epist. ad Henricum Ravennatem; hodiè eruditi universi communi suffragio tradunt, apocrypha esse censenda, atque ab historica veritate penitùs aliena. Reverà temporibus Sixti III., qui ab anno 432. usquè ad annum 441. Romanam sedem tenuisse fertur, nullus fuit in Hierosolymitana Ecclesia Episcopus Polychronius, cum hujus nominis Antistitis nullam fecerit mentionem Nicephorus Callixtus, nullam Evagrius, in rebus ceteroqui Ecclesiasticis Orientalis Ecclesiæ describendis accuratissimi. Imò habemus ad hanc rem certissima monumenta, quibus liquet, ab anno 431. usquè ad annum 451., proindèque jam antè, & pòst Pontificatum Sixti III. Hierosolymitanam Ecclesiam rexisse Juvenalem, quippè quem scimus interfuisse, ac subscripsisse tum Concilio Ephesino anni 431., tum Concilio Chalcedonensi anni 451., quemadmodùm ex actibus Conciliaribus liquet. Quinam igitur eâ ætate poterat esse Polychronio locus? nisi dicere velimus, duos tunc tempus Hierosolymis fuisse Episcopos, quod nemo ex veteribus Historicis scripto suo confirmat; præsertim verò cum Polychronius ipse feratur sententiâ Sixti Papæ restitutus in sedem, quod fieri non potuisset, nisi dejecto Juvenali, quem tamèn etiàm pòst Sixti Papæ interitum in Hierosolymitana sede consistentem ex actis Chalcedonensis Concilii novimus. Deniquè in laudatis actis, sub Sixto gestis, mentio fit de Hierosolymitanæ urbis obsidione, cujus tamèn apùd Historicos nullum extat monumentum.

Quis verò, amabo, est Photinus ille, qui in hoc canone exhibetur ab Innocentio Papa absolutus? Non sanè esse potest Sirmiensis Episcopus à sede sua in Concilio Mediolanensi & Sardicensi depositus; non enim hæc apta sunt Innocentii Papæ temporibus. Arbitror potiùs, pro Photino legendum est Porphyrium. Fuit enim Porphyrius, Innocentio primo summum Pontificatum tenente, qui Antiochenam sedem pòst mortem Flaviani anno 404. invaserat, atque armis occupatam sibi vindicabat. Id cum scivisset Innocentius Papa, nusquàm illi communicare voluit, sed tanquàm ab Episcopali sede habuit alienum, quemadmodùm probavit ex Palladio Baronius ad eumdem annum numer. 60. Porphyrius verò, ut sibi consuleret, ad Arcadium Imperatorem confugit, atque ejus majestatem circumveniendo obtinuit, ut lege latâ (hæc est lex 6. cod. Theodos. de his, qui pro Religione contendunt) omnes Episcopi cogerentur eum tanquàm Patriarcham agnoscere; contradicentes verò non Episcopatu solùm, sed bonis suis omnibus, deturbarentur. Quamobrèm multis in Oriente Porphyrius Episcopus habitus est; multis verò tanquàm Schismaticus communione Ecclesiasticâ exclusus, qui eam ob rem ex sententia Imperiali à suis Episcopatibus exules aberraverunt. Innocentium Papam Porphyrio adhæsisse nemo ex Historicis testificatur; imò constat ex Epistolis 14. 15. & 17. ejusdem Papæ, demùm pòst Porphyrii mortem, & inaugurationem Successoris Alexandri, reconciliatam fuisse Romanæ Ecclesiam Antiochenam. Hinc sanè liquet, si de Porphyrio canon Gratianeus intelligendus est, eum,

cum, qui Historicum gessit in Gratianeo canone, minùs fidelem extitisse, dum scriberet, Porphyrium fuisse auctoritate Innocentii restitutum; nisi fortè eum excusatum voluerimus, quòd, cum legeret, pòst Arcadii Imperatoris edictum plures Episcopos ordinationi Porphyrii acquievisse, putaverit, etiàm in eorumdem numero fuisse Innocentium Papam; vel etiàm quòd, cum legeret apùd Theodoretum in lib. 5. Histor. Ecclesiast. cap. 35. ejusdem Porphyrii cum laude fieri mentionem, putaverit & ab Innocentio Papa tanquàm legitimum Patriarcham agnitum fuisse, reclamantibus tamèn Historicis universis, & in ea parte Theodoretum redarguentibus, quemadmodùm Baronius notat ad annum 408. num. 31.

Quæ de Miseno, Leontio, & Theodosio subjiciuntur, ex Romano Pontificali deprompta videntur à consarcinatore hujus fragmenti, quemadmodùm constat ex collatione canonis 8. caus. 35. quæst. 9. Vivebat Misenus quinto & sexto sæculo Felicis III. & Vigilii temporibus, in constituto Vigilii Cumanus Episcopus nominatus. Legatione Pontificiâ functus ipse fuerat in urbe Constantinopolitana in causa Acacii; sed in eo gerendo munere Acacianis adhæsit; quamobrèm Romam reversus accusatus in Romana Synodo anni 484., in qua fuit discussa, finitaque Acacii causa, & ipse damnandus fuit, & à Sacerdotali Collegio, & Ecclesiastica communione removendus. Deindè verò sub Gelasio Papa alio celebrato Concilio, libellum snpplicem idem Misenus dedit anno 495., quo pollicitus, se perpetuò in fide Catholica, atque obedientia sedis Apostolicæ permansurum, humiliter postulabat, ut in gradum reciperetur, à quo fuerat jure dejectus. Pòst quæ, factâ fidei professione, & universarum hæreseon ejuratione, toto consentiente Concilio absolutus est, atque integrè restitutus. Unum hoc exemplum est ejectorum, ac deindè restitutorum Antistitum, quod jure retulit in eo canone Gratianus. Plurimùm enim iterùm distat à quæstione proposita Leontii exemplum. Erat is Arianus Presbyter plurium jam Conciliorum sententiâ damnatus, & Sacerdotio motus. Cum verò Liberii Papæ temporibus medio quarto sæculo Ariani universum propemodùm Orientem suâ potestate tenerent, Leontium ipsum mortuo Eustatio Antiochenæ Ecclesiæ præfecerunt. Numquàm sanè legitur ipse ab Ariana hæresi recessisse, imò & sedis, & erroris suæ reliquit plures in Antiochena Ecclesia successores, Arianos omnes, Eulalium, Eusebium, Flacillum, & Stephanum. Quid hæc commune habent cum Gratiani proposito? Damnatus à Catholicis fuerat Leontius, receptus ab Hæreticis, & ad eximias dignitates evectus. Non id est dejectos ob crimina Episcopos pòst pœnitentiam recipi, ac restitui. Quod autem de Theodosio, Signinæ Ecclesiæ Episcopo, primùm dejecto ab Eugenio II., deindè à Gregorio IV. restaurato, meo judicio fabellam sapit; siquidèm nemo ex Historicis, nemo ex Collectoribus monumentorum Ecclesiasticorum hujus rei monumentum nobis reliquit; imò ex Conciliis illius ætatis neminem constat illius nominis fuisse Signinum Episcopum, sed potiùs Hadrianum in Concilio Romano Eugenii II. anni 826., Bonipertum in Concilio Romano Leonis IV. anni 853., & Joannem in alio Concilio Romano anni 868. Quis autèm fidere poterit auctori Gratianei canonis, qui in pluribus lapsus fuisse deprehenditur?

De Iba Edesseno pleni sunt Ecclesiastici codices, præsertim verò si respiciamus ad acta Conciliorum Chalcedonensis, & Constantinopolitani II. Quippè epistola Ibæ ad Marim Persam unum constituebat ex tribus famigeratis Capitulis, jam pridèm à quibusdam Chalcedonensibus Antistitibus probatis, deindè verò in Concilio

Constantinopolitano damnatis.

Quod ad Rothadum attinet, fuit ille Suessonensis Episcopus, ut refert auctor Pontificalis in vita Nicolai I., damnatus in Suessonensi Concilio, cui Carolus Calvus interfuerat anno 862., ab Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo. Appellavit Rothadus ad Sedem Apostolicam, ubi à Nicolao I. benignè exceptus est, qui Pontifex Maximus Hincmarum ipsum in causa appellationis citavit, atque Hincmaro non comparente anno 865. Rothadum in Romano Concilio absolvit, scribens tum ad Carolum Calvum, tum ad Hincmarum, tum ad plebem Suessonensem, ut Rothadum recipere non detrectarent. Nihil iterùm commune habet cùm Gratiani proposito hujusmodi exemplum; non enim ibi agitur de Episcopo reo, ac pœnitente, sed de Episcopo condemnato, atque appellante.

Deniquè, quod subditur de Sophronio, ibi apertum mendum in Gratianeam lectionem irrepsisse ipsemet Gratianus testari posset, quippè non Sophronii, sed Suffredi nomen legendum erat in conspectu canonis 3. caus. 6. quæst. 3. Nihil in præsentia adjicio ad hanc rem, pòst quam ad dictum canonem 3. nonnulla jam scripsi in parte 2. cap. 77. pag. 340. Generaliter concludam, canonem, de quo hactenus agendum fuit, minùs validum esse Ecclesiasticæ disciplinæ præsidium, perperàm in primis Cyrillo Alexandrino tributum, malè ab auctore consarcinatum, pluribus fabellis intertextum, permixtis Sanctorum sine discrimine, atque improborum hominum causis compositum, & vix Gratiani proposito accommodatum.

Can. 15. & 16. caus. 1. q. 7.

Si quæ sunt apùd Gratianum fragmenta, quæ à Romanis Correctoribus ad optimorum exemplarium fidem exacta sunt, ii profectò exhiberi possunt canones 15. & 16. caus. 1. quæst. 7., quos ex Græco Cyrilli textu, novâque Græci textus interpretatione, locupletarunt, unàque monuerunt, utramque Cyrilli epistolam lectam fuisse in Concilio Œcumenico VII., sive Nicæno II., in actione I., ac si monita quædam generalia contineret Episcopis danda, ubi Concilio celebrando operam darent. Canon. 15. argumentum hoc est. Lapsa jam erant tempora, quibus Joannes Antiochenus Patriarcha pro Nestorio adversùs Cyrillum pugnaverat, & Ephesinam Synodum, à Cyrillo ex mandato Cœlestini Papæ absolutam, detestatus fuerat. Jam pax inita erat reconciliatis animis Cyrilli, & Joannis, quum tamèn quidam adhùc existerent adeò Nestorianis infensi, ut Joannem recipere nollent tanquàm olim Nestorianæ hæreseos acerrimum vindicem, atque assertorem. Inter istos erat Maximus Antiochenus Diaconus, qui rem maximi periculi plenam arbitrabatur, si Joannem velut legitimum Episcopum suum agnosceret, utpote quem gravissimè quondàm lapsum sciebat. Cyrillus, amantissimus pacis, ubi Joannem sibi, & Ecclesiæ reconciliavit, nihil antiquius habuit, quàm Catholicos ceteros, ac præsertim Antiochenos Clericos eidem Joanni reconciliaret, ne diuturniore schismate Antiochena Ecclesia quateretur. Imò eodem tranquillitatis Ecclesiasticæ intuitu monuit Cyrillus, non solùm ut pax cum Joanne, ejusque sociis iniretur, verùm etiàm si quæ minus aptè, imprudenterque abs Joanne, & sociis dicta fuissent, à viris sapientibus indulgentiâ quadam remitterentur, ne disciplinæ asperitas eâ tempestate res Ecclesiasticas in bonam spem erectas dejiceret, aut turbaret. Laudanda sanè Cyrilli æconomia, eximiâ moderatione, ac prudentiâ bono Ecclesiæ consulentis! Non longè abest propositum Epistolæ Cyrilli ad Gennadium Presbyterum, & Archimandritam, ex qua depromptus est canon 16., scilicèt inter eos, qui ob Nestorianam hæresim turbati fuerant, atque invicèm dissidebant, plures extiterant Monachi Ægyptii, quorum pars Nestorianis favens

ægrè

ægrè ferebat, seque, opinionemque suam in Ephesino Concilio fuisse damnatam, undè in Cœnobiis frequentissima jurgia, contentionesque charitatem monasticam disrumpebant; quum quorumdam Catholicorum fervor, & acer zelus, qui nunquàm Nestorianis adhæserant, ità alteram partem, licèt victam, & jam Ephesinis definitionibus acquiescentem, objurgaret; eamque ob rem ad rixas utriusque partis animi concitarentur. Id displicuit Cyrillo, cujus mens erat, ut summâ cum moderatione victi hæretici exciperentur. Hinc ad Gennadium Archimandritam, seu Monachis Præfectum, epistolam scripsit, ut ejus auctoritate controversiæ omnes Monachorum coercerentur, & plus humanitati, & benevolentiæ, quàm austeritati in hæreticos, minimè pervicaces, & jam ab hæresi reversos, tribueretur.

CAPUT XXIII.

De Cassiodoro.

Pauca sunt sub Cassiodori nomine apùd Gratianum.

Ex Commentar. in Psalm. 70. { *Can.* 13. *dist.* 88. *ex integris codicibus supplendus.*

Ex Historia tripartita. { *Can.* 12. *dist.* 31. *suspectæ fidei, & auctoritatis.*
Can. 13. *dist.* 63. *jam superiùs explicatus pag.* 135.

MAgnus Aurelius Cassiodorus, cognomento Senator, quòd è Senatoria familia progenitus esset, magnam sibi peperit laudem sive in administranda civili Republica in Italia, sive in rerum divinarum atque Ecclesiasticarum pandenda doctrina, sub finem quinti sæculi usquè ad dimidium & ampliùs sexti, vir sanè meritis, & ætate gravis, qui obiit nonagenario major. Fuit in primis publicis muneneribus egregiè functus sub Regibus Theodorico, & Atalarico, nimirum Comitis rerum privatarum, ac sacrarum largitionum, variarum Provinciarum Correctoris, Palatini Quæstoris, Magistri officiorum, Præfecti Prætorio, Consulis, & à Consilio Principis. Deindè, ubi solitariam vitam in monastico recessu agere cœpit, in rebus potissimùm divinis, & Ecclesiasticis meditandis consistens, singularis doctrinæ monumenta reliquit.

Inter hæc extat libellus in Psalmos Davidicos, qui tanti habendus est, quanti facienda sunt opera S. Augustini, cum universæ ferè Cassiodori sententiæ ex Commentariis Augustini in Psalmos depromptæ videantur. Hinc depromptus est canon 13. dist. 88. ex interpretatione Psalmi 70. *quia non cognovi negotiationes*, pro quibus verbis legitur in editione vulgata Psalmorum: *Quoniam non cognovi literaturam.* Scribit ad eam rem Cassiodorus: *Quia non cognovi negotiationes: Pars ista versus, nisi benè requiratur, recipere congnoscitur quæstionem; nàm si omnis negotiator omninò damnandus est, nec illi hanc pœnam refugiunt, qui artes aliquas exercere noscuntur. Quid est enim aliud negotiatio, nisi, quæ possunt viliùs constare, cariùs velle distrahere? Deinde in vitis Patrum Paphnutium illum sanctissimum Virum per revelationem negotiatori legimus comparatum, & invenimus hodièque in Ecclesia Dei tractantes quidèm mercimonia, sed summâ fide pollentes. Actus enim pessimus, non res honesta damna-* Can. 13. dist. 88.

natur, sicut & divitem legimus non introire in Regno Cælorum, cum tamèn Job, Abraham, Isaac, Jacob Patriarchæ facultatibus quoquè fuerint affluentes. Negotiatores ergò illi abominabiles æstimantur, qui, justitiam Domini minimè considerantes, per immoderatum pecuniæ ambitum polluuntur, merces suas plùs perjuriis onerando, quàm pretiis. Tales Dominus ejecit de templo, dicens: Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis, speluncam latrotronum. Ergò sensus iste taliter complectendus est, ut putamus. Os meum pronunciavit justitiam tuam, quia non cognovi negotiationes, illas scilicèt, quæ malis actibus inquinantur. Similia propemodùm invenies apùd Augustinum in enarratione ad eumdem versiculum Psalmi 70., cujus fragmentum est in can. 12. dist. 88., de quo suo loco nonnulla tradita sunt, & fusiùs exposita Augustini sententia. Intereà ex iis, quæ modò ex Cassiodoro descripta fuerunt, facilè quisquam supplere poterit, quod deest Gratianeo canoni 13.

Celebratissimum est alterum Cassiodori opus, quod Historiam Tripartitam appellant, in qua collecta fuerunt paucis, quæ à tribus Græcis historicis Socrate, Sozomeno, & Theodoreto, enarrata fuerant. Nihil propemodùm de suo Cassiodorus adjecit, secutus in omnibus Scriptorum eorumdem fidem, atque auctoritatem. Eam ob causam puto; cautiùs in historiæ hujus lectione progrediendum esse, ne fortè, quæ primus Socrates privato quodam studio, atque sibi vel suis nimio indulgens scripsit, sine discrimine quasi sub specioso Cassiodori nomine recipiamus. Quis enim hodiè ignorat, Socratem, si non Novatianus extitit, Novatianis saltèm aliqua in parte favisse? Duo ex Tripartita Cassiodori Historia fragmenta memoravi, quorum unum est in can. 3. dist. 63., alterum in can. 12. dist. 31. De canone 3. dist. 63. nihil adjicio in præsentia; etenim commodiùs de eo superiùs sermonem institui, ubi agendum erat de Ambrosio pag. 135. Quod verò spectat ad canonem 12. dist. 31. legitur iste in cap. 14. lib. 2. ejusdem Historiæ Tripartitæ, ubi, cum de Nicæna Synodo nonnulla recenserentur, ait Cassiodorus: *Synodus autèm corrigere volens hominum vitam, & in Ecclesiis commorantium.... quæ aut ipsis, aut eorum jugalibus occasio &c.* Descripsi hoc in loco ea tantùm, quæ à Gratiani editione dissonant; in ceteris idem legitur apùd Gratianum, quod apùd Cassiodorum. Porrò Paphnutii factum, sive consilium decerptum fuit ex historia Socratis lib. 1. cap. 11., & Sozomeni lib. 1. cap. 23. apùd Valesium; imò Socrates Paphnutium appellavit *cujusdam urbis in superiore Thebaide Episcopum*, & idem Cassiodorus Paphnutium eumdem commemorare videtur in lib. 1. Histor. Tripart. tanquàm acerrimum fidei Christianæ confessorem, à Maximiano Imperatore, avulso dextro oculo, incisâque sinistrâ manu, in metallum ad opera exercenda damnatum. Ea historia Paphnutii, consilium præbentis Nicænis Patribus, eruditis viris pluribus, ac præsertim laudato Valesio, admodùm suspecta est, ex eo, quòd in subscriptionibus Episcoporum, quæ Nicæni Concilii canonibus subjectæ sunt apùd Collectores, Paphnutii Episcopi nomen desideretur. Addunt alii ad augenda suspicionis argumenta, eam historiam tribuendam esse mendacio Socratis, quem recentiores sine discrimine secuti fuerint, nimirùm Sozomenus, Cassiodorus in locis laudatis, & Blastares in Syntagmate alphabetico, litera B. cap. 2.: Socratem verò id tradidisse, ut confirmaret, quod ex secta Novatianorum addidicerat, nihil licere laicis, quod & Clericis non liceret, proindèque nuptias Clericis æquè ac laicis honestissimas esse. Non contemnenda potest his adjici conjectura ex eo, quòd, si verum est, Paphnutium oculo orbatum, & manu abscissum ex Maximiani sententia fuisse, quod retulit Cassio-

Can. 12. dist. 31.

Can. 3. dist. 63.

siodorus, verisimile non fit, eumdem ad Episcopale deindè munus fuisse vocatum. Ceterùm apùd Græcos eam viguisse quarto & quinto sæculo disciplinam, quâ Clerici generaliter cum conjugibus anteà ductis cohabitarent, facilè deduci potest ex l. 10. 14. & 44. Cod. Theodos de Episc. & Clericis, & leg. un. eodem Codice de bonis Clericorum. Hinc non ignoro, plures ex eruditis viris Socratis historiam in ea etiàm parte recepisse uti sinceram, quòd satis levia argumenta proponerentur, undè de illa dubitatio apùd alios emersit. Ego hanc rem saniùs sapientis judicio relinquendam puto.

CAPUT XXIV.

De Benedicto Abbate.

Abbatis Benedicti nomine duo extant ex adjectionibus Paleæ monumenta.

Can. 6. dist. 42. paulò aliter editus apùd varios Collectores.
Can. 14. dist. 61. ex aliis codicibus emendandus.

NEmo ignorat, initio sexti sæculi claruisse Benedictum Abbatem, Monachorum ferè universorum in Occidente Parentem, Asceticæ vitæ & cultorem eximium, & institutorem. In capite 52. Regulæ, ab ipso confectæ ad monasticam disciplinam, descripta sunt verba canonis 6. dist. 42., quem Palearum auctor laudavit sub hac inscriptione : *Ex dictis B. Benedicti Abbatis*, his verbis juxtà editionem Bibliothecæ Patrum : *Oratorium hoc sit, quod dicitur; nec ibi quidquam aliud geratur, aut condatur. Expleto opere Dei, omnes cum summo silentio exeant, &c.* Idipsum habet Regino in lib. 1. de Eccles. Discipl. cap. 55. ibi : *Ex dictis S. Benedicti : Oratorium hoc sit, quod dicitur; nec ibi quidquam aliud geratur, aut condatur.* Burchardus similia retulit in Decreto lib. 3. cap. 81. ibi : *Ex dictis Benedicti : Oratorium hoc sit, quod dicitur; nec ibi quidquam aliud geratur, aut condatur, quàm divinis ministeriis conveniat.* Vix ab eadem lectione recessit Ivo in parte 3. Decreti cap. 71. ibi : *Ex dictis S. Benedicti. Oratorium hoc sit, quod dicitur; nec ibi quidquam aliud geratur, aut condatur, quàm quod ministeriis convenit.* Ex Benedicti sententia idem tradidit Isidorus Hispalensis in lib. 15. Originum cap. 4. ità scribens : *Oratorium orationi tantùm est consecratum, in quo nemo aliud agere debet, nisi ad quod est factum, undè nomen accepit.*

Can. 6. dist. 42.

In capite 64. ejusdem regulæ legitur canon 14. dist. 61. his verbis juxtà editionem Bibliothecæ Patrum : *In Abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, ut hic constituatur, quem sibi omnis concors congregatio secundum timorem Dei, sive etiàm pars quævis parva congregationis sano consilio elegerit. Vitæ autèm merito, & sapientiæ doctrinâ eligatur, qui ordinandus est, etiamsi ultimus fuerit in ordine congregationis. Quòd si etiàm omnis congregatio vitiis suis (quod quidèm absit) consentientem personam pari consilio elegerit, & vitia ipsa aliquatenùs in notitiam Episcopi ad cujus Diœcesim pertinet ille locus, vel Abbatibus, aut vicinis Christianis claruerint, prohibeant pravorum prævalere consensum, & domui Dei dignum constituant dispensatorem.* Sanè, si duo ista capita Gratianus edidisset, Gratianei ejusdem editionem præferendam

Can. 14. dist. 61.

ceteris facilè arbitrarer, utpotè quam exhaurire potuisset ex integris sui monasterii monumentis. Verùm obscurum Paleæ nomen tantam non meretur fidem, cujus propterea monumenta ad alios exigere codices minimè dubito.

CAPUT XXV.

De Canonibus, ex Jure Justinianeo depromptis.

Multa sunt, quæ ex Juris Romani Justinianei penu deprompsit Gratianus, quemadmodùm liquet ex sequentibus.

Can. 4. *dist.* 11. *consonat cum l.* 2. *cod. quæ sit longa consuet.*
Can. 6. *dist.* 12. *referendus ad §.* 9. *inst. de jur. nat. gent. & civ.*
Can. 7. *dist.* 12. *emendandus ex l.* 1. *cod. quæ sit longa consuet.*
Can. 45. *dist.* 50. *referendus ad l.* 77. *ff. de furtis.*
Can. 46. *dist.* 50. *consonat cum l.* 5. *cod. ad leg. Corn. de sicar.*
Can. 47. *dist.* 50. *consonat cum l.* 1. *cod. ad leg. Corn. de sicar.*
Can. 20. *dist.* 54. *ad varias Justiniani Constitutiones exigendus.*
Can. 2. *dist.* 78. *paulò varius in diversis editionibus Novellarum.*
Can. 126. *caus.* 1. *quæst.* 1. *emendandus ex l.* 4. *cod. ad leg. Jul. repet.*
Can. 127. *caus.* 1. *quæst.* 1. *emendandus ex l.* 1. *ff. de calumniatoribus*
Can. 128. *caus.* 1. *quæst.* 1. *idem est cum l.* 2. *ff. de concussione.*
Can. 129. *caus.* 1. *quæst.* 1. *emendandus ex l.* 3. *&* 4. *ff. de leg. Jul. repet.*
Can. 130. *caus.* 1. *quæst.* 1. *referendus ad l.* 6. *&* 7. *ff. de leg. Jul. repet.*
Can. 6. *caus.* 1. *quæst.* 4. *consonat. cum l.* 26. *ff. de pœnis.*
Can. 13. *caus.* 1. *quæst.* 4. *referendus ad l.* 7. *cod. unde vi, & melius ad l.* 3. *Cod. Theod. eod. tit.*
Can. 26. *caus.* 1. *quæst.* 7. *consonat cum l. ult. cod. ad leg. Jul. repetund.*
Can. 2. *caus.* 2. *quæst.* 1. *referendus ad l.* 1. *cod. Theodos. de pœnis.*
Can. 8. *caus.* 2. *quæst.* 1. *referendus ad l.* 3. *& auth. seq. cod. de sent. ex peric. recit.*
Can. 11. *caus.* 2. *quæst.* 1. *referendus ad Novellam* 123. *cap.* 11.
Can. 14. *caus.* 2. *quæst.* 1. *referendus ad l.* 8. 9. 10. 11. *&* 13. *ff. de accusation.*
Can. 22. *caus.* 2. *quæst.* 6. *emendandus ex lib.* 5. *sententiarum Pauli tit.* 33.
Can. 23. *caus.* 2. *quæst.* 6. *seferendus ad l.* 1. *ff. siquis cautionibus.*
Can. 24. *caus.* 2. *quæst.* 6. *emendandus ex lib.* 5. *sentent. Pauli tit.* 34.
Can. 25. *caus.* 2. *quæst.* 6. *emendandus ex lib.* 5. *sentent. Pauli tit.* 35.
Can. 26. *caus.* 2. *quæst.* 6. *emendandus ex lib.* 5. *sentent. Pauli tit.* 36.
Can. 27. *caus.* 2. *quæst.* 6. *emendandus ex lib.* 5. *sentent. Pauli tit.* 37.
Can. 28. *caus.* 2. *quæst.* 6. *consonat cum Novella* 23.
Can. 29. *caus.* 2. *quæst.* 6. *emendandus ex l.* 1. *ff. quandò appel. sit.*
Can. 30. *caus.* 2. *quæst.* 6. *referendus ad l.* 1. 2. *&* 4. *ff. de appel. recip.*
Can. 31. *caus.* 2. *quæst.* 6. *consonat cum l. un. ff. de lib. dimis. & l. un. ff. nihil innovari.*
Can. 41. *caus.* 2. *quæst.* 6. *referendus ad Nov.* 49. *&* Nov. 23. *cap.* 2.
Can. 26. *caus.* 2. *quæst.* 7. *emendandus ex l.* 21. *cod. de hæreticis.*

Can.

Can. 2. caus. 2. quæst. 8. *referendus ad leg.* 3. *cod. Theodos. de abolitionibus.*

Can. 2. caus. 3. q. 7. *ex variis legibus inordinatè congestus.*

Can. 2. caus. 3. q. 11. *emendandus ex l.* 12. *cod. Theodos. de accusation.*

Can. 4. caus. 3. q. 11. *consonat cum l.* 1. *cod. de his, qui accus. non pos.*

Can. 3. caus. 4. q. 2. *ex variis legibus emendandus.*

Can. 22. caus. 6. q. 1. *consonat cum l.* 5. *cod. ad leg. Jul. majest.*

Can. 23. caus. 6. q. 1. *consonat cum l.* 4. *cod. ad leg. Jul. majest.*

Can. 2. caus. 6. q. 5. *referendus ad l.* 23. *cod. de probation.*

Can. 2. caus. 10. q. 2.
Can. 3. caus. 10. q. 2. } *simùl jungendi, & ad varias leges, nec non ad canonem* 7. *Agathensis Concilii referendi.*

Can. 5. caus. 11. q. 1. *referendus ad leg.* 3. *cod. Theod. de Episc. judic. apùd Gothofredum apocryphum.*

Can. 35. caus. 11. q. 1.
Can. 36. caus. 11. q. 1. } *referendi ad leg.* 1. *cod. Theod. de Episc. jud., quæ tamèn apùd Jacobum Gothofredum apocrypha existimatur.*

Can. 45. caus. 11. q. 1. *referendus ad Novellam* 77. *apùd Julianum antecessorem.*

Can. 59. caus. 12. q. 2. *emendandus ex l.* 1. *cod. de quæstion.*

Can. 60. caus. 12. q. 2. *consonat cum l.* 2. *cod. de quæstion.*

Can. 2. caus. 15. q. 1. *consonat. cum l.* 3. *ff. de injuriis.*

Can. 1. caus. 15. q. 3. *consonat cum l.* 12. *cod. de his, qui accusare.*

Can. 2. caus. 15. q. 3. *consonat cum l.* 18. *ff. de testibus, & l.* 1. *ff. de accusat.*

Can. 3. caus. 15. q. 3. *referendus ad l.* 2. *ff. de accusat. l.* 4. *cod. de his, qui accusare, & ad l.* 8. *ff. ad leg. Jul. majest.*

Can. 4. caus. 15. q. 3. *exigendus ad l.* 31. *cod. de Episc, & Cler.*

Can. 40. caus. 16. q. 1. *exigendus ad l.* 1. *&* 52. *cod. de Episc. & Cler., & ad leg.* 5. *cod. de Sacros. Eccles.*

Can. 16. caus. 16. q. 3. *referendus ad l.* 6. *cod. de præscr.* 30. *vel* 40 *annor.*

Can. 3. caus. 16. q. 4. *exigendus ad Novel.* 131. *cap.* 6.

Can. 9. caus. 19. q. 3. *exigendus ad Nov.* 123. *cap.* 38. *& Nov.* 5. *cap.* 5.

Can. 10. caus. 19. q. 3. *referendus ad Nov.* 123. *cap.* 41.

Can. 23. caus. 23. q. 8. *referendus ad l.* 16. *&* 18. *cod. Theod. de Sacros. Eccles., & ad l.* 22. *cod. Justin. eod. tit.*

Can. 14. caus. 25. q. 2. *idem est cùm l.* 3. *cod. de prec. Imper. offer.*

Can. 15. caus. 25. q. 2. *idem est cum l.* 7. *cod. de prec. Imper. offer.*

Can. 20. caus. 25. q. 2. *referendus ad l.* 29. 30. *&* 34. *cod. Theod. de Episc. & Cler.*

Can. 30. caus. 27. q. 1. *referendus ad Nov.* 123. *cap.* 43.

Can. 6. caus. 30. q. 3. *consonat cum l.* 17. *ff. de ritu nuptiar.*

Can. 9. caus. 30. q. 5. *exigendus ad Nov.* 74. *cap.* 5.

Can. 6. de pœn. dist. 1. *referendus ad leg.* 5. *cod. de Episc. & Cler.*

Can. 7. de pœn. dist. 1.
Can. 8. de pœn. dist. 1. } *simùl jungendi, ac referendi ad leg. ult. cod. de postulando.*

Can. 9. de pœn. dist. 1. *referendus ad can.* 22. *caus.* 6. *q.* 1.

Can. 10. de pœn. dist. 1. consonat cum l. 8. cod. ad leg. Corn. de sicar.
Can. 11. de pœn. dist. 1. consonat cum l. 9. cod. ad leg. Corn. de sicar.
Can. 12. de pœn. dist. 1. consonat cum l. 9. 10. & 11. ff. de injuriis.
Can. 13. de pœn. dist. 1. emendandus ex l. 15. §. 1. ff. de injuriis.
Can. 14. de pœn. dist. 1. consonat cum l. 18. ff. de pœnis referenda ad l. 1. ff. quod quisque juris.
Can. 15. de pœn. dist. 1. referendus ad leg. 1. princ. & §. 2. ff. de extraordin. crimin.
Can. 16. de pœn. dist. 1. referendus ad leg. 21. ff. de furtis.
Can. 17. de pœn. dist. 1. jungendus cum can. 14. de pœn. dist. 1.
Can. 18. de pœn. dist. 1. consonat cum l. 42. ff. de pœnis.
Can. 19. de pœn. dist. 1 referendus ad l. 16. ff. de pœnis.
Can. 21. de pœn. dist. 1. referendus ad l. 3. ff. de divortiis.
Can. 3. caus. 36. q. 2. idem est cum can. 6. de pœn. dist. 1.

NON tantùm Græci scriptores, qui elucubrandis Nomocanonibus operam impenderunt, sed etiàm Collectores Latini in suis canonum codicibus Romani Juris monumenta Ecclesiasticis regulis interseruerunt; multa siquidèm in Jure Romano continentur, sive ad formandos benè populorum mores, sive ad rectam constituendam agendorum disciplinam accommodata, quæ propterea, ubi singularia deficiunt Ecclesiastici Juris præcepta, apùd Ecclesiam recipi opportunum fuit. Hujusmodi sanè sunt ea omnia, quibus usus est in Collectione sua Gratianus, quæque in præsentia expendenda sunt. Porrò hac in parte non est animus mihi, illius Juris interpretem agere, ne extrà susceptam provinciam abire videar: tantùm fragmenta eadem ad vulgatos Justinianeos codices exigam.

Can. 4. dist. 11. Primùm occurrit canon 4. dist. 11., qui referendus est ad leg. 2. cod. quæ sit longa consuetudo, quacum penitùs consonat; desideratur autèm in codice Theodosiano.

Can. 6. dist. 12. Canon 6. dist. 12. referendus est ad §. 9. instit. de jure nat. gent. & civil., ubi Justinianus intert Juris species Jus non scriptum commemorat, ità docens: *Sine scripto jus venit, quod usus approbavit; nam diuturni mores consensu utentium comprobati legem imitantur.*

Ex lege 1. cod. quæ sit longa consuetudo ità emendandus erit canon 7. dist. 12. *Præses provinciæ, probatis his, quæ in oppido frequenter in eodem controversiarum genere servata sunt, causâ cognitâ, statuet. Nàm & consuetudo præcedens, & ratio, quæ consuetudinem suasit, custodienda est. Et ne quid contrà longam consuetudinem fiat, ad sollicitudinem suam revocabit Præses Provinciæ.* Ea Constitutio in codice Theodosiano desideratur; est autèm Alexandri Imperatoris, data Juliano 2. & Crispino Coss. Can. 7. dist. 12.

Canonis 45. dist. 50. auctor est Pomponius in l. 77. ff. de furtis, ubi pro verbo *subripuerit* legitur *subripit.* Can. 45. dist. 50.

Canones 46. & 47. dist. 50. penitùs consonant cum l. 5. & 1. cod. ad leg. Cornel. de sicariis; quarum illa est Diocletiani, & Maximiani, ista Antonini Imperatorum. Utraque autèm Theodosiano codici non habetur inserta. Can. 46. & 47. dist. 50.

Plura simùl congessit Gratianus in can. 20. dist. 54., primùm de servis, Clero adscriptis; deinde de servis, monasticam vitam professis; itèm de Episcopis ab alieno jure vindicandis; denique de adscriptitiis, in Clerum cooptatis. Referenda hæc sunt ad varias Justiniani Constitutiones. In primis eò pertinet Novella 123. cap. 17. ibi: *Si servus, sciente, & non contradicente Domino, in Clero ordinatus fuerit, ex hoc ipso, quòd constitutus est, liber, & ingenuus erit.* (Julianus antecessor ità edidit: *ex hoc ipso li-* Can. 9. dist. 54.

liber, & ingenuus fiat.) Si verò, ignorante Domino, ordinatio fiat, licet Domino intra spatium unius anni & servilem fortunam probare, & suum servum recipere. Si verò servus, sciente Domino, sive insciente, sicut diximus, eo quòd in Clero constitutus est, liber factus Ecclesiasticum ministerium reliquerit, & ad sæcularem transierit vitam, suo domino ad servitium tradatur. Adscriptitios autem in ipsis possessionibus, quarum sunt adscriptitii, Clericos etiàm præter voluntatem Dominorum fieri permittimus, ità tamen, ut Clerici facti impositam sibi agriculturam adimpleant. In ea parte, quâ de servis agitur monasticam vitam professis, paucis expressit Gratianus, quod legitur in Nov. 5. c. 2. ubi, postquàm statutum fuit, convolantes ad monasteria triennio probari oportere, definitum est, servos pòst lapsum triennium professos extrahi à Dominis nullo modo posse; intra triennium verò non aliàs à Dominis vindicari, quàm si demonstretur non æquâ voluntate ad monasterium accessisse. Paucis hæc complexus est auctor authenticarum in auth. *verum* cod. de Episc. & Cler. Quæ demùm de Episcopali dignitate à Gratiano adjecta sunt, referre debebimus ad auth. *sed Episcopalis*, & auth. *Episcopalis* cod. eod. tit., sive ad Nov. 81. & 123. In Nov. 81. cap. 3. ità legitur. *Palàm verò est, nullum esse qui nesciat, præ omnibus Sanctissimis Episcopis ipsâ ordinatione etiàm suam potestatem acquiri. Qui enim omnium sunt spirituales patres, quomodò sub aliorum potestate consistant? Sed convenit etiàm eos hujusmodi potiri honore, & hoc etiàm ex hac nostra legislatione frui.* Et in Nov. 123. cap. 4. *Pòst ordinationem verò, servili & adscriptitiâ fortunâ Episcopos liberos esse præcipimus, nisi curialis, aut officialis citra prædictam observationem ordinentur; tales enim, Episcopatu remotos, curiæ aut officio restitui jubemus, ut non ex tali fortuna sacerdotio fiat injuria.... Si verò contigerit, ordinatum Episcopum sub proprii parentis potestate esse, ex ipsa ordinatione suæ potestatis sit.*

Canon 2. dist. 78. depromptus est ex Novella Constit. 115. §. 19. apùd Julianum antecessorem, ubi tamèn nonnihil varietatis deprehenditur, ibi: *Nemo Presbyter consecretur, qui minor triginta annis sit: nemo Diaconus, vel Subdiaconus fiat, qui minor viginti quinque annis sit: nemo lectoribus connumeretur, qui minor octo annis fuerit: nemo inter Diaconissas consecretur Sacrosanctæ Ecclesiæ, quæ minor sit quadraginta annis, vel ad secundum matrimonium pervenit.* Paulò aliter habet vulgata Novellarum editio Nov. 123. cap. 13. ibi: *Presbyterum autèm minorem triginta quinque annorum fieri, non permittimus. Sed neque Diaconum, aut Subdiaconum minorem viginti quinque; neque minorem lectorem decem & octo annorum. Diaconissam verò non ordinari in Sanctæ Ecclesia, quæ minor est annorum quadraginta, aut ad secundas venerit nuptias.* Hinc deprompta fuit authentica *Presbyterum* cod. de Episcopis, & Clericis. Can. 2. dist. 78.

Ex l. 4. cod. ad leg. Jul. repet. emendanda erunt Gratiani verba, quæ legimus in can. 126. caus. 1. quæst. 1. hoc modo: *Jubemus, atque hortamur, ut siquis fortè honoratorum, decurionum, possessorum, postremò etiàm colonorum, aut cujuslibet ordinis, à judice fuerit aliquâ ratione concussus, siquis scit de jure venalem fuisse sententiam, siquis pœnam vel pretio remissam, vel vitio cupiditatis ingestam, siquis postremò quacumque de caussa improbum judicem potuerit approbare; is, vel administrante eo, vel pòst administrationem depositam, in publicum prodeat, crimen deferat, delatum approbet, cum probaverit, & victoriam reportaturus, & gloriam.* Est hæc Constitutio Imperatorum Gratiani, Valentiniani, & Theodosii, quæ habetur in Cod. Theodos. l. 6. ad leg. Jul. repet. Can. 126. caus. 1. q. 1.

Ex pluribus Jurisconsultorum monumentis descripti fuerunt canones 127. 128. 129. & 130. caus. 1. quæst. 1. Canon 127. nihil aliud exhibet, quàm verba edicti Prætorii apùd Ulpianum in l. 1. ff. de calumniator., ubi tamèn Can. 127. 128. & 130. caus. 1. q. 1.

desideratur vox illa *Utilem*, quam addidit Gratianus. Canon. 128. idem est cum l. 2. ff. de concussione. In canone 129. junctæ sunt leges 2. & 3. ff. de leg. Jul. Repet. In lege 3. *Macer lib. 1. publicorum* : *Lege Julia repetundarum tenetur, qui cum aliquam potestatem haberet, pecuniam ob judicandum, decernendumve, acceperit.* In leg. 4. *Venulejus Saturninus lib. 3. publicor. judicior. Vel quo magis aut minus quid ex officio suo faceret.* In principio canonis 130. legitur initium legis 6. ff. de leg. Jul. Repet. auctore Venulejo, ibi : *Eadem lege tenentur, qui, ob denunciandum, vel non denunciandum testimonium, pecuniam acceperint.* Pòst hæc statim sequuntur apùd Venulejum in §. 1., quæ Gratianus descripsit in vers. ult. *Hæc lege &c.* Deindè sequitur, quod exhibetur in vers. *Lege Julia.* Quod verò traditur in vers. *Lex Julia*, ità emendandum erit ex responso Macri in in l. 7. ff. eod. tit. *Lex Julia de repetundis præcipit, ne quis, ob judicem, arbitrumve dandum, mutandum, jubendumve ut judicet; neve ob non dandum, non mutandum, non jubendum ut judicet; neve ob hominem in vincula publica conjiciendum, vinciendum, vincirive jubendum, exve vinculis dimittendum; neve quis ob hominem condemnandum, absolvendumve; neve ob litem æstimandam, judiciumve capitis, pecuniæve faciendum, vel non faciendum aliquid acceperit.* Deniquè quæ leguntur in vers. *Hodie*, habentur in dicta l. 7. §. 3.

Can. 6. & caus. 13. q. 4. caus. 1. De canone 6. caus. 1. quæst. 4. nihil singulare animadvertendum occurrit. Consonat ille cum l. 26. ff. de pœnis. Canon autèm 13. ead. caus. & quæst. referendus est ad l. 7. cod. *undè vi*, ubi pro illis Gratiani verbis *antè eventum... ejus rei amittat. Sin verò &c.* legitur : *antè adventum....ejusdem rei amittat. Si vero &c.* Est ea lex Valentiniani, Theodosii, & Arcadii Imperatorum, habeturque in cod. Theodosiano eod. tit. l. 3., sed multò aliter, quàm apùd Justinianum, ibi : *Plerosque detectum est, in rem privatam nostram, quam publicatio celebrata quæsiverat, invasisse; quam nos à retentatoribus ereptam sociari jubemus ærario; punientes contumacius quàm decus publicum sinebat erectos, ut, qui litem inferre potuissent, nollent expectare judicium, ac spernerent victoriam, quam justitiæ præscripsisset eventus, & amplecterentur, quod dedisset audacia. Cadat igitur lite quisquis operiri noluerit litis eventum, & quod recipere lege potuisset, contemptor examinis violentus amittat. Illi verò, quos in tantum furorem provexit audacia, ut quod jurgaturi apùd examinis fidem sperare non possent, ante eventum judicialis arbitrii illicita præsumptione temerarent, æstimationem rei, de qua litigari convenerat, cogantur exolvere. Quod quidèm etiam in privatis observandum negotiis generali lege sancimus. Illud autèm ab officio magnificentiæ tuæ cavendum esse decernimus, ut sacratissima domus nostra litem expectare, non inferre, cogatur; neque experat, sed patiatur examen. Datum 18. Kal. Julii Treveris Timasio, & Promoto Coss.*

Canon 26. caus. 1. quæst. 7. penitùs consonat cum l. ult. cod. ad leg. Juliam repetundarum. Can. 26. caus. 1. q. 7.

Canon 2. caus. 2. quæst. 1. nihil aliud exhibet, quàm interpretationem, quæ subjecta fuit legi 1. codice Theodosiano de pœnis. Ibidèm sub Theodosii nomine, ad Catullinum rescribentis, habetur hæc Constitutio : *Qui sententiam laturus est, temperamentum hoc teneat, ut non priùs capitalem in quempiam promat, severamque sententiam, quàm in adulterii, vel homicidii, vel maleficii crimen, aut suâ confessione, aut certè omnium, qui tormentis, vel interrogationibus fuerint dediti, in unum conspirantem, concordantemque rei fine convictus sit : & sic in objecto flagitio deprehensus, ut vix jam ipse ea, quæ commiserit, negare sufficiat.* Hæc deindè subjicitur interpretatio: *Judex criminosum discutiens non antè sententiam proferat capitalem, quàm aut reus ipse fateatur, aut convictus vel per innocentes testes, vel per conscios criminis sui, aut homicidium, aut adulterium, aut male-* Can. 2. caus. 2. q. 1.

leſicium commisisse manifestiùs convincatur.

Can. 8. caus. 2. q. 1. Canon 8. caus. 2. quæst. 1. idem est cum l. 3. cod. de sentent. ex periculo recitandis, seu cum. l. 1. cod. Theodos. eod. tit. Justinianus Imperator generalem illam veterum Imperatorum jurisprudentiam quibusdam exceptionibus coercitam voluit, uti liquet ex auth. *Nisi* eod. tit.

Can. 11. caus. 2. q. 1. Canon 11. caus. 2. quæst. 1. eisdem verbis invenitur apùd Julianum antecessorem in Novella 115. cap. 15., dummodò pro illis *Adversùs eam....in tantum abstineat tempus sacrosanctâ communione* legatur: *Adversùs ea....in tantum abstineat sacrâ communione tempus.* Paulò alitèr habet vulgata Novellarum Justinianearum editio in Nov. 123. cap. 11. ibi: *Omnibus autèm Episcopis, & Presbyteris interdicimus segregare aliquem à sacra communione, antequàm causa monstretur, propter quam sanctæ regulæ hoc fieri jubent. Siquis autèm præter hoc à sancta communione quemquam segregaverit, ille quidèm, qui injustè à communione segregatus est, solutus excommunicatione à majore Sacerdote, sanctam mereatur communionem. Qui verò aliquem à sancta communione segregare præsumpserit, modis omnibus à Sacerdote, sub quo constitutus est, separabitur à communione, quanto tempore ille perspexerit, ut quod injustè fecit, justè sustineat.*

Can. 14. caus. 2. q. 1. In canone 14. caus. 2. quæst. 1. recensentur fragmenta nonnullorum capitum, quæ habentur in l. 8. 9. 10. 11. & 13. ff. de accusation. ex Macro, Paulò Hermogeniano, & Marciano deprompta.

Can. 22. 23. 24. 25. 26. & 27. caus. 2. q. 6. Causam, cur ex Theodosianis legibus laudatus fuerit canon 22. caus. 2. quæst. 6. unà cum nonnullis sequentibus, perspicuam reddiderunt Correctores Romani. Exigendus ille erit ad librum 5. sententiarum Pauli, ubi ità legitur tit. 33. *Ne liberum quis & solutum haberet arbitrium retractandæ & revocandæ sententiæ, & pœnæ, & tempora appellatoribus præstituta sunt. Et nisi justè appellaverint, tempora ad cavendum in pœna appellationis præstituta sunt. Igitur morans eo in loco, ubi appellavit, cavere debet, ut ex die acceptarum literarum continui quinque dies computentur. Si verò longiùs, salvâ dinumeratione integri quinque dies cum eo ipso, quo literas acceperit, computantur.* Si cum his Gratianeus canon conferatur, apparebit, quod apùd Paulum dicitur de introducenda, à Gratiano ità accipi, quasi etiàm de interponenda appellatione definiatur; quandò tamèn alia est temporis mensura in interponenda, quàm sit in introducenda semèl interpositâ appellatione. Prosequitur Gratianus, aut quivis alius in can. 23., ibidèmque recenset sententiam legis 1. ff. si quis cautionibus, ubi scribit Gajus: *Vicena millia passuum in singulos dies dinumerari Prætor jubet, præter eum diem, quo cautum promittitur, & in quem sistere in judicium oportet; nàm sanè talis itineris dinumeratio neutri litigatorum onerosa est.* Iterùm canon 24. referendus erit ad sententias Pauli, & ex iis emendandus; nimirùm in lib. 5. tit. 34. ità legitur: *Ab eo, à quo appellatum est, ad eum, qui de appellatione cogniturus est, literæ dimissoriæ dirigùntur, quæ vulgò Apostoli appellantur, quorum postulatio & acceptio intra quintum diem ex officio facienda est. Qui intra tempora præstituta dimissorias non postulaverit, vel acceperit, vel reddiderit, præscriptione ab agendo submovetur.* Prosequitur Paulus in tit. 35. §. 2. *Moratorias appellationes, & eas, quæ ab executoribus & confessis fiunt, recipi non placuit.* Ex quibus emendandus erit canon 25. In canone 26. legitur integer titulus 36. Pauli, his verbis describendus: *Quotiès possessor appellat, fructus medii temporis deponi convenit. Quòd si petitor provocet, fructus in causa depositi esse non possunt; nec rectè eorum nomine satisdatio postulatur. Si propter prædia urbana, vel mancipia appelletur, pensiones eorum, vel mercedes, vecturæ etiàm, si de navi agatur, deponi solent.* Concludit Paulus

in

in tit. 37. *Omnimodò probandum est, ut quotiès injusta appellatio pronunciatur, sumptus, quos, dum sequeretur adversarius, impendit, reddere cogatur, non simplos, sed quadruplos.* Ex his emendandus erit canon 27.

Can. 28. caus. 2. q. 6. In canone 28. caus. 2. quæst. 6. integra exhibetur Novella Justiniani 23.

Can. 29. 30. & 31. caus. 2. q. 6. Canon 29. caus. 2. quæst. 6. depromptus est ex doctrina Ulpiani in l. 1. ff. quandò appel. sit; quâ in re Gratianus verborum & sententiarum ordinem minimè servavit. Exordium cœpit à §. 5. ejusdem legis, ubi adjecit verba illa, *ut cum quis ad tutelam &c.* quæ Romani Correctores aliis characteribus describenda propterea esse voluerunt; referenda autèm sunt ad §. 1. & 2. ejusdem legis. Quæ deindè sequuntur usquè ad vers. *Si adversus*, exhibent §§. 6. 7. 8. 9. 10. & 11. ejusdem legis, pòst quos, omissis §§. 12. 13. & 14., statim nectitur §. 15. his verbis describendus: *Si adversùs absentem fuerit pronunciatum, biduum, vel triduum, ex quo quis scit, computandum est, non ex quo pronunciatum est; quod autèm dicitur, absentem posse provocare, ex quo scit, sic accipit, si non in causa per procuratorem defensus est; nàm si ille non provocavit, difficile est, ut hic audiatur.* Quæ sequuntur in vers. *Si quem in insulam* ad principium ejusdem legis referri oportet, ubi nonnulla paulò aliter initio habentur, ibi: *Si quidèm in insulam deportandum adnotaverit Præses Provinciæ, & Imperatori scripserit, ut deportetur, videamus, quomodò sit provocandum, utrùm cum Imperator scripserit, an cum ei scribitur &c.* Postrema verba, quæ leguntur in vers. *Illud quoquè videamus*, non sunt Ulpiani, sed Macri in lege ult. ff. eod. tit. ibi: *Illud videamus &c.* Canonem 30. caus. 2. quæst. 6. jam Romani Correctores emendaverunt: continentur autèm in eo varia Jurisconsultorum monumenta, quæ extant in l. 1. 2. & 4. ff. de appellat. recip. Canon 31. caus. 2. quæst. 6. exhibet in principio sententiam integram Marciani in l. un. ff. de libellis dimissoriis, & sententiam Ulpiani in l. un. princ. & §. ult. ff. nihil innovari, appellatione interpositâ.

Can. 41. caus. 2. q. 6. In can. 41. caus. 2. quæst. 6. descriptæ fuerunt auth. *Ei qui appellat*, itèm auth. *Sed & lis*, pòst legem 2. cod. de tempor. & reparat. appellat., quæ depromptæ sunt ex Novella 49. & 23. cap. 2., ac propterea ad integram istarum sententiam erunt referendæ.

Can. 26. caus. 2. q. 7. Ex lege 21. cod. de hæreticis emendandus erit canon 26. caus. 2. quæst. 7. his verbis: *Quoniàm multi judices in dirimendis litigiis nos interpellaverunt, nostro indigentes oraculo, ut eis referretur, quid de testibus hæreticis statuendum sit, utrumne accipiantur eorum testimonia, an respuantur; sancimus, contra Orthodoxos quidèm litigantes nemini hæretico, vel his etiàm, qui Judaicam superstitionem colunt, esse in testimonia communionem, sive utraque pars orthodoxa sit, sive altera. Inter se autèm Hæreticis, vel Judæis, ubi litigandum existimaverint, concedimus fœdus permixtum, & dignos litigatoribus etiàm testes introducere, exceptis scilicèt his, quos Manichæicus furor, cujus partem & Borboritas esse manifestum est, vel Paganæ superstitio detinet; Samaritis nihilominus, & qui illis non absimiles sunt, Montanistis, & Tascodrogitis, & Ophitis, quibus pro reatus similitudine omnis legitimus actus interdictus est. Sed his quidem, id est, Manichæis, Borboritis, & Paganis, nec non Samaritis, & Montanistis, & Tascodrogitis, & Ophitis omne testimonium, sicut & alias legitimas conversationes, sancimus esse interdictum. Aliis verò hæreticis tantummodò judicialia testimonia contra Orthodoxos, secundum quod constitutum est, volumus esse inhibita. Ceterùm testamentaria testimonia eorum, & quæ in ultimis elogiis, vel in contractibus consistunt, propter utilitatem necessarii usus eis sine ulla distinctione permittimus, ne probationum facultas angustetur.*

Ut

Can. 2. caus. 2. q. 8. Ut integra describatur sententia canonis 2. caus. 2. quæst. 8., hùc referenda erit lex 3. cod. Theods. de Abolitionibus, ità concepta: *Impp. Gratian. Valentinian. & Theod. AAA. Floro PP. Fallaciter incusantibus, maximè pòst exhibitionem accusati, nullius juris color, velut derivatâ excusatione, proficiat, non publica abolitio, non privata talibus prospiciat, subveniatque personis, non specialis indulgentia, ne beneficium quidèm eos generale subducat. Sciant cuncti, præmeditentur, ante præcaveant, eam se rem deferre debere in publicam notionem, quæ munita sit testibus, instructa documentis, signis ad probationem luce clarioribus expedita. Dat. 15. Kal. Jun. Constantinop. Antonio & Syagrio coss.* Hanc ipsam legem in duo fragmenta discerptam retulit Tribonianus in codice Justinianeo in l. 9. de calumniatoribus, & in l. ult. de probationibus.

Can. 2. caus. 3. q. 7. In can. 2. caus. 3. quæst. 7. mirum est, quâ ratione Gratianus depravaverit Ulpiani sententias, quæ habentur in l. 1. ff. de postulando, sicut & aliorum Jurisconsultorum in subsequentibus legibus eodem titulo. Itèm in vers. *Arcentur* vitiatur lex 3. cod. eod. tit., in vers. *Itèm siquis* lex 6. cod. eod. tit., in vers, *Si verò* lex 7. cod. eod. tit., in vers. *Itèm quamvis illi* lex 2. cod. de advocatis fisci, in vers. *Itèm si contra* lex 10. ff. de postul., in vers. *Nihil enim* lex 7. ff. de receptis, in vers. *Filius* lex 5. & 6. ff. eod. tit. in vers. *Si quis verò* lex 9. §. 2. ff. eod. tit., cujus legis 9. principium subjicitur in vers. *Servus*; Deindè in vers. *Porrò* sermo fit de iis, qui notantur infamiâ, ubi in vers. *Aliquandò* recensetur sententia legis 5. cod. quib. ex caus. infam. irrog.; itèm in vers. sequenti describitur lex 6. eod. eod. tit.; deniquè concluditur verbis legis 15. & 20. cod. eod. tit. Quis non stupeat portento similem legum Romanarum congeriem; cujus in conspectu Legulejos imitatum fuisse Gratianum deprehendat? Ego singula hoc in loco non refero, ne prolixior fiam, præsertim quòd ea monumenta unicuique præsto esse facilè possint.

Canon 2. caus. 3. quæst. 11. consonat omninò cum l. 19. cod. de his, qui accus. non possunt. Sed paulò aliter rescriptum Imperatorum se se habet in codice Theodosiano in lege 12. de accusationibus, ibi: *Neganda est accusatis licentia criminandi, priusquàm se crimine, quo premuntur, exuerint; nàm sanctionum veterum conditores adimendam licentiam omnibus censuerunt in accusatores suos invidiosam dicendi vocem. Nullam itaquè obtineat in judiciis auctoritatem periclitantium furor; qui si latiùs evagetur, ne ipse quidem cognitor tutus erit, aut quæstionem securus agitabit, qui exsequendo juris severitatem, non potest illorum, quos punit, odium evitare.* Can. 2. caus. 3. q. 11.

De canone 4. caus. 3. quæst. 11. nihil singulare animadvertendum occurrit. Consonat ille cum l. 1. cod. de his, qui accusare non possunt. Can. 4. caus. 3. q. 11.

In can. 3. caus. 4. quæst. 2. multa congesta sunt, & quidèm nullo ordine servato, veterum Jurisconsultorum monumenta, quæ in Pandectis habentur sub titulo de testibus. Exorsus est Gratianus à §. *Si testes* 3. legis 21., quem etiàm corrupit; etenim pro verbis illis Arcadii *omnia...impari*, scripsit *omninò... in pari.* In vers. *In testibus* retulit legem 2., immutans priora legis verba, quæ ità describenda erant: *In testimoniis.* In vers. *Testium* retulit legem 3., cujus principio exhibito statim progressus est ad §. 5. ejusdem legis; deindè nonnullis omissis transiit in vers. *Lege Julia publicorum* ad legem 4. In vers. *Cum autèm* recensere voluit legem 5., quæ his verbis concipitur initio: *In legibus, quibus excipitur &c.* In vers. *Idonei* habetur lex 6., quemadmodùm in vers. *Servi*, & vers. *Inviti* lex 7. & 8. In vers. *Publicani* transiit ad legem 19., & in vers. *In testimonium* ad leg. 20. In vers. *Ob carmen* iterùm arripuit legem 21. in principio, ubi hæc verba omisit: *Illud quo-* Can. 3. caus. 4. q. 2.

quoquè ineluctabile est, ut &c. & *Itèm Senatus censuit &c.* In vers. *Testes* retulit legem 24. In vers. *Patroni* legem 25., cujus priora verba prætermisit. In vers. *Qui falso* regressus est ad legem 16., in vers. *Pater* ad leg. 17., in vers. *Hermaphoditus* ad §. 1. legis 15., in vers. *Testis* ad leg. 9., cui subjecit in versiculis sequentibus leges 10. 11. & 12. In vers. *In testibus* iterùm revertitur ad legem 3., ejus §. m. 1. aliter describens, quàm apùd Callistratum legatur his verbis: *Tu magis scire potes, quanta fides habenda sit testibus; qui, & cujus dignitatis, & cujus æstimationis sint, & qui simpliciter visi sunt dicere, utrùm unum, eumdemque meditatum sermonem attulerint, an ad ea, quæ interrogaveras ex tempore verosimilia responderint.* In versiculo *Sæpe* invertit ordinem verborum §. 2. ejusdem legis 3., qui erat ità describendus: *Ejusdem quoquè Principis extat rescriptum ad Valerium Verum de excutienda fide testium in hæc verba: Quæ argumenta ad quem modum probandæ cuique rei sufficiant, nullo certo modo satis definiri potest, sicut non semper, ità sæpè, sine publicis monumentis cujusque rei veritas deprehenditur: aliàs numerus testium, aliàs dignitas, & auctoritas, aliàs veluti consentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem. Hoc ergò solùm tibi rescribere possum summatim: non utiquè unam probationis speciem, cognitionem statim alligari debere, sed ex sententia animi tui te æstimare oportere, quid aut credas, aut parùm probatum tibi opinaris.* In vers. *Alia* fragmentum descriptum est §. 4. ejusdem legis. Ità expatiatus Gratianus per varia Pandectarum monumenta, eâdem ferè ratione accessit ad Constitutiones Imperatorias, quæ sub eodem titulo in codice describuntur. Hinc in vers. *Soli* expressit sententiam legis 2., quæ tamèn erat his verbis exprimenda: *Si tibi controversia ingenuitatis fiat, defende causam tuam instrumentis, & argumentis, quibus potes. Soli enim testes ad ingenuitatis probationem non sufficiunt.* In vers. *Etiam* retulit legem 3., in vers. *Solam* legem 4., in vers. *Eos* legem 5., in vers. *Parentes* legem 6., in vers. *Qui intendit* legem 7., aliter eamdem exhibens, quàm habeatur in Codice, ibi: *Nimis grave est, quod petitis urgeri partem diversam ad exhibitionem eorum, per quos sibi negotium fiat; undè intelligitis, quod intentionis vestræ proprias adferre debetis probationes, non adversùs se ab adversariis adduci.* Emendandus etiàm erit ex l. 8. versiculus *Servi*, ibi: *Servos pro Domino, quemadmodùm adversùs eum interrogari non posse, pro facto autèm suo interrogari posse, non ambigitur.* Itèm emendandus erit ex l. 9. versiculus *Jurisjurandi*, ibi: *Jurisjurandi religione testes, priusquàm perhibeant testimonium, jam dudùm arctari præcepimus, & ut honestioribus potius testibus fides adhibeatur. Simili modo sanximus, ut unius testimonium nemo judicum in quacumque causa facilè patiatur admitti. Et nunc manifestè sancimus, ut unius omninò testis responsio non audiatur, etiamsi præclaræ curiæ honore præfulgeat.* In vers. *Omnibus* integra refertur lex 10. Prætereà versiculus *Liberi* emendandus erit juxtà legem 11. ibi: *Quoniàm liberi testes ad causas postulantur alienas, si socii, & participes criminis non dicantur, sed fides ab his notitiæ postuletur, in exhibitione necessariarum personarum, hoc est, testium, talis debet esse cautio judicantis, ut his venturis ad judicium, per accusatorem, vel ab his, per quos fuerint postulati, sumptus competentes dari præcipiat. Idem juris est, & si in pecuniaria causa testes ab alterutra parte producendi sunt.* Lex 12., ex qua depromptus est versiculus *Liberti*, ità exprimitur: *Libertorum adversùs Patronos illicitas atque improbas voces pœnæ objectione præcludimus; atque ità, ut non solummodò sponte prodire non audeant, sed ne vocati quidem in judicium venire cogantur.* Deniquè in vers. *Siquis testibus* descripsit Gratianus legem 17., ubi tamèn postrema verba hæc leguntur *integram ei servari præcipimus*, pro quibus

bus edidit Gratianus *integram ei servari oportet.*

Can. 22. & 23. caus. 6. q. 2. Canones 22. & 23. caus. 6. quæst. 1. consonant cum legibus 5. & 4. cod. ad leg. Jul. Majestatis; in lege autèm 5. pro verbis prioribus Gratiani: *Siquis cum militibus* legitur: *Quisquis cum militibus.* Qui elegantem desiderat ejusdem legis 5. interpretationem, adeat Jacobum Gothofredum in discursu Historico ad eamdem Constitutionem.

Can. 2. caus. 6. q. 5. Canon 2. caus. 6. quæst. 5. exhibet legem Diocletiani & Maximiani in l. 23. cod. de probation.; in qua tamèn edenda Gratianus pro voce *Actor* scripsit *Accusator.*

Can. 2. & 3. caus. 10. q. 2. In canone 2. caus. 10. quæst. 2. fragmentum describitur legis 14. princ. cod. de Sacros. Eccl. Pòst hæc addidit Gratianus sub nomine Constitutionis novæ nonnulla decerpta ex authenticis, quæ subjiciuntur; nimirùm vers. *Hoc jus* legitur in auth. *Hoc jus* subjecta dictæ legi 14.: versus *Prætereà* legitur in auth. *Prætereà* subjecta legi 21. eod. tit.; deindè versiculus *Si autèm debitum* iterùm pertinet ad laudatam authenticam *Hoc jus.* Quæ in versiculis subsequentibus habentur, deprompta sunt ex authenticis subjectis, nimirùm auth. *Sicut alienatio,* auth. *Item prædium,* auth. *Sed & permutare,* auth. *Item sibi invicèm,* auth. *Perpetua,* auth. *Qui rem,* auth. *Siquas ruinas,* & auth. *Qui res.* Pòst hæc Gratianus reversus est ad subjiciendam postremam partem laudatæ legis 14., quam quia non integram retulit, supplevit auctor Palearum in canone 3., usquè ad vers. *Nam hæc usus,* qui tamèn auctor, Gratiani morem secutus, in vers. *Nam hæc usus* descripsit authenticam *Hæc usus* eodem tit. usquè ad illa verba *eiusque cognatis.* Quæ sequuntur in vers. *Quòd si necessitas* referenda sunt ad canonem 7. Concilii Agathensis anni 506., ex quo depromptus est canon 1. eadem causâ 10. quæst. 2. Verba integra canonis hæc sunt: *Casellas verò, vel mancipiola Ecclesiæ, Episcopi, sicut prisca canonum præcepit auctoritas, vel vasa ministerii quasi commendata, fideli proposito integro Ecclesiæ jure possideant, id est, ut neque vendere, neque per quoscumque contractus res, undè pauperes vivunt, alienare præsumant. Quòd si necessitas certa compulerit, ut pro Ecclesiæ aut necessitate, aut utilitate, vel in usufructu, vel in directa venditione aliquid distrahatur, apùd duos, vel tres comprovinciales, vel vicinos Episcopos, causa, quâ necesse sit vendi, primitùs comprobetur; & habitâ discussione Sacerdotali, eorum subscriptione, quæ facta fuerit, venditio roboretur. Aliter facta venditio, vel transactio, non valebit. Sanè siquos de servis Ecclesiæ benemeritos sibi Episcopus libertate donaverit, collatam libertatem à successoribus placuit custodiri, cum hoc, quod eis manumissor in libertate contulerit, quod tamèn jubemus viginti solidorum numerum, & modum in terrula, vineola, vel hospitiolo tenere. Quod amplius datum fuerit, pòst manumissoris mortem Ecclesia revocabit. Minusculas verò res, aut Ecclesiæ minùs utiles, peregrinis, vel Clericis, salvo jure Ecclesiæ, in usum præstari permittimus.*

Priora verba canonis 5. caus. 11. quæst. 1. referenda sunt ad leg. 3. cod. Theodos. de Episcopali judicio, editam ab Imperatoribus Valentiniano, Theodosio, & Arcadio, ubi inter cetera hæc leguntur: *Continuâ lege sancimus nomen Episcoporum, vel eorum, qui Ecclesiæ necessitatibus serviunt, ne ad judicia, sive ordinariorum, sive extraordinariorum judicum, pertrahatur. Habent illi Judices suos, nec quidquam his publicis commune cum legibus, quantum ad causas tamèn Ecclesiasticas pertinet, quas decet Episcopali auctoritate decidi.* Jacobus Gothofredus hanc legem tanquàm supposititiam rejicit, & quidèm non contemnendis argumentis. Videatur ejus Commentarium in eamdem. Quæ sequuntur in vers. *Constantinus* jure adnotaverunt jam nonnulli in notis Gratianeis, decerpta esse ex Historia Ecclesiastica Ruffini

Can. 5. caus. 11. q. 1.

lib. 10. cap. 2., cujus fidem agnoscere visus est Gregorius Magnus in can. 41. caus. 11. quæst. 1.

Can. 35. & 36. caus. 11. q. 1.

Questus est Antonius Augustinus in lib. 2. de emendat. Gratiani Dial. 11., canones 35. & 36. caus. 11. quæst. 1. fuisse disjunctos, quandò unam eamdemque uterque continet Constantini Constitutionem, in nonnullis codicibus Arcadio, Honorio, & Theodosio tributam. Habetur integra in l. 1. cod. Theod. de Episcop. Jud. his verbis: *Religionis est, clementiam nostram scisciari voluisse, quid de sententiis Episcoporum, vel antè moderatio nostra censuerit, vel nùnc servari cupiamus. Ablavi Parcas charissime. Itaquè, quia à nobis instrui voluisti, olim prærogatæ legis ordinem salubri rursùs imperio propagamus. Sanximus namquè, sicut edicti nostri forma declarat, sententias Episcoporum, quolibet genere prolatas, sine aliqua ætatis discretione, inviolatas semper, incorruptasque servari; scilicèt, ut pro sanctis semper, ac venerabilibus habeatur, quidquid Episcoporum fuerit sententiâ terminatum. Sive itaquè inter minores, sive inter majores ab Episcopis fuerit judicatum, apùd vos, qui judiciorum summam tenetis, & apùd ceteros omnes judices ad executionem volumus pervenire. Quicumque itaquè litem habens, sive possessor, sive petitor erit, inter initia litis, vel decursis temporum curriculis, sive cum negotium peroratur, sive cum jam cœperit promi sententia, judicium eligit sacrosanctæ legis Antistitis, illicò sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad Episcopum cum sermone litigantium dirigatur. Multa enim, quæ in judicio captiosæ præscriptionis vincula promi non patiuntur, investigat & promit sacrosanctæ religionis auctoritas. Omnes itaquè causæ, quæ vel Prætorio jure, vel civili tractantur, Episcoporum sententiis terminatæ, perpetuo stabilitatis jure firmentur; nec liceat ulteriùs retractari negotium, quod Episcoporum sententiâ deciderit. Testimonium etiàm, ab uno licèt Episcopo perhibitum, omnes judices indubitanter accipiant; nec alius audiatur, cum testimonium Episcopi à qualibet parte fuerit repromissum. Illud est enim veritatis auctoritate firmatum, quod à sacrosancto homine conscientia mentis illibatæ protulerit. Hoc nos edicto salubri aliquandò censuimus, hoc perpetuâ lege firmamus, malitiosa litium semina comprimentes, ut miseri homines, longis, ac penè perpetuis actionum laqueis implicati ab improbis petitionibus, vel à cupiditate præpropera, maturo fine, discedant. Quidquid itaquè de sententiis Episcoporum clementia nostra censuerat, & jam hac sumus lege complexi, Gravitatem tuam, & ceteros, pro utilitate omnium latum in perpetuum observare conveniet.* Iterùm Jacobus Gothofredus in suo Commentario in hanc legem graviter suspicatur, eamdem commentitiam esse, & recentioribus conflictam sæculis. Videantur ejus adnotationes. Testantur aliqui ex Collectoribus, fuisse sententiam illius legis in Capitularia Francorum traductam, uti adparet in conspectu can. 37. caus. 11. q. 1.: verùm jam de hac re ego nonnulla tradidi in part. 1. c. 29. agens de can. 27. de cons. dist. 1. & sequenti. Sanè posteriore ætate ea Constitutio passim laudari solebat, atque eadem usus fuit sine discrimine Innocentius III. in cap. 13. de judiciis.

Canon 45. caus. 11. quæst. 1. depromptus est eisdem verbis ex Novella Justiniani 77. apùd Julianum Antecessorem; ubi tamèn desiderantur ea verba Gratiani, *in criminalibus verò causis nunquàm sine scriptura procedere debet.* Siquidèm apùd Julianum pòst ea verba, *à litis contestatione numerandum*, statim sequitur: *Non aliter autèm &c.* Paulò aliter habet vulgata Novellarum editio in Nov. 83., quam consulere non erit inopportunum.

Can. 45. caus. 11. q. 1.

Canon 59. caus. 12. quæst. 2. idem est cum l. 1. cod. de quæstionibus, ubi tamèn pro verbis Gratiani *fraudati census accusationibus.....in pecuniariis verò causis ex inopia probationum servos contra Dominum posse interrogari manifestum est*, ità legitur: *fraudati census accusatoribus... in pecuniariis verò causis nec inopiâ proba-*

Can. 59. & 60. caus. 12. q. 2.

bationum servos contra Dominum interrogari posse manifestum est. Canon 60. eadem causâ & quæstione consonat cum l. 2. eod. tit., utraque autèm Constitutio est Severi & Antonini Imperatorum.

Can. 2. caus. 15. q. 1. Canon 2. caus. 15. quæst. 1. consonat omninò cum responso Ulpiani in l. 3. ff. de injuriis, dummodò pro illis Gratiani verbis, *& si nesciat, cui faciat*, ista substituas, *etiamsi nesciat, cui faciat.*

Can. 1. caus. 15. q. 3. Ad legem Diocletiani, & Maximiani 12. eod. de his, qui accusare, referendus est canon 1. caus. 15. quæst. 3., ubi pro voce *exactum* legendum erit *exacta*

Priora verba canonis 2. caus. 15. quæst. 3. continent responsum Pauli in l. 18. ff. de testib., ubi pro illis verbis Gratiani, *in judicio testimonium dicendi jus habere*, legitur: *testimonii in judicio dicendi jus habere.* Quæ sequuntur in vers. *Non est* exhibent legem 1. ff. de accus. Itèm priora verba canonis 3. ead. causâ & quæst. referenda sunt ad l. 2. ff. de accus., ubi Papinianus ità scribit: *in quos ex lege testimonium publicorum invitæ non dicunt*, ubi Gratianus legerat: *in quos ex lege publicor. jud. testimonium invitæ non dicunt.* Pòst hæc subdit Gratianus Imperatoris Alexandri rescriptum, prout habetur in l. 4. cod. de his, qui accusare. Deniquè describuntur verba Papiniani, quæ ità edenda erant juxta l. 8. ff. ad leg. Jul. Majest. *In quæstionibus læsæ majestatis etiàm mulieres audiuntur. Conjurationem deniquè Sergii Catilinæ Julia mulier detexit, & Marcum Tullium Consulem judicium ejus instruxit.*

Can. 2. & 3. caus. 15. q. 3.

Ad leg. 31. cod. de Episc. & Cler. referendus est canon 4. caus. 15. q. 3. ubi Imperatores Leo & Antemius, plura de ordinatione Ecclesiasticorum Antistitum proferentes, ità inter cetera tradiderunt: *Nec pretio, sed precibus ordinetur Antistes. Tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profectò enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus: cum sanè siquis hanc sanctam, & venerabilem Antistitis sedem &c.* Quæ sequuntur apùd Imperatores, cum verbis Gratiani consonant.

Can. 4. caus. 15. q. 3.

Can. 40. caus. 16. q. 1.

In principio canonis 40. caus. 16. q. 1., usquè ad illa verba *obtinere sancimus* refertur lex Justiniani 52. cod. de Episc. & Cler., licèt apùd Gratianum Leoni Augusto tribuatur. In vers. *Juxtà sanctionem* describitur lex Constantini, ex l. 1. cod. eod. tit. ità emendanda: *Juxtà sanctionem, quam dudùm meruistis, & vos, & mancipia vestra nullus novis collationibus obligabit; sed vacatione gaudebitis, præterea neque hospites suscipietis.* Eadem Constitutio habetur in l. 8. cod. Theodos. eod. tit., ubi tamèn pro illis verbis, *quam dudùm meruistis*, legitur, *quam dudùm meruisse perhibemini.* Additur etiàm in fine: *Et si qui de vobis alimoniæ causâ negotiationem exercere volunt, immunitate potientur.* Deniquè in vers. *Placet* describitur lex Honorii & Theodosii 5. cod. de Sacros. Eccles., ubi tamèn pro verbis Gratiani *rationabilis Concilii...illationem, nisi quam &c.* legendum est *rationabilis consilii...illationem, quam &c.* Habetur eadem Constitutio in l. 40. cod. Theod. de Episc. & Cler., ubi nonnulla paulò aliter exhibentur, ibi: *Placet rationabilis consilii.... dicata sordidorum munerum fasce vexentur. Nullâ jugatione, quæ talium privilegiorum sorte gratulatur, muniendi itineris constringat injuria, nihil extraordinarium ab hac superindicticiumve flagitetur: nulla pontium instauratio, nulla translationum sollicitudo gignatur: non aurum, ceteraque talia poscantur. Postremò....illationem, quod adventitiæ &c.*

Can. 16. caus. 16. q. 3.

In can. 16. caus. 16. quæst. 3. refertur lex Anastasii Imperatoris, quæ habetur in l. 6. cod. de præscr. 30. vel 40. annorum, in qua legitur *functiones autèm*, ubi Gratianus scripsit *sanctiones autèm.*

Can. caus. 16. q. 4.

In canone 3. caus. 16. quæst. 4. visus est Gratianus describere Constitutio-

nem Justiniani, qualis habetur in Nov. 119. num. 6. apùd Julianum Antecessorem, ibi: *Neque decennii, neque viginti, vel triginta annorum præscriptio religiosis domibus opponatur, sed sola quadraginta annorum curricula, non solùm in ceteris rebus, sed etiam in legatis, & in hereditatibus.* Paulò aliter habet vulgata Novellarum editio Nov. 131. cap. 6. ibi: *Pro temporalibus autèm præscriptionibus decem, & viginti, & triginta annorum sacrosanctis Ecclesiis, & aliis universis venerabilibus locis solam quadraginta annorum præscriptionem opponi, præcipimus: hoc ipso servando & in exactione legatorum, & hereditatum, quæ ad pias causas relicta sunt.*

Can. 9. & 10. caus. 19. q. 3. Canon 9. caus. 19. quæst. 3. exhibet in pricipio auth. *Siqua mulier* cod. de Sacros. Eccles., ubi tamèn pro illis Gratiani verbis *legitima non diminuta, & quod eis non dedit.... inter filios &c.* legitur: *legitima nulli deminuta, & quod eis non dederit...inter eos filios &c.* Operæ pretium erit perpendere verba Novellæ 123. cap. 38., ubi de viribus Justinianeæ Constitutionis controversia emergat. Quæ sequuntur in vers. *Nunc autèm* habentur in auth. *Nunc autèm* codic. de Episcop. & Clericis, ubi pro verbis Gratiani *res suas* legitur *suas res omnes*; deindè in fine authenticæ hæc leguntur à Gratiano omissa *salvo tamèn jure uxoris, & aliorum creditorum.* Iterùm operæ prætium erit, quotiès opus fuerit, singula referre ad Novellam 5. cap. 5., undè authentica fuit excerpta. Verba canonis 10. caus. 19. quæst. 3. eadem sunt cum Nov. 115. Justiniani apùd Julianum antecessorem cap. 62. & 63. In vulgata Novellarum editione Nov. 123. cap. 41. ità legitur: *Nullam verò licentiam damus aut parentibus filios, aut filiis parentes, sæcularem vitam sectantes, & relinquentes, velut ingratos à sua excludere hereditate, monasterium, aut monasticam vitam subsecutos. Interdicimus autèm parentibus filios suos monasticam vitam eligentes ex venerabilibus monasteriis abstrahere.*

Quæ in prioribus verbis canonis 23. caus. 23. quæst. 8. exhibentur, referenda sunt ad legem Constantii, quæ est in l. 16. cod. Theodos. de Episc. & Clericis, ubi pro verbis Gratiani, *Christianæ Religionis*, legitur *Christianæ Legis.* Jacobus Gothofredus duo ibidèm notat. Primum est, eam non esse Constantis, & Constantii, uti Gratianus in inscriptione canonis indicavit, sed solius Constantii, quemadmodùm facilè colligi potest ex l. 18. cod. Theod. eod. tit. Alterum est, ibidèm agi de immunitate à civilibus, videlicèt & personalibus muneribus, & extraordinariis Clericorum. Quæ sequuntur in vers. *Universos* leguntur in l. 26. cod. Theod. eod. tit. sub nomine Imperatorum Gratiani, Valentiniani, & Theodosii. Gratianus noster nonnulla omisit; etenim pòst illa verba *sustinere decernimus*, ità sequitur in codice: *Quis enim eos capite censos patiatur esse devinctos, quos necessariò intelligit supramemorato obsequio mancipatos?* In vers. *Sancimus* describitur Justiniani Constitutio, quæ extat in l. 22. cod. de Sacros. Eccles., quam non omninò integram usquè in finem Gratianus exaravit. Qui eam penitùs perspectam habere voluerit, facilè ad eamdem se se conferre poterit. Can. 23. caus. 23. q. 8.

Canones 14. & 15. caus. 25. q. 2. penitùs consonant cum l. 3. & 7. cod. de precibus Imperatori offerendis; quarum prior est Constantini, & in codice Theodosiano aliter describitur in l. 1. de diversis rescriptis, ibi: *Contra jus rescripta non valeant, quocumque modo fuerint impetrata; quod enim publica jura præscribunt, magis sequi judices habent.* Posterior verò est Theodosii & Valentiniani. Can. 14. & 15. caus. 25. q. 2.

In principio canonis 20. caus. 25. quæst. 2. recensetur Constitutio Imperatorum Arcadii & Honorii, quæ habetur in l. 29. cod. Theodos. de Episc. & Cler., ubi pro verbo Gratianeo, *deserviunt*, legitur *serviunt.* In vers. *Non tam* exhibetur eorumdem Imperatorum Constitutio, quæ extat in l. 30. cod. Can. 20. caus. 25 q. 2.

cod. Theodos. eod. tit. ubi hæc lectionis adest varietas: *Non novum aliquid... qui Ecclesiæ obtemperant, his, quibus Ecclesia, beneficiis perfruantur.* In vers. *Si Ecclesiæ* recensetur lex 34. cod. Theod. eod. tit. eorumdem sanè Imperatorum his verbis concepta in editione Gothofredi: *Si Ecclesiæ venerabilis privilegia cujusquam fuerint vel temeritate violata, vel dissimulatione neglecta, commissum quinque librarum auri, sicut etiam priùs constitutum est, condemnatione plectatur. Siquid igitur contrà Ecclesias, vel Clericos, per obreptionem, vel ab hæreticis, vel ab hujuscemodi hominibus, fuerit contra leges impetratum, hujus sanctionis auctoritate damnetur.* Adnotat Gothofredus, in codice Tiliano pro verbo, *damnetur*, legi *vacuetur*, vel *vacuamus*. Priora postremæ hujus legis verba relata sunt in l. 13. cod. Justin. de Episc. & Clericis.

Canon 30. caus. 27. quæst. 1. de-
Can. 30. caus. 27. q. 1. promptus est ex Novella Justiniani 115. cap. 67. apùd Julianum antecessorem, ubi tamèn pro illis Gratiani verbis *Assisteriam....contaminati sunt, à religioso loco vindicentur*, legitur: *Ascetriam..... contaminati sunt, religioso loco vindicentur.* Consonat cum his, licèt verbis paulò aliter dispositis, sententia vulgatæ Novellarum editionis in Novell. 123. cap. 43.

Canon 6. caus. 30. quæst. 3. omni-
Can. 6. caus. 30. q. 3. nò consonat cum sententia Gaji in l. 17. princ. & §. 1. ff. de ritu nuptiarum.

Canon 9. caus. 30. quæst. 5. conso-
Can. 9. caus. 30. q. 5. nat omninò cum Novella Justiniani 67. cap. 4. apùd Julianum antecessorem. Quod addendum dixerunt Romani Correctores *si tamen ei conjuncta fuerit*, in editione Basileensi 1676. Novellarum Juliani desideratur. Qui amat sequi potiùs vulgatam Novellarum editionem, consulat, & cum canone conferat Novellam 74. cap. 5.

Can. 6. de pœn. dist. 1. & Can. 3. caus. 36. q. 2. In canone 6. de pœn. dist. 1. describitur Constitutio Joviani Imperatoris, quæ extat in l. 5. cod. de Episc. & Clericis, ubi pro adverbio *tantummodò* legitur *tantum*. Habetur prætereà in l. 2. cod. Theodos. de raptu, vel matrim. Sanctimon., ubi legitur: *Sed vel adtentare, matrimonii jungendi causâ.* Eadem iterùm edidit Gratianus in can. 3. caus. 36. quæst. 2. Causam verò, cur Jovianus eam Constitutionem elucubraverit, facilè agnoscimus ex Sozomeno, ità scribente in lib. 6. cap. 3. juxtà emendationem Gothofredi. *Emisit itèm* (Jovianus) *ad Secundum Præfectum tùm Prætorio legem generalem, quâ jubebat, eum capite plecti, qui sacratam virginem attentaret matrimonii jungendi causâ, vel etiàm ad libidinem tantùm intueretur, non modò si rapere ausus fuisset. Porrò hanc legem ideò tulit, quoniàm improbi quidam viri, imperante Juliano, extiterant, qui hujusmodi virginum matrimonia sibi conciliassent, quique quà vi, quà inductione corrupissent, quemadmodum hæc audere solet turpis libido, infelici religionis statu impunitatem sibi promittente.*

Legem Leonis & Anthemii Impera- Can. 7. & 8. de pœn. dist. 1. torum, quæ extat in l. ult. cod. de postulando, integram retulit Gratianus in can. 7. & 8. de pœn. dist. 1., quæ sanè capita ego non video, quid commune habere possint cum proposito Gratiani.

Clariùs Gratianus expressit sententiam Can. 9. de pœn. dist. 1. canonis 9. de pœn. dist. 1. in can. 22. caus. 6. quæst. 1., ubi multa derivavit ex l. 5. cod. ad leg. Jul. Majestatis.

In can. 10. & 11. de pœn. dist. 1. Can 10. & 11. de pœn. dist. 1. descriptæ sunt leges 8. & 9. cod. ad leg. Cornel. de Sicariis. Paulò aliter in cod. Theodosiano ea lex 8. describitur in l. 1. eod. tit. ibi: *Siquis necandi infantis piaculum adgressus, adgressave sit, erit capitale istud malum.* Itèm paulò aliter descripta est lex 9. in cod. Theod. in l. 4. ad leg. Jul. de adult. ibi: *In adulterii quæstione ab omni familia non solùm mariti, sed etiàm uxoris (quæ tamèn tunc temporis domi fuerit, quo adulterium dicatur admissum) quærendum est sine defensione cujusquam. Idem volumus, etsi fortè mulier marito mortis parasse insidias, vel*

quo-

quolibet alio genere voluntatem occidendi habuisse inveniatur. Parem etiàm conditionem in interrogatione mancipiorum servari volumus, si fortè maritus eo modo insectetur uxorem.

Can. 12. & 13. de pœn. dist. 1.

Initio canonis 12. de pœn. dist. 1. leguntur verba Ulpiani in §. ult. l. 9. ff. de injur., in vers. *Attentari* verba Pauli in l. 10., itèrùmque in vers. *non solum* verba Ulpiani in l. 11. ff. eod. tit. Pergit Gratianus describens in canone 13. verba Gaji, quæ extant in l. 15. §. 1. ff. eod. tit. ibi: *Siquis pulsatus quidèm non est, verùm manus adversus eum levatæ, & sæpe territus, quasi vapulaturus, non tamen percussit, utili injuriarum actione tenetur.* Ideò autèm Gratianus eadem verba Labeoni tribuit, quia Gajus initio legis professus est, se retulisse, quæ apùd Labeonem referebantur.

Can. 14. & 17. de pœn. dist. 1.

Brevis illa sententia *Cogitationis pœnam nemo patitur*, quæ nomine Ulpiani exhibetur in l. 18. ff. de pœnis, quamque descripsit Gratianus in can. 14. de pœn. dist. 1., jungi profectò debet cum l. 1. ff. quod quisque juris, cujus fragmentum retulit Gratianus idem in can. 17. ead. dist., nimirùm utraque lex deprompta est ex eodem lib. 3. ad edictum, in quo Ulpianus interpretabatur edictum Prætoris expressum in dicta l. 1. §. 1. Hinc statim liquebit, sententiam legis 18. non generalem habendam esse, perpetuòque in pœnarum materie observandam, sed potiùs juxtà singularia prætorii illius edicti adjuncta intelligendam.

Can. 15. de pœn. dist. 1.

Canon 15. de pœn. dist. 1. consonat cum l. 1. princ. & §. 2. ff. de extraordinar. crimin. Jure autèm ibidèm Romani Correctores observaverunt, in Pandectis Florentinis legi *donum*, ubi Gratianus scripsit *domum*.

Can. 16. de pœn. dist. 1.

In can. 16. de pœn. dist. 1. explicatur ex Ulpiani lege 21. ff. de furtis subtilis quædam Ofilii, Trebatiique doctrina, de eo, qui sustulit modium ex acervo frumenti, quemque Jureconsulti illi veteres totius acervi furem esse putabant. Proficiscebatur id ex illorum Philosophia, juxtà quam tradebant, per quamcumque corporis imminutionem corporis variari formam, ità ut non idem, sed diversum propemodùm corpus esse diceretur; quo sensu in vulgari erat traditione, quotidiè hominem nasci, ac mori ob ea, quæ sensim humano corpori accrescunt, vel decrescunt. Ex eo ego profectum arbitror, ut Senatusconsulto Claudiano, cujus sententia refertur in l. 3. §. ult. ff. de incend. ruina naufrag., caveretur, eum qui clavum de navi abstulisset, omnium rerum nomine teneri. Siquidèm Senatusconsultum Claudianum celebratum fuit tempore Claudii Neronis circa annum ab Urbe condita 804., quâ ætate maxima erat & Ofilii & Trebatii auctoritas; de Ofilio loquor, quem Cæsari familiarissimum fuisse testatur auctor legis 2. ff. de orig. jur., & de Trebatio, cujus auctoritate Codicillorum disciplina recipienda fuit, uti testatur Justinianus in princ. inst. de codicillis. Itaquè nil aliud statui ab iis poterat, qui & Ofilium, & Trebatium venerabantur. Illud autèm receptum tantummodò fuit, ubi corpora unâ veluti compagine consistebant; non, ubi divisa facilè numerarentur, ut ut universitatem quamdam simùl cohærentia componerent. Hinc idem Ulpianus in laudata l. 21. §. 6. conclusit, eum, qui certas vini amphoras ex apotheca subtraxit, non totius apothecæ, sed singulorum subreptorum corporum furem esse, non aliâ sanè ratione, quàm quòd singulæ amphoræ per se subsisterent. Gratianeus canon ferè consonat cum Ulpiani responso, his paucis exceptis. *Vulgaris...eum videri tetigisse...dolium aperuit...verum totius videtur fur esse...segetem luce secat...fur erit.* Quod ibidèm dicitur, eum, qui aurem alicujus tetigit, quasi totum hominem tetigisse, referendum est ad morem veterum, qui, dum aliquem in testem voca-

carent, imam ejusdem auriculam vellicabant, ut tradit Plinius lib. 11. c. 45.

Can. 18. & 19. de pœn. dist. 1.

Ait Hermogenianus in l. 42. ff. de pœnis : *Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potiùs, quàm asperandæ.* Retulit hæc ipsa Gratianus in can. 18. de pœn. dist. 1. Sententiam Claudii Saturnini, quæ habetur in l. 16. ff. de pœnis, retulit Gratianus in can. 19. de pœn. dist. 1., ubi tamèn pro illis verbis *à furtivo... eventus spectatur, ut à clementissimo quoquè factæ &c.* legendum est *à fugitivo...eventus spectetur, ut à clementissimo quoquè factæ &c.* Præterea verba græca Demostenis aliam habent in Pandectis interpretationem, ibi: *Non enim plaga repræsentat contumeliam, sed dedecoratio. Neque verberari liberis est malum, quamvis est malum, si in contumeliam. Multa enim utiquè facit, qui verberat, ô viri Athenienses! quorum, quæ patitur, quædam neque annunciare poterit aliis schemate, aspectu, voce, cum verberat, ut contumeliam inferens, cum ut inimicus existens, cum verberat fustibus, cum in pupillæ: hæc movent, hæc extra se constituunt homines eorum non assuetos existentes, ut conviciarentur.* Alia quoquè interpretatio est in Pandectis versuum Omeri, ibi: *Quando me parvulum existentem Menatius ex Opunto duxit ad vestram domum, parricidium ob triste die illo, cum filium occidi Amphidamantis, imprudens, invitus circa talos iratus.*

Denique in can. 21. de pœn. dist. 1. refertur sententia Pauli, quæ extat in l. 3. ff. de divortiis, ex qua hæc verba erunt Gratianeis substituenda...*dissensionem fit. Ità quidquid...reversa uxor est, nec divortisse videtur.*

Can. 21. de pœn. dist. 1.

CAPUT XXVI.

De Hesychio, seu Isychio.

Sub Hesychii nomine duo extant monumenta.

Ex Lib. in Leviticum. { *Can.* 34. *de pœn. dist.* 3. / *Can.* 35. *de pœn. dist.* 3. } *incertæ auctoritatis.*

QUotquot Commentaria in Leviticum, in septem libros distributa, quæ Hesychii, seu Isychii, nomine circumferuntur, commemorarunt, certò adfirmare non potuerunt, quisnam fuerit Hesychius illorum auctor, statim enim adparent ejus nominis plures sive Latini, sive Græci; quorum alii vetustiores, recentiores alii, alii in Episcopali, imò & Patriarchali, dignitate constituti, alii in Presbyteratus tantùm officio. Sixtus Senensis in lib. 4. Bibliothecæ sanctæ ait, auctorem illorum librorum fuisse Hierosolymitanum Presbyterum, aut ex sententia Glossæ ordinariæ Episcopum, Gregorii Nazianzeni auditorem, ac discipulum, qui propterea claruit sub Honorio Augusto anno Domini 400.: monet autèm, in iis libris haberi *genus quoddam dictionis insuetum, atque affectatius, & à communi dicendi consuetudine abhorrens.* Aliis placuit librorum auctorem indicare Hesychium Salonitanum in Dalmatia Episcopum, quinti sæculi Scriptorem; ad quem extant Augustini Hipponensis epistolæ directæ. Alii adscribunt Commentaria eadem Hesychio Patriarchæ Constantinopolitano, qui vixit circà annum 600., ad quem extat Epistola Gregorii Magni 40. lib. 9. Regesti. Alii deniquè, ut ceteros omittam innumeros, putaverunt, opus illud Græci auctoris fuisse, & græco idiomate scrip-

ıscriptum; deindè verò à latino Scriprore, qui interpretem egit, sententiaeum, formularumque centonibus adjctis depravatum. Auctor Glossæ ordinariæ identidèm libros illos laudavit; undè etiàm visus est Gratianus, aut quicumque Gratiano auctor extitit, derivavisse canones 34. & 35. de pœn. dist. 3., quorum propterea unusquisque facilè vim, atque auctoritatem intelliget. Quæ excerpta eo in loco fuerunt ex Origenis Commentariis, jam suo in loco tradita sunt. Nùnc superest, ut sententias describamus, quæ extant iñ vulgatis Hesychii Commentariis, & cum laudatis canonibus consonant. Ità scribit Hesychius ad illa verba Levitici cap. 10. *Inter hæc hircum, qui oblatus fuerat pro peccato &c. Quia omne peccatum per pœnitentiam deletur, & quia hi, qui prædictum peccatum alterius doctrinâ, & blasphæmiâ commiserunt, salvati non sunt, causam legislator hujus, quæ eis sine misericordia venit, mortis exponit. Hinc introducit Moyses hircum pro peccato, pœnitentiæ videlicèt oblationem; quia quærens exquisivit, sicut septuaginta edunt, quod est valdè quæsivit. Iratusque ait his, qui relicti erant, filiis Aaron, quòd non comederint hoc, quod pro peccato erat in loco sancto, id est, pro eo, quòd, pœnitentiam in Ecclesiam commissi peccati peragi, ut Sacerdotes non fecerint: ipsis enim comedere, quæ pro peccato sunt, & orare orationem, quæ est pro pœnitentia congregationis, & acquirere, præceptum est. Quare? quia Christus eos in proprium locum Ecclesiis constituit. Ipse autèm suæ oblationis sanguinem, quæ pro nostro sanguine oblata est in sanctum, intùs, videlicèt in cœlestem habitationem, in conspectu Patris sui obtulit. Et in loco sancto, dicimus autèm Ecclesiam, comedi hoc sacrificium ad remissionem, & propitiationem peccatorum præcepit. Propter quod ait Moyses: quemadmodùm præceptum est mihi, id est, quemadmodùm præcepi, & mandavi; Christi enim gerere personam etiàm Moysem diximus. Inquirit autèm non ignorans, nàm quomodò in præcedentibus causam addidit; cum dixisset enim hircum pro peccato quærens exquisivit Moyses, illicò subdidit: & hic incensus erat: sive exustum reperit; ostendens, ut quia alterius doctrinæ peccatum blasphæmia est in S. Spiritum, propter quod Stephanus doctores Judæorum, ut prævaricantes legem, & inobedientes, sed duræ cervicis, & duri cordis appellat, ut autem malè interpretantibus legem, & Prophetas dicebat: vos semper sancto Spiritui resistitis, necessariè eis ab intelligibili igne, videlicèt Spiritus, pro pœnitentia oblatio oblata est, & propterea pro peccato hircus exustus dicitur. Quia scientes, & voluntariè peccantes, etsi se dicunt pœnitere, non pœnitent purè, blasphæmiâ enim cor eorum cæcatum est. Propter quod & Paulus dicebat: voluntariè enim peccantibus nobis pòst susceptam cognitionem veritatis, jam non pro peccato relinquitur hostia. Dominus autèm dicit: Omne peccatum dimittitur hominibus, blaphæmia autèm contra spiritum non remittetur. Hoc Petrus ipso opere ostendit, quia enim Ananias, & Saphira Spiritui sancto mentiti sunt, ait ad eos: quare cæcavit Satanas cor vestrum mentiri Spiritui sancto? Non estis mentiti hominibus, sed Deo. Tempus enim pœnitentiæ eis non dedit, sciens, quia cor cæcatum in transgressione, & blasphæmia spiritus habentes, pœnitere non paterentur. Mox enim eos pœnali condemnavit morte. Ea ergò, quæ sequuntur, magis adstruere & explanare ea, quæ nùnc dicta sunt, possunt.* Quæ omnia si conferantur cum laudatis Gratiani canonibus, facilè liquebit, ibidèm paucis perstrictam fuisse Hesychii sententiam, ac præsertim in can. 34. auctorem canonis voluisse aliis formulis exhibere, quæ sive apùd Origenem, sive apùd Hesychium legerat.

Ca-

CAPUT XXVII.

De Isidoro Hispalensi.

Monumenta Isidori, Hispalensis Episcopi, multa extant apùd Gratianum.

Ex lib. de distantia veteris, & novi Testamenti.
- *Can. 5. dist. 34. ad plures Isidori sententias exigendus.*

Ex Commentariis in Exodum.
- *Can. 15. caus. 32. quæst. 5. consonat cum editis Isidori codicibus.*

Ex Lib. de Ecclesiasticis officiis.
- *Can. 3. dist. 23. ad integros Isidori codices exigendus.*
- *Can. 20. dist. 63. perperàm Isidoro adscriptus.*
- *Can. 10. dist. 76. consonat cum integris Isidori codicibus.*
- *Can. 7. caus. 30. quæst. 5. ex integris Isidori codicibus supplendus.*
- *Can. 19. de cons. dist. 4. ex integris Isidori codicibus emendandus.*
- *Can. 74. de cons. dist. 4. consonat cum integris Isidori codicibus.*
- *Can. 13. dist. 93. jure Gelasio tributus in epist. ad Episcopos Lucaniæ.*

De epist. ad Ludifredum.
- *Can. 1. dist. 25. dubiæ fidei, & auctoritatis.*

Ex Regula Monachorum.
- *Can. 18. caus. 11. quæst. 3. ad sententias Isidori, & Concilii Moguntini exigendus.*

Ex Lib. Sententiarum, seu De summo bono.
- *Can. 3. dist. 6. ferè consonat cum integris Isidori codicibus.*
- *Can. 2. dist. 9. paulò varius in diversis codicibus.*
- *Can. 15. dist. 37. ad integram Isidori sententiam exigendus.*
- *Can. 10. dist. 45. consonat cum integris Isidori codicibus.*
- *Can. 9. dist. 81. ferè consonat cum Isidori codicibus.*
- *Can. 72. caus. 11. quæst. 3. consonat cum Isidori codicibus.*
- *Can. 13. caus. 22. quæst. 1. consonat cum Isidori codicibus.*
- *Can. 13. caus. 22. quæst. 4. ferè consonat cum Isidori codicibus.*
- *Can. 9. caus. 22. quæst. 5. jungendus cum can. 13. caus. 22. quæst. 4.*
- *Can. 20. caus. 23. quæst. 5. ex integris Isidori codicibus emendandus.*
- *Can. 15. caus. 32. quæst. 7. partim ex integris Isidori codicibus supplendus, partim ad Origenis Commentaria referendus.*
- *Can. 9. de pœn. dist. 3. meliùs Isidoro, quàm Smaragdo tribuendus.*
- *Can. 11. de pœn. dist. 3. ex integris Isidori codicibus emendandus.*
- *Can. 24. de cons. dist. 2.* } *simùl jungendi, & ex integris*
- *Can. 115. de cons. dist. 4.* } *codicibus supplendi.*

Ex Libris Etymologiarum. Ex Lib. 5.
- *Can. 1. dist. 1.*
- *Can. 2. dist. 1.*
- *Can. 3. dist. 1.*
- *Can. 4. dist. 1.*
- *Can. 5. dist. 1.*
- *Can. 6. dist. 1.*
- *Can. 7. dist. 1.*
- *Can. 8. dist. 1.*

} *simùl jungendi, atque ex integris Isidori codicibus emendandi.*

Can. 9. *dist.* 1.
Can. 10. *dist.* 1.
Can. 11. *dist.* 1.
Can. 12. *dist.* 1.
Can. 1. *dist.* 2.
Can. 2. *dist.* 2.
Can. 3. *dist.* 2.
Can. 4. *dist.* 2.
Can. 5. *dis.* 2.
Can. 6. *dist.* 2.
Can. 7. *dist.* 2.
Can. 8. *dist.* 2.
Can. 3. *dist.* 3.
Can. 4. *dist.* 3.
Can. 1. *dist.* 4.
Can. 2. *dist.* 4.
Can. 1. *dist.* 7.
Can. 2. *dist.* 7.

simùl jungendi, atque ex integris Isidori codicibus emendandi.

Can. 48. *caus.* 27. *quæst.* 2.
Can. 1. *caus.* 36. *quæst.* 1.

Idem exhibent Isidori monumentum, ad integros sancti Viri codices exigendum.

Ex Lib. 6.

Can. 1. *dist.* 3.
Can. 2. *dis.* 3.
Can. 1. *dist.* 15.

simùl jungendi, & ex integris Isidori codicibus emendandi.

Ex Lib. 7 — *Can.* 1. *dist.* 21. *ex integris Isidori codicibus emendandus.*

Ex Lib. 8.

Can. 39. *caus.* 24. *quæst.* 3. *ex integris Isidori codicibus emendandus.*
Can. 1. *caus.* 26. *quæst.* 1. *consonat cum integris Isidori codicibus.*

Ex Lib. 9.

Can. 6. *caus.* 27. *quæst.* 2. *consonat cum integris Isidori codicibus.*
Can. 15. *caus.* 32. *quæst.* 4. *ex integris Isidori codicibus emendandus.*
Can. 1. *caus.* 35. *quæst.* 4. *potiùs ad Augustini sententias exigendus.*

Ex Lib. 18. — *Can.* 1. *caus.* 23. *quæst.* 2. *ex integris Isidori codicibus supplendus.*

Ex Libris Synonimorum.

Can. 2. *dist.* 11.
Can. 16. *caus.* 22. *quæst.* 2.
Can. 5. *caus.* 22. *quæst.* 4.
Can. 8. *caus.* 32. *quæst.* 5.
Can. 12. *de pœn. dist.* 3.

dubiæ auctoritatis, & fidei.

Ex epist. de Massanum Episcopum.

Can. 28. *dist.* 50.
Can. 11. *caus.* 33. *quæst.* 2.

apocryphi, & simùl jungendi.

Adjiciuntur.

Can. 1. *dist.* 16. *referendus ad Isidori Hispalensis præfationem in canones Conciliorum.*
Can. 4. *vers.* Isidorus *dist.* 16. *referendus ad præfationem Isidori Mercatoris.*
Can. 1. *dist.* 29. *referendus ad varias sententias, Isidoro tributas.*
Can. 8. *dist.* 40. *perperàm Isidoro tributus.*
Can. 59. *caus.* 1. *quæst.* 1. *ad sententias Isidori exigendus.*
Can. 60. *caus.* 1. *quæst.* 1. *pertinet ad Capitularia Francorum.*
Can. 84. *caus.* 1. *quæst.* 1. *compositus ex variis Hieronymi, Gregorii,*

gorii, & Isidorii sententiis.

Can. 100. *caus.* 11. *quæst.* 3. *ad varias Isidori sententias exigendus.*

Can. 101. *caus.* 11. *quæst.* 3. *referendus ad varias sententias, Isidoro tributas.*

Can. 3. *caus.* 20. *quæst.* 1. } *simùl jungendi.*
Can. 4. *caus.* 20. *quæst.* 1. }

Can. 19. *caus.* 22. *quæst.* 4. *est potiùs Basilii.*

Can. 18. *caus.* 33. *quæst.* 2. *exigendus ad fusiores Isidori sententias.*

Can. 14. *caus.* 35. *quæst.* 2. *pertinet ad Concilium Vormaciense.*

Can. 1. *caus.* 35. *quæst.* 5. } *exigendi ad cap.* 5. *& sequentia*
Can. 6. *caus.* 35. *quæst.* 5. } *libri* 9. *Etymologiarum.*

Can. 23. *de cons. dist.* 4. *referendus ad can* 59. *caus.* 1. *q.* 1.

POst Isidorum Cordubensem, qui & senior dicitur, maximâ cum doctrinæ ac sanctitatis famâ apùd Hispanos celebratum, floruit penès eosdem sub finem sexti, & initium septimi sæculi Isidorus alter, junior proindè appellatus, Hispalensis Episcopus, nimirùm ab anno 595. ad annum 636., cujus præclara laus extat in cap. 2. Concilii Toletani 8. anni 653. his verbis: *Nostri quoquè sæculi Doctor egregius, Ecclesiæ Catholicæ novissimum decus, præcedentibus ætate postremus, doctrinæ comparatione non infimus, &, quod majus, in sæculorum fine doctissimus cum reverentia nominandus, Isidorus.* Multa & illustria sancti Viri opera recensuit Idelphonsus Toletanus Archiepiscopus, qui præfuit ab anno 658. ad annum 667., in libro de Viris illustribus cap. 9. ità scribens: *Isidorus pòst Leandrum fratrem Hispalensis Sedis Provinciæ Bæticæ Cathedram tenuit, vir decore simùl & ingenio pollens: Nàm tantæ jucunditatis affluentem copiam in eloquendo promeruit, ut ubertas admiranda dicendi ex eo in stuporem verteret audientes, ex quo audita bis qui audisset, non nisi repetita sæpiùs commendaret. Scripsit opera, & eximia, & non parva; id est, librum de genere officiorum, librum Proæmiorum, librum de ortu, & obitu Patrum, librum Lamentationis, quem ipse Synonimorum vocavit, libellos duos ad Florentinam sororem contra nequitiam Judæorum, librum de Natura rerum ad Sisebutum Principem, librum Differentiarum, librum Sententiarum. Collegit etiàm de diversis auctoribus, quod ipse cognominat secretorum expositiones Sacramentorum; quibus in unum congestis idem liber dicitur Quæstionum. Scripsit quoquè in ultimo ad petitionem Braulionis Cæsaraugustani Episcopi librum Etymologiarum, quem cum multis annis conaretur perficere, in ejus opere diem extremum visus est conclusisse. Floruit temporibus Reccaredi, Livvanis, Vviterici, Gundemari, Sisebuti, & Sisenandi Regum annis fere* 40. *tenens Pontificatus honorem, insignemque doctrinæ sanctæ gloriam, & decorem.* Utinàm verò tanti Viri opera integra ad nos usquè pervenissent! Nimirùm lugendum est, quemdam Theodiscum, qui in Episcopali sede Isidoro successit, decessoris sui opera corrupisse, resecando optima, inserendo improba; omniaque ità depravata per Avicennam Arabem de latino idiomate in Arabicum transtulisse. Ne quisquam miretur immane Theodisci flagitium: etenim fuit ille perditus vir, in Ecclesiasticis Conciliis damnatus, atque ab Episcopali sede depositus, tanquàm hæreticus, qui Christum hominem esse dicebat, non Deum, Dei autèm filium vocandum non nisi per quamdam adoptionem. Neque damnatus ab hæresi recessit, sed potiùs defecit omninò apùd Maomethem, cujus sectæ

adscriptus plura docuit detestabilia ac nefanda, sub Heraclio Imperatore. Nemo exindè non colligit, quantâ solertiâ opus sit in meditatione Isidorianorum librorum, in quibus sanè si quid offendiculi esse potest, id non Isidoro tribuendum erit, sed aut Theodisco, aut Avicennæ.

De libro de distantia veteris, & novi Testamenti.

Can. 5. dist. 34. Nullus extat inter opera Isidori liber sub ea inscriptione *de distantia veteris, & novi testamenti*, & qualis apùd Gratianum laudatur in can. 5. dist. 34. Ivo Carnotensis, eadem verba descripturus, in parte 8. decreti, cap. 66. hunc titulum edidit: *Isidorus de consonantia veteris, & novi testamenti cap.* 3. Hujus inscriptionis auctores sunt ipsi canonum Collectores, qui nimirùm certas Isidori sententias explicaturi, quas sanctus Antistes, vetus cum novo testamento conferens, protulerat, memoraverunt Isidorum *de distantia, vel consonantia* utriusque testamenti disserentem. Ceterùm neque ipsum aut Ivonis, aut Gratiani capitulum apùd Hispalensem Doctorem habetur: tantùm quædam adparent, quæ plurimùm cum eo capitulo consonant. In primis in lib. 2. de differentiis spiritualibus num. 28. ità legitur: *Inter legem & Evangelium hoc interest, quòd in lege litera, in Evangelio gratia.. ..illa conjugiorum indultum habens, crescere, & generare præcipit, ista continentiam suasit.* Prætereà in lib. 2. de officiis Ecclesiasticis cap. 19. multa de conjugiis traduntur, inter quæ ista sunt cum Gratianeo canone admodùm consonantia: *Quod autèm non unus & multæ, sed unus & una copulantur, ipsa prima divinitùs facta conjunctio in exemplum est. Nàm, cum Dominus hominem figurasset, eique parem necessariam prospexisset, unam de costis ejus mutuatus, unam illi feminam finxit, sicque Adam, & mulier Eva inter se nuptiis juncti formam hominibus de originis auctoritate, & prima Dei voluntate, sanxerunt. Itèm secundum spirituales nuptias, sicut unus Christus, & una Ecclesia; ita & unus vir, & una uxor tàm secundum generis documentum, quàm secundum Christi Sacramentum. Numerus autèm matrimonii à maledicto viro cœpit Lamech, qui duabus maritatus tres in unam carnem effecit. Sed dicit aliquis, quòd & Patriarchæ simùl pluribus uxoribus usi sunt: ergò propterea licebit nobis plures ducere, sive habere. Sanè licebit: sed si adhùc typi alicujus futuri Sacramenti supersunt, quibus plures nuptiæ figurentur. Secundas autèm nuptias propter incontinentiam jubet Apostolus; melius est enim denuò uni viro nubere, quàm explendæ libidinis causâ cum pluribus fornicari; sæpiùs enim nubendi licentia jam non est religionis, sed criminis. Nàm quòd in ipsa conjunctione connubii à Sacerdote benedicuntur, hoc est à Deo in ipsa prima conjunctione hominis factum. Sic enim scriptum est: Fecit Deus hominem ad imaginem suam, masculum & fœminam fecit eos, & benedixit eos dicens: Crescite, & multiplicamini: Hac ergò similitudine fit nunc in Ecclesia, quod tunc factum est in Paradiso.* Deniquè in lib. 1. Sententiarum cap. 20., cui titulus est, *de differentia testamentorum* hæc habentur: *Quidam ideò non recipiunt vetus testamentum pro eo, quod aliud in tempore prisco, aliud agatur in novo: non intelligentes, quòd Deus, quid cuique congruerit tempori, magnâ quadam distributione concesserit; sicut in lege imperat nuptias, in Evangelio virginitatem commendat... Illic enim fornicatio, & retributio injuriæ permissa sunt, nec nocebant; in testamento autèm novo gravi animadversione damnantur, si admittantur.* Ex quibus facilè conjicitur, eos, qui primùm Gratianeum canonem elucubrarunt, paucis voluisse perstringere, nonnullis adjectis, pluribus detractis, quæ sparsim apùd Isidorum habentur.

De Commentariis in Exodum.

In nonnullos veteris testamenti libros Com-

Can. 15. caus. 32. q. 5. Commentaria edidit Isidorus, breviore stylo usus, ut quæ multis sacer auctor explicavit, paucis legentibus objiceret ipse ad levandum desidiorum fastidium. Professus est sanctus Antistes in sua præfatione, se secutum eo in opere fuisse antiquiores Patres, Origenem, Victorinum, Ambrosium, Hieronymum, Cassianum, Augustinum, Fulgentium, & Magnum Gregorium. In Commentario in Exodum cap. 29. expendens Isidorus præcepta Decalogi ait: *Quintum: non mœchaberis: id est, ne quisquam præter matrimonii fœdus aliis fœminis misceatur ad explendam libidinem. Nàm specialiter adulterium facit, qui præter suam ad alteram accedit.* Hæc verba exhibentur in can 15. caus. 32. quæst. 5.: observandum autèm ibidèm occurrit, præceptum illud quinto loco ab Isidoro recenseri; & sexto loco præceptum aliud *non occides*, non servato præceptorum ordine, qualis habetur in capit. 20. Exodi.

De libris de Ecclesiasticis Officiis.

Primus ex recentioribus edidit Joannes Cochlœus duos libellos de Ecclesiasticis Officiis sub nomine Isidori, quos scripsit se reperisse in codice vetusto inter libros Amalarii, olim Treverensis Archiepiscopi sub Carolo Magno. Missi ii fuerunt ab Isidoro ad Fulgentium Episcopum, hac brevi præpositâ epistolâ, ex qua, quis fuerit operis & scopus & ratio, colligitur: *Domino meo, & Dei servo Fulgentio Episcopo Isidorus Episcopus. Quæris à me originem officiorum, quorum magisterio in Ecclesiis erudimur, ut, quibus sint inventa auctoribus, brevibus cognoscas indiciis. Itaquè, ut voluisti, libellum de genere officiorum ordinatum misi, ex scriptis vetustissimorum auctorum, ut locus obtulit, commentatum. In quo pleraque meo stylo elicui: nonnulla verò ita, ut apùd ipsos erant, admiscui, quò faciliùs lectio de singulis fidei auctoritatem teneret. Siqua tamen ex his displicuerint, erroribus meis paratior venia erit, quia non sunt referenda ad culpæ meæ titulum, de quibus testificatio adhibetur auctorum.* Prior liber varias res Ecclesiasticas exhibet, nimirùm templorum, psalmodiæ, sacrarum lectionum, orationum, solemnitatum, atque jejuniorum varias institutiones. Posterior in distinguendis Clericorum gradibus, itèm Monachorum, & Laicorum generibus, versatur. Non defuerunt, qui de horum librorum veritate dubitaverint; verùm argumenta, quibus probabilis dubitatio fiat, meo judicio aut desiderantur, aut parùm valida proponuntur.

In cap. 1. lib. 2. exorditur Isidorus ab interpretando Clericorum nomine; quos ideò appellatos scribit, quia vocati sunt in sortem Domini: quemadmodùm & idem sanctus Vir alibi tradidit, nimirùm in libris Etymologiarum, undè depromptus est canon 1. dist. 21. Pòst hæc in cap. 2. progreditur ad expendendas Clericorum regulas, ità scribens: *His igitur lege Patrum cavetur, ut à vulgari vita seclusi à mundi voluptatibus se se abstineant, nec spectaculis, nec pompis intersint, convivia publica fugiant, privata, non tantùm pudica, sed & sobria colant. Usuris nequaquàm incumbant, neque turpium occupationes lucrorum, fraudisque cujusquam studium appetant, amorem pecuniæ quasi materiam cunctorum fugiant, sæcularia officia, negotiaque abjiciant, honorum gradus per ambitiones non subeant: Pro beneficiis medicinæ Dei munera non accipiant: dolos, & conjurationes caveant. odium, æmulationem, obtrectationem, atque invidiam fugiant. Non vagis oculis, non infræni linguâ, aut petulanti, tumidoque gressu incedant, sed pudorem, ac verecundiam mentis simplici habitu, incessuque ostendant. Obscenitatem etiàm verborum, sicum operum, penitùs execrentur. Viduarum, ac virginum visitationes frequentissimas fugiant, contubernia extranearum fœminarum nullatenùs appetant, castimoniam quoquè inviolati corporis perpetuò conservare studeant, aut certè unius matrimonii vin-*

Can. 3. dist. 23.

vinculo fœderentur : Senioribus quoquè debitam obedientiam præbeant, neque ullo jactantiæ studio semetipsos attollant. Postremò in doctrina, in lectionibus, Psalmis, Hymnis, Canticis, exercitio jugi incumbant. Tales enim esse debent, qui divinis cultibus se mancipando student : scilicèt, ut dum scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populo administrent. Integra Isidori verba descripsi, ad quæ exigatur canon 3. dist. 23.

Can. 20. dist. 63. Quasi ad libros de Officiis Isidorianos referendus esset, laudatus fuit canon 20. dist. 63. Verùm ne similis quidèm sententia ibidèm reperitur, quâ Archidiaconorum eximia potestas in eligendis Parochiarum Rectoribus, iisdemque Parochialibus vacantibus Ecclesiis administrandis, expendatur. Potiùs nonnulla quædam leguntur, quæ videntur eidem canoni 20. adversari. Ait Isidorus in lib. 2. cap. 6. *Corepiscopi, id est, Vicarii Episcoporum, juxtà quod canones ipsi testantur, instituti sunt ad exemplum septuaginta Seniorum, tanquàm sacerdotes propter sollicitudinem pauperum. Hi in vicis & villis instituti gubernant sibi commissas Ecclesias, habentes licentiam constituere Lectores, Subdiaconos, Exorcistas : Presbyteros autèm, & Diaconos ordinare non audeant præter conscientiam Episcopi, in cujus regione præesse noscuntur; hi enim à solo Episcopo civitatis, cui adjacent, ordinantur.* Quorsùm hæc inferiorum Prælatorum coercita jurisdictio ex sententia Isidori, in ordinandis præsertim sacerdotibus, hac potestate solis Episcopis reservatâ, si Isidorus idem ad munus Archidiaconorum electionem Parochorum retulisset? Fateor, erant Archidiaconi Episcoporum Vicarii : sed & idem Isidorus tradidit vicariam operam Episcopo Corepiscopos præstitisse; cur, quod uni Vicario concessit, Vicariis ceteris denegavit? Quæ observatio eò mihi solidior videtur, quò clariùs constat ex veterum monumentis, Archidiaconos in temporalibus, Corepiscopos in spiritualibus Ecclesiarum negotiis Episcoporum diligentiam adjuvisse. Fateor prætereà, Archidiaconos sæculo Ecclesiæ septimo, & sequentibus, maximam exercuisse in Parochiis potestatem. Verùm id ex facto eorumdem Archidiaconorum proficiscebatur, mandatæ jurisdictionis excedentium fines : Hinc in Concilio Cabilonensi, undè depromptus est canon 3. dist. 94., operæ pretium fuit illorum circumscribere auctoritatem, & Hincmarus Rhemensis in suis capitulis, quæ dedit Archidiaconis cap. 5. §. 7., monuit illos, ne circumeuntes Parochias, eas confunderent, unam ab altera dividerent, aut unam alteri subjicerent. Generalis autèm, & Sanctorum Virorum testimonio tanta non fuit confirmata potestas; quod verum esset, si reverà fingeremus Isidorum canonis illius 20. auctorem. In conspectu hujus observationis suspicari juvat, editorem canonis voluisse sequi in monumento elucubrando ea, quæ traduntur sub Isidori nomine in can. 1. dist. 25., ubi nonnulla exhibentur, quæ spectant potestatem Archidiaconorum in negotiis Parochialium Ecclesiarum. Quid de eo canone dicendum sit, inferiùs explicabitur.

In libro 1. cap. 42. leguntur verba canonis 10. dist. 76., ubi agitur de variis jejuniorum Ecclesiasticorum temporibus. Can. 10. dist. 76.

Quæ habentur in can. 7. caus. 30. quæst. 5. leguntur in cap. 19. libri 2., ubi totus est Isidorus, ut demonstraret, unam tantùm conjugem marito esse jungendam. Pluribus id ostendit sanctus Vir, quemadmodùm liquet ex iis, quæ paulò anteà animadverti ad canonem 5. dist. 34., pòst quæ ità prosequitur : *Quòd verò eadem fœminæ, dum maritantur, velantur, scilicet ut noverint, se per hæc viris suis esse subjectas, & humiles; undè & ipsum velamen vulgò Mavortem vocant, id est, Martem, quia signum maritalis dignitatis, ac potestatis est in eo. Caput enim mulieris vir est : licèt pro-* Can. 7. caus. 30. q. 5.

proindè velentur, dum nubunt, ut verecundiam mulieris agnoscant, quia jam sequitur inde, quod pudeat. Undè Rebecca, cum ad sponsum duceretur, simùl ut eum conspexit, salutationem vel oscula sustinuit, sed tamen statim sentiens, quid esset futura, pallio caput velavit. Obnubere enim velare dicitur, hinc etiàm & nuptæ dictæ, quòd vultus suos velent. Undè & nubes dictæ, eo quòd terram, aut æthera obtegant. Quòd autèm nubentes pòst benedictionem vitæ invicèm vinculo copulantur, videlicèt ne compagem conjugalis unitatis dissipent. At verò, quòd eadem vitta candido, purpureoque colore permiscetur, candor ad munditiam vitæ, purpura ad sanguinis posteritatem adhibetur, ut hoc signo continentiæ lex tenenda ab utrisque ad tempus admoneatur, & post hæc ad reddendum debitum non negetur. Quod enim dicit Apostolus conjugatis: abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi, hoc ille candor vittæ insinuat; quod verò subjungit: & iterùm revertimini in idipsum, hoc purpureus color ille demonstrat. Illud verò, quod in primis annulus à sponso sponsæ datur, fit hoc nimirùm, vel propter mutuæ fidei signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur. Undè & quarto digito annulus idem inseritur, quòd per eum vena quedam (ut fertur) sanguinis ad cor usquè perveniat. Antiquitùs autem non amplius uno dabatur, ne pluralitas amorem unum carperet.

Can. 19. & 74. de cons. dist. 4. & can. 13. dist. 13.

Sive canon 19., sive canon 74. de cons. dist. 4. habentur in cap. 24. libri 2., ubi agitur de Baptismo, iisque, qui vel suscipiunt, vel ministrant illud Sacramentum. Ubi de baptizandis parvulis sermo est, exhibentur verba canonis 74., quæ omninò consonant cum integris Isidori codicibus. At verba canonis 19., in quibus disseritur de ministro Sacramenti, erunt emendanda. Demonstrabat Sanctus Antistes, Sacerdotibus solis Baptismatis ministerium fuisse à Christo commendatum, quòd Apostolis, quibus Sacerdotes successerunt, dixerit Christus: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes &c.*, quemadmodùm & Sacramentum Pœnitentiæ solis Sacerdotibus reservatur administrandum, quòd Apostolis data divinitùs potestas fuerit remittendi peccata; pòst quæ ita concludit: *Undè constat, Baptismum solis Sacerdotibus esse traditum, cujusque mysterium nec ipsis Diaconibus explere est licitum absque Episcopis, vel Presbyteris, nisi illis procùl absentibus ultima languoris cogat necessitas, quod & laicis fidelibus plerumquè permittitur, ne quisquam sine remedio salutari de sæculo evocetur.* Subjicit Gratianus nonnulla Gelasii nomine, quæ sanè eadem sunt cum verbis canonis 13. dist. 93., quæ, quoniàm suo loco à me prætermissa fuerunt, heic describam. Habentur in epistola Gelasii I. ad Episcopos Lucaniæ cap. 7. & 8. ibi: *Diaconos quoquè propriam constituimus servare mensuram, nec ultrà tenorem, paternis canonibus deputatum, quippiam tentare permittimus, nihil eorum penitùs suo ministerio applicare, quæ primis ordinibus propriè decrevit antiquitas. Absque Episcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, nisi, prædictis fortassè officiis longiùs constitutis, necessitas extrema compellat. Quod & laicis Christianis facere plerumquè conceditur. Non in presbyterio residere, cum divina celebrantur, vel Ecclesiasticus habetur quicumque tractatus. Sacri corporis prærogationem sub conspectu Pontificis, seu Presbyteri, nisi his absentibus, jus non habeant exercendi.*

De epistola ad Ludifredum

Pòst duos libros de Ecclesiasticis officiis in editione operum Isidori Breuliana subsequitur epistola ad Ludifredum Cordubensem Episcopum, quam ibidèm editor descripserat, ut ipse profitetur, qualem apùd Gratianum in can. 1. dist. 25., apùd Ivonem in parte 6. decreti cap. 20., atque etiam in MSS. codicibus invenerat; deindè pòst libros Sententiarum ejusdem epis-

Can. 1. dist. 25.

to-

tolæ anteà omissam postremam partem adjecit, quam nuperrimè, ut ipse ait, nactus fuerat. Aliqua sunt, quæ apùd Breulium discrimen habent; siquidèm ubi legit Gratianus in can. 1. dist. 25. *Quæ in sequentibus... ad psalmistam pertinet officium canendi, dicere benedictiones... quæ Prophetæ vaticinarunt.... manutergium tenere; Episcopoque, & Presbytero, Levitis.... disponere in altario.... primicerii, ac thesaurarii sollicitudine dividuntur.. epistolam, & Evangelium legat... & jurgia ad ejus pertinent curam... & ab ipso publicè in Ecclesia prædicatur* (verbum hoc *prædicatur* adpositum est à Romanis Correctoribus, cum olim legeretur *prædicantur*)... *suprà omnes Presbyteros... & officii meditandi, & peragendi sollicitè, lectiones, benedictiones, psalmum, laudes, offertorium, & responsoria quis Clericorum dicere debeat. Ordo quoquè, & modus psallendi in choro pro solemnitate temporum.... Ad Thesaurarium pertinet Basilicarum, & Ostiarii ordinatio &c.*, ità edendum voluit Breulius: *Quæ in consequentibus.... Ad psalmistam pertinet officium canendi, scilicet dicere benedictiones... Quæ Prophetæ vaticinarint... manutergium tenere Episcopo; Presbyteris, & Levitis.... disponere in altari.... Primicerii, ac Thesaurarii sollicitudine dividuntur.... Apostolum, & Evangelium legat.... & jurgia ad ejusdem pertinent curam... & ab ipso publicè in Ecclesia prædicantur.... super omnes Presbyteros... & officium cantandi, & peragendi sollicitè lectiones, psalmum, laudes, responsoria officiorum quis Clericorum dicere debeat. Ordo quoquè, & modus canendi in choro pro solemnitate, & tempore.... Ad Thesaurarium pertinet Ostiarii Basilicarum ordinatio &c.* Non erit inutile his adjicere postremam epistolæ partem, à Gratiano omissam, & à Breulio, uti prænotavimus, editam; etenim edita integra epistola clariùs patefaciet officiorum Ecclesiasticorum distributiones. Prosequitur auctor epistolæ pòst verba Gratiani. *Ad eum* (scilicèt Thesaurarium) *venient de Parochiis pro Chrismate. Cereos, & oblationes altaris ipse accipit à populo. Ipse colligit per Ecclesias cereos in festivitatibus. Ad eum pertinent ornamenta, & vestimenta altaris; & quicquid in usu templi est, sub ejus ordinatione existit. Vela, & ornamenta Basilicarum, quæ in urbe sunt, & non habent Presbyterum, ipse custodit. De candelis autèm, & cereolis quotidianis quidquid superest in Basilicis, Basilicarius per singulos menses huic deportat. Ex quibus Thesaurarius dat quartam Basilicario. Tres reliquas partes dividunt æqualiter sibi cum Primicerio, & Presbytero, qui Missam celebrat in eadem Basilica. Ad Œconomum pertinet separatio* (fortè legendum *reparatio*) *Basilicarum, atque constructio, actiones Ecclesiæ in judiciis, vel in proferendo, vel in respondendo, tributi quoquè acceptio, & rationes eorum, quæ inferuntur. Cura & agrorum, & culturæ vinearum, causæ possessionum, & servitialium stipendia Clericorum, viduarum, & devotarum pauperum: dispensatio vestimenti & victus domesticorum Clericorum, servitialium quoquè & artificum, quæ omnia cum jussu & arbitrio sui Episcopi ab eo implentur. Hæc sunt, quæ vel à majoribus per officiorum ordines distributa sunt, vel consuetudine Ecclesiarum in unumquemque servata, nec aliquid ex his nostri judicii deputes, nisi quod aut ratio docuit, aut vetustatis antiquitas sanxit. Patrem autèm monasterii, undè innotuistis, illum præferri oportet, quem sancta vita & probitas morum commendat, quique dum subjectus extitit, fraus in illo non fuit. Huic justè gratia cumulatur, dicente Domino: Quia in pauca fuisti fidelis, in multa te constituam. Qui verò adhuc sub regimine positus improbè vixit, & fratribus fraudem facere non pertimuit, hic prælatus licenter ac liberè majora, & deteniora committet, dum se in potestate, ac libertate aspexerit. De talibus enim dicit Apostolus: Sed vos injuriam facitis, & hoc fratribus. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Sed nobis sufficiat ista dicere tibi: quod Deo dignum existimas, adimple. Pòst hæc autèm precari*

tuam

tuam sanctitatem non desino, ut pro me intercessor apùd Dominum existas : ut quia meo vitio lapsus sum, per te remissionem consequar peccatorum. Sic ex Breuliano Codice descripta integra epistola, deliberandum est, an eadem jure optimo Isidoro Hispalensi tributa fuerit. Fuit quidèm, non ignoro, Ludifredus metropolitico jure Isidoro Hispalensi subjectus, qui anno jam 633. Cordubensem Episcopatum habuisse probatur, quod eodem anno subscripserit Concilio Toletano IV., nomine tamèn Leudefici apùd Labbeum, & anno 638. Concilio Toletano VI. nomine Laufredi apùd eumdem Labbeum. Sed quocumque nomine appelletur, vel Ludifredi, vel Leudefici, vel Laufredi, an interrogaverit Isidorum, ut singula Clericorum officia recenseret, plurimùm dubito. Sanè, ubi integra epistola consideretur, quæ rescripti instar obtinet, statim argumenta emergent, ex quibus conjiciatur, eam esse apocrypham, nisi quisquam dicat, libros de officiis Ecclesiasticis verè Isidori non esse. Certum est, Ludifredum eo tempore ad Cordubensem fuisse Episcopatum evectum, quo Isidorus jam senio confectus erat; vix enim duobus, aut tribus annis pòst adeptum Ludifredi Episcopatum Isidorus obiit, quemadmodùm colligitur ex collatione subscriptionum Episcopalium in Conciliis Hispanicis. Itaquè ea epistola ab Isidoro jam sene conscribi potuit, ac propterèa eo demùm tempore, quo jam editi fuerant libri duo de officiis Ecclesiasticis, superiùs memorati. Quis facilè dixerit, pòst integros officiorum editos libros, & quidèm ampliores, de eadem re interrogatum fuisse Isidorum à Ludifredo, quasi illi ad eruditionem Ludifredi non sufficerent? Quis facilè dixerit, respondentem Isidorum de iis officiorum libellis nullam fecisse mentionem, nec Ludifredum ad illorum lectionem in ea parte fuisse hortatum? Adde his, disparem fuisse hujus epistolæ methodum ab ea, quam servavit Isidorus in libro de officiis, ità ut in libris de officiis, in quibus ex proposito singulos Clericorum recensuit gradus, eos penitùs præterierit, quos in epistola recensuit; & è converso in epistola præterierit omnes gradus, quos recensuit in libris officiorum. Ut enim exempla tradam, multa de Corepiscopis traduntur in libris officiorum, multa de Clericis minoribus, tonsurâ initiatis. Ubinàm de istis occurrit sermo in epistola ad Ludifredum? In hac autèm epistola omnia ferè spectant potestatem Archipresbyterorum, Archidiaconorum, Primiceriorum, Basilicariorum, & similium personarum. Ubinàm de iis mentio fit in libris officiorum? Deniquè magna Codicum varietas, in quibus epistola diversâ ratione descripta adparet, fusior hic, illic contractior, suspicionem augere videtur. Romani Correctores ad Gratianeum canonem nonnulla jam de hac Codicum varietate adnotarunt; qui enim versiculi alicubi exhibentur, alibi desiderantur, alibi etiàm inverso ordine describuntur. Edidit aliud epistolæ exemplar Garzias Loaisa apùd Labbeum tom. 7. Venetæ editionis pag. 434., professus se illud accepisse *ex Codice MS. Bibliothecæ D. Laurentii (Philippi Regis Catholici admirabile opus) perantiquo, dicto Vigiliano.* Hujus exemplaris referam verba, quæ ad Gratianeum canonem, imò & editionem Breulianam, si videatur, emendandam facere plurimum possunt. Ibidèm ità legitur : *Perlectis sanctitatis tuæ literis gavisus sum, quòd optatam salutem tuam eorum relatu cognovi. De his autem, quæ in sequentibus insinuare eloquii tui sermo studuit, gratias ago Deo, quòd sollicitudinem officii pastoralis impendis, qua literque Ecclesiastica officia ordinentur, perquiris? Et licèt omnia prudentiæ tuæ sint cognita, tamèn quia affectu paterno me consulis, ex parte, qua valeo, expediam, & de omnibus Ecclesiæ gradibus, quid ad quemque pertineat, eloquar. Ad Ostiarium nam-*

namquè pertinent claves Ecclesiæ, ut claudat, & aperiat templum Dei, & omnia, quæ sunt intùs, extràque, custodiat, fideles recipiat, excommunicatos, & infideles projiciat. Ad Acolytum pertinet præparatio luminariorum in sacrario, ipse cereum portat, ipse suggesta pro Eucharistiæ calice præparat. Ad Exorcistam pertinet exorcismos memoriter retinere, manusque super energumenos & catechumenos in exorcizando imponere. Ad Psalmistam pertinet officium canendi, dicere benedictiones, laudes, sacrificium, responsoria, & quidquid pertinet ad canendi peritiam. Ad Lectorem pertinet lectiones pronunciare, & ea, quæ Prophetæ vaticinarunt, populis prædicare. Ad Subdiaconum pertinet, calicem & patenam ad altare Christi deferre, & Levitis tradere, eisque ministrare, urceolum quoquè, & aquam, manile, & manutergium tenere; Episcopoque, & Presbytero, & Levitis pro lavandis ante altare manibus aquam præbere. Ad Diaconum pertinet assistere Sacerdotibus, & ministrare in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Christi, in Baptismo scilicèt, in Chrismate; in patena, & calice oblationes inferre, & disponere in altario; componere etiàm mensam Domini, atque vestire, Crucem ferre, & prædicare Evangelium, & Apostolum. Nàm, sicut lectoribus vetus testamentum, ità Diaconis novum prædicare præceptum est. Ad ipsum quoquè pertinet officium precum, & recitatio nominum: ipse præmonet, aures haberi ad Deum: ipse hortatur orare: ipse clamat, & pacem ipse annuntiat. Ad Presbyterum pertinet Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini in altario Dei conficere, orationes dicere, & benedicere dona Dei. Ad Episcopum pertinet Basilicarum consecratio, unctio altaris, & confectio Chrismatis. Ipse prædicta officia, & ordines Ecclesiasticos constituit: ipse sacras virgines benedicit; & dum præcessit unusquisque in singulis, ipse tamèn est præordinator in cunctis. Hi sunt ordines, & ministeria Clericorum, quæ tamèn auctoritate Pontificali in Archidiaconi cura, & Primicerii, ac Thesaurarii sollicitudine dividuntur. Archidiaconus enim imperat Subdiaconis, & Levitis, ad quem ista ministeria pertinent: ordinatio vestiendi altaris à Levitis, cura incensi, & sacrificii deferendi ad altare, cura Subdiaconorum de subinferendis ad altare in sacrificio necessariis: Sollicitudo, quis Levitarum Apostolum, & Evangelium legat; quis preces dicat, seu responsorium in Dominicis diebus, aut solennitatum. Sollicitudo quoquè Parochitanorum, & ordinatio, & jurgia ad ejus pertinent curam; pro reparandis Diœcesanis Basilicis ipse suggerit Sacerdoti, ipse inquirit Parochias cum jussione Episcopi, & ornamenta, vel res Basilicarum Parochitanarum: gesta libertatum Ecclesiasticarum Episcopo idem defert: collectam pecuniam de communione ipse accipit, & Episcopo defert; & Clericis proprias partes idem distribuit. Ab Archidiacono nuntiantur Episcopo excessus Diaconorum: ipse denuntiat Sacerdoti in sacrario jejuniorum dies, atque solennitatum, & ab ipso publicè in Ecclesia prædicatur: quandò verò Archidiaconus absens est, vicem ejus Diaconus sequens adimplet. Ad Primicerium pertinent Acolyti, Exorcistæ, Psalmistæ, atque Lectores; signum quoquè dandum pro officio Clericorum, pro vitæ honestate, & officium meditandi, & peragendi sollicitudo, lectiones, benedictiones, psalmum, laudes, offertorium, & responsoria quis Clericorum dicere debeat. Ordo quoquè, & modus psallendi in choro pro solennitate, & tempore: Ordinatio quoquè pro luminaribus deportandis. Siquid etiàm necessarium est pro reparatione Basilicarum, quæ sunt in urbe, ipse denuntiat Sacerdoti: epistolas Episcopi pro diebus jejuniorum Parochitanis per ostiarios ipse dirigit: Clericos, quos delinquere cognoscit, iste distringit. Quos verò emendare non vult, eorum excessus ad agnitionem Episcopi defert. Basilicanos ipse constituit, & matriculas ipse disponit. Quandò autèm Primicerius absens est, ea, quæ prædicta sunt, ille exequitur, qui ei aut loco est proximus, aut eruditione in his expendendis intentus. Ad Thesaurarium pertinent Basili-

licarii, & Ostiarii, ordinatio incensi præparandi, cura Chrismæ conficiendæ, cura Baptisterii ordinandi, præparatio luminariorum in sacrario, præparatio sacrificii de his, quæ immolanda sunt &c. Quædam hinc sequuntur de officio Basilicariorum, & Æconomorum, quæ hèic non expendo, quòd ea epistolæ pars apùd Gratianum non exhibeatur. Interèà verò colligere juvat ex dictis, parùm valere posse laudatum Gratiani canonem ad disciplinam Clericorum stabiliendam, sive quia de epistolæ veritate non satis constat, sive quia magna est Codicum dissimilitudo.

De Regula Monachorum.

Can. 18. caus. 11. q. 3. Quam ad institutionem Monachorum edidit regulam Isidorus, viri Ecclesiastici, ipsi etiàm Monachi, maximi sempèr fecerunt. Habetur illa inter cetera sancti Antistitis opera, atque unà cum ceteris regulis prodiit cura Lucæ Holstenii eisdem ferè verbis, scilicèt aliqua quidèm cum varietate vocularum, quæ tamèn sententias non immutant. exindè depromptus est canon 18. caus. 11. quæst. 3., quem more suo Gratianus tanquàm generalis Ecclesiasticæ disciplinæ monumentum exhibuit, nonnullis prætereà adjectis, quæ aliundè exhausit. In capite 18. Isidorianæ regulæ ità legitur de Monacho, à communione ceterorum Monachorum excluso. *Cum excommunicato neque orare, neque loqui, cuilibet licebit. Cum excommunicato nulli penitùs vesci liceat, ne ipsi quidèm, qui alimenta victui præbet.* Addiderunt Collectores, Gratiano antiquiores, verba illa, *nisi quæ ad eamdem excommunicationem pertinent.* Prætereà Gratianus adjecit ea, quæ subsequuntur in vers. *Siquis enim*, & quæ ad Isidorum minimè pertinent. Errandi occasionem Gratiano præbuit Ivo, qui, descriptis Isidori verbis in parte 14. Decreti cap. 95., ità subdidit in cap. 96. *Undè suprà: Si quis frater aut palàm, aut absconsè cum excommunicato fuerit locutus, communem statim cum eo excommunicationis contrahet pœnam.* Verba illa *unde suprà* ità ille intellexit, ut putaret, subjectum fragmentum ad eumdem Isidorum, præcedentis capitis auctorem, referri, quod tamèn falsum est; nàm potiùs erat referendum ad auctorem capitis 93. & 94., nimirùm ad Concilium Moguntinum anni 888., in quo canon legitur adversùs raptores, ità conceptus: *Siquis autèm pòst hanc sententiam, à nobis prolatam, sciens cum eis communicaverit, uno eodemque macrone cum ipsis sciat se à nobis esse percussum.* Hanc Moguntinorum Patrum sententiam aliis verbis Ivo descripserat in laudato cap. 96., atque ità descriptam in suum codicem Collector noster transduxit. Itaquè, quicumque velit Gratianeum canonem rectè interpretari, primò intelliget, apùd Monachos cautum fuisse, ut ob certa crimina Monachi à ceterorum consortio separarentur; deindè intelliget, eos, qui raptoribus communicavissent, ex definitione Moguntinorum Patrum simili pœnâ fuisse damnandos. Hanc ipsam definitionem sub nomine octavæ Synodi legimus in canone 28. eadem causâ, & quæstione; quamquàm in nullo Concilio, quod octavum dicitur, reperiatur. Sunt hæc emblemata Gratiani, qui, corruptis usus codicibus, non semèl sub nomine octavæ Synodi laudavit ea, quæ Isidori esse putabantur, uti animadvertendum mihi fuit in prima parte cap. 56. principio, & in hac ipsa parte 3. cap. 9.

De libris Sententiarum, seu de Summo Bono.

Libri Isidori, qui Sententiarum dicuntur, appellantur etiàm de Summo Bono, quia prima operis verba hæc sunt: *Summum Bonum Deus est &c.* Tribus libellis distributum illud est, pulcherrimum sanè, & ad benè dirigendos humanos affectus rectè accommodatum. Ex cap. 6. libri 3. in fine depromptus

Can. 3. dist. 6. est canon 3. dist. 6. ibi: *Non esse peccatum, quandò nolentes imaginibus nocturnis illudimur; sed tunc esse peccatum, si antequàm illudamur, cogitationum affectibus præveniamur. Luxuriæ quippè imagines &c.* Reliqua cum Gratianeo canone consonant.

Can. 2. dist. 9. In eodem libro 3. cap. 51. legitur canon 2. dist. 9., ubi nonnulli Isidori Codices pro illis verbis *nec in se convenit posse damnare jura*, habent: *nec in se convenit frustrari jura*; in editione autèm Breuliana: *neque in se posse damnare jura.*

Can. 15. dist. 37. Itèm in lib. 3. cap. 13. habentur verba canonis 15. dist. 37., ubi priora verba ità legenda sunt ex Breuliana editione *Ideò prohibetur Christianis &c.* Querebatur ibidèm Isidorus de iis, qui Poetarum fabulis delectabantur duplici de causa; primò, quia in iis obscœna quædam menti objicerentur, & legentes indè ad libidinem excitarentur; secundò, quia Christiani quidam ità delicium suum constituebant in illis, ut divinarum literarum meditationem fastidirent. Ità enim pòst verba, à Gratiano relata, prosequitur Isidorus: *Quidam plùs meditari delectantur gentilium dicta propter tumentem, & ornatum sermonem, quàm Scripturam Sanctam propter eloquium humile. Sed quid prodest in mundanis doctrinis perficere, & inanescere in divinis? Caduca sequi figmenta, & cœlestia fastidire mysteria? Cavendi sunt igitur tales libri, & propter amorem Sanctarum Scripturarum vitandi.*

Can 10. dist. 45. Quæ leguntur in canone 10. dist. 45. integra habentur in lib. 3. cap. 52., ubi plurima de Judicum officiis sanctus Antistes tradebat.

Can. 9. dist. 81. Canon 9. dist. 81. legitur in fine capitis 10. lib. 2., ubi pro illis verbis, *quod sæpè ibi vel cogitavit, vel gessit*, edidit Breulius: *quod sempèr ibi vel cogitavit, vel gessit.*

Can. 72. caus. 11. q. 3. In libro 3. cap. 54. adversùs illos Judices orationem convertit Isidorus, qui muneribus corrumpi se à divitibus patiuntur, propterèaque pauperes opprimunt, ità scribens inter cetera: *Dives muneribus citò corrumpit judicem; pauper autèm, dum non habet, quod offerat &c.* Sunt hæc verba cum sequentibus relata in can. 72. caus. 11. quæst. 3.

Multa tradidit de jurejurando Isidorus in cap. 31. lib. 2. Siquidèm ibi ità præfatur: *Sicut mentiri non potest, qui non loquitur; sic pejerare non poterit, qui jurare non appetit. Cavenda est igitur juratio, nec eâ utendum, nisi in sola necessitate. Non est contra Dei præceptum jurare, sed dum usum jurandi facimus, perjurii crimen incurrimus.* Habentur hæc in can. 13. caus. 22. quæst. 1. Deindè pòst aliqua ità prosequitur: *Quacumque arte verborum quisque juret, Deus tamèn, qui conscientiæ testis est, ità hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit. Dupliciter autèm reus fit, qui & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit. Non est conservandum Sacramentum, quo malum incautè promittitur, veluti si quispiam adulteræ perpetuò cum ea permanendi fidem polliceatur. Tolerabilius est enim non implere Sacramentum, quàm permanere in stupri flagitio.* Descripsit hæc verba Gratianus in can. 13. caus. 22. quæst. 4. & in can. 9. caus. 22. quæst. 5.; quæ sanè si quis accuratè perpendat, statim intelliget, indè everti illorum opinionem, qui mentalibus, ut vocant, restrictionibus mendacia fovere non dubitant. Can. 13. caus. 22. q. 1. Can. 13. caus. 22. q. 4. & Can. 9. caus. 22. q. 5.

In libro 3. cap. 51. paulò pòst verba superiùs relata in can. 2. dist. 9. leguntur verba canonis 20. caus. 23. q. 5., ubi hæc, quæ sequuntur, pro Gratianeis erunt substituenda: *Principes sæculi....Ceterùm intra Ecclesiam...potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem...& ut venerationem mereatur, virtute potestatis impertiat &c.* Can. 10. caus. 23. q. 5.

Ad librum 2. cap. 39. referendus est canon 15. caus. 32. quæst. 7., ubi Isidorus indicabat, quandonàm homo peccati adhùc lubrico inquinetur, his verbis: *Si plùs oblectat mentem delectatio fornicationis, quàm amor castitatis, adhùc* Can. 15. caus. 32. q. 7.

in

in homine peccatum regnat. Certè si ampliùs delectat pulchritudo intimæ castitatis, jam non regnat peccatum, sed regnat justitia. Nàm non solùm de commissa fornicatione peccatum regnat in homine; sed si adhùc delectatur, atque animum teneat, procùl dubio regnat. Fornicatio carnis adulterium est: fornicatio animæ servitus idolorum est. Est autèm & spiritualis fornicatio, secundum quod Dominus ait: Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Omnis immunda pollutio fornicatio dicitur, quamvis quisque diversâ turpitudinis voluptate prostituatur. Ex delectatione enim fornicandi varia gignuntur flagitia, quibus regnum Dei clauditur, & homo à Deo separatur. Inter cetera septem vitia fornicatio maximi est sceleris, quia per carnis immunditiam templum Dei violat, &, tollens membra Christi, facit membra meretricis. Quæ sequuntur apùd Gratianum in vers. *Sunt autèm quædam*, non sunt Isidori, sed potiùs Origenis, ità scribentis in homilia 5. in Genesim ad cap. 19. & 20. *Nonnullæ verò mulieres, (neque enim universas pariter notamus), sed sunt quædam, quæ sicut animalia absquè ulla discretione indesinenter libidini serviunt, quas ego nec mutis pecoribus comparaverim. Pecora enim & ipsa sciunt, cum conceperint, ultrà non indulgere maribus copiam sui.*

Sub Smaragdi nomine exhibetur apùd Gratianum canon 9. de pœn. dist. 3. Sanè Smaragdus, qui initio noni sæculi apùd Monachos floruit, Commentaria scribens in regulam sancti Benedicti, multas veterum Patrum, ac præsertim Isidori Hispalensis sententias congessit. Quandò verò sententia illa canonis 9. integra apùd Isidorum reperitur, de recentiore Scriptore, quem Collectorem potiùs nominavero, minùs solliciti esse debemus. Ait Isidorus in lib. 2. cap. 13. *Ille pœnitentiam dignè agit, qui reatum suum satisfactione legitimâ plangit, condemnando scilicèt, ac deflendo, quæ gessit, tantò in deplorando profusiùs, quantò exstitit in peccando proclivius. Ille pœnitentiam dignè agit, qui sic præterita mala deplorat, ut futura iterùm non committat; nàm, qui plangit peccatum, & iterùm admittit peccatum, quasi siquis lavet laterem crudum, quem quantò magis eluerit, tantò ampliùs lutum fecit.* Plura ex Isidoro descripsi, quàm Gratianus ediderit, ut palàm explicarem duplicem pœnitentiæ partem juxta sententiam Isidori: priorem nimirùm, quæ præterita crimina respicit, posteriorem, quæ futuris prospiciat.

Can. 9. de pœn. dist. 3.

Ad caput 16. libri 2. exigendus est canon 11. de pœn. dist. 3., & his verbis describendus: *Irrisor est, non pœnitens, qui adhùc agit, quod pœnitet; nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus. Canis reversus ad vomitum, est pœnitens ad peccatum. Multi enim lacrymas indesinenter fundunt, & peccare non desinunt. Quosdam accipere lacrymas ad pœnitentiam, & effectum pœnitentiæ non habere constat, quia, inconstantiâ mentis, nùnc recordatione peccati lacrymas fundunt, nùnc verò revivíscente usu, ea, quæ fleverant, iterando committunt. Qui & præterita vult plangere, & actionibus sæcularibus incubare, iste mundationem non habet: quoniàm adhùc agit, quæ pœnitendo deflere possit. Isaias peccatoribus dicit: lavamini, mundi estote: lavatur itaquè, & mundus est, qui & præterita plangit, & flenda iterùm non admittit. Lavatur itaquè, & non est mundus, qui plangit, quæ gessit, nec deserit, & post lacrimas ea, quæ fleverat, repetit.*

Can. 11. de pœn. dist. 3.

Simùl jungendi sunt canon 24. de cons. dist. 2., & canon 115. de cons. dist. 4., uterque enim depromptus est ex cap. 22. libri 1., ubi Isidorus agebat de Baptismo, & Eucharistica communione, imò verba, quæ leguntur in fine canonis 115., eadem sunt cum iis, quæ descripta fuerant in canone 24. Referam heic integrum Isidori monumentum. Ait ipse: *Qui in maternis uteris sunt, ideò cum matre baptizari non possunt, quia qui natus adhùc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest. Neque*

Can. 24. de cons. dist. 2. & Can. 115. de cons. dist. 4.

que enim dici regeneratio in eo poterit, quem generatio non præcessit. Qui intrà Ecclesiam non ex dignitate Ecclesiæ vivunt, sed fidem, quam verbo tenent, operibus destruunt, de ipsis legitur: multiplicati sunt super numerum, ut subaudias, in regno prædestinatorum. Qui sceleratè vivunt in Ecclesia, & communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari, discant, nihil ad emundationem proficere sibi, dicente Propheta: quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Numquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas? Et Apostolus: Probet, inquit, se homo & sic de pane illo edat, & de calice bibat.

De libris Etymologiarum.

Omnigenæ eruditionis virum fuisse Isidorum vel soli Etymologiarum, qui & Originum dicuntur, libri viginti demonstrare facilè possunt; siquidèm in illis per omnes scientias adeò latè sanctus Vir expatiatus est, ut singularum materies, & res universas paucis perstrinxerit, præcipuè notans vocabulorum, quibus disciplinarum Cultores utuntur, significationes, & discrimina. Atque utinàm libros illos perfecisset Isidorus; tùm enim mirari vehementer deberemus magnam elegantiam cum eximia doctrina conjunctam. Noverat Braulio Cæsaraugustanus Episcopus, Isidorum eo genere laboris defatigari, quo rerum omnium, & vocabulorum origines ac vires investigaret; quamobrèm nihil impensiùs ab eo expostulavit, quàm ut libelli iidem quàm citissimè bono publico ederentur. Re nondùm omninò absolutâ, morem gessit sanctus Hispalensis Vir amico suo Braulioni, ad quem propterea libellos misit, ut ut adhùc informes, minimèque perfectos. Hos ut accepit Cæsaraugustanus Episcopus, in certum ordinem redegit, atque sub Isidori nomine evulgavit. Id testatur ipse Braulio in epistola ad Isidorum, ità scribens: *Septimum, nisi fallor, annum tempora girant, ex quo me memini libros à te conditos originum postulasse, & vario diversoque modo præsentem vos me frustratum esse, & absenti nihil indè vos rescripsisse, sed subtili dilatione modò necdùm esse perfectos, modò necdùm scriptos, modò meas literas interceptisse, aliaque multa opponentes, ad hanc usquè diem pervenimus, & sine petitionis effectu manemus. Ob hoc & ego vertam preces in querelam, ut quod supplicatione nequivi, vel calumniâ lacessendo valeam adipisci &c.* His ità rescripsit Isidorus. *Codicem Etymologiarum cum aliis codicibus de itinere transmisi, & licèt inemendatum præ invalitudine, tamèn tibi modò ad emendandum statueram offerre, si ad destinatum Concilii locum venissem.* Itaquè, etsi librorum auctor sit Isidorus, liberum tamèn Braulioni fuit eosdem digerere, atque emendare, quòd nondùm suprema manus imposita illis esset. En paucis adumbratam libellorum partitionem. Agitur in primo de Grammatica, in secundo de Rethorica, & Dialectica, in tertio de Arithmetica, Geometria, Musica, & Astronomia, in quarto de Medicina, in quinto de Legibus, & Temporibus, in sexto de Libris, & Officiis Ecclesiasticis, in septimo de Deo, Angelis, & fidelium Ordinibus, in octavo de Ecclesia, & variis Sectis, in nono de Linguis, & Societatibus, in decimo de Litteris, & earum Alphabeto, in undecimo de Homine, & Portentis, in duodecimo de Animalibus, in decimo tertio de Mundo, & partibus, in decimo quarto de Terra, & partibus, in decimo quinto de Ædificiis, & Agris, in decimo sexto de Lapidibus, & Metallis, in decimo septimo de Rebus rusticis, in decimo octavo de Bello, & Ludis, in decimo nono de Navibus, Ædificiis, & Vestibus; denique in vigesimo de Penu, Instrumentis rusticis, & domesticis.

Non meliora suæ Collectionis auspicia capere potuit Gratianus, quàm exordiendo à generalibus legum principiis, quæ Isidorus jecit in libro 5. Originum, in quo diximus materiem legum fuisse

Can. 1. & sequentibus tota dist. 1. Can. 1 & sequentibus tota dist. 2.

trac-

tractatam. Hinc ad hunc librum referendi sunt canon 1. & sequentes totâ dist. 1. canon 1. & sequentes totâ dist. 2., canon 3. & 4. dist. 3., canon 1. & 2. dist. 4. canon 1. & 2. dist. 7. Eam rem ordinatè explicaturus Isidorus in capite 1. expendit legum universarum originem, breviter tradens, quinam fuerint spectabiliores legum auctores. Hinc ait in cap. 1. *Moyses genti Hebraicæ primus omnium divinas leges sacris literis explicavit &c.* Hic est canon 1. dist. 7. ubi pro verbis illis *Lycurgus primus Lacedæmoniis jura ex Apollinis auctoritate confinxit*, legendum est juxtà vulgatos Isidori codices: *Lycurgus primus Lacedæmonis jura legum ex Appollinis auctoritate confinxit.* Statim pòst canonem 1. nectendus est canon 2. eadem dist. 7., cujus verba paulò aliter in vulgatis Isidori codicibus exhibentur: *Fuerunt autèm hi Appius Claudius, Genutius, Veterius, Julius, Manilius, Sulpitius, Sextius, Curatius, Romelius, Posthumius...incuriâ exoleverunt, quarum &c.* Notandum hoc in loco est, altum servari silentium apùd Isidorum de compilatione legum factâ auctoritate Justiniani, quamquàm meminerit Theodosiani codicis. Quod argumentum est gravissimum, undè deducitur, apùd Hispanos tùnc temporis ignotos fuisse Justiniani codices, quòd Imperio Justiniani, aut subsequentium Imperatorum subjecti non fuissent. Prosequitur Isidorus in cap. 2. *Omnes autèm leges aut divinæ sunt, aut humanæ. Divinæ naturâ; humanæ moribus constant: ideòque hæc discrepant, quoniàm aliæ aliis gentibus placent. Fas lex divina est: Jus lex humana: transire per agrum alienum fas est, jus non est.* Hic est can. 1. dist. 1. Fortè cuiquam negotium facesset, quod ibidèm dicitur, leges divinas naturâ constare, quasi nullum discrimen inter naturales, ac divinas leges Isidorus agnoverit. Ego verò quamquàm dicere possem, Isidorum de legum auctore, origine, & causâ locutum fuisse, in quo genere divinæ leges à naturalibus minimè discrepant, cum idem sit & naturalium, & divinarum omnium legum auctor; nihilominùs puto, sententiam Isidori referendam esse ad legum vim ac firmitatem, secundum quam divinas leges dicuntur naturâ constare, quemadmodùm moribus humanas; & cum natura juxtà Philosophorum effata perpetua causa sit, eam ob rem perpetuum Jus divinum est, sive tale, quod ubiquè locorum, quod quandocumquè temporum obtineat; viceversa humanæ leges, quòd moribus innitantur hominum, pro varietate morum, variæ esse poterunt. Neque dicas, divinas aliquot veteris Testamenti leges Evangelio fuisse antiquatas. Siquidèm non est inverosimile, Isidorum tantùm de divinis, quæ sanè perpetuæ sunt, Evangelii legibus instituisse sermonem: nisi dicere malis, etiàm ipsas leges omnes veteris Testamenti adhùc in eo sensu perpetuas posse dici, vel quòd non nisi statuto divinitùs tempore antiquari potuerint, vel quòd eædem, si non in specie, saltèm in genere perseveraverint: nimirùm cerœmonialia præcepta, seu vetera, seu nova, ad Christum referuntur universa; & quæ Christum venturum præfigurabant ante Christi adventum, formam quidèm eo veniente mutarunt, non genus, quòd aliis successerint alia, quæ ad Christum pariter referrentur non quidèm venturum, sed natum, passum, gloriosum, & ad dexteram Dei sedentem. In capite 3. leguntur canones 2. 3. 4. & 5. dist. 1. his verbis. *Jus generale nomen est; Lex autèm Juris est species. Jus autèm dictum, quia justum est; omne autèm Jus legibus, & moribus constat. Lex est Constitutio scripta. Mos est vetustate probata consuetudo, sive lex non scripta. Nàm Lex à legendo vocata est, quia scripta est. Mos autèm longa consuetudo est de moribus tracta tantùm. Consuetudo autèm est Jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur cum deficit lex; nec differt, scripturâ, an ratione consistat, quandò & legem ratio commendat. Porrò, si ratione lex constat,*

Can. 3. & 4. dist. 3. Can. 1. & 2. dist. 4. Can. 1. & 2. dist. 7.

tat, lex erit omne jam, quod ratione constiterit, dumtaxat quod religioni congruat, quod disciplinæ conveniat, quod saluti proficiat; vocata autèm consuetudo, quia in communi est usu. In c. 4. 5. & 6. traditur vulgaris divisio Juris in naturale, gentium, & civile, his verbis: In cap. 4. *Jus naturale est, aut civile, aut gentium. Jus naturale est commune omnium nationum, eo quòd ubique instinctu naturæ, non constitutione aliqua habeatur; ut viri & fœminæ conjunctio, liberorum successio & educatio,* (Correctores Romani adnotant, in quibusdam MSS. codicibus legi *susceptio.* Utraque lectio optima videtur, dummodò successionis nomine non hereditariam intelligas, sed personalem, quâ scilicèt filius Patri naturâ succedit vi generationis) *communis omnium possessio, & omnium una libertas, acquisitio eorum, quæ cœlo, terrâ, marique capiuntur. Itèm depositæ rei, vel commodatæ pecuniæ restitutio, violentiæ per vim repulsio. Nàm hoc, aut siquid huic simile est, nunquàm injustum, sed naturale, æquumque habetur.* In cap. 5. *Jus civile est, quod quisque populus, vel civitas sibi proprium humanâ, divinâque causâ constituit.* In cap. 6. *Jus gentium est sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captivitates, servitutes, postliminia, fœdera pacis, inducia, legatorum non violandorum religio, connubia inter alienigenas prohibita: & indè Jus gentium, quòd eo jure omnes ferè gentes utuntur.* Ad hæc exigendi sunt canones 6. 7. 8. & 9. dist. 1. Non hic constitit Isidorus, qui ulteriùs expendit, quid sit Jus militare, quid Jus publicum, quid Jus singulare Quiritum. Hinc ait in cap. 7., ad quod exigendus erit canon 10. dist. 1. *Jus militare est belli inferendi solemnitas, fœderis faciendi nexus, signo dato congressio in hostem, vel commissio. Itèm signo dato receptio: itèm flagitii militaris disciplina, si locus deseratur: itèm stipendiorum modus, dignitatum gradus, præmiorum honor, veluti cum corona, vel torques donatur. Itèm prædæ decisio, & pro personarum qualitatibus, & laboribus justa divisio, ac Principis portio.* In cap. 8., quod idem est cum can. 11. dist. 1., *Jus publicum est in Sacris, & Sacerdotibus, & in Magistratibus.* In cap. 9., quod idem est cum can. 12. dist. 1., *Jus Quiritum est propriè Romanorum, quod nulli tenent, nisi Quirites, id est, Romani, tanquàm de legitimis hereditatibus, de creationibus, de tutelis, de usucapione, quæ Jura apùd nullum alium populum reperiuntur, sed propria sunt Romanorum, & in eisdem solis constituta. Constat autèm Quiritum Jus* (hæc verba eadem sunt cum Gratianeis, ubi Collector exorditur distinctionem 2.) *ex Legibus, & Plebiscitis, Constitutionibus Principum, & edictis, sive Prudentium responsis.* Pòst hæc explicantur singulæ memoratæ Juris Quiritum species in cap. 10. 11. 12. 13. & 14., undè Gratianus excepit canones 1. 2. 3. 4. & 5. dist. 2. In cap. 10. *Lex est Constitutio populi, quâ majores natu simùl cum plebibus aliquid sanxerunt.* In cap. 11. *Scita sunt, quæ plebs* (aliàs *plebes*) *tantùm constituunt; & vocata scita, quòd ea plebs sciat, vel quòd scisciatur, & rogat ut fiat.* Adnotat hoc in loco Joannes Grialus, mendum irrepsisse in vulgares codices Isidorianos, & legendum potiùs esse: *Quòd ea plebs sciat, vel quòd sciscit, ità, uti rogata fuit,* uti in aliquibus vetustis codicibus exhibetur; quod sanè magis congruit priscis plebiscitorum formulis, quibus non rogabat plebs, sed rogabatur. In cap. 12. *Senatusconsultum est, quòd tantùm Senatores populis consulendo decernunt.* In cap. 13. *Constitutio, vel Edictum, quod Rex, vel Imperator constituit, vel edicit.* In cap. 14. *Responsa sunt, quæ Jureconsulti respondere dicuntur consulentibus; unde & responsa Pauli dicta. Fuerunt enim quidam prudentes, & arbitri æquitatis, qui institutiones civilis Juris compositas ediderunt, quibus dissidentium lites contentionesque sopirent.* Singulares alias leges, nimirùm Consulares, Tribunitias, & ceteras ab suis auctoribus nuncupatas, itèm Satyras, ac Rhodias, expendit Isidorus in cap. 15. 16. & 17.

17., quorum verba ità legenda sunt in canon 6. 7. & 8. dist. 2. ex cap. 15. *Quædam etiàm leges dicuntur ab iis, qui condiderunt, ut Consulares, Tribunitiæ, Juliæ, Corneliæ. Nàm & sub Octaviano Cæsare suffecti Consules Papius & Pompejus legem tulerunt, quæ à nominibus eorum appellatur Papia, & Pompeja, continens primum præmia pro suscipiendis liberis. Sub eodem quoquè Imperatore Falcidius tribunus plebis legem fecit, ne quis plus in extraneis testamento legaret, quàm ut quarta pars superesset heredibus: ex cujus nomine lex Falcidia nuncupata est. Aquilius quoquè legem condidit, quæ hactenus Aquilia vocatur.* Ex capite 16. *Satyra verò lex est, quæ de pluribus rebus simùl loquitur, dicta à copia rerum, & quasi à societate; undè & Satyram scribere est Poëmata varia condere, ut Horatii, Juvenalis, & Persii.* Ex capite 17. *Rhodiæ leges Navalium commerciorum sunt, ab insula Rhodo cognominatæ, in qua antiquitùs mercatorum fuit usus.* Quæ prosequitur Isidorus in cap. 18. & 19. edidit Gratianus in can. 3. & 4. dist. 3. Legitur in cap. 18. *Privilegia autèm sunt leges privatorum, quasi privatæ leges. Nàm privilegium indè dictum, quòd in privato feratur.* Et in capite 19. *Omnis autèm lex aut permittit aliquid, ut vir fortis petat præmium; aut vetat, ut Sacrarum Virginum nuptias nulli petere liceat; aut punit, ut qui cædem fecerit, capite plectatur; aut enim præmio, aut pœnâ vita moderatur humana.* Duobus adhùc capitibus, vigesimo, & vigesimo primo, Isidorus generalia legum præcepta explicavit, quæ recensentur in can. 1. & 2. dist. 4. In capite 20. hæc habentur: *Factæ sunt leges, ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis, formidato supplicio, refrænetur nocendi facultas.* In capite 21. *Erit autèm lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum Patriæ consuetudinem, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoquè, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.*

Sic traditâ generali legum notitiâ, gradum fecit sanctus Antistes ad varias res, in quibus legum disciplina versatur, hereditates nimirùm, contractus, & criminum coercitionem. Hinc in capite 26. ejusdem libri 5. multas criminum species distinguens ait inter cetera: *Stuprum, id est, raptus, propriè est illicitus coitus à corrumpendo dictus, undè & qui rapto potitur, stupro fruitur.* Hæc retulit Gratianus duobus in locis, non solùm ab Isidoro, sed & à semetipso dissimilis, uti videre unusquisque potest in can. 48. caus. 27. quæst. 2., & in can. 1. caus. 36. quæst. 1. Quibus canonibus uti velit, semper præ oculis habere debebit, Isidorum nominis tantùm originem adnotavisse, non naturam seu raptus, seu stupri voluisse explicare. Can. 43. caus. 27. q. 2. & Can. 1. caus. 36. q. 1.

In sexto Etymologiarum libro, in quo agitur de libris, & officiis Ecclesiasticis, nonnulla traduntur de canonibus Ecclesiasticorum Conciliorum in cap. 15., ad quod exigendi sunt canones 1. & 2. dist. 3. nec non canon 1. dist. 15. Principio ità legitur: *Canon autèm græcè, latinè Regula nuncupatur. Regula autèm dicta, quod rectè ducit, nec aliquandò aliorsùm trahit. Alii dixerunt regulam dictam, vel quòd regat, vel quòd normam rectè vivendi præbeat, vel quia distortum, pravumque corrigat.* Sunt hæc verba canonum 1. & 2. dist. 3., pòst quæ ità sequitur Isidorus: *Canones autèm generalium Conciliorum à temporibus Constantini cœperunt &c.* Exhibentur hæc in can. 1. dist. 15., ubi pro illis verbis *in unum conveniendi...una Patrum sententia damnavit...in hoc opere constita continentur... Concilii verò nomen &c.*, ità legendum est ex Bæuliana editione: *In unum convenire...una Patrum sententia prædamnavit...in hoc opere condita continentur... Concilii autèm nomen tractum est ex Romano more. Tempore enim, quo caussæ agebantur, conveniebant omnes in unum,* Can. 1. & 2. dist. 3. & Can. 1. dist. 15.

communique intentione tractabant. Undè & Concilium à communi intentione dictum. Nàm cilia oculorum sunt; unde & considium, id est, consilium, d. in l. literam transeunte. Cætus verò conventus est, vel Congregatio à coeundo, id est, conveniendo in unum. Undè & conventus est nuncupatus; sicut à conventu cætus, vel concilium à societate multorum in unum.

Can. 1. dist. 21. In libro septimo Etymologiarum superiùs adnotavimus, agi inter cetera de variis Ecclesiasticorum virorum ordinibus. Eò pertinet canon 1. dist. 21. depromptus ex cap. 12., ubi pro verbis Gratiani, *Cleros, & Clericos hinc appellatos credimus, quia...Summus Patrum interpretabatur...Archiepiscopus græco dicitur vocabulo, quòd sit Summus Episcoporum...ipsis commissa est...Princeps, indè Archiepiscopus...Episcopatus autèm vocabulum inde dictum, quòd ille, qui efficitur Episcopus, superintendat...græcè intendere dicitur...anteà autèm qui Reges erant, & Pontifices erant; nàm majorum hæc erat consuetudo, ut Rex esset etiàm Sacerdos, & Pontifex...consecrat enim, & sacrificat. Sacerdotes autèm gentilium...quod cum propter æstum ferre non possent...non modo pro ætate...sed etiam propter honorem...iidem Episcopi...nomen dignitatis est, & non ætatis...sicut Episcopi...quod solis deberi Episcopis...mystici Sacramenti ministeria explebantur...& officiis Levitarum. Oblationes enim in templo Dei...ità miserabiliter pronuncient...iidem etiàm & pronunciatores vocantur...latinè dicere potuerunt præcentor, & succentor. Præcentor scilicèt, qui...Concentor autèm dicitur, quia consonat...nec cantor, nec concentor erit...adjurantes, sive increpantes...Ostiarii iidem & janitores, qui in veteri testamento...ut non ingrederetur in illud immundus...habentes judicium fideles recipiunt, & recipiunt infideles*, ità legendum erit ex Breuliana editione: *Clerus, & Clericus hinc appellatur, quia...Summus Pater interpretatur...Archiepiscopus græcè dicitur Summus Episcoporum...ipsis Episcopis commissa est...princeps. Archiepiscopus...Episcopatus autèm vocabulum indè dictam, quòd ille, qui superefficitur, superintendat...græcè, latinè intendere dicitur...anteà autèm Pontifices & Reges erant: nam majorum hæc erat consuetudo, ut Rex esset etiàm Sacerdos, & Pontifex* (ad marginem adnotavit Breulius, in aliquibus codicibus legi, *vel Pontifex*)*.....consecrat enim & sanctificat. Sacerdotes gentilium...quod cum pro æstu* (ad marginem Breulianæ editionis legitur: *aliàs per æstum*) *ferre non possent....non pro ætate...sed propter honorem...idem Episcopi....nomen dignitatis, hoc est ætatis...sicut & Episcopi....quod solum deberi Episcopis...mystici Sacramenti myteria* (Breulius ad marginem *aliàs ministeria*) *explebantur.....& officiis Levitarum, qui in Esdra Nathinei appellantur, id est, in humilitate Domino servientes. Oblationes enim in templo Dei...ità miseranter pronuncient...Iidem etiàm pronunciatores vocantur...latinè dicere potuerunt præcentor, & succentor. Præcentor, qui...Concentor autèm dicitur, qui consonat...nec cantor, nec succentor erit...adjuratores, sive increpantes...Ostiarii, id est, janitores, qui in Esdra custodes templi dicuntur servorum Salomonis filii* (notat Breulius verba ista, *qui in Esdra &c.* usque ad dictionem *filii* non legi in codice MS.) *qui in veteri Testamento...ut non ingrederetur eum immundus...habentes* (notat Breulius in margine: *alias tenentes*) *judicium, fideles recipiunt, respuunt infideles.*

In lib. 8. Etymologiarum, in quo de Ecclesia, & variis sectis agitur, legitur cap. 5. canon 39. caus. 24. q. 3. in quo perspicuè texitur series hæreticorum per ordinem temporum digesta. Nonnulla jam Romani Correctores emendaverunt: ut verò ad Breulianam editionem canon exigatur, pro illis Gratiani verbis: *Quidam autèm hæretici...magicæ artis perito...Menandrini....factum asserunt...conjugia commutarentur...quod odisti facta Nicolaitarum...latinè Millenarii sunt appellati....Nazaræus est appellatus....Appellitæ, quorum auctor Appel-*

Can. 39. caus. 24. q. 3.

pelles fuit...illum ignem affirmans, dixit & Christum non in veritate Deum....Cainani indè sunt appellati.....à filio Adæ.... Apostolici hoc sibi nomen ideò sumpserunt... qui aliquo in hoc mundo utuntur...principia asserunt. Marcionistæ à Marcione..... creationis & bonitatis. Artotyritæ...dicentes à primis hominibus..& fructibus ovium... Cataphrygis nomen Provinciæ Phrygia dedit, quia ibi extiterunt. Auctores eorum Montanus, Prisca, & Maximilla fuerunt. Hi adventus Spiritus S. non in Apostolos, ...hic duas naturas. ..ex aliquo fonte manere asseruit...ex parte recipit. Antropomorphitæ...Hierarchitæ ab Hierarcha...Novatiani à Novatiano..Cathedram Sacerdotalem... Apostatas suscipere rebaptizans baptizatos...per profectum solum virum justum... intelligentiæ appellati sunt. Hi enim semi-Judæi...Gallograciæ Syrmii...Aeriani ab Aerio ...Aetiani ab Aetio sunt vocati, idemque... Aetii discipulo...peccatorum à cœlis usquè ad terras diversa corpora...eâque causâ factum esse mundum. Noetiani...qui dicebant Christum.....quia Patrem passum dicunt...quod ait Dominus: Ego & Pater....Antidicomartiæ...viro suo fuisse commixtam...asserunt enim sic esse...intra vas majus...Colluthiani à quodam Colluthо...non facere mala... quod scriptum est: Dominus creans mala. Floriani à Floriano...contra hoc, quod.... Circumcelliones dicuntur...quos Scotopicos vocant...à Lucifero Sardiniæ Episcopo orti, qui Episcopos Catholicos, qui Constantii persecutione perfidiæ Arianorum consentientes erant, & posteà correcti in Catholicam redire delegerunt...ab Ecclesiæ communione recesserunt....nullam nuptarum, & virginum...de suo Joseph peperisse.. exorti inferiores corporis partes...atque in novissimo utrumque resurgere....tantummodò matrem asseruit...nec unum Christum...alterum filium Dei, alterum hominis...existere in duabus naturis, sed solam in eo divinam asseruit naturam..... id est, sine capite, nullus enim eorum reperitur auctor,.. Agnoitæ...ex quibus Agnoitæ...quia ad perversitatem...quæ sunt subscripta...tres asserunt Deos esse...Sunt aliæ hæreses...Christi descensione non credunt...& quæcumque animalia.....scripturam sanctam intelligit &c.; ità legendum erit: *Quidam etiàm hæretici...magicæ disciplinæ perito...Menandriani...factum esse asserunt...conjugia mutarentur...quia odisti facta Nicolaitarum... latinè Milliastæ sunt appellati...Nazarænus est appellatus...Apellitæ, quorum Apelles Princeps fuit...illum igneum affirmans. Appellitæ, quorum auctor Appelles, qui dixit Christum non Deum veritate.....Cainiani proindè sic appellati...à filio Adam..... Apostolici hoc sibi nomen ideò præsumpserunt...qui aliquid in hoc mundo utuntur... principia asserunt. Martionistæ à Martione...Creatoris & bonitatis. Artoteritæ.... dicentes primis hominibus...& à fructibus ovium...Catapgrygüs nomen Provinciæ Cataphrygia* (adnotat ad marginem Breulius: *alias Frigia*) *dedit, quia ibi extiterunt auctores eorum Montanus & Prisca & Maximilla. Hi adventum Spiritus S. non in Apostolis...Hic Manes duas naturas.....ex aliquo fonte manere asseruit...ex parte recipit. Anomiani, id est, latinè sine lege dicuntur. Antropomorphitæ...Heraclitæ ab Heraclio...Novatiani à Novato...Cathedram Pontificalem... Apostatas recipere, & rebaptizans baptizatos.....per Prophetam* (adnotant ad marginem Breulius: *aliàs prophetata, aliàs profectum, quæ lectio verior est*) *solum verum justum...intelligentiæ compellati sunt. Hi semi Judæi,.... Gallograciæ Sirmiæ...Ætiani ab Ætio..... Ætiani ab Ætio quodam sunt vocati, iidemque...Ætii discipulo....peccatorum de cœlis usquè ad terras lapsas, diversa corpora...eaque causâ mundum factum fuisse. Noetani...qui dicebat Christum...quia Patrem passum ajunt...quod ait Dominus dicens; Ego & Pater...Antidicomaritæ...viro suo commixtam...asserunt enim esse....inter vas majus...Coliuthiani à quodam Coliuthо...non facere malum...quod scriptum est: Ego Dominus creans mala. Floriani à Florino....contra id, quod...Circumcelliones dicti...quos Cotopitas vocant...à Lucifero Sirmiæ Episcopo, qui contra Episcopos Catholicos, qui Constantii persecutione* (notat

tat Breulius, alibi legi: *qui Constantio persequente) perfidiæ Arianorum consentientes erant, & posteà correcti redire in Catholicam delegerunt...à communione recesserunt...nullam nuptiarum & virginum...de viro Joseph peperisse...exorti, qui inferiores corporis partes.....atque in novissimo die utrumque resurgere...tantummodò asseruit genitricem...neque unum Christum... alterum filium Dei, & alterum hominis... existere de duabus naturis, sed solam in eo asseruit divinam naturam esse...id est, sine capite, quem sequuntur hæretici: nullus enim eorum reperitur auctor.....Gnoitæ.....quia perversitate...quæ sunt scripta...tres adstruunt Deos esse....sunt & aliæ hæreses.... Christi descensionem non credunt....& in quæcumque animalia....Scripturam Sacram imelligit &c.*

Can. 1. caus. 26. q. 1. In capite 9. ejusdem libri varias Magorum species Isidorus enumerat, atque inter cetera ità scribit: *Sortilegi sunt, qui sub nomine fictæ religionis per quasdam, quas Sanctorum sortes vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt.* Hic est canon 1. caus. 26. quæst. 1.

Can. 6. caus. 27. q. 2. De linguis & societatibus, ut diximus, agitur in libro 9. Etymologiarum; in postremis autèm capitibus de necessitudine conjugum, & consanguineorum. Eò pertinet, nimirùm ad caput 8., canon. 6. caus. 27. q. 2., ubi ità scribit Isidorus: *Conjuges appellati propter jugum, quod imponitur matrimonio conjungendis. Jugo enim nubentes subjici solent, propter futuram concordiam, ne separentur. Conjuges autèm veriùs appellantur à prima desponsationis fide, quamvis adhùc inter eos ignoretur conjugalis concubitus, sicut Maria Joseph conjux vocatur, inter quos nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commixtio.*

Can. 15. caus. 32. q. 4. Ad caput 5. ejusdem libri referendus est canon 15. caus. 32. quæst. 4., ubi Isidorus ità scribit: *Itèm liberi dicti, quia ex libero sunt matrimonio orti. Nàm filii ex libero & ancilla servilis conditionis sunt; semper enim qui nascitur deteriorem parentis statum sumit. Naturalem autèm dicuntur ingenuarum concubinarum filii, quos sola natura genuit, non honestas conjugii.* Et paulò infrà postquàm de spuriis egerit, quibus certa mater est, pater incertus, ait: *Undè & ii, qui non sunt de legitimo matrimonio, matrem potiùs, quàm patrem sequuntur.*

Quæ sub Isidori nomine leguntur in can. 1. caus. 35. quæst. 4. non in omnibus Isidori codicibus exhibentur, quemadmodùm testificatus est Breulius ad calcem capitis 6. lib. 9., ea adjiciens, quòd *in quibusdam exemplaribus*, ut ipse ait, haberentur: Ibidèm autèm pro Gratiani verbis: *Consanguinitas... ad sextum generationis gradum*, legitur: *Hæc consanguinitas ad sextum generis gradum.* Ego facilè puto cum Romanis Correctoribus, adjecta fuisse ex sancti Augustini monumentis, nimirùm ex libro 15. de Civitate Dei cap. 16., ubi ità legitur: *Fuit autèm antiquis Patribus religiosa cura, ne ipsa propinquitas se paulatim propaginum ordinibus dirimens longiùs abiret, & propinquitas esse desisteret, eam nondùm longè positam rursùs matrimonii vinculo colligare, & quodammodò revocare fugientem.* Ceterùm, quæ subduntur, de gradibus cognationum intra sextum gradum coercendis exemplo sex mundi ætatum, Eruditis Viris minimè placent, cum exemplum illud vetustis Ecclesiæ Patribus nullibi probatum fuisse reperiatur, undè ait Vanespen in brevi Commentario in Gratianum ad eumdem canonem: *De hac restrictione usquè ad sextum gradum alibi me legisse non memini, multò minùs rationem adductam ab ullo probatam scio.* Can. 1. caus. 35. q. 4.

Can. 1. caus. 23. q. 2. De bello, & ludis egisse Isidorum in lib. 18. Etymologiarum, superiùs animadvertimus: Eò spectat canon 1. caus. 23. q. 2. Nimirùm in capite 1. postquàm tradidit sanctus Antistes, à Nino Assyriorum Rege bella originem habuisse, ità prosequitur: *Quatuor autèm sunt genera bellorum; id est, justum, injustum, civile, & plusquàm civile. Justum bellum est,*

est, quod ex prædicto geritur de rebus repetitis, aut propulsandorum hostium causâ. Injustum bellum est, quod de furore, non de legitima ratione, initur. Et pòst pauca: *Nullum bellum justum habetur, nisi denunciatum, nisi indictum, nisi de repetitis rebus.* Quæ subjiciuntur apùd Gratianum in vers. *Judex*, non videntur proposito ejusdem Gratiani accommodata: habentur autèm in capite 15. ejusdem libri, ubi Isidorus nonnulla tradidit de Fori contentionibus; & postquàm docuit, sex personas judicium constituere, judicem, accusatorem, reum, & tres testes, ait: *Judex dictus, quasi jus dicens populo, sive quòd jure disceptet. Jure autèm disceptare est juste judicare. Non est autèm judex, si non est in eo justitia.*

De libris Synonimorum.

Libri duo, qui sub nomine Isidori Hispalensis appellantur *Synonima*, aliàs etiam & veriùs dicuntur *Soliloquia*. In iis inducitur homo variis pressus & fractus ærumnis conquerens, & ferè in desperationem adductus, quem ratio propositâ Dei clementiâ consolatur. Asceticum sanè opus, quod humanam mentem ad rerum divinarum contemplationem penè impellit, tanquàm ad eam, in qua vera felicitas sita est. Breulius huic operi epistolam adjecit Isidori, librum ad Braulionem dirigentis sub hac inscriptione: *In nomine Domini, in Christo charissimo & dilectissimo fratri: Braulioni Archidiacono Isidorus*; & in ipsa epistola ità inducitur scribens: *Mittimus vobis Synonimorum libellum, non quòd alicujus utilitatis sit, sed quia eum volueris.* Synonimorum librum vulgò dictum putant, quia multa verba ibidèm in unam coeunt significationem. Egò sanè vix mihi persuadere possum, germanum esse Isidori Hispalensis fœtum, quamquàm in eo multa utilia contineantur. Siquidèm observo in primis, in epistola Braulionem non Episcopum, sed Archidiaconum nominari; unà etiam appellari fratrem, quandò Episcopi Coepiscopos suos fratres appellare solebant. Deindè in eadem epistola inducitur Isidorus expectans à Braulione *decadem sancti Augustini*, subdens: *Posco, ut quoquo modo me cognitum ei facias*; quæ verba ad viventem adhùc hominem, quàm ad diù vitâ functum commodiùs referuntur. Addo his, proferri sub ejusdem Isidori nomine duos alios libros, quorum prior inscribitur *de contemptu mundi*, posterior *de norma vivendi*: in omnibus autèm eadem ferè verba, nedùm eædem sententiæ, passim repetuntur, ut inverosimile admodùm sit, sanctum Virùm pluriès eamdem rem fuisse persecutum. Quæ ratio si plurimùm potuit apùd eruditos viros, ut nonnulli ex ipsis apocryphos esse putarent libros *de contemptu mundi*, & *de norma vivendi*; nescio, cur non possit etiàm quemquam inducere, ut spurium librum Synonimorum, seu Soliloquiorum esse arbitretur. Sic pauca de operis auctoritate præfatus, ad Gratianeos canones exindè depromptos accedo, qui omnes ad librum 2. referendi sunt, uno dempto canone 12. de pœn. dist. 3., qui sanè apùd Gratianum perperàm Augustino tribuitur. Legitur ille in fine libri 1., ubi, completo Dialogo inter hominem & rationem, tandèm ità concludit ratio: *Deplorato delicta, ne rursùs facias, quod iterùm plangas; ne culpam, pro qua veniam postulas, iterare præsumas: inanis est pœnitentia, quam frequens culpa coinquinat. Vulnus iteratum tardiùs sanatur, frequens peccans & lugens veniam vix meretur. Nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata; nihil valet veniam malis poscere, & mala denuò iterare. Persiste ergò in confessione, esto in pœnitentia firmiter confirmatus. Vitam bonam, quam cœpisti, tenere non deseras; propositum bonæ vitæ conserva jugiter. Beatus eris, si permanseris, beatus, si perseveraveris. Salus perseverantibus promittitur, præmium perseverantibus datur. Beati, qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore.*

Can. 12. de pœn. dist. 3.

re. Non est beatus, qui bonum facit, sed qui incessanter facit. Qui enim perseveraverit usquè in finem, hic salvus erit.

Can. 1. dist. 11. In capite 16. libri 2. legitur canon 1. dist. 11., in quo deplorabat auctor humanos actus ex longa peccandi consuetudine depravatos, in eam rem regulam tradens his verbis: *Multa sunt consuetudine vitiata, multa pravo usu præsumpta, multa contra pudicos mores illicitè usurpata. Adime consuetudinem, serva legem. Cedat consuetudo auctoritati, pravum usum lex, & ratio vincat.* Liquet ex his, ità descriptis, non de quacumque consuetudine ibidèm sermonem institui, sed de ea, quâ quis adversùs publicas leges privatim se gerat. Ut paucis dicam, eam consuetudinem in mala improbatam voluit, cui contrarium usum in bona proclivem reddentem hominem laudavit in cap. 12. ità scribens: *Sæpè natura moribus immutatur, sæpè natura consuetudine superatur. Assiduitas enim mores facit, jugis usus in naturam se vertit. Omnia usui cedunt, usui omnia parent, res ipsa se agit, ut usus erit. Quòd cum difficultate cæperis, per usum cum voluntate perficies.*

Can. 16. caus. 22. q. 2. & Can. 5. caus. 22. q. 4. In capite 10. ejusdem libri principio legitur canon 16. caus. 22. quæst. 2. ibi: *Omne quoquè genus mendacii summoperè fuge, nec casu, nec studio loquaris falsum. Nec per testes mentiri studeas, nec qualibet fallaciâ vitium alicujus defendas. Cave mendacium in omnibus, mendacio enim fides tollitur, error inducitur, veritas aboletur.* Et in fine ejusdem capitis ità habetur: *In malis autèm promissis rescindatur fides: in turpi voto muta decretum; quod incautè vovisti, non facias. Impia est promissio, quod scelere impletur.* Hic est canon 5. caus. 22. quæst. 4.

Can. 8. caus. 32. q. 5. In capite 1. ejusdem libri exhibetur canon 8. caus. 32. quæst. 5. his verbis legendus: *Non potest corpus corrumpi, nisi priùs animus corruptus fuerit. Dum anima habetur, statim caro ad peccandum parata est. Anima enim carnem præcedit in crimine, nihilque potest caro facere, nisi quod voluerit animus. Munda ergo cogitatione animum, & caro non peccabit; si enim volueris vinci, omninò non poteris.*

De Epistola ad Massanum Episcopum.

Can. 28. dist. 50. & can. 11. caus. 33. q. 2. Prodiit penè integra apùd Gratianum tum in can. 28. dist. 50., tum in can. 11. caus. 33. quæst. 2. Epistola sub nomine Isidori ad quemdam Episcopum, quem modò Massanum, modò Massionem appellavit. Alii etiàm nominaverunt Masonem, alii Massenum. Non piget integram hoc in loco describere, ad quam propterea commodiùs Gratianei canones exigantur. Ità edita est in editione Breuliana pag. 352. ex codice MS. Bibliothecæ Cænobii S. Germani à Pratis: *Domino, verè sancto* (hic est canon 28. dist. 50.) *meritisque beato, fratri Massano Episcopo Isidorus Episcopus. Veniens ad nos famulus vester, vir religiosus Nicetius, literas honorificentiæ vestræ nobis detulit, in quibus agnitio salutis vestræ nihilominùs perpatuit: maximè per eum portitorem, cujus lingua epistola vivens erat. Undè pro salute vestra gratiarum actionibus Deo nostro repensis, in quantum valuit mediocritas nostra inquisitioni vestræ studuit respondere, poscentes vestrorum meritorum suffragiis divinis nos commendare conspectibus. Verùm, quòd sequenter in epistolis fraternitas tua nobis innotuit, videlicèt, quòd in canone Ancyritano capitulo XIX. legitur, pòst lapsum corporalem restaurandum honoris gradum pòst pœnitentiam: & alibi legitur, pòst hujusmodi delictum nequaquàm reparandum antiqui ordinis meritum, hæc diversitas hoc modo distinguitur. Illos enim ad pristinos gradus redire canon præcipit, quos pœnitentiæ præcessit satisfactio, vel condigna peccatorum confessio. At contrà hi, qui neque à vitio correpti emendantur, atque hoc ipsum carnale delictum, quod admittunt, etiàm vindicare quadam superstitiosâ temeritate nituntur, nec gradum utiquè honoris, nec gratiam communionis recipiunt.*

Er-

Ergò ita est utraque dirimenda sententia, ut necesse sit, illos restaurari in locum honoris, qui per pœnitentiam reconciliationem meruerunt divinæ pietatis. Hi enim non immeritò consequuntur ademptæ dignitatis statum, qui per emendationem pœnitentiæ recépisse noscuntur vitæ remedium. Id autèm ne fortè magis ambiguum sit, divinæ auctoritatis sententiâ confirmetur. Ezechiel enim Propheta sub typo prævaricatricis Hierusalem ostendit per pœnitentiæ satisfactionem pristinum restaurari honorem. Confundere (inquit) ò Juda!, & porta ignominiam tuam. Et pòst paululùm: & tu inquit, & filiæ tuæ revertimini ad antiquitatem vestram. Quod dixit: confundere, ostendit pòst peccati opus debere quemque erubescere, & pòst confessionem, pro admissis sceleribus verecundam frontem humi prostratam demergere, pro eo, quòd dignum confusione perpetraverit opus. Deindè præcipit, ut portet ignominiam depositionis suæ, lugens cum humilitate. Quam si portaverit, revocari secundum Prophetam ad priorem statum poterit. Idem Joannes Evangelista Angelo Ephesi Ecclesiæ inter cetera simile quiddam scribit: Memor esto, undè ecideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Alioquin veniam tibi, & movebo candelabrum tuum de loco ejus. In Angelo Ecclesiæ Præpositum utiquè, id est, Sacerdotem ostendit, juxtà Malachiam, qui dicit: labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt de ore ejus, quia Angelus Domini est. Præpositus ergò, lapsus in vitium, per Evangelistam monetur, ut memor sit, undè ecciderit, & pœnitentiam agat, & prima faciat opera, ut non moveatur candelabrum ejus. Nàm candelabrum Angeli doctrina Sacerdotalis, vel honor potestatis, quem gestat, intelligitur. Juxtà quod scriptum est apùd Samuelem in damnationem Heli: Oculi ejus caligaverant, nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur. Lucerna quippè Dei fuerat, quandò, dignitate Sacerdotali pollens, justitiæ claritate fulgebat: extinctam Propheta asserit, dùm ob scelera filiorum Sacerdotis potestatem meritorumque lumen amisit. Candelabrum ergò, sive lucerna Sacerdotis (quæ intelliguntur charismata honoris) tùnc penitùs juxta Joannem extinguitur, vel movetur, quandò pòst delicti casum neglectâ pœnitentiâ admissa scelera non deflentur. Non enim dixit: pro eo, quòd cecidisti, commovebo candelabrum tuum; sed nisi pœnitentiam egeris, movebo candelabrum tuum. Erga quemquam Præpositum peccantem si prævenerit pœnitentia delicti, utiquè sequitur & meriti, & in Proverbiis: qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequitur. Nàm & ipsum, (hic est canon 11. caus. 33. q. 2.) *quod canonum censura pòst septem annos remeare pœnitentem in statum pristinum præcipit, non hoc ex electione proprii arbitrii Patres, sed potiùs ex sententia divini judicii, sanxerunt. Nàm legitur, quòd Maria soror Aaron Prophetissa cum obtrectationis* (monet Breulius, aliàs legi *detractionis*) *adversùs Moysem incurrisset delictum, illicò stigmate lepræ perfusa est: cumque peteret Moyses, ut emundaretur, præcepit eam Dominus extrà castra septem diebus egredi, & pòst emundationem rursùs eam in castra admitti. Maria ergò soror Aaron caro intelligitur Sacerdotalis, quæ dum superbiæ dedita sordidissimæ corruptionum contagiis maculatur, extra castra septem diebus, id est, extra Collegium Sanctæ Ecclesiæ septem annis projicitur, ubi post emundationem vitiorum loci, sive pristinæ dignitatis recipit meritum. Ecce, in quantum valui,* (iterùm in can. 28. dist. 50. descripsit Gratianus) *Concilii Anciritani antiquam planè, & plenam auctoritate, sententiam sacris testimoniis explanavi, ostendens, eum proprio honori posse restaurari, qui per pœnitentiæ satisfactionem noverit priora delicta deflere; eum verò non posse restaurari, qui nec luget, quæ gessit, & lugenda sine ullo pudore religionis, vel timore Judicii Divini committit. In fine autèm* (utrobiquè ista Gratianus delineavit) *epistolæ hujus hoc adjiciendum putavi, ut quotiescumquè in gestis Conciliorum discors sententia invenitur, illius Concilii teneatur sententia, cujus antiquior,*

aut

aut potior est auctoritas. Data sub die II. Kal. Martii anno III. Regnante Domino nostro Victerico Glorioso Rege. Indè Breulius hanc epistolam referendam vult ad annum 609., cum in hunc inciderit annus tertius Regni Victerici. Sic ad integram epistolam restitutis Gratiani canonibus, non sunt omittendæ eruditorum animadversiones, qui arbitrati sunt, epistolam eamdem falsò fuisse Isidoro tributam, quemadmodùm tradidit Natalis Alexander in historia septimi sæculi cap. 4. art. 4. Sanè non desunt ad id demonstrandum gravia argumenta. Siquidèm in primis multa ibidèm inveniuntur inconcinnè digesta præter Isidori morem, & divinarum literarum exempla parùm rei propositæ accommodata, quemadmodùm illud est Mariæ Sacerdotum carnem significantis, ut quemadmodùm Maria per septem pœnitentiæ dies restituta est, ità Sacerdotes pòst septem pœnitentiæ annos restituantur. His addi potest, quod dicitur in fine epistolæ de servandis in Conciliorum canonibus, quotiès alios aliis adversari contingat. Quamquàm enim ea observatio opportuna fuisset, ubi plurium Conciliorum canones oppositi Isidoro extitissent, frustrà fiebat, ubi unus Ancyrani Concilii canon expendebatur. Quod verò maximum argumentum est, depromitur ex aliis sententiis Isidori, qui non semèl docuit, Sacerdotes, publico crimine lapsos, in suam dignitatem non posse ordinario jure reverti. Ità habet ille in epistola ad Helladium, & ceteros Episcopos cum eo convenientes, de Episcopo Cordubensi, in grave crimen miserè lapso: *Cum effusione lacrymarum vestram Sanctitatem deposcimus, ut idem lapsus sancto cœtui vestro præsentatus, agnito à vobis confessionis eloquio, synodali sententiâ à gradu Sacerdotii deponatur. Melius est illi, ut temporaliter judicetur à vobis, quàm æterno damnetur judicio. Levior est illi præsentis temporis ignominia, quàm futura gehennæ tormenta. Sciat enim, se amisisse nomen, & officium Sacerdotis, qui meritum perdidit sanctitatis. Quapropter judicii vestri decreto pœnitentiæ perpetim flagitia perpetrata lamentatione deploret, plangat Sacerdotii cultum, quem malè vivendo perdidit. Lugeat animæ suæ statum, quam tanto putredinis cœno coinquinavit. Fortassè porriget illi manum quandoquè Spiritus sanctus, ut per dignam satisfactionem mereatur peccatorum remissionem.* Hæc eadem doctrina traditur ab Isidoro in lib. 2. de Ecclesiasticis officiis cap. 5. Deniquè, cum in tota epistola nihil aliud explicetur, quàm Ancyranus canon, quo Sacerdotes publico gravi crimine inquinati de gradu in perpetuum dejiciuntur, non videtur Isidoro digna interpretatio, quâ Ancyranus canon intelligatur de Sacerdotibus illis, qui in peccato perseverant. Quæ enim de illis ad Sacerdotii munera non admittendis esse dubitatio potuisset? Amplius quidquam rigor exigebat Ecclesiasticæ disciplinæ apùd Ancyranos Antistites.

De ceteris Canonibus, Isidoro tributis.

Ad Isidori opera exigendi adhùc supersunt nonnulli canones, sancto Viro apùd Gratianum inscripti. Ii sunt in primis canon 1., & canon 4. dist. 16. vers. *Isidorus*, qui sanè quotiès invicem conferantur, opus diversorum auctorum esse illicò videbuntur, cum in can. 1. canones Apostolici tanquàm apocryphi rejiciantur, in canone 4. tanquàm venerabiles proponantur. Sed jam diù pòst Romanos Correctores Viri eruditi numero plurimi Isidorum ab Isidoro distinguere sciverunt, videlicèt Hispalensem à Mercatore, & canonem 1. Hispalensi, canonem 4. Mercatori tribuere. Uterque præfationem edidit in canones Conciliorum. Et quidèm Hispalensis Isidori Præfationem viderunt laudati Correctores Romani ad se missam ex Bibliotheca Toletanæ Ecclesiæ, in qua memoratum canonem 1. legisse

Can. 1. & 4. vers. Isidorus. dist. 16.

se

se profitentur. Vidit etiàm eamdem præfationem præpositam Conciliis Hispanicis Antonius Augustinus, uti ipse testatur in lib. 1. de emendatione Gratiani Dial. 6. & Dial. 20., lugens, pro Præfatione Hispalensis Isidori in editione Conciliorum à recentioribus fuisse substitutam Præfationem Mercatoris. Ceterùm Isidorus Hispalensis à canonibus Apostolicis canonum Ecclesiasticorum originem nunquàm voluit repetendam, sed potiùs à Concilii Nicæni temporibus, sive à rebus Ecclesiæ pacatis sub Imperio Constantini, uti luculentissimè probatur ex lib. 6. originum cap. 16., quod refertur in can. 1. dist. 15. superiùs laudato. Quod spectat canonem 4., is sanè legitur in Præfatione Mercatoris; cujus & qualis, & quanta esse debeat auctoritas, vel fides nemo ignorat, ea nimirùm, quæ debetur insigni, uti ab omnibus nominatur, deceptori. Non opus est, ut hoc in loco eam controversiam explicem, quâ de canonibus Apostolicis disputatur. Fuit jam alibi fusiùs discussa. Tantùm adnotabo, canonem illum 4. referri apùd Ivonem in parte 4. Decreti cap. 106., cujus auctor expressè nominatur Isidorus *Mercator*, in quo prætereà pro verbis illis, *quoniàm plures eos recipiunt*, quæ descripsit Gratianus, legitur: *quia populares eos recipiunt.* Si recipienda sit Ivonis editio, concludere oportebit, ne Isidorum quidèm Mercatorem credidisse tanquàm verè Apostolicos primos illos, quos proponebat, canones, sed eos exhibuisse, ut vulgari, seu populari, qualiscumque esset, traditioni indulgeret.

Can. 1. dist. 29. In canone 1. dist. 29. non verba ipsa Isidori Hispalensis descripta puto, sed sententiam, qualis describitur in libris, Isidoro eidem tributis. Etenim in primis in libro de norma vivendi ità legitur: *Prospice, quid aptum sit tibi, & tempore, & ubi, quandò, quarè, quandiù facere debeatur, causas rerum & tempora inspice, & singulorum operum discretiones diligenter distingue.* Itèm in libro de contemptu mundi hæc habentur. *Antè factum cogita, antè opus præmeditare diù, quam vis agere, diùque acquire, diù proba, & sic age cum diù cogitaveris, tùnc fac, quod probaveris. ... suscipienda est enim veritas personarum, & quem quoquomodò eruditas tracta. Communia omnibus, secretiora perfectioribus loquere, aperta cunctis, operta paucis annuncia.* Quæ omnia iisdem ferè verbis leguntur in libro 2. Synonimorum cap. 16. & sequentibus. Verùm, cum incerta sit auctoritas horum quorumcumque librorum, uti superiùs attigi, tutò sententiæ illæ, sicut & Gratianeus canon, Isidoro adscribi non poterunt.

Can. 8. dist. 40. Quod sub Isidori nomine legitur in can. 8. dist. 40., non solùm inter opera Isidori minimè reperitur, sed etiàm Ecclesiastico quocumque viro, nedùm Isidoro, minùs dignum videtur. Quis enim probare possit crassas illas similitudines, perperàm congestas, inter viri & mulieris conjunctionem, undè unum conjugum corpus efficitur, atque electionem, ac consecrationem Episcoporum, undè unus emergat Episcopatus? Quid prætereà ineptius subjici potest, quàm dicere, ea omnia unum corpus efficere, quòd citiùs corrumpatur, & ad terram trahatur, nisi legaliter servetur, nisi justè vivendo laudetur? Ego puto, auctorem hujus fragmenti studuisse imitari formulas Isidori Mercatoris, qui ad nauseam usquè in epistolis, à se confictis, similitudines illas corporalis spiritualisque conjugii passim persequitur, uti exemplum est præcipuè in can. 11. caus. 7. quæst. 1., ex qua imitatione nomen Isidori irrepere potuerit in laudatum canonem 8. Quòd si Isidorus Hispalensis aliquandò conjugiorum similitudinem ad res sacras protraxit, elegantiùs id factum video, ut liquet ex lib. 2. de Officiis cap. 19., ubi hæc leguntur: *Quòd autèm non unus & multæ, sed unus & una copulantur, ipsa prima divinitùs facta conjunctio in exemplum est. Nàm, cum Dominus hominem figurasset,*

eique parem necessariam prospexisset, unam de costis ejus mutuatus, unam illi fœminam finxit; sicque Adam & mulier Eva inter se nuptiis juncti formam hominibus de originis auctoritate, & prima Dei voluntate sanxerunt. Itèm secundum spirituales nuptias, sicut unus Christus & una Ecclesia, ità & unus vir & una uxor, tàm secundum genetis documentum, quàm secundum Christi Sacramentum; in quibus sanè verbis enitet ipsa Pauli Apostoli doctrina, qualis habetur in cap. 5. epistolæ ad Ephesios.

Can. 59. & 60. caus. 1. q. 1. & Can. 23. de cons. dist. 4.

Cum canone 59. caus. 1. quæst. 1. jungendus est canon 23. de cons. dist. 4., utrobiquè enim sub Isidori nomine eadem sententia describitur. Non est consistendum in codice Gratiani, sed ad antiquiores Collectores, quos Gratianus sequebatur, respiciendum est, ut in monumenti auctorem inquiratur. Ivo Carnotensis in parte 1. Decreti cap. 294. laudat illud *ex dictis Isidori Episcopi*, quæ sanè inscriptio nihil aliud indicat, quàm nonnulla ex Isidoro in illud caput derivata fuisse. Clarius quiddam adparet in codice MS. Panormiæ Regii Athenæi, in quo pag. 11. col. 2. recensentur verba canonis 23. laudati sub hac inscriptione: *Augustinus ad Fortunatum ex dictis Isidori Episcopi*; itèm in margine alio charactere: *ex dictis Isidori Episcopi.* Hinc facilè colligo, auctorem canonis eam composuisse sententiam, qualis recentioribus sæculis obtinuit, eamdemque ità compositam veteribus Patribus Augustino & Isidoro tribuisse, quod apùd Augustinum & Isidorum nonnulla invenirentur, ex quibus ea disciplina Ecclesiæ stabiliretur. Quod ut clariùs explicetur, observandum est, veterem controversiam, quæ diù Africanam Ecclesiam adversùs Romanam exagitavit temporibus Stephani Papæ, & Cypriani Carthaginensis, fuisse definitam jam sæculo tertio, de recipiendo hæreticorum baptismate, sive de non rebaptizandis iis, qui ab hæreticis semèl ritè baptizati fuissent. Nùm verò & ii tanquàm verè baptizati haberentur, qui à non baptizatis baptizati fuissent, perspicuè nondùm traditum fuerat. Hinc Augustinus in ea quæstione se dubitantem exhibuit: quamquàm in eam potiùs sententiam inclinaret, quâ diceret, validum esse baptismum, ut adparet ex can. 31. de cons. dist. 4. Recentioribus sæculis, prout res incideret, singularibus Pontificum Maximorum rescriptis definiri controversia cœpit. Hinc legimus in lib. 5. Capitularium capite 6. *Si quis baptizatus est à Presbytero non baptizato, & Sancta Trinitas in ipso baptismo invocata fuit, baptizatus est, sicut Sergius Papa dixit: impositione verò manus indiget. Gregorius Episcopus Romanus, & Joannes Sacellarius sic senserunt.* Itèm sub Nicolao I. Bulgari in eadem controversiâ Romanum Antistitem consuluerunt, rescriptoque definitum, valere baptismum etiàm à non baptizato collatum, ubi legitima baptismatis fuisset forma servata can. 24. de cons. dist. 4. Ità rescribendi causam Romani Antistites pro datâ occasione exhauriebant ex veterum Patrum Augustini, & Isidori monumentis. Etenim Augustinus passim in libris suis tradebat, in conferendo Baptismatis Sacramento, sicut non probitatem, ità neque fidem ministrantis attendi oportere, cum Baptismatis vittus tota dependeat ex institutione Christi, non ex merito conferentis. Atque ut de Isidoro loquar, ipse in cap. 24. lib. 2. de Ecclesiasticis Officiis ità scribebat. *Constat, baptisma solis Sacerdotibus esse traditum, cujusque mysterium nec ipsis Diaconibus explere est licitum absque Episcopis, vel Presbyteris, nisi, illis procùl absentibus, ultima languoris cogat necessitas; quod & Laicis fidelibus plerumquè permittitur, ne quisquam sine remedio salutari de sæculo evocetur. Hæretici autèm, si tamèn in Patris, & Filii, & Spiritus sancti attestatione docentur baptisma suscepisse, non iterùm sunt baptizandi, sed solo chrismate, & manus impositione purgandi. Baptismus enim non est hominis meritum, sed Christi: ideòque ni-*

nihil interest, hæreticus, an fidelis baptizet. Quod Sacramentum tam sanctum est, ut nec, homicidâ ministrante, polluatur. Habet quidèm hæreticus baptismum Christi; sed quia extra unitatem fidei est, nihil ei prodest. At ubi ingressus fuerit, statim baptisma, quod habuerat foris ad perniciem, incipit illi jam prodesse ad salutem. Quod enim accipit, approbo; sed quia foris accipit, improbo. Dùm autèm venerit, non mutatur, sed agnoscitur: character est enim Regis mei baptismus, non error sacrilegus: corrigo desertorem, non muto characterem. Itaquè sententiæ Patrum Augustini & Isidori perspicuæ erant in ea parte, quâ tradebatur, baptisma collatum ab hæreticis valere; in altera autèm parte, quâ quæri posset, an baptizatum esse oporteret, qui baptizaret, dubiæ quodammodò videbantur; ubi enim tradebant illi, non attendi meritum baptizantis, sed unam Christi Sacramenti auctoris institutionem, generalis traditio videbatur, ad non baptizatos facilè producenda: at ubi de hæreticis, ac proindè de baptizatis hominibus præcipuum sermonem habebant, coerceri videbatur generalis illa definitio ad eos tantùm, qui jam baptizati proponerentur. Dubia mens Patrum explicari debuit per Pontifices Maximos, inter quos nominatus est Sergius, & Gregorius, nominari autèm etiam potuisset Nicolaus I., undè Collectores canonum, ut rem universam paucis perstringerent, exposuerunt, aliud fortè erui posse ex Augustino, & Isidoro; sed Romanorum Antistitum definitionem omnibus veterum dubitationibus prævalere. En paucis explicatam laudati canonis 59. sententiam, in cujus initio dubitatio proponebatur, qualis ex Isidori, aut Augustini dictis emergebat; in cujus deindè fine prodita est sententia Pontificum Maximorum. Nonnulla adjicio ad interpretationem laudati capitis 6. libri 5. Capitularium, ubi dicitur, baptizatum à Presbytero non baptizato *impositione manuum indigere*; vel enim nomine *impositionis manuum* intelligitur impositio manuum cæremonialis, & eam facere jure non poterat Presbyter non baptizatus; vel intelligitur impositio manuum ab Episcopo facienda in Sacramento Confirmationis. Fingamus enim verò, agi de Presbytero non baptizato, qui unà & Sacramentum Baptismatis, & Sacramentum Confirmationis juxta aliquarum Provinciarum veterem morem contulisset, uti in can. 1. dist. 95., & in cap. 4. de consuetudine: licet non esset iterandum Baptismatis Sacramentum, erat tamèn iterandum Sacramentum Confirmationis, quod passim apùd veteres nomine *Impositionis manuum* apellatur. Alitèr dicendum est de manus impositione, cum qua loco suprà laudato Isidorus ajebat recipiendos esse baptizatos ab hæreticis; etenim manus illa impositio erat reconciliatoria, quâ scilicèt hærètici ad Ecclesiam revertentes reconciliari solebant. Quod verò in eodem canone legitur, Presbyterum non baptizatum baptizandum esse, sed non iterùm ordinandum, nullibi legitur apùd veteres Patres, vel Augustinum, vel Isidorum. Neque ego ibi arbitror adjectum fuisse, ut indicaret auctor canonis ità aliquandò fuisse servatum, sed potiùs ut quædam dubitandi causa proponeretur. Siquidèm, quæ indè sequuntur, *sed Romanus Pontifex &c.* ideò adsuta fuerunt, ut significaretur, præcedentia canonis verba in disciplinam Ecclesiæ nunquàm recepta fuisse. Auctor Palearum ad id respexisse videtur, cum descripsit canonem subsequentem, id est, 60., ubi statuitur, Presbyterum non baptizatum & baptizandum esse, & iterùm ordinandum. Depromptus ille canon fuit ex lib. 6. Capitularium cap. 94. ibi: *Si quis Presbyter ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur, & ordinetur iterùm, & omnes, quos priùs baptizavit.* Burchardus eumdem canonem retulit sub nomine Concilii apùd Compendium (neque enim expressè Capitularia

Francorum nominare opportunum ducebat apùd Germanos, tunc Francis infensos) in cap. 74. lib. 1., & ex Burchardo Ivo in parte 1. cap. 268. Baluzius autèm in notis ad Capitularia jam animadvertit, in Concilio Compendiensi illum canonem non reperiri. Ego illud monumentum invenio inter canones Pœnitentiales Theodori Cantuariensis, de quibus inferiùs suo loco disserendum erit. Sanè in ea parte, quâ statuitur, Presbyterum non baptizatum & baptizandum esse, & iterùm ordinandum, rectam agnoscimus sententiam, relatam deindè in cap. 1. de Presbytero non baptizato, juxta quam jure rescribendum voluit Innocentius III. in cap. 3. eod. tit. Verùm in ea parte, quâ traditur, baptizatos ab eodem Presbytero esse rebaptizandos, referri quidèm potest ad veterum dubitationes, de quibus modò sermonem habebam; at postquàm aliud rescriptis Maximorum Pontificum definitum est, recipi minimè potuit. Hinc omissa fuit ea capitis pars in dicto cap. 1. de Presbytero non baptizato, & Romani Correctores in dicto can. 60. eamdem detrahendam à Gratianeis codicibus non immeritò existimarunt.

Ex variis veterum Patrum sententiis, Hieronymi, Gregorii Magni, & Isidori, compositum à Gratiano fuisse canonem 84. caus. 1. quæst. 1. jam alibi animadverti; nimirùm tum in cap. 59. partis 2., tum in cap. 3. partis hujus 3. ubi & quæ Gregorii, & quæ Hieronymi essent, exhibui. Superest nùnc, ut ea describam, quæ deprompta fuerunt ab Isidoro. Nimirùm apùd Isidorum in lib. 6. Etymologiarum cap. 19. nonnulla leguntur, ad quæ exigendus est versiculus *Mysterium itaquè* usquè ad versiculum, *Hoc de corpore*, ibi: *Sacrificium dictum, quasi sacrum factum, quia prece mystica consecratur, in memoriam pro nobis Dominicæ Passionis: undè hoc, eo jubente, Corpus Christi & Sanguinem dicimus; quod dum sit ex fructibus terræ, sanctificatur, & fit Sacramentum, operante invisibiliter Spiritu Dei, cujus panis, & Calicis Sacramentum Græci Eucharistiam dicunt, quod latinè bona gratia interpretatur. Et quid melius Corpore & Sanguine Christi? Sacramentum est in aliqua celebratione, cum res gesta ità fit, ut aliquid significare intelligatur, quod sanctè accipiendum est. Sunt autèm Sacramenta, Baptismus, & Chrisma, Corpus, & Sanguis Christi, quæ ob id Sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretiùs salutem eorumdem Sacramentorum operatur, undè & à secretis virtutibus, vel sacris, Sacramenta dicuntur. Quæ ideò fructuosè penès Ecclesiam fiunt, quia Sanctus in ea manens Spiritus eorumdem latenter Sacramentorum operatur effectum, undè seu per bonos, seu per malos ministros intra Dei Ecclesiam dispensetur; tamèn, quia Spiritus sanctus mysticè illa vivificat, qui quondàm Apostolico in tempore visibilibus apparebat operibus, nec bonorum meritis dispensatorum amplificantur hæc dona, nec malorum attenuantur; quia neque, qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, undè & græcè mysterium dicitur, quòd secretam & reconditam habeat dispensationem.*

Can. 84. caus. 1. q. 1.

Observaverunt jam Romani Correctores, non Isidori tantùm, sed aliorum complurium monasticæ vitæ Institutorum sententias congestas fuisse in can. 100. caus. 11. quæst. 3., qui integer extat apùd Smaragdum, Monachicarum Regularum Compilatorem. Paulò aliter canonem descripsit Ivo in parte 14. Decreti cap. 110. his verbis: *Qui consentit peccantibus, & defendit alium delinquentem, maledictus erit apùd Deum, & apùd homines, & corripietur increpatione severissimâ. Hinc & quidam Sanctissimus Pater ait: Siquis errori alterius consenserit, sciat se cum illo simili modo culpabilem judicandum, & excommunicandum.* Laudat autem Ivo *ex dictis Basilii.* Reverà in regula Basilii, ab Holstenio edita, interrogatione 26. nonnulla

Can. 100 caus. 11. q. 3.

le-

leguntur similia, ibi: *Quale judicium esse debet de his, qui fratres defendunt? Resp: ut mihi videtur, gravius ab illo, quod dixit Dominus: quia expedit illi, ut suspendatur mola assinaria ad collum ejus, & præcipitetur in mare, quam ut scandalizet unum ex minimis istis. Non enim jam correptionem ad emendationem, sed defensionem ad confirmandum peccatum suum suscipit, qui delinquit, sed & alios ad simile provocat malum, ità ut conveniat ei, qui peccantes defendit, illud quod dictum est: quia si non ostenderitis fructus dignos pœnitentiæ, excidemini, & in ignem mittemini.* Prætereà in Regula S. Pachomii, ab eodem Holstenio edita, cap. 176. exhibentur ipsa priora verba Gratianei canonis, ibi: *Qui consentit peccantibus, & defendit alium delinquentem, & maledictus erit apùd Deum, & homines, & corripietur increpatione severissimâ.* Ut verò hùc referantur consonantes Isidori sententiæ, ex quibus monumentum Sancto eidem Viro non injuriâ adtributum videtur, animadverto in primis, Isidorum ità scripsisse in lib. 3. Sententiarum cap. 32. in fine: *Plerique mali similes sibi in malum defendunt, & patrocinio suo pravos contra correptionem bonorum suscipiunt, ne undè displicent, emendentur; adjicientes in se aliena delicta, ut, non tantùm de suis malis, sed etiàm de aliorum facinoribus puniantur, quorum peccata defendunt.* Et in cap. 50. in fine: *Cujus peccatum quisque sequitur, necesse est, ut ejus pœnam sequatur. Neque enim impar erit supplicio, cujus erroris quisque par est, ac vitio.* Itèm in Regula Monachorum cap. 14. *Peccantem autèm nullus occultet; criminis enim est consensio, post secundam admonitionem celare quempiam peccantem.* Similia prætereà sunt in libellis, Isidoro tributis: Sic in Norma vivendi cap. 12. ita legitur: *Non solùm quippè factorum, sed conscius peccati tenetur obnoxius; neque immunis est à scelere, qui, ut faceret malè, obedivit. Similis est, qui obtemperat malo ei, qui facit malum: facientem & obsequentem pari pœnâ constringe.* Et in lib. 2. Synonimorum cap. 16. *Similis est, qui obtemperat in malo, ei, qui agit malum.* Porrò hæc ferè omnia nemo non videt ad Monachorum institutiones pertinere, ad quas propterea memoratus Gratiani canon præcipuè exigetur.

Non dissimili ratione Isidori nomen præsefert canon 101. caus. 11. quæst. 3. cujus sententiam in regulis brevioribus S. Basilii inveniri, jam adnotaverunt Correctores Romani. Plurimùm etiàm convenit cum iis, quæ tradit Basilius in Asceticis cap. 11. ità scribens: *Si malus sit dominus iniqua præcipiens, & servum ad trangressionem mandati veri Domini nostri Jesu Christi cogens, satagendum est, ut caveatur, ne nomen Domini blasphæmetur propter servum illum, si faciat aliquid, quod Deo displiceat.* Consonat prætereà Hieronymus in iis verbis, quæ superiùs retuli ad canonem 93. caus. 11. q. 3. pag. 179. & 180. Ut verò ad Isidori unius sententias respiciamus, cujus proindè nomine canon descriptus est, lego in libro ejusdem de Contemptu mundi. *Ità autèm obtempera homini, ut voluntatem Dei non offendas.* Itèm in libro de Norma vivendi: *Cunctis in præceptis sic obtempera, ut obtemperando hominum votis Deum non offendas.* Deniquè in libro 2. Synonimorum cap. 16. *Malum facere jussus, non acquiescas: malum facere jussus, non consentias. Noli in malum potestati cuipiam consentire, etiamsi pœna compellat: melius est mortem pati, quàm perniciosa jussa complere &c.* Ceterùm, quæ horum librorum fides sit, & auctoritas, jam superiùs attigimus.

Can. 101. caus. 11. q. 3.

Quod sub nomine Isidori legimus in can. 4. caus. 20. quæst. 1., non videtur omninò placuisse Isidoro eidem, si ipsius est Regula Monachorum illi tributa; siquidèm in cap. 4. ità legitur inter cetera: *Omnis conversus non est recipiendus in Monasterio, nisi priùs ipse scripto se spoponderit permansurum.* Ceterùm sub Isidori nomine, uti testantur Romani Correctores, legitur apùd Smarag-

Can. 3. & 4. caus. 20. q. 1.

ragdum in expositione regulæ S. Benedicti. Ego verò non puto, verba ipsa esse Isidori, sed potiùs Smaragdum paucis exposuisse, quid temporibus Isidori vigeret, de parvulis voluntate parentum Monasteriis addicendis. Id deductum in primis fuit ex canone 49. Concilii Toletani IV., cui præfuit Isidorus, quem ego ideò hùc referendum censui (habetur autem in can. 3. eadem causâ, & quæstione) his verbis: *Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit, quidquid horum fuerit alligatum* (legunt alii *allegatum*) *tenebit. Prondè his ad mundum reverti intercludimus aditum, & omnem ad sæculum interdicimus regressum.* Notat ad hunc canonem Baluzius, hanc disciplinam renovatam deindè fuisse à Chindasuinto Rege edita Constitutione, quæ extat in lib. 3. legis Wisigothorum tit. 5. cap. 3. Itaquè ex canone Toletano regulam efformavit Smaragdus sub nomine Sancti Hispalensis Antistitis, adjiciens Samuelis exemplum; de quo nonnulla etiam apùd Isidorum invenerat, tum in comment. in lib. 1. Regum cap. 1., tum in allegoriis in Sacram Scripturam vers. *Anna*, & vers. *Samuel.*

Can. 19. caus. 22. q. 4. Ex iis, quæ dicta sunt, colligitur, aliquandò Gratianum Isidorum pro Basilio laudavisse. Id evenire facilè potuit ex breviatis notis, quibus veteres Amanuenses utebantur. Finge enim, illos ità scripsisse *Bⁱⁱˢ* pro dictione *Basilius.* Qui legebant, occasionem capiebant, ut legerent: *B. Isidorus*, id est, *Beatus Isidorus.* Id evenisse puto in canone 19. caus. 22. quæst. 4., cujus verba habentur in regulis brevioribus Basilii, Ruffino interprete, interrogatione 184. ibi: *Si quis præventus fuerit, ut desſiniat agere aliquid eorum, quæ non placent Deo, pœnitentiam debet agere..... Opportet irrita revocare, quæcumque ex præsumptione contra mandatum Dei statuuntur.* Nihil in præsentia adjicio de versiculo *Tribus*; hunc enim jam superiùs expendi, ubi agendum fuit de Hieronymi monumentis pag. 187.

In canone 18. caus. 33. quæst. 2. non ipsa Isidori verba exhibentur, sed paucis perstringitur ea sententia, quam sanctus Vir habet in cap. 19. libri 2. de Officiis Ecclesiasticis ibi: *Apostolus, præcipio, inquit, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere. Prohibet enim dimitti quacumque ex causâ, ne aliis conjungatur secundum consuetudinem Judæorum, quam Dominus interdixit, dicens: Quicumque dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, & aliam duxerit, mœchatur. Solum, ut ait Hieronymus, adulterium est, quod uxoris vincat affectum, imò cum illa unam carnem in aliam diviserit, & se fornicatione separaverit, à marito non debet teneri, ne virum quoquè sub maledicto faciat, dicente Scriptura: qui adulteram tenet, stultus, & impius est. Ubicumquè est igitur fornicatio, & fornicationis suspicio, liberè uxor dimittitur. Quid ergò si sterilis est, si deformis, si ætate vetula, si fœtida, si temulenta, si iracunda, si malis moribus, si luxuriosa, si gulosa, si fatua, si vaga, si jurgatrix, & maledica? Tenenda est, velis, nolis, & qualiscumque accepta est habenda.* Non multùm quoquè à Gratianeo canone distat, quod legitur apùd Hincmarum Rhemensem in opusculo de divortio Lotharii in responsione ad 5. interrogationem ibi: *Legaliter initum conjugium nullâ potest ratione dissolvi, nisi conjunctâ separatione spiritali, aut manifestâ confessione, vel apertâ convictione ex corpoli fornicatione.* Can. 18. caus. 33. q. 2.

Nemo inficiari potest, depravatam esse inscriptionem canonis 14. caus. 35. quæst. 2. ità conceptam: *Isidorus ex Concilio Manticensi*, vel ut aliquæ editiones habent, *Maciensi.* Ivo Carnotensis in parte 9. Decreti cap. 44. idem monumentum laudavit, omisso Isidori nomine, *ex Concilio Manticeno.* Hugo autèm à S. Victore in lib. 2. de Sacramentis parte 11. cap. 15. *ex Concilio Mantisconensi.* Quid verò ultrà investigemus? Legitur canon ille in Concilio Vormaciensi anni 868. numero 78. his ver- Can. 14. caus. 35. q. 2.

verbis : *Contradicimus quoquè , ut in quarta generatione nullus ampliùs conjugio copuletur ; ubi autèm pòst interdictum factum inventum fuerit , separetur. Sanè eadem, quæ in viri , hæc nimirùm in uxoris parentela de lege nuptiarum regula custodienda est ; quoniàm constat , eos duos esse in carne una. Ideò communis illis utrimque parentela esse credenda est , sicut scriptum est: Erunt duo in carne una.* Eadem verba leguntur in Concilio Moguntino I. anni 847. can. 30. , similis autèm sententia reperitur in Concilio Cabilonensi anni 813. can. 29. ibi: *Sanè , quæ in proprio viro , hæc nimirùm in uxoris parentela de lege nuptiarum regula custodienda est. Quia ergò constat, eos duos esse in carne una , communis illis utrimque parentela esse credenda est , sicut scriptum est : Erunt duo in carne una.* Itaquè Concilium Vormaciense apùd Collectores *Maciense* , corrupto nomine, appellari cœpit, aut *Manticense*, undè Gratianus in inscriptione canonis facilè lapsus deprehenditur. Sed quæres , quâ ratione fieri potuerit , ut Isidori nomen irreperet? Ego puto , Gratianum erravisse ex codice Ivonis; etenim apùd Ivonem canon memoratus sub nomine Concilii Manticeni describitur in parte 9. cap. 44. , deindè in cap. 45. subsequitur hæc inscriptio : *Itèm ex dictis Isidori*: ex particula *Itèm* , quæ conjunctionem facere videtur , arbitratus est Gratianus etiam præcedenti canoni posse Isidori nomen adscribi.

Can. 1. & 6. caus. 35. q. 5.

Supersunt adhùc canones 1. & 6. caus. 35. quæst. 5. , in quibus non Isidori verba referuntur , sed tantùm ideò Isidori nomen laudatur , quòd multa ad hanc rem Isidorus tradidit in lib. 9. Etymologiarum cap. 5. & sequentibus, imò canon 6. totus est Julii Pauli in libro 4. Sententiarum tit. 11. de Gradibus. Hunc canonem descripsit Ivo in parte 9. Decreti cap. 64. nullo adjecto auctoris nomine , ubi tamèn notatum fuit ad marginem , multa de ea re ab Isidoro tractari , quod censeo occasionem dedisse Gratiano putandi , Isidorum fuisse canonis auctorem. Hinc palàm faciam Isidori verba in dicto cap. 5. & seq. , ad quæ Gratianea monumenta exigantur , atque emendentur. Ait ille : *Pater est , à quo nascitur initium generis : itaquè is Paterfamilias vocitatur. Pater autèm dictus eo , quòd patratione peracta filium procreet... Mater dicitur , quod exindè efficiatur aliquid ; mater enim est, quasi materia , nàm pater causa est...Avus patris pater est , ab ævo dictus , id est, ab antiquitate. Proavus avi pater est , quasi propè avum. Abavus proavi pater, jam longè ab avo. Atavus abavi pater. Tritavus atavi pater , quasi tretavus , id est , quartus supra abavum. Sed tritavus ultimum cognationis nomen est. Familia autèm oritur à patre , terminatur in tritavo. Filius & filia à familia dicti , ipsi enim primi in ordine nascentium existunt.....Nepos est, qui ex filio natus est ; dictus autèm nepos, quasi natus pòst...Pronepos est , qui ex nepote conceptus , natusque est ; & dictus pronepos , quasi natus porrò post. .. Pronepos dictus, quia propè nepotem. Abnepos, quia sejungitur ab nepote ; est enim inter illum & nepotem pronepos. Adnepos abnepotis filius.Trinepos adnepotis filius; quia pòst nepotem quartus in ordine est, quasi tetranepos. Minores autèm non dicimus , nisi quotiès graduum desivit nomen, ut puta, filius, nepos , pronepos, abnepos,adnepos , trinepos. Ubi isti gradus defecerint , meritò jam dicimus minores , sicut & majores dicimus pòst patris , avi , proavi , abavi , atavi, tritavi vocabulum.* Pòst hæc transit Isidorus in capitibus subsequentibus ad explicanda cognatorum , agnatorumque nomina , quos collaterales appellamus, ibi : *Fratres dicti , eo quod sint ex eodem fructu , id est , ex eodem semine nati..... Soror autèm , ut frater , nàm soror est ex eodem semine dicta , quòd sola cum fratribus in sorte agnationis habeatur. Fratrum filii patrueles dicti , eo quòd patres eorum germani fratres inter se fuerunt. Consobrini verò vocati , qui aut ex sorore , & fratre , aut ex duabus sororibus sunt nati, quasi consororini. Fratrueles autèm mater-*

te-

teræ filii sunt : Sobrini consobrinorum filii. Tius Græcum nomen est. Patruus frater patris est , quasi pater alius , unde decedente patre pupillum prior patruus suscipit , & quasi filium lege tuetur. Avunculus est matris frater , cujus nomen formam diminutivi habere videtur , quia ab avo venire monstratur. Amita est soror patris , quasi alia mater. Matertera est soror matris, quasi altera mater. Socer est , qui filiam dedit. Gener est , qui filiam duxit ; gener autem dicitur , quod adsciscatur ad augendum genus. Socer autèm & socrus , quod generum , vel nurum sibi associavit. Vitricus autèm , qui uxorem ex alio viro filium, aut filiam habentem duxit , & dictus vitricus , quasi novitricius , quod à matre superducatur novus. Privignus est , qui ex alio patre natus est , & privignus dici putatur, quasi privigenus , quia priùs genitus , undè & vulgò ante natus. Vocabula autèm à gente hæc videntur declinata , genitor , genitrix , agnati , agnatæ , cognati , cognatæ, progenitores, progenitrices, germani, germanæ. Pòst hæc in aliquibus exemplaribus, uti superiùs jam adnotatum est , leguntur verba canonis 1. caus. 35. quæst. 4., ac deniquè in cap. 7. expatiatur Isidorus clariùs indicans ascendentium , & descendentium gradus , itèm collateralium , id est , patruorum , amitarum, avunculorum , & materterarum , his verbis : *Auctor mei generis pater mihi est; ego illi filius , aut filia. Patris mei pater mihi avus est ; ego illi nepos , aut neptis. Patris mei avus mihi proavus est ; ego illi pronepos , aut proneptis. Patris mei proavus mihi abavus est ; ego illi abnepos , aut adneptis. Patris mei abavus mihi atavus est ; ego illi adnepos , aut adneptis. Patris mei atavus mihi tritavus est ; ego illi trinepos , aut trineptis. Patris mei frater mihi patruus est ; ego illi fratris filius , aut filia. Patrui mei pater mihi pater magnus est; ego illi filii fratris filius , aut filia. Patrui mei avus mihi propatruus est ; ego illi filii, aut filiæ nepos , aut neptis. Patrui mei proavus mihi adpatruus est ; ego illi nepotis, aut neptis filius , aut filia. Matris meæ soror mihi amita est ; ego illi fratris filius, aut filia. Amitæ meæ mater mihi amita magna est, ego illi filiæ fratris filius , aut filia. Amitæ meæ avia mihi proamita est ; ego illi neptis filius , aut filia. Amitæ meæ proavia mihi abamita est , ego illi neptis , nepos, aut neptis. Matris meæ frater mihi avunculus est ; ego illi sororis filius , aut filia. Avunculi mei pater mihi avunculus magnus est ; ego illi filii sororis filius , aut filia. Avunculi mei avus mihi proavunculus est; ego illi filii nepos , aut neptis. Avunculi mei proavus mihi abavunculus est ; ego illi neptis filius , aut filia. Matris meæ soror mihi matertera est ; ego illi sororis filius , aut filia. Materteræ meæ soror mihi matertera magna est ; ego illi sororis nepos , aut neptis. Aviæ meæ soror mihi abmatertera est; ego illi pronepos sororis , aut proneptis. Proaviæ meæ soror mihi promatertera est; ego illi neptis filius , aut filia.*

CAPUT XXVIII.

De Fructuoso.

Fructuosum auctorem in subjecto canone Gratianus laudavit.

(*Can.* 32. *de cons. dist.* 5. *ex integris codicibus supplendus.*

CEleber est ob editas præsertim apùd Monachos regulas Fructuosus, qui , pòst exactam integerrimam in cænobiis vitam, Dumiensis primùm, deindè Bracarensis Episcopus fuit circa annum 670. Duplex à Luca Holstenio sub

ejus

ejus nomine edita fuit regula; quarum prior capitibus 25. constabat, quorum tamèn duo postrema perierunt; posterior capitibus 20. circumscribitur. In capite 5. regulæ prioris legitur laudatus canon 32. de cons. dist. 5., in quo cum nonnulla omissa fuerint à Gratiano, ità legendum erit: *Carnem cuiquam nec gustandi, nec sumendi est concessa licentia, non quòd creaturam Dei judicemus indignam, sed quòd carnis abstinentia utilis & apta Monachis æstimetur. Servato tamèn moderamine pietatis erga ægrotorum necessitudines, vel longè proficiscentium qualitates, ut & volatilium esibus infirmi sustententur, & longinquo itinere destinati. Si aut à Principe, vel Episcopo sperantur, pro benedictione & obedientia degustare non metuant, servantes apùd se de reliquo continentiam consuetam. Quod siquis Monachus violaverit, & contra sanctionem regulæ, usumque veterum, vesci carnibus præsumpserit, sex mensium spatio retrusioni, & pœnitentiæ subjacebit.* Similia quædam statuerat Benedictus in sua Regula cap. 39., Cæsarius in sua Regula cap. 24., Aurelianus in sua Regula cap. 51., & alii Monachorum Institutores, numero plurimi.

CAPUT XXIX.

De Diurno Libro.

Diurni Libri fit mentio in subjecto canone.

(*Can.* 8. *dist.* 16. *ex integris editis codicibus emendandus.*

VUlgatissimus olim erat, & penè familiaris viris Ecclesiasticis liber, qui dicebatur *Diurnus*, eratque adinstar nostrorum Manualium, seu Ritualium, in quo nimirùm continebatur disciplina ac ritus sacrarum ordinationum, præsertim Pontificis Maximi, & Antistitum Romanæ Provinciæ Suburbicariorum; itèm formulæ scribendi Ecclesiastica monumenta, quales erant epistolæ formatæ, commendatitiæ, & aliæ hujus generis. Potissimus ejus usus fuit à sexto sæculo usquè ad decimum; quamobrèm, si ejusdem originem investigare velimus, eam inveniemus in obscuro admodùm collocatam, præsertim quod vel ipso sexto sæculo noscamus extitisse, intereà tamèn adpareant in eo monumenta quædam, sexto sæculo recentiora. Illud fidentèr dicere possumus, antiquissimum librum esse origine suâ, cui tamèn identidèm pro ratione temporum nonnulla adjici debuerunt; uti contingit etiam in Manualibus recentioribus, Breviariis, & aliis hujusmodi Ecclesiasticæ disciplinæ codicibus. Postquàm verò in ejus libelli vicem alia Manualia successerunt, adeò obsolevit Diurnus, ut viri eruditi decimiquinti, decimisexti, & decimiseptimi sæculi vix quædam illius exemplaria invenerint. Hinc Antonius Augustinus lib. 1. de emendat. Gratiani Dialogo 20. de eo libello ità scribebat: *Is liber non extat, quod sciam, hoc titulo: Professionis tamèn vidi aliquot exempla.* Baluzius in notis ad Antonium Augustinum ætate suâ tradidit duo reperiri exemplaria, unum Romæ in Bibliotheca Vaticana, alterum Lutetiæ in Bibliotheca Collegii Claromontani Societatis Jesu, ex quo Clarissimi nonnulli Viri in suos usus descripserunt: addidit præterea, mentem fuisse Lucæ Holstenii, ut eum typis ederet, imò & nonnulla editionis suæ folia ad Petrum de Marca tunc Tolosanum Archiepisco-

pum misisse. Launojus in libro de commentitio Lazari, Magdalenæ, & Marthæ in Provinciam appulsu cap. 10. observatione 10. testabatur, se vidisse Diurnum Romanum, jam à temporibus Leonis II. confectum, in quo legebatur professio fidei, quam emittere solebat, dum ordinaretur, Romanus Antistes, subdens: *Laudatum porrò Romanæ Ecclesiæ Diurnum, qui videre voluerit, apùd eos videbit, ad quos integra pervenit Caroli Moncalli Tolosatis Archiepiscopi Bibliothecæ.* Sed tandèm publicam lucem adspexit Diurnus liber operâ Joannis Garnerii Parisiis anno 1680., non tamèn omninò integer, cui propterea supplementum quoddam adjicere debuit Mabillonius in parte 2. Musæi Italici tom. 1. pag. 32. Omnium sollicitudinem explevit Hoffmannus, qui anno 1733. illum edidit Lipsiæ in tomo 2. monumentorum, adnotans, putare se, libellum fuisse compositum pòst annum 714. sub Gregorio II., aut saltèm sub eam tempestatem adauctum. Ibidèm in titulo 9. legitur canon 8. dist. 16. sub hac inscriptione: *Indiculum Pontificis*; ubi describitur formula professionis fidei, quam emittebat Romanus Pontifex tempore suæ consecrationis. Inter cetera sive in editione Hoffmanni, sive in editione Garnerii habentur hæc, ad quæ Gratianeus canon est exigendus. *Sancta quoquè universalia Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum I., Chalcedonense, & II. Constantinopolitanum, quod Justiniani piæ memoriæ Principis temporibus celebratum est, usquè ad unum apicem immutilata servare* (subaudi *profiteor*, quod verbum habetur in principio ejusdem indiculi) *& unà cum eis pari honore, & veneratione Sanctum VI. Concilium, quod nuper Constantino piæ memoriæ Principe, Agathone Apostolico Prædecessore meo convenit, medullitùs, & pleniùs conservare, quæque verò prædicaverunt, prædicare, quæque condemnaverunt, ore, & corde condemnare.* Eadem paucis immutatis verbis, non tamèn mutatâ sententiâ descripserunt sub nomine *Pontificiæ professionis* Ivo parte 4. Decreti cap. 132. Antonius Augustinus Epitome Juris Pontificii veteris, lib. 5. tit. 10. cap. 54. Hoffmannus putat, eam esse fidei professionem, quam emisit aut Conon, aut Sergius Cononis Successor, libro Diurno jam olim edito deindè insertam, tanquàm recentioribus Pontificibus normam futuram. Cardinalis Baronius ad annum 869. num. 65. integram ejusmodi formulam fidei edidit, cui marginalis nota adjecta est, quâ indicatur, depromptam eam esse ex MS. antiquo Antonii Augustini, & ex Diurno libro. Referam heic eam formulæ partem, quæ cum Gratianeo canone consonat. Ità ibidèm legitur: *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Ego N... profiteor tibi, B. Petre Apostolorum Princeps..... Sanctæque tuæ Ecclesiæ, quam hodiè tuo præsidio regendam suscipio... de ceteris Ecclesiæ dogmatibus, sicut in universalibus Conciliis, & Constitutionibus Apostolicorum Pontificum, probatissimorumque Ecclesiæ Doctorum scriptis sunt commendata... Sanctaque octo universalia Concilia, id est, Nicænum, Constantinopolitanum, & Ephesinum I., Chalcedonense, quintum quoquè, & sextum itèm Constantinopolitana, & septimum itèm Nicænum, octavum quoquè itèm Constantinopolitanum, usque ad unum apicem immutilatè servare, & pari honore, & veneratione digna habere, & quæ prædicaverunt, & statuerunt, omnimodè sequi, prædicare; quæque condemnaverunt, condemnare ore, & corde. Diligentiùs autèm, & vivaciùs, quamdiù vixero, omnia decreta canonica prædecessorum Apostolicorum nostrorum Pontificum, quæcumque ipsi synodaliter statuerunt, & probata sunt, confirmare, & indiminuta servare... disciplinam, & ritum Ecclesiæ, sicut invenimus à Sanctis Prædecessoribus meis canonicè traditum, quamdiù vita in istis comes fuerit, illibatè custodire &c.* Non erat hæc sanè singularis Romanæ Ecclesiæ disciplina; etenim in omnibus Ecclesiis vigebat, ut recens consecratus,

tus, vel consecrandus Episcopus fidei professionem emitteret, quod & Græci moribus suis firmaverunt. Hinc & in Græco Pontificali, qui editus fuit ab Isacio Haberto latinè redditus, similis professionis formula habetur pag. mihi 495. ibi: *Præter hæc recipio sanctas, & universales septem synodos, quæ conservationis sanctorum dogmatum causâ fuere coactæ, promittens, me statutos ab eis canones amplexurum, & servaturum: itidèmque sanctas Constitutiones, quæcumque Sanctis à Patribus nostris promulgatæ sunt diversis occasionibus, & temporibus, omnes, quas ipsi recipiunt, cum eis recipio; & quas aversantur, cum eis aversor.* Fortè ideò omissa fuit professio eorum, quæ in Synodo octava decreta fuerant, vel quia ea fidei formula edita jam extaret ante Synodum eamdem octavam, vel quia eam silentio præteriri Ecclesiastica æconomia suadebat; siquidèm cum in Synodo 8. utramque Ecclesiam, Græcam nimirùm, & Latinam, exagitasset Photiani schismatis causa, quandò deindè Græci à schismate recesserunt, in quod anteà proni fuerant, indulgendum ipsis quoquo modo visum fuit, si non expressâ verborum formulâ Photianum schisma, sive decessorum suorum improbitatem detestarentur.

CAPUT XXX.

De Theodoro Cantuariensi.

Multa sunt apùd Gratianum monumenta Theodori Cantuariensis; quorum alia nomen quidèm auctoris sui præseferunt, alia sunt diversis auctoribus adtributa.

Can. 3. *dist.* 27. *ex aliis codicibus emendandus.*
Can. 60. *caus.* 1. *q.* 1. *ad mentem Theodori exigendus.*
Can. 12. *caus.* 15. *q.* 1. *est potiùs Concilii Vormaciensis.*
Can. 41. *caus.* 16. *q.* 7. *falsò tributus Bonifacio Papæ.*
Can. 16. *caus.* 17. *q.* 4. *ex Theodori monumentis emendandus.*
Can. 7. *caus.* 20. *q.* 1. *non dissonat à Theodori sententiis.*
Can. 2. *caus.* 20. *q.* 4. *perperàm Basilio adscriptus.*
Can. 1. *caus.* 22. *q.* 5.
Can. 2. *caus.* 22. *q.* 5.
Can. 3. *caus.* 22. *q.* 5.
Can. 4. *caus.* 22. *q.* 5.
} *ad varios Pœnitentiales libros exigendi.*
Can. 1. *caus.* 26. *q.* 7. *referendus ad Pœnitentiale quoddam Oxoniense.*
Can. 43. *caus.* 27. *q.* 1. *idem est cum can.* 3. *dist.* 27.
Can. 27. *caus.* 27. *q.* 2. *falsò adscriptus Eusebio Papæ.*
Can. 2. *caus.* 28. *q.* 1.
Can. 3. *caus.* 28. *q.* 1.
} *falsò adscripti Eutychiano Papæ.*
Can. 6. *caus.* 32. *q.* 1. *potiùs adversari videtur Theodori sententiis.*
Can. 90. *de pœn. dist.* 1. *exigendus ad canonem Concilii II. Cabilonensis.*
Can. 3. *caus.* 35. *q.* 2. *falsò tributus Fabiano Papæ.*
Can. 13. *caus.* 35. *q.* 2. *falsò tributus Julio Papæ.*
Can. 27. *de cons. dist.* 1. *falsò inscriptus Concilio Aurelianensi.*
Can. 28. *de cons. dist.* 1. *falsò inscriptus Concilio Agrippinensi.*

Can. 94. *de cons. dist.* 2. *falsò inscriptus Concilio Arelatensi.*
Can. 100. *de cons. dist.* 4. *falsò inscriptus Hygino Papæ.*
Can. 102. *de cons. dist.* 4. *falsò inscriptus Concilio Moguntino.*
Can. 117. *de cons. dist.* 4. *exigendus ad Capitula, à Dacherio edita.*
Can. 121. *de cons. dist.* 4. *falsò inscriptus Concilio Bellunacensi.*

Theodorum, Tharso Ciliciæ natum, Vitalianus Papa Romæ Episcopum ordinans ad Britanniam misit, undè tàm orientalium, quàm etiam occidentalium Ecclesiarum consuetudinibus pleniter instructus fuerat. Nec eum aliqua latere potuerunt, quæ in observationibus legitimis Græci, vel Romani eo tempore habuerunt, maximè cum in utraque lingua perfectè instructus esset. Ità paucis patriam, indolem, ac dignitatem Theodori Cantuariensis Episcopi Rhabanus indicavit apùd Reginonem lib. 2. de Ecclesiasticis disciplinis cap. 200. Exactiùs Morinus in libro 7. de pœnitentia cap. 1. num. 15. ibi: Theodorus Græcus erat Monachus, Tharsi Ciliciæ natus, quem Episcopum ordinavit Vitalianus Papa anno Christi 668., & in Britanniam misit, ad quam pervenit anno ordinationis suæ secundo. Cantuariæ sedit annos 21. menses 3. . dies 26., ut scribit Beda Historiæ Anglorum lib. 4. cap. 1., & 2., obiit autem anno 690. Ex monumentis Theodori, quæ hodiè apùd eruditos celebratiora sunt, extat vulgatissimus Pœnitentialis liber, quem in occidentali Ecclesia omnium antiquissimum puto, & quem deindè tanquàm regulam, & normam secuti fuisse videntur recentiores Latinorum Pœnitentialium auctores. Utile est in præsentia de Pœnitentialibus nonnulla generatim attingere, ut aptior deindè Gratianeis canonibus exindè depromptis interpretatio affingatur.

Priscis Ecclesiæ sæculis, quum Ecclesia diris vexationibus quatiebatur, quemadmodum reliquis disciplinæ capitibus, ità & Pœnitentium rationibus dirigendis satis & undecumquè consuli non potuit. Hinc ubi delinquentes essent per satisfactionem Deo, & Ecclesiæ reconciliandi, ex uniuscujusque Sacerdotis, vel Episcopi reconciliantis arbitrio pendebat ità singula moderari, ut quod quisque prudenter judicasset, id pro lege à pœnitentibus haberetur. Pacatis Ecclesiæ rebus, cum quorumdam Sacerdotum aut nimia austeritas pœnitentes ferè in desperationem adduceret, aut nimia indulgentia illorum utilitati parùm consuleret, operæ pretium duxerunt prudentissimi quidam Antistites generales quasdam regulas ad disciplinam pœnitentium stabiliendam elucubrare, easdemque palàm proponere, à quibus Sacerdotes non deflecterent. Has regulas appellaverunt canones Pœnitentiales, & Pœnitentiales libros, in quibus regulæ continerentur. Primùm apùd Græcos illi prodierunt, auctoribus Basilio in epistolis canonicis ad Amphilochium Iconiensem, Athanasio in epistola ad Ruffinianum Episcopum, Gregorio Thaumaturgo in epistola de pœnitentia, Gregorio Nysseno in apistola ad Letojum, Cyrillo Alexandrino in suis epistolis canonicis, Joanne Monacho Episcopo Constantinopolitano in libello Pœnitentiali, aliisque numero plurimis. Apùd Latinos nullus ante Theodorum Cantuariensem liber Pœnitentialis adparet, nisi dixeris quemdam extitisse vetustissimum, qui à Cypriano Carthaginensi conditus est, & quem in suis epistolis Cyprianus ipse commemorat; hunc tamèn nec inter opera Cypriani reperiri, neque in aliqua Ecclesia diù receptum fuisse, scimus.

Itaquè Theodorus, instructus disciplinâ Græcorum, ubi in Angliam perrexit, usum Pœnitentialium librorum, quem utilem apùd orientales noverat, invexit in occidente, & primus cum Episcopalem sedem adscendit Sacerdotibus suæ Diœceseos satisfactionis pœniten-

tentibus indicendæ pro qualitate criminum normam præbuit. Non placere Latinis non potuit ea ratio, quorum alii Pœnitentiale Theodori in suas Diœceses traducere, alii nova Pœnitentialia ad illius exemplum condere studuerunt. Hinc plures ejus nominis libri evulgati, quorum celebratissimi fuerunt præter Pœnitentiale Theodori, Pœnitentiale Bedæ, Pœnitentiale Rhabani, & Pœnitentiale Romanum. Reginonis Prumiensis ætate singulis Sacerdotibus præstitutum erat, ut unum ex iis Pœnitentialibus haberent, quo tanquàm regulâ uterentur. Hinc Regino in lib. 1. de Eccles. discipl. in principio interrogat. 95. scribit, Episcopum inquirere ab unoquoque Sacerdote Diœceseos suæ debere: *Si habeat Pœnitentiale Romanum, vel à Theodoro Episcopo, vel à venerabili Presbytero Beda editum, ut, secundum quod ibi scriptum est, interroget confitentem, aut confesso modum pœnitentiæ imponat.* Et anteà interrogat. 57. *Si feriâ quartâ ante quadragesimam plebem sibi commissam ad confessionem invitet, & ei juxtà qualitatem delicti Pœnitentiam injungat, non ex corde suo, sed sicut in pœnitentiali scriptum est.* Utinàm verò viri tantúm doctrinâ prudentiâque spectabiles edendis Pœnitentialibus manum admovissent. Ast incredibile propemodùm est, quot emerserint numero hujusmodi codices, quorum aliqui non solùm nullam utilitatem Ecclesiis induxerunt, sed potiùs plurimum adtulerunt detrimenti; quamobrem in Concilio Cabilonensi 2. anni 813. opportunum visum fuit optimis Antistitibus eorum auctoritatem elevare, ac statutum fuit in can. 38., ut penitùs antiquarentur, ibi: *Modus autèm pœnitentiæ peccata sua confitentibus aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum scripturarum auctoritatem, aut per Ecclesiasticam consuetudinem, sicut superiùs dictum est, imponi debet, repudiatis, ac penitus eliminatis libellis, quos pœnitentiales vocant, quorum sunt certi errores, incerti auctores, de quibus rectè dici potest: Mortificabant animas, quæ non moriuntur; & vivificabant animas, quæ non vivebant. Qui dum pro peccatis gravibus leves quosdam, & inusitatos imponunt pœnitentiæ modos, consuunt pulvillos secundum propheticum sermonem sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* Pòst Cabilonensem hunc canonem duo sensim derivaverunt. Primum est, parvi fieri cœpisse Pœnitentiales libros, undè pristina restituta fuit disciplina; quâ etiamnum obtinet, ut satisfactionis opera pœnitentibus injungenda ex prudenti Sacerdotis arbitrio pendeant, quod explicatum fuit à Tridentinis Patribus in cap. 8. sess. 14. Alterum est, ut memoria Pœnitentialium libro um penè tota interierit, quamobrem vix aliquot supersunt celebriores, qualis est Theodori, Bedæ, & Romanus, aut aliqui alii pauci, quos veriùs ego appellarem Pœnitentialium fragmenta; neque enim quotquot editi sunt, integri omninò videntur, & quales à suis auctoribus initio prodierunt; quod deducitur ex eo, quòd non satis accuratus sit in illis rerum, ac sententiarum o do, neque in diversis codicibus eædem sententiæ, eademque methodo propositæ exhibeantur.

Pœnitentiale Theodori, ut de hoc nùnc verba faciam, omissis ceteris, duplex hodiè editum est, quorum primum prodiit operâ Lucæ Dacherii, apùd quem nomine Capitulorum Theodori donatur, rude tamèn admodùm, & informe ex veteribus MSS. codicibus Corbejensi, & Sangermanensi derivatum; quod proindè iterùm editum fuit jussu Edmundi Martene ex vetere codice, ut ipse ait, annorum ferè 700., qui fuerat olim Emerici Bigotii. Videatur editio Parisiensis anni 1723. Alterum prodiit operâ Jacobi Petiti Parisiis anno 1677. Dacheriano longè brevius, & 14. tantùm titulis comprehensum, ex duobus, ut ipse refert, codicibus vetustissimis MSS. Bibliothecæ Thuanæ, ad-

adjectis deindè pluribus capitulis, atque fragmentis, quæ tamèn apùd eruditos nonnullos suppositicia existimantur. Jam verò in conspectu horum codicum ad Gratianeos laudatos canones devenio, qui sanè ad Pœnitentialem Theodori librum commodè referri quoquomodò possunt.

Can. 3. dist. 27. & can. 43. caus. 27. q. 1. Ex Pœnitentiali Theodori deprompt-tus dicitur canon 3. dist. 27., cujus priora verba iterùm apùd Gratianum referuntur in can. 43. caus. 27. quæst. 1., ubi desideratur dictio illa *simplex*, quæ habetur in can. 3., quemadmodùm & desideratur etiàm in can. 3. juxtà antiquos Gratiani codices, quemadmodùm testati sunt Correctores Romani, unà adnotantes, in aliquot exemplaribus exhiberi, tanquam glossam quamdam interlinearem ab eo adjectam, qui vixit pòst inventam distinctionem votorum simplicium, ac solemnium, probatam primum, & explicatam à Bonifacio VIII. in cap. un. de voto, & voti redempt. in 6. In Pœnitentiali edito à Petito monumentum illud minimè legitur, sed potiùs apùd Dacherium his verbis cap. 32. *Si quis maritus votum habens virginitatis adjungitur uxori, posteà non dimittat uxorem, sed pœniteat tribus annis. Vota ſtulta frangenda sunt, & importabilia &c.* Eadem verba edidit Petitus inter fragmenta Dacheriana pag. 46. num. 18.

Can. 60. caus. 1. q. 1. Iterùm hùc redit canon 60. caus. 1. quæst. 1., cujus sententiam, & interpretationem superiùs edidi inter monumenta Isidori Hispalensis pag. 504. Tantùm hoc loco superest, ut adnotem, ea verba inveniri in Pœnitentiali Theodori, ex quo Collector Capitularium in codicem suum derivasse videtur. Sive inter Dacheriana capitula cap. 111., sive in Petiti libello cap. 2. ità legitur: *Siquis Presbyter ordinatus deprehendit se non esse baptizatum, baptizetur, & ordinetur iterùm, & omnes, quos prius baptizavit.* Occasione hujus fragmenti nonnulli carpere non dubitaverunt Theodorum, quasi de Ministro Baptismi turpiter erraverit in re, ceteroquin ab Ecclesia jam definitâ. Sunt, qui Theodorum ab ea labe vindicant, tradentes, monumentum illud à recentioribus quibusdam falsariis fuisse corruptum. Ego verò excusandum potiùs Theodorum censeo, etiamsi in eam iverit opinionem, quandò, uti superiùs cap. 27. diximus, nondùm tum communi virorum Ecclesiasticorum consensione receptum fuerat, valere Baptismum, qui à non baptizato collatus fuisset. Adde his tentari posse, Theodorum non sermonem instituisse de iterando Baptismatis Sacramento, sed potiùs Baptismatis cæremoniis, quas ritè implere non poterat nondùm baptizatus. Scopus Theodori id facilè suadet; cum ageret non de Baptismatis Sacramento, sed de ratione satisfaciendi Deo per pœnitentiam. Quis autèm ignorat, Catechumenos ante susceptum Baptisma variis eo tempore expiationibus consuevisse purgari? Quod si verum est, non repugnabit sanè egregii Viri opinio solidis Ecclesiæ disciplinis, dum traderetur, solemnitates illas suscipiendi Baptismatis iterandas fuisse, quotiès Baptisma collatum proponeretur ab eo, qui baptizatus non erat, ac propterea ceremonialium formularum baptismatis implendarum destituebatur facultate.

Verba canonis 12. caus. 15. quæst. 1. apud Reginonem in lib. 2. cap. 96. tanquàm ex Concilio Moguntiacensi, apùd Ivonem in parte 10. Decreti cap. 154. tanquàm ex Concilio Turonensi, apùd Gratianum tanquàm ex Pœnitentiali Theodori deprompta exhibentur. Nemo ex iis canonis fontem demonstravit, quem demùm indicaverunt Correctores Romani, referentes illa ad Concilium Vormaciense anni 857., in quo ità legitur can. 28. *Siquis insaniens aliquem occiderit, si ad sanam mentem pervenerit, levior ei pœnitentia imponenda est, quàm ei, qui sanâ mente tale quid com-* Can. 12. caus. 15. q. 1.

commiserit. Pòst hunc canonem sequitur vigesimus nonus, qui apùd Gratianum habetur in can. 50. dist. 50. Quòd si quisquam quærat, quâ ratione fieri potuerit, ut Vormaciensis canon Theodoro tribueretur, dicam facilè contigisse, ut canon ille ad disciplinam pœnitentium pertinens in quodam Pœnitentiali adjiceretur, undè Gratianus Pœnitentialem Theodori librum, velùt præ ceteris famigeratum, laudaret. Reverà idem canon verbo tenùs legitur in Pœnitentiali Romano edito ab Antonio Augustino lib. 1. cap. 6. His additur, similia quædam reperiri sive in Capitulis Theodori Dacherianis cap. 73., sive in Pœnitentiali Petiti cap. 10. ibi : *Qui se ipsum occiderit propriâ voluntate, missas pro eo facere non licet, sed tantùm orare, & eleemosynas largiri. Siquis Christianus subitâ tentatione mente suâ excesserit, vel per insaniam seipsum occiderit, quidam missas faciunt.* Itaquè Vormaciensis canon sub nomine Theodori laudari ex eo potuit, quòd nonnulla de eadem materie apùd Theodorum constituta deprehenderentur.

Can. 41. caus. 16. q. 7. Ad Pœnitentiale Theodori etiam pertinet canon 41. caus. 16. quæst. 7., de quo nihil in præsentia adjicio, cum integra Pœnitentialis verba retulerim in parte 2. cap. 39. pag. 297.

Can. 16. caus. 17. q. 4. Quæ sub nomine Theodori referuntur in canone 16. caus. 17. quæst. 4., non omnia ad Theodorum pertinent, sed tantùm priora verba. Apùd Dacherium in Capitulis cap. 73. ità legitur: *Pecuniâ Ecclesiasticâ furatâ, sive raptâ reddatur quadruplum, popularia duplicetur.* Legit heic Gratianus *populi verò duplicetur.* Corrupta sanè utrobiquè editio est, in qua potiùs scribendum erat, *populari dupliciter*, ut indicaretur, graviorem esse, & duplo majorem pœnam furti adversùs Ecclesiam admissi, quàm furti admissi adversùs unumquemque de populo privatum, cujus causâ imminet furi ex legibus Romanis pœna dupli. Eam emendationem probavit recentior editor Dacherianorum Capitulorum ad marginem adnotans ità legi in nonnullis codicibus; probavit præterea Petitus pag. 48. cap. 54. animadvertens, idipsum legi apùd Bedam de remediis peccatorum cap. 2. Consonat etiàm cum his Regino, qui in lib. 2. cap. 266. nomine *legis Romanæ* ità scripsit : *Pecunia Ecclesiastica furata, sive rapta solvatur quadruplum, popularia dupliciter*; id est, sicut quadruplum Ecclesiæ luendum est, ità unicuique de populo duplum, prout furtum vel in rebus Ecclesiasticis, vel in rebus uniuscujusque de populo est admissum. Fortè etiam olim in MSS. codicibus legebatur *populari a. dupliciter*, ut legendum esset *populari autèm dupliciter*, quam breviatam scribendi rationem parùm attendentes Amanuenses scripserint : *popularia dupliciter.* Posteriora verba canonis à vers. *siquis aliquid* usquè in finem apud Theodorum minime habentur. Sunt autem excerpta ex Reginone lib. 2. cap. 275., ubi laudantur nomine cujusdam Pœnitentialis, quin indicetur illius auctor. Fortè hoc unum est ex iis Pœnitentialibus bene multis, quæ, ut superiùs dicebam, interierunt. Observandum tamèn est, ibidèm apùd Reginonem desiderari ea verba *tres in pane, & aqua*, quæ sanè addita fuerunt ex incerti nominis Glossographo, deprompta fortè ex non absimili Reginonis loco in eodem libro 2. cap. 268., ubi ità legitur : *Siquis sepulchrum violaverit, septem annos pœniteat, tres ex his in pane, & aqua.*

Can. 7. caus. 20. q. 1. Amplissima parentum potestas in liberos, Romanâ lege diù firmata, quâ etiam licebat impunè patri occidere filium, debuit tandèm cohiberi intra certos naturæ limites, ne, quod bono publico ampliatum olim fuerat, in publicæ rei dispendium torqueretur. Id paulatim & sensim fieri debuit. Temporibus Theodori adhùc vigebat, ut *Pater necessitate coactus potestatem haberet*

ret filium tradendi in servitium per septem annos, nec ulteriùs sine filii voluntate, uti legitur in Pœnitentiali, edito à Petito cap. 12. Quid mirum itaquè est, si Theodorus scripserit, quod legimus in can. 7. caus. 20. quæst. 1., infantem filium potuisse Deo voveri, & Monasterio addici potestate parentis? quamquàm deindè pater posset unum infantem pro alio commutare, uti commutari pecus Deo devotum pro alio non inæqualis prætii pecore poterat. Non in Pœnitentiali, edito à Petito, sed in Capitulis Dacherianis id legitur cap. 37. his verbis: *Infans pro infante potest dari ad Monasterium Deo, quamvis alium vovisset, & tamèn melius est votum implere. Similiter pecora cetera, si necesse est, pro coæquali.* Aliqui codices habent: *pro eo æquali.* Non improbabatur à Theodoro omninò paternum consilium, cum pater optimè nosse præsumetur singulorum filiorum indolem, quâ fieret, ut votum Deo elicitum in uno aptiùs, quàm in altero filio, impleretur.

Can. 2. caus. 20. q. 4. Superiùs in cap. 9. observabam, peràm fuisse adscriptum Basilio canonem 2. caus. 20. quæst. 4., & veriùs tribuendum Theodoro Cantuariensi. Reverâ in Pœnitentiali, à Petito edito, ità legitur cap. 6. *Monacho non licet votum vovere sine consensu Abbatis: sin minùs, frangendum est.* Itèm in Capitulis Dacherianis cap. 146. *Monacho non licet votum vovere sine licentia Abbatis sui: si voverit, dimittat, nisi jusserit Abbas.*

Can. 1. 2. 3. & 4. caus. 22. q. 5. Nonnulla hoc in loco tradenda sunt de canonibus 1. 2. 3. & 4. caus. 22. quæst. 5.; quamquàm enim ex iis unus canon 3. ex Pœnitentiali Theodori depromptus esse dicatur, ceteri aut Pio, aut Gelasio, Pontificibus Maximis, tribuantur, vitiatæ tamèn hujusmodi inscriptiones sunt; & canones ipsi Pœnitentiali aut Theodori, aut alteri cuiquam, ad imitationem Theodoriani edito, faciliùs adscribuntur. Profectò, quod spectat ad canonem 1., jam diù adnotaverunt Romani Correctores, laudatum illum fuisse ab Anselmo tanquàm ex Pœnitentiali Theodori. Similem ego sententiam invenio apùd Reginonem in lib. 2. cap. 330. *Qui compulsus à domino perjurat, si sciens, tres quadragesimas, & legitimas ferias pœniteat.* Undè verò ea descripserit Regino, conjicere commodè possum. Nimirùm in cap. 324. 325. 326. 327. & 328. laudaverat Pœnitentiale quoddam, illud fortè, quod in sua Diœcesi observabatur; deindè in cap. 329. laudavit Capitulare Ludovici Pii, ac tandèm in dicto cap. 330. hanc adjecit inscriptionem *Ex eodem*, quam referendam censeo, non ad Capitulare Ludovici Pii, cum nihil tale ibidèm inveniatur, sed ad ad Pœnitentiale, superiùs commemoratum; quod verosimile magis redditur ex collatione sequentium capitum, sub eadem inscriptione designatorum, quæ tamèn non ad Capitulare, sed ad Pœnitentiale rediguntur. Itaquè non dubito ex fide Reginonis verba Gratianei canonis 1. ad quemdam Pœnitentialem librum pertinere; ac reverà eadem invenio exarata in Pœnitentiali Romano, edito ab Antonio Augustino in tit. 2. cap. 1. Jam Ivo Carnotensis Pii Papæ nomen adjecerat eidem monumento, cujus editionem secutùs Gratianus fuit; quod evenire potuit ex brevitatis MSS. codicibus, in quibus hæc inscriptio haberetur $\overline{Ps}$, quâ notâ significabatur *Pœnitentialis*. Recentiores imprudenter legerunt *Pius*, undè, quod Pœnitentialis libri erat, Pio Papæ tribui cœpit. Id cum ità sit, faciliùs concluditur, ad Pœnitentialem librum referendum esse Gratianeum canonem 2. sub hac inscriptione laudatum, *Idem*. Et reverà Ivo Carnotensis in cap. 61. part. 12. Decreti idem exhibens monumentum Pœnitentiali Theodori adscripsit; quamquàm tamèn nihil tale apùd Dacherium, aut apùd Petitum legatur. Conjicio tamèn, undè erratum irrepserit. Fama est, Bedam Pœnitentialem Theodori librum illustrasse, imò & pluribus

bus additionibus auxisse ; & quamquàm Pœnitentialem illum à Beda adauctum non habeamus, ex eo tamèn, quòd in singulari Pœnitentiali Bedæ legitur, colligi potest, quid Theodoriano per Bedam adjectum fuerit. Scribit Beda in capite 9. Pœnitentialis juxtà Labbeanam editionem : *Qui juramentum fecerit in Ecclesia, aut in Evangelio, sive in Reliquiis Sanctorum, septem annos pœniteat. Alii duodecim annos judicant. Sive in manu Episcopi, aut Presbyteri, vel Diaconi, sive in cruce consecrata, unum annum pœniteat. Alii tres, vel quatuor judicant. Et in cruce non consecrata unum annum, vel septem menses, ut aliis. Qui autèm seductus ignorans, & posteà cognoscit ; unum annum pœniteat, vel tres quadragesimas, vel quadraginta dies pœniteat. Siquis coactus pro qualibet causa necessitatis tres quadragesimas, alii tres annos, & unum ex eis in pane, & aqua, ut alii judicant. Itèm perjuri tres annos : qui suspicatur, priusquàm juramentum ducatur, & tamèn jurat per consensum, duos annos pœniteat.* In his exhibetur & canon 2. & canon 3. Gratianeus, ex quibus observari adhuc clariùs potest, quod à principio adnotabam, nimirùm ex Pœnitentialium librorum numero incredibilem ortam fuisse disciplinæ confusionem ; vix enim constare poterat in eadem delicti qualitate definitæ pœnitentiæ modus. Idem Gratianeus canon 3. refertur in Pœnitentiali Romano, ab Antonio Augustino edito, tit. 2. cap. 2., apùd quem tamèn postrema Gratiani verba ità exhibentur : *Alii judicant tres annos, unum ex his in pane, & aqua pœniteat.* Quòd si Reginonem consulimus, utrumque monumentum reperiemus ex Pœnitentiali laudatum in lib. 2. cap. 331. & sequentibus, his verbis : *Qui perjurat se in manu Episcopi, vel Presbyteri, aut in cruce consecrata, tres annos pœniteat. Si verò in cruce non consecrata, annum unum pœniteat. Si autèm in manu hominis, apùd Græcos nihil est. Qui autèm seductus fuerit, & ignorans juravit, & posteà cognoscit, tres quadragesimas pœniteat. Siquis coactus pro vita redimenda, vel pro qualibet causa, vel necessitate perjurat, tres quadragesimas. Alii judicant tres annos, unum ex his in pane, & aqua pœniteat.* Idem fermè legitur in Pœnitentiali Rhabani, sive in epistola ad Heribaldum cap. 18. ibi : *Qui juramentum in Ecclesia fecerit, aut in Evangelio, aut in Reliquiis Sanctorum septem annos. Alii judicant undecim. Si verò in manu Episcopi, aut Presbyteri, vel Diaconi, seu in cruce posita consecrata, unum annum pœniteat. Alii septem annos judicant. Et in cruce non consecrata, unum annum pœniteat ; vel septem menses, ut alii judicant. Qui autèm seductus ignorans, & posteà cognoscit, unum annum, vel tres quadragesimas pœniteat. Siquis coactus pro qualibet necessitate, tres quadragesimas. Alii annos tres, unum ex his in pane, & aqua, ut alii judicant.* Eadem videtur esse ratio de canone 4. Gratianeo, de quo nihil est in præsentia adjiciendum, postquàm illum expenderim superiùs in parte 2. cap. 46. pag. 450.

Canon 1. caus. 26. quæst. 7. neque in Dacherianis Capitulis, neque in Petiti Codice Theodoriano reperitur. Idem tamèn Petitus monumentum edidit inter fragmenta, eruta ex quibusdam codicibus MSS. edita pag. 81., Ait autèm, illud pertinere ad Pœnitentiale Magistri Bartholomei Oxoniensis Episcopi, cujus apographum habuit à Tonelerio, Bibliothecæ S. Victoris moderatore, in quo sub nomine Theodori Pœnitentialis hæc leguntur : *Cap. 48. Ab infirmis, in periculo mortis positis, per Presbyteros pura inquirenda est peccatorum confessio, non tamèn imponenda est illis pœnitentiæ quantitas, sed innotescenda, & cum amicorum orationibus, & eleemosynarum studiis pondus sublevandum, si fortè migraverint, ne obligati à communione alieni, vel consortio veniæ fiant. A quo periculo si divinitùs erepti convaluerint, pœnitentiæ modum à suo Confessore impositum diligenter observent. Et ideò se-* Can. 1. caus. 26. q. 7.

cundum canonicam auctoritatem, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus, & consolationibus Ecclesiasticis sacrâ cum unctione olei animati, secundum statuta Sanctorum Patrum communione Viatici reficiantur. Si autèm peccatum mortale fuerit, sed occultum, innotescenda eis pœnitentia, quæ imponeretur, si peccatum publicum esset; sed nulla sunt imponenda, quæ observari absque peccati publicatione non possunt, quale est extra Ecclesiam pœnitere, & similia, quæ non nisi laicis, & publicè peccantibus sunt injungenda. Ex hoc verò intelligant, ad quid teneantur ex merito, vel quantum eis parcatur, eo quòd per secretam confessionem facti sunt ipsorum primi accusatores: & ut pro erubescentia, quam sustinerent in publica pœnitentia, abundantiorem cordis contritionem & devotionem cum charitatis operibus recompensent. Quicumque autèm sit hujus monumenti auctor, sive Oxoniensis Bartholomeus, sive Cantuariensis Theodorus, consonat illud cum optimis Ecclesiasticæ disciplinæ capitibus, tum in priore parte, quâ traditur, infirmorum pœnitentiam in tempus restitutæ salutis esse differendam, tum in posteriore, quâ definitur, intereà infirmos pœnitentes Sacramentis esse adjuvandos, licèt pœnitentium gradus minimè expleverint. Planè quod spectat ad priorem partem perspicuus est canon 5. Concilii Nannetensis apùd Labbeum in tom. XI. Venetæ editionis pag. 657., ibi: *Infirmus, qui, necessitate mortis urgente, confitetur peccata sua, sub ea conditione à Sacerdote reconcilietur, ut si ei Dominus vitam donaverit, sanitatemque reddiderit, secundum qualitatem delicti omnibus modis pœniteat.* Quod verò attinet ad posteriorem partem, ità scribit Regino in lib. 5. de Eccles. discipl. cap. 119. *Postquàm infirmus sacrâ unctione fuerit delibutus, statim corpore, & sanguine Domini recreandus est, ut de cujus vita corporali desperatur, vivificari in animâ aut vitâ mereatur æternâ.*

Can. 27. caus. 27. q. 2. Canon 27. caus. 27. quæst. 2. reperitur in Pœnitentiali Theodori, edito à Petito, cujus verba jam exhibui in parte 2. cap. 29. pag. 172., unà adnotans perperàm Eusebio Papæ fuisse tributum. Itèm in cap. 25. partis 2. animadvertendum fuit, falsò tributos fuisse Eutychiano Pontifici canones 2. & 3. caus. 28. quæst. 1., quorum verba leguntur in Pœnitentiali Theodori, à Petito edito cap. 11. ibi: *Siquis dimiserit gentilem uxorem pòst baptismum, in potestate ejus erit, eam habere, vel non habere. Simili modo siquis eorum baptizatus erit, alter gentilis, sicut Apostolus dicit, infidelis autèm si discedit, discedat. Ergò cujus uxor infidelis, & gentilis, & non potest converti, demutetur.* Legunt alii, *dimittatur.* Can. 2. & 3. caus. 28. q. 1.

Canon 6. caus. 32. quæst. 1. non solùm in Pœnitentiali Theodori, undè depromptus dicitur, non invenitur, sed etiàm adversari potiùs videtur iis, quæ sub Theodori nomine aut à Dacherio, aut à Petito edita fuerunt. In Capitulis Dacherianis cap. 92. ità legitur: *Si polluta fuerit mulier, vir ejus habet potestatem, utrum vult nubere cum ea, an dimittere*, quamquàm in cap. 117. ità legatur: *Non communicet vir cum muliere adultera, similiter & uxor cum adultero viro non ineat pacem communem*: legunt alii *pacem communicationis*; quæ verba ut cum prioribus concilientur, ità interpretari commodè oportebit, ut non communicet conjux innocens cum conjuge adulterii reo, id est, ut communicare non teneatur, quamquàm, si velit, inire communionem possit. Similis est sententia in editione Petiti cap. 11. ibi: *Quæcumque mulier adulterium perpetraverit, in potestate viri est, si velit, reconciliari mulieri adulteræ.* Et quidèm ista Theodori monumenta consonant cum aliis disciplinæ Ecclesiasticæ capitibus. Nimirùm in canone 69. Concilii Africani apùd Reginonem in lib. 2. de Eccles. discipl. cap. 104., & apùd Rhabanum in cap. 21. Pœnitentialis habetur: *Placuit, ut secundum* Can. 6. caus. 32. q. 1.

Evan-

Evangelicam, *& Apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore*, *neque dimissa à marito alteri conjungantur*, *sed ità maneant*, *aut sibi reconcilientur*. Et in can. 3. in fine caus. 32. quæst. 7. *Dominus autèm permisit causâ fornicationis uxorem dimitti*; *sed quia permisit*, *non jussit*. Itaquè Gratianeus canon & Theodori sententiis, & nonnullis Ecclesiasticis monumentis potiús adversatur. Siquis autèm velit eumdem ad singulares alias disciplinas exigere, poterit illum referre ad Pœnitentiale Romanum, editum ab Antonio Augustino, in quo ità legitur sub nomine Joannis Chrisostomi in cap. 16. tit. 8. *Siquis uxorem invenerit adulteram*, *posteà deinceps placuerit eam habere in matrimonio*, *duobus annis pœniteat*, *ideò quia cum adultera admixtus sit*, *quæ adhùc crimine suo non est purgata*; *aut abstineat se à matrimonio*, *donec expleatur satisfactio criminis pœnitentiæ suæ*; *ideò*, *quia pòst satisfactionem pœnitentiæ non meretur vocari adultera*. *Similiter si uxor virum suum invenit adulterum*, *non ad imparia judicatur*. Hæc omnia conciliare poteris, ajendo, non permissum fuisse innoxio conjugi adulterii reum sibi sociare conjugio, quousquè adulterii reus in pœnitentia fuerit; absoluto autèm pœnitentiæ curriculo, licuisse. In canone Gratianeo trium annorum pœnitentia definitur. Sed aliter vetusti canones: nimirùm in Concilio Ancyrano septem annorum pœnitentia præstituta fuit in can. 19. juxta interpretationem Dionysii Exigui, ibi: *Si cujus uxor adulterata fuerit*, *vel si ipse adulterium commiserit*, *septem annorum pœnitentiâ oportet eum perfectionem consequi secundum pristinos gradus*. Iterùm hoc in loco animadvertimus, quàm variæ Pœnitentialium definitiones fuerint. In Pœnitentiali Theodori, edito à Petito cap. 11. pœnitentia adulteræ uxoris duobus annis circumscribitur.

Can. 90. de pœn. dist. 1. Solemne Gratiani erratum deprehenditur ad calcem canonis 89. de pœn. dist. 1., cum enim in antecedentibus disputavisset, nùm necessaria habenda sit confessio peccatorum Sacerdoti facienda; an verò sufficiat coràm Deo confiteri delicta; rem demùm ità reliquit in medio, ut quæstionis definitionem lectoris judicio reservaret. Id animadvertentes Correctores Romani merito notam adjecerunt, ità subjicientes: *Certissimum est*, *& pro certissimo habendum*, *peccati mortalis necessariam esse Confessionem Sacramentalem*, *eo modo*, *ac tempore adhibitam*, *quo in Concilio Tridentino pòst alia Concilia est constitutum*. Quid verò Gratianum moverit, ut hæsitare in quæstione proposita videretur, facile est conjicere. Incidit ipse in quoddam fragmentum, Theodoro Cantuariensi tributum apùd Ivonem parte 15. Decreti cap. 155., quod descripsit in can. 90. de pœn. dist. 1., in quo referuntur oppositæ Græcorum & Latinorum de ea re opiniones, utraque laudata tanquàm usu in Ecclesia recepta. Porrò certum est, ea verba non reperiri in Pœnitentiali Theodori, non in eo, qui editus est à Petito, non in Capitulis Dacherianis. Tantùm legimus apud Dacherium in cap. 51. & 133. *Confessio Deo soli*, *si necesse sit*, *agi licet*. Quæ sanè verba plurimùm distant à monumento Gratianeo: siquidèm verba illa, *si necesse sit*, ità rem explicant, ut tum demùm sufficiat ad reconciliationem, & veniam obtinendam confessio facta soli Deo, quum Sacerdoti fieri nequeat propter contingentem aliquem casum, vel quò loqui non possit pœnitens, vel quò absens sit Sacerdos, aut similem alium; quod quidèm in Concilii Tridentini, aliorumque Patrum definitiones minimè impingit, quemadmodùm impingere videtur Gratiani monumentum. Referendum illud potiùs est, atque exigendum ad Concilium Cabilonense II. anni 813., ubi ità legitur cap. 33. *Quidam Deo solummodò confiteri debere dicunt peccata*; *quidam verò Sacerdotibus confitenda esse percensent*. *Quod utrumque non sine magno*

fructu intra Sanctam ſit Eccleſiam. Ità dum-taxàt & Deo, qui remiſſor eſt peccatorum, confiteamur peccata noſtra, & cum David dicamus: Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi. Dixi: confitebor adverſum me injuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei; & ſecundum inſtitutionem Apoſtoli confiteamur alterutrum peccata noſtra, & oremus pro invicèm, ut ſalvemur. Confeſſio itaquè, quæ Deo ſit, purgat peccata: ea verò, quæ Sacerdoti ſit, docet, qualiter ipſa purgentur peccata. Deus namquè ſalutis, & ſanctitatis auctor, & largitor plerumque hanc præbet ſuæ potentiæ inviſibili adminiſtratione, plerumquè medicorum operatione. Relata hæc ſunt in Capitularia Francorum additione 3. cap. 57. apùd Baluzium. Emergunt hinc duo Gratiani menda. Primum eſt in eo, quod de Græcis dicitur, illos uni Deo crimina pandere, ibi: *Ut Græci.* Nihil enim tale in Cabilonenſi Concilio exhibetur. Fortè ad marginem canonis nota apùd veteres adjecta fuit, quâ indicaretur *Theodorum Græcum* ità ſensisse, quod referebatur ad laudata Dacherianæ editionis Capitula; undè Collectores adjicere potuerunt, *ut Græci.* Cetera, uti animadvertimus, longè à propoſitis verbis diſtabat Theodori ſententia. Alterum mendum occurrit in illis Gratiani verbis: *Ut tota ferè Sancta Eccleſia.* Fortè hæc adjecta ſunt recentiore manu, poſtquàm jam adſuta erant priora illa verba, *ut Græci*, quo ſensus canonis magis conveniret, & Græcorum, ut credebatur opinioni totius ferè Eccleſiæ contraria ſententia oppone-retur. Verùm enim verò ſi canonem Cabilonenſem conſideremus, tantùm aberit, ut pro certo habita non fuiſſet Sacramentalis Confeſſionis neceſſitas, quin immò ex eo argumento invictiſſimo demonſtretur. Etenim, poſtquàm traditum eſt, in ea re diverſos diverſa ſentire, concluditur, ex diſciplina Eccleſiaſtica utrumque eſſe faciendum, quaſi unum ſine altero regulariter non ſufficiat ad obtinendam juſtificationem. Neque enim ſufficit exteriùs confiteri Sacerdoti peccata, niſi simùl eadem humiliter Deo confiteamur interiùs, & coràm Domino doleamus; nec ſufficit regulariter Domino confiteri, niſi eadem coràm Sacerdote ex Chriſti Servatoris inſtitutione aperiamus. Quòd ſi adhùc urgeat quiſquam, & dicat, non aliter in Concilio Cabilonenſi definitum fuiſſe coràm Sacerdote aperienda eſſe crimina, quàm ut pœnitens doceatur à Sacerdote, qualitèr illa purgentur, apposita erit interpretatio, quâ concludatur, ibidèm agi de publica ſatisfaciendi ratione, non de confeſſione ſecreta: & reverà Cabilonenſes iidem Patres de publicarum pœnitentiarum diſciplina potiſſimùm inſtituerunt ſermonem, uti liquet ex canone 25., in quo Cabilonenſes Epiſcopi conquerebantur, quòd, frigeſcente charitate fidelium, rigor pœnitentiarum publicarum etiàm pro criminibus publicis ferè exolevisset; imò quandoquè Epiſcopi opus haberent, ut ad Imperatoris confugerent auctoritatem, quâ peccatores publici ad ſatisfaciendum in Eccleſia publicè adigerentur. Unum adhùc adjicio, evenire potuiſſe, ut nomen Theodori in inſcriptione canonis per errorem Amanuenſium apponeretur, cum adponendum eſſet nomen Theodulphi, etenim in cap. 30. Capitularis Theodulphi Aurelianenſis eadem verba leguntur, qualia ſunt in laudato Concilio Cabilonenſi.

Quod contigit in can. 27. caus. 27. quæſt. 2., in can. 2. & 3. caus. 28. quæſt. 1., ut canones Theodori tribuerentur vetuſtiſſimis Pontificibus Euſebio, & Eutychiano, idipſum obſervamus in can. 3. & 13. caus. 35. quæſt. 2., quorum prior ſub nomine Fabiani, poſterior Julii laudatur, quandò tamèn uterque referendus eſt ad Pœnitentiale Theodori. Ità legimus in eo, quod editum eſt à Petiro cap. 11. *In tertia propinquitate carnis licet nubere ſecundum Græcos, ſicut in lege ſcriptum eſt;* Can. 3. & 13. caus. 35. q. 2.

in

in quinta secundum Romanos : tamen in tertia non solvunt , si post factum fuerit. Ergo in quinta generatione conjungantur. In quarta si inventi fuerint , non separentur. In tertia autèm propinquitate non licet uxorem alterius accipere pòst obitum ejus. Æqualiter vir conjungitur in matrimonio his , qui sibi consanguinei sunt , & uxoris suæ consanguineis post mortem uxoris. Paulò aliter in Capitulis Dacherianis num. 14. & 15. ibi : *In tertia propinqua secundum Græcos licet nubere , sicut in lege scriptum est ; in quinta secundum Romanos : tamèn in quarta non solvunt , postquàm factum fuerit. In tertia propinqua tantùm non licet uxorem alterius post obitum ejus habere.* Et num. 108. *In quinta generatione conjungantur , quartâ si inventi fuerint conjuncti , non separentur , tertiâ separentur.* Ad horum canonum interpretationem observentur ea , quæ tradita fuerunt superiùs in parte 2. cap. 31. pag. 187. & sequentibus.

Ad Pœnitentiale Theodori prætereà referendi sunt canones 27. & 28. de cons. dist. 1. , quorum prior Aurelianensi , posterior Agrippinensi Concilio inscribitur , quemadmodùm animadverti in parte 1. cap. 29. , & cap. 57. In capite 1. in editione Petiti ità legitur: *In Ecclesia , ubi mortuorum cadavera infidelium sepeliuntur , sacrificare* (notat ad marginem Petitus , alibi legi *sanctificare*) *non licet ; sed si apta videtur ad consecrandum , indè evulsa , & rasis , vel lotis lignis ejus reædificetur. Si hæc consecrata priùs fuit , missas in ea celebrare licet , si religiosi ibi sepulti sunt. Si verò Paganus , sic mundare , & jactare foràs melius est.* Similia quædam leguntur in Capitulis Dacherianis , in primis in cap. 52. ibi: *Gentiles mortui de locis Sanctorum ejiciendi sunt* ; deindè in cap. 88. ibi : *In Ecclesia sanctificata nulli mortui sepeliantur: si autèm ibi mortui, antequàm fuerit sanctificata , sepulti sunt , non sanctificetur. Si indè mutata fuerit in altero loco , vel laventur tabulæ , quæcumque enim Ecclesia mutata fuerit in alio loco , iterùm sanctificetur , si vero in ipso loco , & ei mutata fuerit , aqua adspergatur sancta.* Gratianei quidèm canones differunt sono verborum ; ubiquè tamen eadem retinetur sententia.

Quâ ratione canon 94. de cons. dist. 2. exigendus sit ad Pœnitentiale Theodori , jam tradidi in prima parte cap. 4. pag. 53.

Sententia canonum 100. & 102. de cons. dist. 4. habetur in Pœnitentiali Theodori , edito à Petito cap. 4. his verbis : *In catechumenæ & baptismate, & confirmatione unus potest esse pater , si necesse sit , non est tamen consuetudo. Per singula singuli suscipiunt. Non licet alium suscipere , qui non est baptizatus.* Gratianus canonem 100. Hygino Pontifici tribuit ; neque enim novum est , uti ex superioribus liquet , Pœnitentialis Theodori capita fuisse vetustissimis Pontificibus adscripta. Ex eo autèm conjicio , factum esse , ut pro illis Theodori verbis : *non est tamèn consuetudo* , recentiore manu adponeretur : *non est tamèn consuetudo Romana* ; etenim ubi Hyginus auctor canonis habebatur , consuetudo laudata non alia dici poterat , quàm Romana. At canonem 102. Gratianus adtribuit Concilio Moguntino , de qua re jam quædam animadverti in parte 1. cap. 49. in fine.

Canon 117. de cons. dist. 4. laudatus ex Pœnitentiali Theodori , non quidèm habetur apùd Petitum , sed legitur inter Capitula Dacheriana cap. 9. ibi : *Qui bis baptizati sunt ignorantes, non indigent pœnitentiâ , nisi quòd secundum canones non possunt ordinari , nisi pro magna necessitate. Qui verò non ignorant, quasi iterùm Christum crucifixerunt , pœniteant septem annis , quartâ feriâ , & sextâ feriâ , & tribus quadragessimis.* Nonnulla addita fuerunt in canone Gratianeo , quæ in hoc Theodori capite desiderantur. Evenire id potuit aut ex Glossographis , aut ex Collectoribus , qui aut ex aliis Pœnitentialibus aliqua supplere, aut canonem suæ Provinciæ accommodare voluerint.

Can. 94. de cons. dist. 2.

Can. 100. & 102. de cons. dist. 4.

Can. 27. & 28. de cons. dist. 1.

Can. 117. de cons. dist. 4.

De-

Can. 121. de cons. dist. 4.

Deniquè pertinet ad Pœnitentiale Theodori canon 121. de cons. dist. 4. tributus apùd Gratianum Concilio Belluacensi, quemadmodum & apùd Burchardum in lib. 4. cap. 94. Edidit illum Petitus in cap. 4. his verbis: *Pannos chrismatos iterùm super alium baptizatum imponi non est absurdum.*

APPENDIX

De Pœnitentiali Romano.

Sive.

De can. 17. caus. 17. q. 4.

OPportunum duxi hoc in loco nonnulla subjicere de Pœnitentiali, quod Romanum dicitur, undè laudatur apùd Gratianum canon 17. caus. 17. quæst. 4., sive quia cum de Theodori Pœnitentiali modò agendum fuit, debui plura de libris variarum Ecclesiarum Pœnitentialibus disserere, ut illorum auctoritas explicaretur; sive quia idem canon 17. facilè exigi potest ad ipsum Pœnitentialem Theodori codicem, illum saltèm, quem ex variis fragmentis Petitus locupletavit. Edidit canonem Petitus pag. 56. his verbis: *Siquis furtum capitale commiserit, id est, quadrupedia tulerit, vel casas effregerit, septem annos pœniteat, & quod furatum est, reddat. Siquis autèm de minoribus semèl, aut bis furtum fecerit, reddat quod tulit, & anno uno pœniteat.* Adnotat ad hæc Petitus, addi à Reginone, & Burchardo: *vel siquis sepulchrum violaverit, septem annos pœniteat, tres ex his in pane, & aqua.* Ceterùm veriùs ad aliud Pœnitentiale, quàm Theodori Cantuariensis, referenda hæc sunt. Nota sunt eruditis Pœnitentialia duo Romana; quorum primum editum fuit ab Antonio Augustino, alterum ab Halitgario. Antonius Augustinus illud edidit in epitome Juris Ecclesiastici veteris, & Romanum appellavit; non quòd verè Romanæ Ecclesiæ illud fuisse Pœnitentiale crediderit, sed quòd ab Urbe Roma ipse derivaverit, incerti sanè nominis, atque auctoritatis, depromptum ex Bibliotheca Michaelis Thomasii Episcopi Ilerdensis. Ibidèm in tit. 4. cap. 10. legitur Gratianeus canon, pro cujus tamèn postremis verbis, ista exhibentur: *reddat proximo suo, & annum unum pœniteat: si reddere non poterit, tres annos pœniteat.* Halitgarius Episcopus Cameracensis aliud edidit, quod ex scrinio Romanæ Ecclesiæ accepit, typis impressum à Morino ad calcem operis de Sacramento Pœnitentiæ, in quo eadem ipsa ferè totidem verbis leguntur tit. 4. ibi: *Siquis Clericus furtum fecerit capitale, id est, quadrupedem, vel casam ruperit, vel fregerit, vel qualibet meliorem præsidium furaverit, septem annos pœniteat. Laicus quinque, Subdiaconus sex, Diaconus septem, Presbyter decem, Episcopus duodecim annos pœniteat. Siquis verò de minoribus semèl, aut bis furtum fecerit, reddat proximo suo, & anno uno pœniteat in pane, & aqua: si reddere non potuerit, tres annos pœniteat.* Itaquè in conspectu horum monumentorum concludere possumus, verba Gratianei canonis 17. ad Pœnitentialem aliquem librum pertinere, quem utiquè Romanum appellare non immeritò Gratianus potuit, si Romanæ Ecclesiæ Pœnitentialis fuit, aut quem Antonius Augustinus, aut quem Halitgarius exhibuit.

CA-

CAPUT XXXI.

De Beda.

Auctor sequentium monumentorum Beda laudatur.

Ex Commentariis in Libros Regum. — *Can.* 8. *dist.* 37. *consonat cum editis Bedæ codicibus.*

Ex Commentariis in Esdram. — *Can.* 65. *de cons. dist.* 4. *consonat cum editis Bedæ codicibus.*

Ex Commentariis in Matthæum. — *Can.* 24. *caus.* 8. *q.* 1. *simùl jungendi, & ad integram Bedæ sententiam exigendi.* / *Can.* 27. *caus.* 24. *q.* 1.

Ex Commentariis in Marcum. — *Can.* 83. *caus.* 11. *q.* 3. *consonat cum editis Bedæ codicibus.*

Ex Commentariis in Lucam. — *Can.* 2. *dist.* 31. *ex integris Bedæ codicibus supplendus.* / *Can.* 5. *de pœn. dist.* 4. *simùl jungendi, & juxtà Bedæ propositum explicandi.* / *Can.* 6. *de pœn. dist.* 4.

Ex Commentariis in Joannem. — *Can.* 11. *caus.* 1. *q.* 3. *consonat cum editis Bedæ codicibus.* / *Can.* 6. *caus.* 3. *q.* 7. *consonat cum editis Bedæ codicibus.* / *Can.* 6. *de pœn. dist.* 2. *ex integris Bedæ codicibus supplendus.* / *Can.* 51. *de cons. dist.* 4. *consonat cum editis Bedæ codicibus.* / *Can.* 24. *caus.* 24. *q.* 1. *ex integris Bedæ codicibus emendandus.* / *Can.* 9. *caus.* 9. *q.* 3. *non congruit proposito Gratiani.*

Ex Commentariis in Actus Apostolorum. — *Can.* 4. *caus.* 26. *q.* 2. *ex integris Bedæ codicibus supplendus.*

Ex Commentariis in Epistolam Petri. — *Can.* 31. *caus.* 2. *q.* 7. *ex editis Bedæ codicibus emendandus.*

Ex Libro de temporibus. — *Can.* 9. *dist.* 16. *referendus potiùs ad librum de sex mundi ætatibus.*

Ex Oratione in Natali S. Joannis. — *Can.* 6. *caus.* 22. *q.* 4. *simùl jungendi.* / *Can.* 7. *caus.* 22. *q.* 4.

Ex Pœnitentiali. — *Can.* 28. *de cons. dist.* 2. *dubiæ fidei, atque auctoritatis.*

BEda, quem venerabilis agnomento vulgò appellant, celebratissimus apùd Anglo-Saxones fuit, apùd quos natus est, vixitque, Monachus primùm, deindè Presbyter, æquali tum doctrinæ, tum sanctitatis famâ præclarus initio octavi sæculi. Et quidèm talis ejus eruditio emicuit, ut non tantùm divinorum eloquiorum, quorum meditationi se diligentissimè addixerat, gravissimus interpres viris Ecclesiasticis habitus fuerit, ac dogmatum Christianorum peritus assertor, verùm etiam humaniorum literarum ingenuus cultor, quemadmodùm civilis rerum suarum, suæque gentis historia, ab ipso elucubrata, ceteraque ejus opera, tum ad Poæsim, tum ad Astronomiam, Chronographiam, ac Cosmographiam pertinentia, manifestè demonstrant. Ejus existimationi adaugendæ plurimùm contulit illorum temporum ratio, quibus Europeis universis

sis bellorum præsertim injuriâ turbatis, ille unus vix erat, qui politioribus studiis operam daret, eademque studia exerceret. Præstant inter ipsius opera Commentaria in Sacram Scripturam, in omnes ferè libros edita, quæ venusta admodum reddidit propter insertas veterum Patrum sententias, undè singula solidiùs confirmaret, ac nitidiùs illustraret; secutus autèm fuit præ ceteris Augustinum, cujus monumenta cum laude nominis frequentissimè recensuit; quamobrèm factum est, ut recentiores Collectores in Bedæ Commentaria incidentes sæpè ac sæpiùs Augustinum pro Beda commemorarent, ex quo non semèl errata in Gratiani codicem irrepserunt.

De Commentariis in libros Regum.

Can. 8. dist. 37. Duplicis generis Commentariæ edidit Beda in Libros Regum. In prioribus juxta naturalem historiæ fidem singula expendit: in posterioribus omnia ferè ad symbola & figuras spirituales exegit, indulgens allegoricæ interpretationi; quæ propterea inscribuntur: *Bedæ expositiones Allegoricæ in Samuelem.* Ex his Commentariis depromptus est canon 8. dist 37., cujus verba cum editis auctoris exemplaribus penitùs consonant, id est, cum cap. 7. libri 2., optima sanè sententia, quâ Clerici ad sæcularium literarum studia suscipienda ità monentur, non quidèm ut in iis delicium suum constituant, laboremque omnem impendant, sed ut ex iis planiorem viam struant ad rerum divinarum Ecclesiasticarumque notitiam, cum ista ab illis in pluribus negotiis adjuvari plurimùm possint.

De Commentariis in Esdram.

Can. 65. de cons. dist. 4. Non dissimili ratione interpretatus fuit Beda Historiam Esdræ, in qua explicanda cap. 9. libri 2. ea descripsit, quæ legimus in can. 65. de cons. dist. 4. ibidèm expendebat ea, quæ in sacrificiis Deo offerenda essent à Christiano populo, atque inter cetera ajebat, offerendum esse *sal absque mensura*, & nomine salis intelligendam esse sapientiam, quâ maximè ornatus ad divinum altare non solus Sacerdos accedere deberet, sed etiàm populus, Sacerdoti offerenti precibus & voluntate consentiens. Olim in Gratiani codicibus canon referebatur ad Commentaria Bedæ in libros Regum. Emendata fuit inscriptio operâ Correctorum Romanorum.

De Commentariis in Matthæum, & in Marcum.

Ex Commentariis Bedæ in Matthæi Evangelium duo extant monumenta, nimirùm canon 24. caus. 8. quæst. 1., & canon 27. caus. 24. quæst. 1. Est quidquam singulare, quod in utroque adnotemus. Nimirùm invicèm illi cohærent in homilia Bedæ de S. Petro Apostolo inter æstivales de Sanctis ad expositionem Evangelii Matthæi cap. 16., ubi traditur, Apostolum Petrum pòst fidei professionem claves regni cœlestis à Christo Domino accepisse. In id verba faciens Beda, ait inter cetera: *Ideò Beatus Petrus, qui Christum verâ fide confessus vero est amore secutus, specialiter claves Regni Cœlorum, & Principatum Judiciariæ potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab unitate fidei* (hic est canon 27.), *vel societatis Petri Apostoli quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec januam possunt Regni Cœlestis ingredi. Undè & nos necesse est totâ intentione, fratres charissimi, & fidei, quam docuit, Sacramenta discere, & congruentia fidei opera demonstrare. Necesse est, omni vigilantiâ multiplices, subtilesque portarum inferi cavere insidias, quatenùs juxta Psalmistæ vocem de his adjuvante Domino eripi, atque ad annunciandas ejus laudes portas filiæ Sion, hoc est, gaudia supernæ civitatis mereamur intrare. Nec suf-*

Can. 24. caus. 8. q. 1. & Can. 27. caus. 24. q. 1.

fi-

ficere nobis (hic est canon 24.) *ad salutem arbitremur, si turbis negligentium, vel quorumlibet indoctorum fide, vel actibus adæquemur, quibus sacris literis unica est credendi pariter, & vivendi regula præscripta.* Juvat profectò ità junxisse Gratiani fragmenta, atque ex Bedæ codicibus integra edidisse: Siquidèm, apud Gratianum invicèm abcisa, in aliam fortè sententiam cum Gratiano ipso quemquam trahere possent. Quid quòd enim Gratianus in can. 24. ità Bedæ sententiam explicavit, quasi ad solos Episcopos pertinere videatur, quandò ea generalis est, & unumquemque hominem ad sequendam fidei unitatem, quam professus est Petrus Apostolus, hortari videtur? Quid quòd ex can. 27. voluit Gratianus demonstrare, in hæresim lapsos nullo modo posse aliquos *officio privare, vel sententia notare*, quandò tamèn non eo pertinet Bedæ locus, ajentis tantùm, neminem possæ æternæ vitæ participem fieri, nisi qui in fidei unitate consistat?

Can. 83. caus. 11. q. 3. Nihil occurrit singulare animadversione dignum ad canonem 83. caus. 11. quæst. 3. Integer ille legitur in Commentariis in Evangelium Marci ad caput 14.

De Commentariis in Lucam.

Can. 2. dist. 31. Moralis fuit interpretandi ratio Evangelii Lucæ, ubi se se commoda ferret occasio, apùd Bedam. Ex iis Commentariis depromptus in primis est canon 2. dist. 31. ad interpretationem capitis 1., in quo cum legatur, Zachariam Sacerdotem, & Elisabeth filium Joannem suscepisse, occasionem arripuit auctor, undè novæ legis Sacerdotum & Sacerdotum veteris legis discrimina traderet, precipuè in eo, quòd lex continentiæ esset Sacerdotibus novæ legis indicta, ità scribens: *Quia enim tunc Sacerdotalis ex stirpe Aaron successio quærebatur, necessariò tempus substituendæ soboli procurabatur: at quia nùnc non carnalis successio, sed perfectio spiritalis inquiritur, consequenter Sacerdotibus, ut sempèr altari queant adsistere, sempèr ab uxoribus continendum, semperque castitas observanda præcipitur.*

Canones 5. & 6. de pœn. dist. 4. deprompti sunt ex cap. 11. eorumdem Commentariorum, ubi exponitur, dæmonem à Deo fuisse ejectum de homine, qui tamèn dæmon, requiem non inveniens, dixisse perhibetur: *Revertar in domum meam, undè exivi.* Hæc verba explicans Beda scripsit, valdè esse timenda, cum significent, aliquandò contingere, ut in vitia, quibus nos divinâ favente gratiâ purgati sumus, denuò incidamus. Hùc pertinet canon 5., cujus verba cum vulgatis Bedæ exemplaribus penitùs consonant. Pòst quæ paucis interjectis ità prosequitur auctor juxtà Evangelicam parabolam: *Et tùm vadit* (dæmon), *& assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi: Per septem malos spiritus universa vitia designat. Quemcumque enim pòst baptisma sive pravitas hæretica, seu mundana cupiditas arripuerit, mox omnium prosternet in ima vitiorum.* Hæc si benè, & juxta Bedæ propositum considerentur, statim intelligetur, non posse ullo modo Gratiani sententiæ convenire, qui ex iis erat demonstraturus, peccata semèl dimissa reviviscere quodammodò posse, ubi quis aliis se iterùm criminibus inquinaverit. Can. 5. & 6. de pœn. dist. 4.

De Commentariis in Joannem.

Plura sunt, & diversa Bedæ in Joannem Commentaria, quorum aliis Evangelium, aliis Epistolas, aliis Apocalypsim est interpretatus. Ad Commentaria in Evangelium Joannis pertinet in primis can. 11. caus. 1. quæst. 3., cujus verba penitùs consonant cum editis Bedæ codicibus. Expendebatur autèm ibi caput 2. Evangelii de Christo Domino ejiciente de templo negotiatores, & columbarum venditores. Can. 11. caus. 1. q. 3.

Consonat præterèa cum vulgatis Be-

Can. 6. caus. 3. q. 7. dæ codicibus canon 6. caus. 3. quæst. 7. ad interpretationem capitis 8. Evangelii, ubi exhibetur judicium Christi de adultera muliere.

Verba canonis 6. de pœn. dist. 2. pertinent ad interpretationem capitis 1. Evangelii, ubi traditur, Spiritum sanctum super Christum Dominum descendisse; atque cum Spiritus idem sanctus aliis in scripturæ locis dicatur super viros plures electos descendisse, inquirebat Beda, quale esset inter varios divini Spiritus descensus discrimen, ità scribens: *Quærendum est intereà, quomodò speciale Filium Dei agnoscendi signum fuerit, quòd super eum descenderit, & manserit Spiritus; cum etiam discipulis ipse promittat eum, dicens: Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis; & paulò pòst: quia apud vos manebit, & in vobis erit. Si enim apùd Servos Dei electos manet, & in illis erit Spiritus, quid magni est Filio Dei, quod in ipso manere Spiritus adstruatur? Notandum ergò, quod semper in Domino manserit Spiritus sanctus; in Sanctis autèm hominibus, quamdiù mortale corpus gestaverint, partim maneat in æternum, partim rediturus recedat. Manet quippè apud eos, ut bonis insistant actibus, voluntariam paupertatem diligant, mansuetudinem sequantur, pro æternorum desiderio lugeant, esuriant, & sitiant justitiam, misericordiam, munditiam cordis, & tranquillitatem pacis amplectantur; sed & pro observatione justitiæ persecutionem pati non vereantur, eleemosynis, orationibus, jejuniis, ceterisque fructibus Spiritus insistere desiderent. Recedit autem ad tempus, ne semper infirmos curandi, mortuos suscitandi, dæmones ejiciendi, vel etiam prophetandi possint habere virtutem. Manet semper, ut mirabiliter ipsi vivant. Venit ad tempus, ut etiam aliis per miraculorum signa, quales sint intùs, effulgeant.* Ex his & supplendus erit Gratianeus canon, & emendandus.

Can. 51. de cons. dist. 4. Ad interpretationem capitis 3. ejusdem Evangelii pertinet canon 51. de cons. dist 4., cujus verba penitùs consonant cum editis Bedæ codicibus.

Canon 24. caus. 24. quæst. 1. exhibet verba Bedæ interpretantis epistolam 2. Joannis ad illud: *Omnis, qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet. Qui permanet in doctrina, hic & Patrem, & Filium habet.* Ità autèm Beda: *Omnis, qui non recedit, & permanet in doctrina, hic & Patrem, & Filium habet. Nota verborum distantiam, & fidei complectere veritatem: non permanentem in doctrina Christi Deum non habere, permanentem autèm in doctrina ejus Filium, & Patrem dicit habere, ut ostendat, Patrem, & Filium unum esse Deum verum, & coarguat eos mendacii, qui Filium vel non esse Deum, vel posteriorem, aut minorem Patre asseverant. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert &c.* Reliqua non persequor, cum integra apud Gratianum exhibeantur. Can. 24. caus. 24. q. 1.

Canon 9. caus. 9. quæst. 3. laudatur quasi depromptus ex Commentariis Bedæ in Apocalypsim Joannis. Romani Correctores jam observaverunt, inveniri potiès in Glossa ordinaria, ex qua adscriptus fuit Bedæ, quòd in eadem Glossa sæpè Bedæ monumenta recenseantur; unà etiam descripserunt integra verba, qualia ab auctore Glossæ edita fuerunt. Ut verò illud percipiatur, animadvertere oportet, supponi ibidem, quod dicitur in cap. 1. & 2. Apocalypsis, Angelum adparuisse Joanni, monentem, ut scriberet Angelo Ephesi, sive, ut interpretantur, Ephesino Episcopo, ut charitatem, quam reliquit, rursùm adipisceretur, suoque animarum gregi meliùs, utiliùsque consuleret. Quæ ità Glossographus interpretatur, quasi Joannes Apostolus non potuisset ipse per se subditos Ephesini Episcopi, eodem Ephesino Episcopo non prænonito, redarguere. Id meo judicio non satis convenit sacro textui, cum in eo non de subditis corrigendis agatur, sed potiùs de excitanda charitate in Ephesino Episcopo, quæ extincta Can. 9. caus. 9. q. 3.

ta propemodùm videbatur. Deindè non ibidèm monetur Joannes, ne populum Ephesinum coerceat, sed tantum jubetur, ut Ephesinum Episcopum corripiat. Quod cum ità sit, non video, quomodò canon ille accommodari queat proposito Gratiani, indè demonstraturi, Metropolitanos non posse suæ Provinciæ subditos omnes corrigere, suffraganeis Episcopis inconsultis.

De Commentariis in Actus Apostolorum.

Can. 4. caus. 26. q. 2. Cum Actus Apostolorum Beda interpretaretur, singularia quædam tradidit ad cap. 1., ubi proponitur electio facta Apostoli in locum perditi Judæ proditoris. Duos propositos fuisse narrat Sacer auctor, Matthiam, & Barsabam, & sorte rem fuisse diremptam, undè Matthias divino judicio designatus scribitur. Ad illa verba, *& dederunt sortes eis*, inquirebat Beda, nùm Christiani in electione Sacrorum Administrorum sortibus uti possent ad Apostolorum exemplum; & tandèm concludit: *Non exemplo Matthiæ, vel quòd Jonas Propheta sorte deprehensus sit, indifferenter sortibus est credendum, cum privilegia singulorum, ut Hieronymus ait, communem legem facere omninò non possint. Nàm ibi* (id est, in sortibus Jonæ), *& Gentiles viri tempestate coacti auctorem periculi sorte quærebant; & hic* (id est, in specie electionis Apostolicæ) *Matthias sorte eligitur, ne Apostoli electio à mandato discrepare legis veteris videretur, ubi Summus Sacerdos sorte quæri jubebatur, sicut de Zacharia dicitur: secundum consuetudinem Sacerdotii sorte exiit, ut incensum poneret. Qui idcircò, ut reor, tùnc sorte legebatur, ut typo figuraretur, verum semper quærendum fuisse Sacerdotem, donèc veniret, cui repositum erat, qui non in hostiarum cruore, sed per proprium sanguinem introivit semèl in sancta æterna redemptione inventa. Cujus hostia tempore Paschæ immolata, sed die Pentecostes Spiritu S. in igne apparente vera consumpta est. Veteris enim erat consuetudinis acceptas Deo victimas cœlesti igne consumi. Donèc ergo veritas compleretur, figuram licuit exerceri. Indè est, quod Matthias, qui ante Pentecostem ordinatur, sorte quæritur; septem verò Diaconi posteà nequaquàm sortis agitatione, sed discipulorum tantùm electione, Apostolorum verò oratione, & manus impositione sunt ordinati. Quod si qui necessitate aliquâ compulsi Deum putant sortibus, exemplo Apostolorum, esse consulendum, videant hoc ipsos Apostolos non, nisi collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum fusis, egisse.* Ex his supplendus erit canon 4. caus. 26. q. 2., in quo sanè adparet ingeniosa de Apostolorum sortibus expositio, & Ecclesiasticæ disciplinæ sortes prohibentis cum sacrorum eloquiorum exemplis laude digna conciliatio, quæ ceteroquin aliis Scripturæ divinæ interpretibus difficilis, atque ardua visa est. Quotiès verò conferantur verba canonis 4. cum canone 2. eadem causâ, & quæstione, adparebit illicò, Bedam secutum fuisse sententiam Hieronymi, de more scilicèt suo, qui in interpretandis divinis literis, ad veterum Patrum dicta optimo planè consilio respiciebat.

De Commentariis in epistolam Petri.

Ex Commentariis Bedæ in epistolam Petri secundam depromptus est canon 31. caus. 2. q. 7., cujus lectio ut consonet cum vulgatis Bedæ codicibus, etiam pòst Romanam Correctionem, pro illis verbis *prohibuit Prophetæ insipientiam...detestetur...redarguat..merito redarguantur.. in tribulatione interpretatur, neque enim alia major causa... pecuniæ, vel desiderio rerum temporalium... suos mergunt auditores &c.* ista erunt substituenda: *probavit Prophetæ insipientiam... detestentur...redarguant ...merito lacerentur... in tribulatione dicitur, neque enim alia magis causa....pecuniæ, vel desideriorum temporalium,... .suos mittunt auditores &c.* Can. 31. caus. 2. q. 7.

De libro de Temporibus.

Can. 9. dist. 16. Et Divinæ, & Ecclesiasticæ historiæ peritiam quàm maximam exhibuit Beda in duobus libellis, quorum primum inscripsit *de temporibus*, alterum *de sex mundi ætatibus*, qui sanè tituli satis per se demonstrant, quænam fuerint librorum argumenta. Unum pro altero laudavit Gratianus in can. 9. dist. 16., quem depromptum affirmavit ex libro *de temporibus*, cum potiùs referendus fuisset ad librum *de sex mundi ætatibus*. Itaquè ad annum mundi 4639. commemorat Beda factam unionem Græcorum & Latinorum, quæ jam diù olim exoptata fuerat, ità scribens: *Tantaque gratia legatos Catholicæ pacis comitata est, ut Joannes Portuensis Episcopus, qui erat unus ex ipsis, Dominica octavarum Paschæ missas publicè in Ecclesia S. Sophiæ coràm Principe, & Patriarcha latinè celebrarit. Hæc est sexta Synodus universalis Constantinopoli celebrata, & Græco sermone conscripta &c.* Sequuntur hinc verba Gratianei canonis: ibi nimirùm Beda, occasione memoratæ initæ inter Græco Latinosque concordiæ, generalium etiàm præcedentium Conciliorum seriem ex ordine texuit.

De Oratione in Natali S. Joannis.

Can. 6. & 7. caus. 22. q. 4. Canones 6. & 7. caus. 22. q. 4. leguntur apùd Bedam in homilia, recitata in festo Decollationis S. Joannis Præcursoris; exponens enim Venerabilis Presbyter impium Herodis Regis jusjurandum, impiamque jurisjurandi executionem, occasionem arripuit monendi populum, ut si quæ incautiùs aliquandò juraverit, se non arbitretur adstringi. Uterque canon jungendus unà erit; siquidèm post verba illa postrema canonis 6. *contraxisse doluit*, ista sequuntur apùd Bedam: *Juravit Herodes dare saltatrici quodcumque postulasset ab eo; & ne perjurus diceretur à convivis, ipsum convivium sanguine pollùit, dum Prophetæ mortem saltationis præmium fecit, non solùm in jurando, &c.* quemadmodùm in can. 7.

De Pœnitentiali Libro.

In præcedenti capite de Theodoro Cantuariensi nonnulla generaliter tradidi de vetustis Pœnitentialium libris, & illorum auctoritate. Vulgò traditur, & Pœnitentialem librum editum à Beda fuisse: Sed multi ex eruditis viris id in dubitationem adducunt, eâ ratione, quia Beda ubi suos libellos commemorat singulos, de Pœnitentiali nullam faciat mentionem; nullam prætereà faciat Trithemius in cathalogo librorum Bedæ. Qui Pœnitentialem librum Bedæ jure affingendum putant, non conveniunt inter se, sed alios alii producunt hujusmodi codices, & singuli suos germanum esse Bedæ Pœnitentiale prædicant. Non audeo ego in tanto eruditorum dissidio intercedere. Tantùm posse fidenter dicere mihi persuadeo, ex vulgatis hujusmodi variis codicibus nullum posse firmum Ecclesiasticæ disciplinæ præsidium exhauriri. Ex Pœnitentiali Bedæ depromptus à Gratiano dicitur canon. 28. de cons. dist. 2., ad quem jam Romani Correctores adnotaverunt, inter Bedæ librum, & Collectorum editiones non nihil varietatis intercedere, præsertim in dierum numero. Editus est apùd Labbeum liber de remediis peccatorum tomo 8. Venetæ editionis pag. 359. sub nomine Bedæ: ibi autèm in can. 12. hæc leguntur: *Si per ebrietatem, vel voracitatem evomuerit Eucharistiam, quadraginta dies pœniteat; Clericus, Monachus, Diaconus sexaginta; Presbyter septuaginta; Episcopus centum decem: si infirmitatis causâ, septem dies unusquisque: sine infirmitatis causa sacrificii die, quatuor dies.* Recens sub nomine Bedæ Pœnitentialem librum evulgavit Mansius tomo 1. Supplementi Labbeani pag. 580., in quo inter cetera ità legitur: *Si per ebrietatem,* &

Can. 28. de cons. dist. 2.

& voracitatem evomerit Eucharistiam, 40. *dies pœniteat*; *Clericus*, *Monachus*, *vel Diaconus* 40., *Presbyter* 70., *Episcopus* 90., *si infirmitatis causâ*, *septem diebus*. *Unusquisque sine infirmitatis causa sacrificii septem diebus*, *quidam psalterium*, *quidam bis psalterium*. Etiam inter hoc Pœnitentialis exemplar, & Gratianeum canonem extat non leve discrimen.

CAPUT XXXII.

De Petro Nicomediensi.

Petro Episcopo Nicomediæ subjectus canon tribuitur.

(*Can. 6. dist. 16. referendus ad acta Synodi Nicænæ II.*

DUO memorantur in veteribus Ecclesiasticis monumentis ejus nominis Nicomedienses Episcopi. Primus claruit circa annum 680. Is fuit in suspicionem Monothelitarum hæreseos aliquandò adductus, verùm in Concilio Constantinopolitano III. & professione fidei, & libellis datis, & se & fidem suam omninò purgavit. Alter claruit sub finem octavi sæculi, & præsens adfuit in Concilio Nicæno II. generali anni 787. Ad hunc pertinet canon 6. dist. 16., ità tamèn ut in eo exhibeantur potiùs gesta Concilii Nicæni II., quàm quidquam singulare ejusdem Nicomediensis Episcopi. Jam aliàs animadvertendum fuit, nimirùm in parte 2. cap. 71. ad canonem 5. dist. 16., Antistites Nicæni Concilii, Sacrarum Imaginum Patronos, usos fuisse ad rem suam canone 82. Concilii Trullani, quo Divinarum Imaginum disciplina recepta fuisse ab Ecclesia demonstrabatur. Eum canonem legit in actione 4. Elias Presbyter, quem deindè Tarasius Constantinopolitanus Patriarcha professus est lectum fuisse *ex Principali charta*, *in qua subscripserant Sancti Patres*. Pòst hæc ità legitur ibidèm: *Petrus Sanctissimus Episcopus Nicomediæ dixit: & alium codicem habeo, qui continet easdem regulas sacræ sextæ Synodi; quo accepto, Niceta reverendissimus Diaconus, & Notarius legit eundem canonem. Tarasius Sanctissimus Patriarcha dixit: quidam ignoratione languentes in hos canones scandalizantur, asserentes: putas sextæ Synodi sunt? Cognoscant autèm, qui hujusmodi sunt, quòd sancta & magna sexta Synodus sub Constantino fuerit celebrata contra illos, qui unam dicebant operationem, & voluntatem in Christo; in qua hæreticis anathematizatis, & orthodoxâ explanatâ fide, domum reversi sunt quartodecimo anno Constantini. Ergo pòst quatuor, sive quinque annos iidem ipsi Patres convenientes sub Justiniano Filio Constantini præsignatos canones exposuerunt; & nemo dubitet de illis. Illi enim, qui subscripserunt sub Constantino, ipsi & sub Justiniano præsenti chartæ subscripserunt, ità ut hoc manifestum sit ex eorum propriæ manus scripturæ immutabili similitudine. Oportebat enim eos, qui Synodum universalem præsentaverant, etiam canones Ecclesiasticos exponere.* Deindè in actione 6. ejusdem Synodi Nicænæ iterùm de Trullana Synodo sermo recurrit, ibi: *Sancta verò sexta, & universalis Synodus cum promulgasset definitionem suam contra eos, qui unam voluntatem prædicant in Christo Deo nostro, & Constantinus, qui tùm imperabat, & præceptione suâ per beneplacitum Dei hanc congregaverat, vitâ pòst modicum excessisset, Justinianusque filius ejus imperium obtinuisset; iidem ipsi, qui in*

in ea fuerant congregati, rursùs nutu divino unanimiter convenientes pòst quatuor, vel quinque annos regulas ediderunt pro correctione Ecclesiasticorum negotiorum, usquè ad duas & centum. In quibus canonibus etiam de imaginibus in 82. regula exposuerunt &c. Non hic repetenda sunt, quæ spectant ad auctoritatem canonum Trullani Concilii, ad quos sanè ista pertinent; itèm ad mentem Tarasii Constantinopolitani, cujus sententia in hoc canone magna in parte describitur, ac demùm ad scopum Nicænorum Antistitum; de his enim omnibus jam satis agendum fuit in parte 1. cap. 41. & 43., item in parte 2. cap. 71.

CAPUT XXXIII.

De Albino, seu Alcuino.

Modò sub Albini, modò sub Alcuini nomine inscripsit Gratianus ejusdem scriptoris Flacci Albini Alcuini monumenta, nimirùm

Can. 12. dist. 45. videtur potiùs Eligii Noviomensis.
Can. 10. caus. 23. q. 8. ad Alcuini opera exigendus.

FLoruit Flaccus Albinus Alcuinus sub finem octavi sæculi, ex Anglia oriundus, quâ in Patria institutores sortitus est viros illustres, Bedam, & Egbertum Eboracensem. Exindè advocatus in Galliam Carolo Magno Imperatori charissimus fuit, à quo & muneribus auctus est, & in honore maximo sempèr habitus. Monasticæ vitæ studiosissimus fuit, quam & ipse coluit & aliis colendi auctor extitit, literarum & bonarum artium magisterio præclarus, æquè ac pietate & morum integritate laudabilis. Extant inter cetera ejus opera plures epistolæ, quas congessit Jacobus Basnagius, unà etiam animadversionibus explicavit. Canon 12. dist. 45. consonat in parte cum Alcuini sententia, qualis habetur in ejus epistòla ad Eanbaldum Archiepiscopum, quam ex vetere MS. codice edidit Fontanini in Appendice ad vindicias antiquorum diplomatum pag. 266., quamque refert Basnagius memoratus. Ait ibidèm Alcuinus: *Duplex fiat eleemosyna tua, una in salvandis animabus, altera juvandis corporibus egentium.* Ceterùm ego verosimiliùs arbitror, vitiatos esse codices aut Gratiani, aut illius, qui Gratiano in describendo canone auctor extitit, ità, ut pro nomine Albini legendum sit nomen Eligii; neque enim difficile est percipere, quomodò pro isto nomen illud emerserit in codices ob quamdam dictionis similitudinem. Laudo Eligium Noviomensem Episcopum, septimi sæculi scriptorem, qui in homilia 11. in Cœna Domini, quæ habetur in Bibliotheca Patrum tom. 12. ità scribebat: *Non solùm ergo, qui dat esurienti cibum, verùm etiam qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat, & qui emendat verbo eum, in quem potestas ei datur, vel coercet aliquâ disciplinâ.* Quæ sanè quotiès cum Gratianeo canone conferantur, vix verbo tenùs diversa videbuntur.

Can. 12. dist. 45.

Ad canonem 10. caus. 23. quæst. 8. Romani Correctores ità animadverterunt: *Quod hic refertur ex Alcuino, habetur in vita & gestis Caroli Magni, per Eginardum scriptis, in quo libro, & apùd Ivonem pro voce* hortatu *legitur* rogatu. Itaquè Gratianus ab Ivone fragmentum decerpsit, qui in parte 10. Decreti cap. 91. hanc adposuit inscriptionem: *Quod Ca-*

Can. 10. caus. 23. q. 8.

Carolus Rex adversùs Longobardos rogatu Hadriani Papæ bellum suscepit : ex gestis Caroli Magni juxta Alcuinum. Deindè ità caput exaravit : *Rogatu, & precibus Hadriani Papæ, Romanæ Urbis Episcopi, exoratus Carolus Rex bellum contra Longobardos suscepit, quod priùs quidèm & à Papa Stephano ejus Patre supplicante* (legun aliqui *ab ejus Patre Papa Stephano supplicante*) *cum magna difficultate susceptum est.* Hinc facilè liquet, Gratianum hac in parte secutum omninò fuisse fidem Ivonis, atque Alcuinum laudavisse; non quòd crederet Alcuinum fragmenti esse illius auctorem, sed quòd crederet, fragmentum illud ex Alcuini sententia concinnatum fuisse, juxtà inscriptionem Ivonis *Ex gestis Caroli Magni juxtà Alcuinum.* Ego ut rem in apertiore lumine collocem, quoad fieri per tempora potest, conjicio, Ivonem ea descripsisse ex eo codice, quem evulgavit Nicolaus Fucquetius, Regius in Parisiensi Senatu Procurator, in sua Bibliotheca MSS. librorum tomo 2., in quo res Aquitanicas, præsertim Bituricenses collegit. In calce tomi 2. retulit miscellanea quædam opuscula rerum Aquitanicarum, atque inter cetera edidit codicem quemdam anonymum, sed pervetustum, sumptum ex Bibliotheca S. Martini Mascianensis, in quo describuntur annuatim Francorum monumenta ab anno 726. ad annum 796. Hic sanè codex videtur esse opus Alcuini, quod non solum suspicari licet ex eo, quòd tunc temporis floreret Alcuinus rerum Francicarum peritissimus, sed etiam conjicere ex eo, quòd in fine codicis MS. descripta sint hæc verba alia manu, seu alio charactere, licèt pariter antiquo : *Obiit Alcuinus* 14. *Kal. Julii feria* 1. *Pentecostes, inlucente die luna* 6., *anno Incarnationis Domini* 804. *in lictione* 12. *anno* 36. *Regnante Domino Carolo, accidente paralysis* 8. *Idus Maji feria* 5. *ad vesperum post solis occasum luna* 25. Quorsùm enim in fine codicis tam accurata mortis Alcuini descriptio, quandò in toto codice de Alcuino ne verbum quidèm fit, nulla præterea Alcuini inscriptio in principio libri, nisi Alcuinus tum creditus fuisset libri auctor? Ad hanc rem ità scribitur in eo libro ad annum 753. *Pipinus Rex in Saxonia... & Papa venit ab urbe Roma, & Carolomannus post eum, & filii ejus tonsi sunt.* Ad annum 754. *Rex Pipinus abiit in Longobardiam, & Papa reversus est Romam.* Ad annum 773. *Dominus Carolus perrexit Italiam, & concitato bello fugit Desiderius Rex Longobardorum, & retrusus est Papiâ, & Dominus Rex Carolus obsedit eam dominans Italiæ.* Ad annum 774. *Tradita est Papia Francis... Et Carolus lætus S. Petro reddidit Civitates, quas debuit.* Hæc ea sunt, ex quibus puto, Ivonem, & subindè Gratianum quasi ex historia Alcuini concinnavisse canonem 10.; cum enim legisset Ivo, Regem Pipinum, antequàm in Longobardiam pugnaturus ivisset, collocutum fuisse cum Pontifice Maximo, item Carolum Magnum Pipini successorem post Longobardicum bellum restituisse Pontifici Maximo, quas debuit Civitates; auguratus fuit, suasione vel hortatu Pontificis Maximi bellum adversus Longobardos fuisse commissum. Ceterùm, nisi certiora, & magis perspicua Alcuini monumenta in medium proferantur, Gratianei canonis auctoritas in incerto admodùm hærere videbitur. His adjici potest fragmentum libelli, in quo vita describitur Hadriani I., auctore Monacho Nonantulensi Anonymo, editi apùd Mabillonium in parte 2. tomi 1. Musæi Italici, ubi ità legitur pag. 39. de Hadriano Papa : *Hic etiam sedem Apostolicam strenuissimè gubernare, & ad proprium statum reducere studuit. Eo siquidèm tempore Desiderius regnum Longobardorum tenebat, & Romanæ Ecclesiæ castra, & prædia, more Antecessorum suorum, nimis vastabat. Quapropter Papa prædictus commotus Carolum Francorum Regem, sicut in gestis ipsius Caroli legitur, contra Desiderium in Italiam invitavit. Qui etiàm Carolus non priùs des-*

destitit, donec Desiderium bellis fatigatum perpetuo exilio damnaret, & filium ejus Italiâ pelleret, resque direptas Hadriano Papæ restitueret, & filium suum Pipinum Italiæ præficeret. Profectò hæc etiam plurimùm cum Gratianeo monumento conveniunt.

CAPUT XXXIV.

De Haymone.

Quòd sub Haymonis nomine referatur apùd Gratianum, hunc locum dedit subjecto canoni.

(*Can. 39. caus. 23. q. 5. potiùs tribuendus Remigio Autissiodorensi.*

DIscipulus Alcuini, nupèr laudati, & Rhabano Mauro charissimus fuit Haymo, sive ut alii scribunt, Aimo, qui medio sæculo 9. floruit, primùm Monasteriis Præfectus, deindè Episcopus Halberstadiensis. Eidem tributa aliquandò fuerunt Commentaria quædam in epistolam Pauli ad Romanos, ex quibus depromptus est canon 39. caus. 23. quæst. 5. Verùm recentiores eruditi illa ab Haymone abjudicaverunt, præsertim Villalpandus, qui in Bibliotheca Patrum eadem vendicat Remigio Rhemensi Episcopo, quinti sæculi auctori Clarissimo, quòd Remigii nomen superscriptum inveneri in Codice MS. vetusto, & anni 1067., qui existebat in monasterio S. Ceciliæ Regionis Transtyberniæ Romæ. Non defuerunt tamèn è contrario Viri Clarissimi, qui opus illud adscribendum potiùs voluerunt alteri Remigio, nimirùm Autissiodorensi, qui floruit circa annum 880. monachus professione. Reverà cum ibidèm mentio fiat Gregorii Magni, Bedæ, & Saracenorum, isti potiùs, quàm illi Remigio liber adserendus videtur. Cum capite 13., ubi verba Pauli ad Romanos 13. expenduntur de obedientia sublimioribus debitâ, consonant verba Gratiani, dummodò ità legamus: *Sunt enim quædam enormia flagitia, quæ potiùs per mundi Judices, quàm per Antistites, & Rectores Ecclesiarum vindicantur; sicut est, cum quis interficit Pontificem Apostolicum, Episcopum, Presbyterum, seu Diaconum. Hujusmodi reos Reges, & Principes mundi damnant. Ergò non sine causa gladium portat, qui talia scelera dijudicat. Sunt etiam maximè constituti propter latrones, homicidas, raptores, ut & illos damnent, & alios suo timore compescere faciant.*

CAPUT XXXV.

De Rhabano.

Rhabani monumenta hæc sunt.

Ex Lib. de Institutione Clericorum.

- *Can. 54. de cons. dist. 4. ex integris codicibus supplendus.*
- *Can. 61. de cons. dist. 4.*
- *Can. 63. de cons. dist. 4.*
- *Can. 64. de cons. dist. 4.*
- *Can. 66. de cons. dist. 4.*
- *Can. 68. de cons. dist. 4.*
- *Can. 70. de cons. dist. 4.*

simùl jugendi.

Can.

Can. 88. de cons. dist. 4. consonat omninò cum integris exemplaribus.

Can. 91. de cons. dist. 4. ex integris codicibus supplendus, atque emendandus.

Can. 95. de cons. dist. 4. jungendus cum can. 61. & sequentibus ead. dist.

Can. 5. de cons. dist. 5. ex integris codicibus emendandus.

Ex Lib. de Pressuris Ecclesiasticis.

Can. 7. dist. 37. neque apùd Rhabanum, neque apùd Attonem reperitur.

Can. 5. caus. 24. q. 3. Attoni Vercellensi potiùs tribuendus.

Ex Lib. de Magorum præstigiis.

Can. 1. caus. 26. q. 1. jungendus cum can. 1. caus. 26. q. 3.

Can. 1. caus. 26. q. 3. falsò tributus Augustino.

Ex epist. ad Heribaldum.

Can. 34. dist. 50. ex integra epistola emendandus.

Adjicitur.

Can. 1. §. 1. de pœn. dist. 4. emendandus ex Commentario Rhabani in Matthæum.

QUidquid de gente Rhabani tradatur, quem alii Francum, alii Anglum origine esse scripserunt, certum sanè est, apùd Francos potissimùm altum fuisse, educatumque; itèm apùd eosdem doctrinam suam eximiam explicavisse. Fuit ipse Alcuini discipulus. Monachis præfuit in monasterio Fuldensi, ac tandèm Moguntinum Episcopatum gessit, obiitque circa annum 856. Erat in rerum sacrarum studio assiduus, in Latina, Græca, & Hebraica lingua non parùm eruditus; quod causam dedit, cur eum monastici tæderet regiminis, & parùm apùd Monachos suos diligeretur. Id legebat Nicolaus Serarius in Codice MS. in lib. 4. rerum Monguntiacarum pag. 643., ibi: *Rhabanus anno 842. Fuldensi pulsus est Abbatiâ, fratribus monachis caussantibus ipsum studiosum, nimis intentum scripturæ, temporalia negligere.* Idipsum scribebat Trithemius in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis de Rhabano, ità: *Tandèm offensus improbitate Monachorum suorum, qui eum dicebant nimiùm scripturis intentum temporalia negligere, agente id in eis Diabolo, displicentiam in eum ceperunt, scandalizati in eo, quo maximè debuerant ædificari. Dans igitur locum iræ, nec cum ingratis ovibus diutiùs manere consentiens, monasterium & ejus habitatores deseruit.* Ex quo sanè liquet, quanta fuerit in excolendis divinarum, & Ecclesiasticarum rerum studiis Rhabani diligentia, ac sollicitudo, undè non mediocri in honore ejus scripta habeantur.

De libris de Institutione Clericorum.

Tres extant Rhabani libri, quibus titulus inscribitur *de Institutione Clericorum* missi ad Heistulphum Archiepiscopum, quemadmodùm liquet ex epistola, operi præpositâ. In primo libro agitur de Ecclesiasticis ordinibus, & vestibus Sacerdotum; item de Baptismo, de Chrismate, de Corpore, & Sanguine Domini, & de Officio Missæ secundum morem Ecclesiæ Romanæ universæ. In secundo de Officio Canonicarum Horarum, de jejuniis, de confessione, ac pœnitentia, de festivitatibus variis, de lectionibus, & Cantico Ecclesiastico, de Fide Catholica, & hæresibus. In tertio deniquè de ratione studiorum, in quæ Clerici mentem intendant. Ad librum 1. cap. 25. referendus est canon 54. de cons. dist. 4. ibi: *Sed antè Baptismum, catechizandi debet in hominem pervenire officium, ut fidei primum catechumenus accipiat rudimentum. Nàm in Evangelio secundum Matthæum* Can. 54. de cons. dist. 4.

thæum legitur, quòd pòst resurrectionem Domini Apostolis præceperit, ut in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti docerent, & baptizarent omnes gentes, id est, priùs per fidem Dei illis insinuarent, & sic credentes in remissionem peccatorum baptizarent. Hoc est, quod secundum Marcum idem Dominus legitur præposuisse fidem Baptismatis, cum ità dixerit: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; Qui verò non crediderit, condemnabitur; &, Joanne teste, priùs ipse Jesus cæci nati oculos luto ex sputo facto superlinivit & sic ad aquas Siloe misit; quia priùs debet Baptizandus fide Incarnationis Christi instrui, & sic ad Baptismum jam credulus admitti, ut sciat cujus gratiæ in eo est particeps, & cui jam debitor fiat deinceps.

Can. 61. 63. 64. 66. 68. & 70. & 95. de cons. dist. 4.

Ad caput 27. ejusdem libri 1. referendi sunt canones 61. 63. 64. 66. 68. 70., & 95. de cons. dist. 4., ubi Rhabanus sacras suscipiendi Baptismatis cæremonias explicabat, ibi: *Catechizandi ordo hic est: Primum interrogatur Paganus &c.* Hic sequuntur integra ea, quæ leguntur in laudato canone 95. Pergit indè Rhabanus, tradens Catechumeno proponi Symbolum fidei, quod profiteatur; pòst quæ ità prosequitur: *At postquàm se per confessionem veræ fidei in alterius commendaverit dominium, & per abrenunciationem prioris possessoris se alienaverit servitio, exsufflatur ab eo sæva potestas, ut per pium Sacerdotis mysterium Spiritui sancto cedat fugiens spiritus malignus*; (habentur ista in can. 61., sicut sequentia in can. 63.) *signaturque ipse homo signaculo Sanctæ Crucis tàm in fronte, quàm in corde, ut ipse Apostata Diabolus in vase suo pristino suæ interemptionis cognoscens signum, jam sibi deinceps sciat illud esse alienum. Exindè* (hic est canon 64.) *jam dicuntur super eum orationes, ut fiat Catechumenus. Tunc datur ei sal benedictum in os, ut per sal typicum sapientiæ sale conditus fœtore careat iniquitatis, & nec à vermibus peccatorum ultrà putrefiat, sed magis illæsus servetur ad majorem gratiam percipiendam. Debinc* (hic est canon 66.) *iterùm exorcizatur Diabolus, ut suam nequitiam agnoscens, & justum super se judicium timens recedat ab homine, nec jam contendat eum arte sua subvertere, ne Baptismum consequatur, sed magis honorem Deo Creatori suo exhibens reddat opus factori suo. Posteà tanguntur* (hic est canon 68.) *ei nares, & aures cum saliva, & dicitur ei illud verbum Evangelicum, quod Jesus quandò surdum, & mutum sanavit tangens cum sputo linguam ejus, & mittens digitos suos in auriculas ejus, dixit: Ephetà, quod est, adaperire. Hoc enim Sacramentum hic agitur, ut per salivam typicam Sacerdotis, & tactum, sapientia & virtus divina salutem ejusdem Catechumeni operetur, ut aperiantur ei nares ad accipiendum odorem notitiæ Dei; ut aperiantur illi & aures ad audiendum mandata Dei, sensuque intimo cordis reponendum. Deindè* (est hic canon 70.) *benedictione sacerdotali munitur, ut ad Sacrum Baptismum cum fide accepta custodiatur. Ungetur illius tunc pectus de oleo sanctificato cum invocatione Sanctæ Trinitatis, ut nullæ reliquiæ latentis inimici in eo resideant, sed in fide Sanctæ Trinitatis mens ejus confortetur. Ungetur & inter scapulas de eodem oleo, ut undiquè muniatur, & ad bona opera facienda per Dei gloriam roboretur.* Deindè in cap. 28. ait: *Pòst hæc igitur consecratur fons, & ad ipsum Baptismum Catechumenus accedit, & sic in nomine Sanctæ Trinitatis trinâ submersione baptizatur.*

Itaquè in cap. 28. libri 1. explicat Rhabanus Baptismatis cæremonias, eas præsertim, quæ pertinent ad ritum trinæ immersionis, pòst quæ explicata ità ibidèm prosequitur: *Postquàm enim ascenderit baptizatus de fonte &c.* Quæ sequuntur eadem omninò sunt cum verbis canonis 88. de cons. dist. 4.

Can. 88. de cons. dist. 4.

Ad caput 29. sequens referendus est canon 91. de cons. dist. 4., ubi pro verbis illis, *repræsentandum ante*, legendum est *ad præsentandum antè.* Pòst illa verba *resurgentis Ecclesiæ* hæc subjicienda

Can. 91. de cons. dist. 4.

sunt

sunt, omissa à Gratiano : *Sicut ipse Dominus coram Discipulis transfiguratus est, ut dicitur : Resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta ejus facta sunt candida, sicut nix. Quo facto, splendorem, ut dictum est, resurgentis in futurum figuravit Ecclesiæ. Utuntur ergò albis vestibus, ut quorum primæ nativitatis infantia vetusti erroris pannus fuscaverat, habitus secundæ generationis gloriæ præferat indumentum. Tegitur enim post sacram unctionem caput ejus mystico velamine, ut intelligat se diadematis regni, & sacerdotalis dignitatis portitorem.* Postrema verba, quæ Gratianus edidit, erunt ex modò descriptis emendanda.

Can. 5. de cons. dist. 5. Postquàm Rhabanus in eodem cap. 29. subdidit, baptizato conferri Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, progreditur in cap. 30. his verbis : *Novissimè autèm à Summo Sacerdote per impositionem manus paracletus traditur illi Spiritus Sanctus, ut roboretur &c.* Reliqua habentur in can. 5. de cons. dist. 5., ubi pro verbis illis *ut in priore unctione* legendum est *ut priori unctione.*

De libro de Pressuris Ecclesiasticis.

Non Rhabani, sed Attonis Vercellensis Episcopi liber est, qui inscribitur *de Pressuris Ecclesiasticis*, editus apùd Dacherium in tom. 1. Parisiensis editionis anni 1723. pag. 414. Vixit autèm Atto medio sæculo 10. & Divino, & Ecclesiastico in Jure valdè peritus. In eo libello parte 1. totus est prudentissimus Antistes, ut objurget eos, qui sacerdotes de criminibus malignè accusant, atque inter cetera numero plu-

Can. 5. caus. 24. q. 3. rima scribit : *Congruentiùs ergo eligimus nostram portare injuriam, quàm aliis inferre calumniam, & ab aliis injustè pati, quàm à nobis injustè defendi ; non enim in perpetuum damnamur, cum injustè judicamur, dicente Psalmista : nec damnabis eum, cum judicabitur illi. Multi deniquè Sacerdotum culpam zelo Dei persequi se profitentur, sed dum indiscretè hoc agunt, sacrilegii facinus incurrunt ; & dum præcipites quasi ad emendationem ruunt, ipsi quoquè deteriùs multo magis cadunt.* Ad hæc exigendus erit canon 5. caus. 24. quæst. 3. Rhabano tributus.

Neque in libro Attonis *de Pressuris Ecclesiasticis*, neque in libro Rhabani de *Institutionibus Clericorum* invenitur, quamquàm sub hujusmodi nominibus à Gratiano laudetur canon 7. dist. 37. In vetere Codice MS. Panormiæ Regii Athenæi pag. 39. col. 2., ubi idem monumentum exhibetur, hæc adest inscriptio : *Rabanus de institutionibus Ecclesiasticis parte 2.*, additamentum verò factum est interlineale ; siquidèm suprà illam vocem *institutionibus* adpositum est *pressuris*, quasi causâ emendationis. Ex eo quidèm colligitur, apùd Collectores aliquot libros illos seu de Institutionibus, seu de Pressuris Ecclesiasticis promiscuè aliquando fuisse usurpatos, & Rhabano propterèa tributos. Interèa tamen animadvertendum est, neutro in loco canonem legi : Tantùm nonnulla sunt in libro 3. Rhabani de Institutionibus Clericorum cap. 2. 26. & sequentibus præcepta Christianis data, ut iis sæcularibus literis intendant, in quibus divinæ non adversantur institutiones. Fortè evenire potuit, ut quisquam ad ejusdem libri marginalem oram adjecerit, quæ in Hieronymi libris de eodem sancto Viro traduntur. Quâ in re opportunum erit ad ea respicere, quæ superiùs exhibui, dum epistolam Hieronymi ad Eustochium explicabam pag. 190. & sequentibus.

Can. 7. dist. 37.

De libro de Magorum præstigiis.

Perperàm sub Augustini nomine descriptus est apùd Gratianum canon 1. caus. 26. quæst. 3., cujus verba potiùs pertinent ad Rhabanum in libello, cui titulus est *de consanguineorum nuptiis, & de Magorum præstigiis ; falsisque divinationibus.* Interrogatus Rhabanus fuerat, primùm quænam esset servanda disci-

Can. 1. caus. 26. q. 3 & can. 1. caus. 26. q. 1

plina in finiendis consanguineorum gradibus causâ legitimi ineundi conjugii; deindè quid de iis sentiendum esset, qui magicis præstigiis vulgus fallere dicebantur. Ad posteriorem hanc tractationis partem pertinet laudatus canon 1., qui cum verbis Rhabani consonat, dummodò initio supponas, sermonem institutum fuisse à Rhabano de Hydromantia, quâ arte dicebantur umbræ Dæmonum evocari in aquarum inspectione. De ea inquit ille: *Quod genus divinationis à Persis fertur allatum, Varro dicit, divinationis quatuor esse genera &c.*; itèm dummodò pro illis Gratiani verbis *pyromantiam dicta autumat. Divini dicti sunt, quasi Deo pleni; divinitate enim plenos se esse simulant...occurrentes ferunt. Iidem sunt & auspices...quasi avium spicia...voces & linguæ...speculentur dissimili, & diverso fato*, ista substituas: *pyromantiam dictam autumant. Divini dicti, quasi Deo pleni, divinitate enim plenos se esse assimilant...occurrentes ferunt. Sunt etiam & auspices...quasi avium aspicia...voces, & linguas...specularentur dissimili, & diverso fato*; dummodò demùm post verba modò relata ista adjicias, quæ à Gratiano sub Isidori etiam nomine descripta fuerant in can. un. caus. 26. quæst. 1. *Sortilegi sunt, qui sub nomine fictæ religionis per quasdam, quas Sanctorum sortes vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum scientia inscriptione futura promittunt. Salisatores vocati sunt, quia dum eis membrorum quæcumque salierint, aliquid sibi exindè prosperum, seu triste significari prædicunt.* Hæc omnia Rhabanus deprompserat ex Hispalensi Isidoro in lib. 8. Originum cap. 9., ubi eadem ferè verba leguntur; quamobrem jure optimo Gratianus sub Isidori nomine laudare potuit memoratum canonem unicum caus. 26. quæst. 1.

De epistola ad Heribaldum.

Can. 34. dist. 50.

Cum Rhabanus jam Moguntinus Archiepiscopus maximo in honore esset apùd finitimarum Regionum Antistites, non dubitabant isti eum in gravioribus Ecclesiæ negotiis consulere. Ex his fuit Heribaldus Episcopus Autissiodorensis, vir magni nominis, & qui primam dignitatem Palatinam apùd Carolum Calvum Francorum Regem tenebat. Dubitatùm eo tempore fuerat de Clericis, ordinatis ab Ebbone Rhemensi Archiepiscopo, qui in Concilio apùd Theodonis-villam celebrato anno 835. depositus fuerat ob perduellionem admissam adversùs Ludovicum Regem; & quamquàm restitutus deindè in sedem suam fuisset ab alia Synodo, gratiâ & favore Lotharii Imperatoris, tamèn Hincmarus Rhemensis eam restitutionem minimè probavit, proindèque ejus acta tanquàm ab iniquo Episcopalis sedis usurpatore edita non recepit. Heribaldus in his rerum adjunctis, quid sibi agendum esset, à Rhabano perconctatus est, eâque occasione de aliis Juris sacri capitibus Rhabanum interrogavit. Respondit datâ epistolâ Moguntiensis Antistes, in qua cum nonnulla adjecisset ad pœnitentiales canones pertinentia, non dubitaverunt recentiores quidam appellare epistolam illam *librum Pœnitentialem ex Canonicis Constitutionibus à Rhabano venerabili Archiepiscopo compendiosè defloratum*, uti legitur in in editione Petri Stevartii. Ceterùm liber Pœnitentialis Rhabani ab Epistola ista distinguitur, imò & ante epistolam editus fuerat. Multa sanè in epistola adsuuntur, quæ non ad pœnitentes attinet, quod in pœnitentialibus non contingit; deindè Collectores plures illam non nomine Pœnitentialis, sed nomine epistolæ laudaverunt, quemadmodùm apùd Reginonem liquet in lib. 2. cap. 242., apùd Ivonem in parte 6. Decreti, & apùd Gratianum in can. 34. dist. 50. Non defuerunt, qui hanc epistolam improbaverunt, utpote in cujus cap. 33. videatur Rhabanus turpibus *Stercoranistarum* sententiis adhæsisse. Illustrem

trem Virum ab hac nota purgavit Mabillonius in præfatione partis 2. sæculi 4. Benedictini, quem facilè quisque consulere poterit. Edidit hanc epistolam Baluzius in appendice ad Reginonem, ex quo Gratianeum canonem emendandum rectissimè censeo. Ità legitur in cap. 10. *De his ergo visum est vobis conscribi, qui sacros ordines habent, & antè, vel pòst ordinationem contaminatos in capitalibus criminibus se esse profitentur. In quibus, ut mihi videtur, hæc distantia debet esse, ut hi, qui deprehensi, vel capti fuerint publicè in perjurio, furto, atque fornicatione, & ceteris hujusmodi criminibus, secundum sacrorum canonum instituta à gradu proprio deponantur; quia scandalum est populo Dei tales personas super se positas habere, quas ultra modum vitiosas esse constat. Nempè inde homines detrahunt Sacrificio Dei, sicut quondàm filiis Heli precantibus fecisse leguntur, & rebelles hinc, atque contrarii existentes eorum pravis exemplis quotidiè pejores fiunt. Qui autèm de prædictis vitiis per occultam confessionem mala abs se absconsè commissa coram oculis Dei* (adnotat Baluzius, in vetere Collectione canonum MS. in Bibliotheca Regia ità legi: *peccatis absconditè à se admissis per occultam confessionem coram oculis Dei*) *præsente etiam Sacerdote, qui eis indicturus est pœnitentiam, confitentur, & semetipsos graviter deliquisse accusant* (iterùm notat Baluzius, in Codice MS. legi *deliquisse queruntur*) *si veraciter pœnituerint, & se per jejunia, & eleemosynas, vigiliasque, atque sacras orationes cum lacrymis purgare certaverint, his, etiam gradu servato, spes veniæ de misericordia Dei promittenda est, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire, neque vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.*

De Canone 1. §. 1. *de pœn. dist.* 4.

Quod legitur sub Rhabani nomine in vers. *Tradidit* can. 1. de pœn. dist. 4., non exhibet ipsa Rhabani verba, sed explicat ampliùs sententiam, quæ habetur in ejusdem Commentariis in Evangelium Matthæi cap. 18. in fine. Postquàm enim Vir eximius propositam Evangelicam parabolam servi, cui postquam plura à pio domino dimissa fuissent, indicta fuit sententia, ut tortoribus traderetur, mysticè intelligendam voluit de populo Judæorum, cui plurima peccata dimiserat olim Deus, & quem deindè perpetuò voluit affligendum; statim prosecutus est cum Evangelista: *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris*; & ait: *Ex quibus videlicèt dictis constat, quòd si hoc, quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, & illud rursùs à nobis exigitur, quod nobis jam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus.* Hæc sanè verba potiùs consonare videntur cum can. 2. eadem dist. 4. de pœn., qui refertur ad Dialogos Gregorii Magni. Ceterùm facilè conjicitur, Scriptores undecimi, aut duodecimi, sæculi, apùd quos vulgata erat quæstio, nùm peccata semèl dimissa reviviscerent aliquandò, memoratam Rhabani sententiam aliis descripsisse verbis, undè Gratiano errandi occasio præberetur.

CA-

CAPUT XXXVI.

De Hincmaro Rhemensi.

Præter ea, quæ sub nomine Hincmari Rhemensis habentur in can. 9. caus. 2. quæst. 1., jam explicata in prima parte cap. 51., duo edidit Gratianus ejusdem Auctoris monumenta.

Can. 16. caus. 2. q. 5. ex integris Hincmari monumentis emendandus,
Can. 4. caus. 33. q. 1. ad integram Hincmari epistolam exigendus.

MEdio nono sæculo floruit in Gallia Hincmarus, pòst depositum Ebbonem perduellionis reum, Rhemensis Archiepiscopus, acri ingenio præstans, & sacrorum canonum peritissimus. Ejus plurima extant opuscula, quorum maximam partem edidit Jacobus Sirmondus. Opus non est per varios ejus libellos expatiari, ubi duo tantùm, & quidèm brevia, capitula apùd Gratianum exhibentur. Primum est in can. 16. caus. 2. quæst. 5. Habetur autèm in capitulis, quæ Hincmarus misit anno 852. ad Presbyteros Parochiæ suæ tit. 2. cap. 23. & 24. his verbis: *Si autèm mala fama ex verisimilitudine per Parochiam de Presbytero exierit, & accusatores, atque testes legales defuerint, ne infirmorum corda de mala fama Presbyteri percutiantur, & ne vituperetur ministerium nostrum, neve securiores Presbyteri existentes licentiùs in peccatum labantur, secundum Decretum Gregorii Junioris sit jusjurandum in medio, & habeat malæ famæ Presbyter in Sacramento purgationis suæ eum testem, quem habebit & judicem. Et quoniàm legimus in epistolis B. Gregorii, sæpè infamatum Sacerdotem in purgatione suæ famæ tantùm jusjurandum præbuisse, & legalis, atque Apostolica, & Canonica auctoritas trium testium testimonium recipit ad condemnationem, non ab re videbitur, si recipiatur ad purgationem &c.* Eadem Hincmari verba descripta fuerunt in canone 9. Concilii Troslejani anni 909. sub Heriveo Rhemensi Archiepiscopo; ex quo colligitur diù Hincmari capitula in ea Provincia fuisse servata. Quandò verò Gtegorium Juniorem Hincmarus ibidèm laudat, referendum illud est ad ea, quæ referuntur in can. 5. caus. 2. quæst. 5., de quo suo loco agendum fuit.

Alterum monumentum extat in can. 4. caus. 33. quæst. 1., quem exigere oportet ad epistolam Hincmari, scriptam jussu, & auctoritate Synodi Tullensis II. apùd Tusiacum Villam celebratæ anno 860. ad Rodulphum Bituricensem, & Frotrarium Burdigalensem, Metropolitanos Aquitaniæ. Vir quidam nobilis, nomine Stephanus, Regimundi Comitis filiam in Aquitania desponsaverat; numquàm verò adduci potuit, ut cum eadem matrimonium consummaret. Delata res fuit ad Concilium Episcoporum, itèm ad Ludovicum Pium Principem. Allegavit Stephanus, non teneri se, quòd jam copulam habuisset cum consanguinea sponsæ. Instabat è contra Regimundus sponsæ Pater, ut id argumentis probaretur. Dum controversia agitaretur, scripsit epistolam Hincmarus, nonnulla tradens de conjugiis aut conciliandis, aut dissolvendis; quâ in re non tàm explicavit subtilem Juris disciplinam, quàm sui temporis moribus, & traditionibus vulgò receptis, indulsit. Porrò tunc temporis erat Gallia, & Germania immanibus superstitionibus plena, quod perspicuum statim fit apud eos, qui Pœnitentiales illius ætatis, & illorum Provinciarum libros evolverint. Passim autèm ibidèm occurrunt conatus turpes æquè ac impii virorum, ac fœminarum, ut conjugum si-

Can. 4. caus. 33. q. 1.

sibi amorem aut impensiùs conciliarent, aut amoverent. Hinc inter cetera scribebat Hincmarus in epistola: *Sed subtilis investigatio, & rationabilis discretio in his priùs est adhibenda, utrum quasi naturalis in viris sit hujusmodi commixtionis impossibilitas, (quia & sunt Eunuchi, sicut scriptum est, qui de matris utero sic nati sunt), an hoc impedimentum operatione diaboli, sicut fieri assolet, illis accidit. Quod si* (hinc exordiuntur Gratianus in laudato can. 4.) *per sortiarias, atque maleficas occulto, sed nunquàm, vel nusquàm injusto* (ad hæc verba adnotat jure Baluzius in notis ad Antonium Augustinum, veteres librarios, cum non satis intelligerent, ex illis vocibus *nunquam*, & *nusquam*, quænam esset præferenda, utramque posuisse, eo modo lectori arbitrium relinquentes legendi, quam mallent) *Domini judicio permittente, & Diabolo operante, accidit, hortandi sunt, quibus ista eveniunt, ut corde contrito, & spiritu humiliato, Deo, & Sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & profusis lacrymis, ac largioribus eleemosynis, & orationibus, atque jejuniis, Domino satisfaciant, cujus judicio, pro suo merito, & ab illa benedictione privari inviti meruerunt, quam Dominus primis parentibus ante peccatum in paradiso donavit, quâ etiam pòst peccatum genus humanum in totum privari non voluit; & per exorcismos, atque cetera medicinæ Ecclesiasticæ munia, ministri Ecclesiæ tales, quantum annuerit Dominus, qui Abimelech, ac domum ejus Abrahæ orationibus sanavit, sanare procurent. Qui, fortè si sanari non poterunt, separari valebunt. Sed postquàm alias nuptias expetierint, illis in carne viventibus, quibus junctæ fuerint, prioribus, quos reliquerant, etiamsi possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt.* De hac sanè re pluribus egit Hincmarus idem in opusculo de divortio Lotharii Regis, & Tetbergæ Reginæ. Etenim quintodecimo loco fuerat interrogatus: an *hoc verum esse possit, quod plures homines dicunt, quia sunt fœminæ, quæ maleficio suo inter virum, & uxorem odium irreconciliabile possint mittere, & inenarrabilem amorem iterùm inter virum & fœminam serere, & de ceteris, quæ hinc ad quæstionem voluerunt quærentes deducere.* Adeò autèm sobriè respondit Hincmarus, ut vix colligi possit, quænam ipsius sententia ea de re fuerit. Siquidèm modò exempla divinarum literarum in medium profert de Amnone filio David, qui, Dæmone operante, Thamar sororem suam turpiter adamavit, deindè multo vehementiùs odit; modò aliquot suorum temporum exempla enarravit, quas *notas fabulas* appellavit. Ac tandèm concludit: *Sunt prætereà & tam immania Diabolicæ operationis portenta pèr magicam artem facta, quæ ad nos pervenerunt, ut credendi modum excedant: sed non est mirum, si in istis temporibus ultimis talia Antichristi adventum præcurrentia veniunt, qualia Dominus, & Apostoli ejus ventura descripserant. ... .Hæc autèm vanitas magicarum artium &c.*

CAPUT XXXVII.

De Paschasio.

Paschasius laudatur à Gratiano auctor subjectorum canonum.

Ex Libro de Corpore, & { *Can. 71. de cons. dist. 2. ex integris Paschasii codicibus emendandus.* *Can. 72. de cons. dist. 2. perperàm tributus Augustino.*

Can.

Sanguine Domini. 1 *Can.* 77. *caus.* 1. *quæst.* 1. *jungendus cum can.* 72. *de cons. dist.* 2.

FLoruit medio nono sæculo, id est, circa annum 840., Paschasius Radbertus gente Gallus, qui primus, ob novas emergentes in Ecclesia hæreses adversùs mirabile Eucharistiæ Sacramentum, Catholicam Ecclesiæ doctrinam apertiùs explicavit. Id perspicuè liquet in conspectu libri *de Corpore, & Sanguine Domini*, qui editus est in tomo 14. Bibliothecæ Patrum, quemque falsò nonnulli arbitrati sunt tribuendum esse Rhabano. Fuit ille professione Monachus, & Abbas Cœnobii S. Petri Corbejensis in Diœcesi Ambianensi. In eo libro cap. 9. leguntur verba canonis Can. 71. de cons. dist. 2. 71. de cons. dist. 2., in cujus priore parte pro illis Gratiani verbis: *Iteratur quotidiè... in ministerio traditur... & veritas in nobis non est*, legendum est ex Paschasii codicibus: *Iteratur autèm quotidiè... in mysterio traditur... & veritas non est in nobis.* Posterior canonis pars, quæ incipit à vers. *Iteratur hoc mysterium*, legitur multo inferiùs in eodem capite 9., ubi tamèn pro verbis Gratiani: *Iteratur hoc mysterium ob commemorationem... non utiquè sic est accipiendum, donèc... quâ charitate dilexit suos, qui &c.* legitur: *Iteratur autèm hoc mysterium & ob commemorationem... non itaquè sic accipiendum, donèc..... quâ charitate Deus suos dilexit &c.*

Can. 72. de cons. dist. 2. & can. 77. eaus. 1. q. 1. Perperàm tributus Augustino fuit canon 72. de cons. dist. 2.; quod sanè ex eo facilè evenire potuit, quòd in libro Paschasii ad marginem Augustini nomen adjectum fuerat, ad indicandum nonnulla fuisse ex monumentis sancti Hipponensis Antistitis derivata. Ità legitur in cap. 4. libri Paschasiani, ad quæ verba initium canonis erit exigendum: *Quòd in veritate Corpus, & Sanguis fiat consecratione mysterii, nemo, qui verbis divinis credit, dubitat, undè veritas ait: Caro enim mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus. Et, ut discipulis non rectè intelligentibus clarescerat, de qua dicebat carne, vel de quo sanguine, manifestans insinuat: Qui manducat meam carnem, inquit, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Ergò si verè est cibus, & vera caro; & si verè est potus, utiquè & verus sanguis. Alioquin quomodò verum erit, quod dicit: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, nisi vera sit caro? Utiquè & panis, qui de cœlo descendit, verus panis. Sed quia Christum vorari fas dentibus non est*, (hic locus est, ad cujus marginem Augustinus laudatur) *voluit in mysterio hunc panem, & vinum vere carnem suam, & sanguinem consecratione Spiritus sancti potentialiter creari; creando verò quotidiè pro mundi vita mysticè immolari: ut, sicut de Virgine per Spiritum vera caro sine coitu creatur, ità per eundem ex substantia panis, & vini mysticè idem Christi corpus, & sanguis consecretur. De qua videlicèt Carne, ac Sanguine, Amen, Amen, inquit, dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam æternam in vobis. Ubi profectò non aliam, quàm veram carnem dicit, & verum sanguinem, licèt mysticè. Undè quia mysticum est Sacramentum, nec figuram illud negare possumus. Sed si figura est, quærendum, quomodò veritas esse possit. Omnis enim figura alicujus rei figura est, & semper ad eam refertur, ut sit res vera, cujus figura est. Nàm figuras veteris testamenti umbras fuisse, nemo, qui sacras literas legit, ambigit. Hoc vero mysterium, aut veritas est, aut figura, ac per hoc umbra est; aut certè quærendum est hoc totum, utrum veritas dici queat sine falsitatis umbrâ, quamvis mysterium hujuscemodi res appellari debeat. Sed figura esse videtur, dum frangitur, dum in specie visibili aliud intelligitur, quàm quod visu carnis, & gustu sentitur; dumque sanguis in Calice simùl cum aqua miscetur, porrò illud fidei Sacramentum jure veritas*

ap-

appellatur. Veritas ergo, dum Corpus Christi, & Sanguis virtute Spiritus in verbo ipsius ex panis vinique substantiâ efficitur: figura verò, dum Sacerdos quasi aliud exterius gerens ob recordationem Sacræ Passionis ad aram venit, & quod semèl gestum est, quotidiè immolatur agnus. Sed si veraciter inspicimus, jure simul veritas, & figura dicitur, ut sit figura, vel character veritatis, quod exteriùs sentitur. Sic emendatus est canon usquè ad versiculum *Iteratur autèm*, cujus verba, ut liquet, eadem sunt cum iis, quæ recensentur in præcedente canone 71. Quæ sequuntur in vers. *intra Catholicam*, usquè ad vers. *undè & Sacerdos*, referenda sunt ad caput 12. ejusdem libri, eademque sunt cum verbis canonis 77. caus. 1. quæst. 1. à princ. usquè ad vers. *Credendum est enim*, ubi ex Paschasio ità erit legendum: *Verè credere, & indubitanter scire debemus, intra Catholicam Ecclesiam, ubi Catholicâ fide hoc mysterium celebratur, quòd nihil à bono majus, nihilque à malo minus percipiatur Sacerdote, nihilque aliud, quàm Caro Christi, & Sanguis, dum Catholicè celebratur, consecretur; quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris, & virtute Spiritus sancti, ut Caro Christi, & Sanguis non alia, quàm quæ de Spiritu sancto creata est, verâ fide credatur, & spirituali intelligentiâ degustetur. Si enim in merito esset Sacerdotis, non ad Christum pertineret. Nunc autèm sicut ipse est, qui baptizat, ità ipse est, qui per Spiritum sanctum hanc suam efficit carnem, & transfundit in sanguinem. Quis enim alius in utero creare potuit, ut Verbum Caro fieret? Sic itaquè in hoc mysterio credendum est, quòd eadem virtute Spiritus sancti per verbum Christi Caro ipsius, & Sanguis efficiatur invisibili operatione. Undè & Sacerdos* (hic iterùm prosequitur Gratianus in dicto can. 72.) *jube, inquit, hæc perferri per manus Angeli tui Sancti in sublime altare tuum in conspectu divinæ majestatis tuæ. Ut quid perferenda illùc ea deposcit, nisi ut intelligatur, quòd in ejus Sacerdotio ista fiant?*

Pòst pauca ità prosequitur Paschasius: *Sed obsecrans per Filium Patrem; per quem ad eum accessum habemus,* (his emendandus erit vers. *hanc igitur*) *rogamus, hanc oblationem, inquit, benedictam, per quam nos benedicamur; adscriptam, per quam nos omnes in Cœlo conscribamur; ratam, per quam in visceribus Christi censeamur; rationabilem, per quam à bestiali sensu exuamur; acceptabilemque facere dignetur, quatenus & nos, per hoc quod in nobis displicuimus, acceptabiles in ejus unico Filio simus.* Pòst hæc in cap. 13. legitur versiculus *Nihil* his verbis: *Nihil enim rationabilius, ut quia jam nos similitudinem mortis ejus in Baptismo accepimus, similitudinem quoquè carnis ejus sumamus, & similitudine prætiosi Sanguinis potemur, ità ut & veritas non desit in Sacramento, & ridiculum nullum fiat Paganis, quòd cruorem occisi hominis bibamus.* Et pòst pauca. *Alioqui quomodò ferrent homines hæc adhùc creduli, si jam discipuli olim ista sono vocis audientes ferre nequiverunt; nàm cum Salvator diceret: qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet &c., tum, inquiunt: durus est hic sermo, & quis poterit sustinere eum? Quantò magis adhùc inscii, & perfidi ista duriùs ferrent?* Multa deindè omisit Gratianus, qui gradum faciens ad caput 15. hæc verba Paschasii describit, nonnullis tamèn immutatis in vers. *credendum est*, cum quo jungedus est versiculus *si enim* laudati canonis 77. caus. 1. quæst. 1. *Non æstimandum est, quòd alterius verbis, quòd ullius alterius meritis, quòd potestate alicuis ista fiant, sed verbo Creatoris, quo cuncta creata sunt, visibilia, & invisibilia. Cujus ergo potentiâ creata sunt prius, ejus utiquè verbo ad melius recreantur, quia nemo creator alicujus rei, aut recreator, nisi unus Deus, catholicè prædicatur; propterea veniendum est ad verba Christi, & credendum, quod in ejusdem verbis ista conficiantur. Reliqua omnia, quæ Sacerdos dicit, aut Clerus canit, nihil aliud, quàm laudes, & gratiarum actiones sunt, aut certè obsecrationes fi-*

delium, postulationes, petitiones. Et pòst aliqua : *Undè Sacerdos priùs inter cetera etiam verba Evangelistarum assumens, ait: Qui pridiè, quàm pateretur, accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, & elevatis oculis in Cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, gratias tibi agens, benedixit, fregit, & dedit Discipulis suis : Ecce usquè in istum locum sunt verba Evangelistarum. Porrò deinceps verba sunt Dei potestate, & omni efficientiâ plena : Accipite, & manducate ex hoc omnes : Hoc est enim Corpus meum. Sed ne fortè putares, quod de illo uno tantùm pane, & in illa una hora hoc eum esse jusserit, secutus adjunxit, & ait : hoc facite in meam commemorationem. Undè fatendum est, quòd quidquid tunc illud fuit, quod Apostoli ab eo perceperunt, hoc totum est istud, quia idipsum est. Et si velis audire, quid est : Hoc est, inquit, Corpus meum, quod pro vobis tradetur. In hoc ergo verbo creatur illud corpus, quia divinum verbum est, & omnipentiâ plenum, præsens ubiquè omnia complens.* His emendata sunt duo Gratiani monumenta, in quibus sanè plurimùm à vulgata Paschasii editione recessum erat.

CAPUT XXXVIII.

De Anastasio Bibliothecario.

Sub nomine Anastasii Bibliothecarii recensentur.

Ex Chronico. (*Can.* 15, *caus.* 16. *q.* 7. *ad integros Anastasii codices exigendus.*
Addi potest ex Pontificali Romano. } *Can.* 8. *caus.* 35. *q.* 9. *jungendus cum can.* 13. *dist.* 50.

VIxit Anastasius Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius medio nono sæculo sub Nicolao I. & succedentibus aliquot Pontificibus Maximis ferè usquè ad annum 886 Ejus tamèn fidem, & in scribendo integritatem non satis probatam eruditus quisquam habere potest, dum intelligit, eum fuisse familiarem admodùm, & arctissimâ necessitudine junctum cum Photio Constantinopolitano, cujus seditiosum animum, & indolem ad Ecclesiastica monumenta corrumpenda paratam compertam habent universi. Hujus contractæ amicitiæ occasio fuit, quòd Anastasius legatione aliquandò fungeretur pro Ludovico Imperatore apùd Imperatorem Basilium in Urbe Constantinopolitana. Si argumenta necessitudinis quæras, facilè invenies in epistolis Photianis ad Anastasium datis apùd Baronium ad annum 878. num. 9. Quoniam verò in scriptis suis Græcorum Historicorum fidem secutus est Anastasius, minimè dubito, quin Græcos codices à Photio acceperit ; quâ sanè in re qualem perfidiam Photii suspicari non licèt ? Extat historia Ecclesiastica, quæ Chronicon appellatur, ab Anastasio edita, in qua tamèn edenda professus est auctor se ex Georgio Ecclesiæ Constantinopolitanæ Syncello, & Theophane omnia descripsisse, his verbis, quæ habentur in principio Chronici : *Operæ prætium duxi ex Georgii* (perperàm nonnulli legunt *Gregorii*) *summatim quædam, & Theophanis Chronologiâ plura, sed succinctè carpendo* ; Et pòst multa : *Accipe itaquè hoc, charissime ; incompositum opus, & nihil meum in hoc prorsùs insertum prænosce.* Ad hunc librum refertur canon 15. caus. 16. quæst. 7., in quo statim ob- Can. 15. caus. 16. q. 7.

ser-

servo, ea, quæ ibidèm enarrantur, non derivari potuisse ex Georgio Syncello, utpote qui Chronographiam Ecclesiasticam à se scriptam produxit tantùm usque ad annum primum Diocletiani Imperatoris, nec auctor propterea esse potest monumenti, in quo agitur de Anastasio Imperatore, qui Diocletiano est multò recentior. Restat igitur, ut, quæ in canone recensentur, deprompta sint ex historia Theophanis, qui Chronographiam Georgii labore suo ad annum usquè 813. extendit, eo tempore, quo ob professionem alacrem Catholicæ fidei, pro tuendo sacrarum imaginum cultu sub Leone Armeno factam, carcerem, aut exilium pati debuit. Nil ego dubitarem, quin ex Theophane solidam rerum gestarum rationem cepisset Anastasius. Quod me plurimùm turbat, est fraus, & dolus Photii, apùd quem Theophanis Constantinopolitani scripta servabantur, & à quo Anastatius excepit. Hæc enim causa fuit, cur Anastasius identidèm redarguatur de falsitate à viris doctis, quemadmodùm apùd Baronium ad annum 738. num. 10., ad annum 817. ubi de Stephano Papa, & ad annum 844. num. 10. Itaque, ut propiùs accedam ad sententiam laudati canonis 15., proponitur initio ex Anastasii Chronico, Episcopos Illyrici & Græciæ à Thessalonicensis Episcopi communione secessisse, & in obedientiam solius Romani Pontificis se recepisse, quòd Thessalonicensis Antistes communicasset cum Timotheo Episcopo Constantinopolitano, quem Chalcedonense Concilium damnaverat, ob metum Anastasii Imperatoris. Simile quidquam legitur in vita Romanorum Pontificum, vulgò Bibliothecario tributa, de Anastasio II. ibi: *Eodem tempore* (id est anno 497.) *multi Clerici, & Presbyteri se à communione ipsius* (Anastasii Papæ) *erexerunt, eo quòd communicasset sine consilio Episcoporum, vel Presbyterorum, vel Cleri cunctæ Ecclesiæ Catholicæ Diacono Thessalonicensi, nomine Photino, qui communis erat Acacio, & quia voluit occultè revocare Acacium, & non potuit, qui nutu divino percussus est.* Hic turpiter errasse Anastasium, aut quemcumque alium Scriptorem, eruditi propemodùm universi animadverterunt; id enim traditum primò videtur à Schismaticis Græcis in odium Romanorum Antistitum, quod deceptus à Photio Anastasius Bibliothecarius, Græcis nimiùm credens, evulgavit. Dicam, quod verum est, ubi ea sint expendenda quæ ad principium Gratianei canonis pertinent. Anastasius Imperator, licèt specie Christianus, reverà tamen Eutychianis adhærebat, aut favebat; qui propterea ideò Macedonium Patriarcham à sede Constantinopolitana dejecit, quòd Chalcedonensem fidem sustineret, atque in ejus dejecti locum Timotheum ordinari jussit, exustis Chalcedonensis Synodi actis, quemadmodum ex Theodoro refert Baronius ad annum 511. num. 7. His commoti Dardaniæ & Illyrici Episcopi à Græcis discesserunt, & Romano Antistiti se adhærere professi sunt; in eo præsertim, quod spectabat novi Antistitis in vicem dejecti electionem. Id refert Hormisdas in epistola ad Avitum Viennensem, à Baronio relata ad annum 516. num. 24. ibi: *Nàm undè est, quod cum magna parte à conterminis suis Thracibus, Dardanis, Illyricis, cognitâ eorum perversitate, deserantur, procùl positos ignorantiæ spe fraudibus, & variis artibus nituntur allicere, nisi ut lucem, quam ipsi non habent, in aliis quoquè impiâ cogitatione commaculent? Ut autèm, quæ sint partium illarum studia, possitis agnoscere, plures Thracum, licèt persequentium incursibus aterantur, in nostra tamen communione persistunt, scientes fieri fidem per adversa clariorem. Dardania, & Illyricus vicina Pannoniæ à nobis, quod jam fecimus, ubi necessarium fuit, ut sibi Episcopi ordinarentur, expetiit, in tantum se à communione prædictorum separare gaudentes, ut remedia quærerent, dummodò commune cum transgres-*

gressoribus nihil haberent. Idem Hormisdas in epistola ad Ennodium, & Peregrinum, Episcopos, peculiariter testatur, Anastasium Thessalonicensem schismati adhæsisse, apùd Baronium ad annum 517. num. 34. ibi: *Nicopolitanus Diaconus... Romam venit... Obtulit epistolam Joannis Episcopi sui, & aliam Synodi sibi subjacentis Ecclesiæ Nicopolitanæ, quâ queruntur, ab Episcopo Thessalonicensi excitatas adversùm se tam principales, quàm judiciarias potestates, concussionibus, & dispendiis se vehementer affligi propter hoc, quia de ordinatione sua ad Episcopum relationem secundum prisca exempla non miserit*, (erat enim Nicopolitanus Episcopus Thessalonicensi subjectus), *pro qua causa speraverunt, ut de remedio cogitare deberemus, consulentes etiam nos, ut daremus eis licentiam, relationem ad designatum Episcopum secundum consuetudinem destinandi. Undè tractavimus, & Episcopum Nicopolitanum admonuimus, ne tale aliquid audere tentaret, si nobiscum velit in communione persistere, ne per illum, si ab eo, qui à communione nostra alienus est, confirmationem petiisset, nostra quoquè communio contagium sustineret.* Ex his profectò constat, & Thessalonicensem Episcopum Eutychianæ sectæ fuisse patrocinatum, & ob eam rem nonnullos ab eo Episcopos defecisse, ut se totos cum Romano Pontifice indivulsâ unitate conjungerent, & arctiore vinculo devincirent. Verba Anastasii in historia, undè canon depromptus est, hæc sunt: *Sanè Thessalonicensi Episcopo communicante ob metum Imperatoris Timotheo Constantinopolitano Episcopo, quadraginta Episcopi Illyrici, & Græciæ convenientes in unum per professionem, in scriptis factam, ut à proprio Metropolitano discessere ab eo, & Romam mittentes Romano communicare in scriptis professi sunt. Episcopum autèm Thessalonicensem Theodorus Historicus Patriarcham nominat irrationabiliter, nesciens quâ pro causâ.*

Prosequitur Anastasius: *Vigesimo Imperii Anastasii anno, Joanne Nicæote Alexandrino Antistite hæretico mortuo, Dioscorus junior Timothei Heluri consobrinus prælatus est Episcopus Alexandriæ. Cum autèm venisset Byzantium pro Alexandrinis apud Imperatorem intercessurus propter occisionem filii Calliopii Augustalis, ab Hortodoxis publicè conviciis appetebatur, cum procederet; existimantibus eum contra recta fidei dogmata advenisse. Ergò cum ob homicidium intercessisset, cum festinatione discessit. Causa verò cædis ista fuit. Cum Dioscorus manus impositionem accepisset, recessere multitudines rusticorum, dicentes, quia, nisi, secundum quod Sanctorum continent Apostolorum canones, fiat, non recipietur Episcopus. Princeps enim inthronizaverat eum.* (Ad marginem habetur: *Principes enim inthronizaverant.*) *Dioscorus autèm venit ad Sanctum Marcum, & venientes Clerici induerunt eum secundò, & iterùm consecraverunt, & ità veniens ad Sanctum Joannem perfecit collectam. Cum autèm esset illic Theodosius filius Calliopii Augustalis, & Acacius Magister militum, turbæ turbatæ cæpere injuriis afficere Augustalium, eo quòd laudaret Imperatorem Anastasium. Cum verò jurgium motum fuisset, insilientes quidam à sede filium Augustalis deposuerunt, & interemerunt eum. At verò Acacius magister militum, quotquot capere potuit, interfecit. Hæc audiens Imperator iratus est adversùs eos. Porrò Dioscorus interveniens mitigavit eum.* Hæc sunt, quæ recensuit Gratianus in vers. *Cum Dioscorus* in laudato canone 15., ex quibus liquet, ibidèm agi de nonnullorum rusticorum contentione quadam, & schismate, uti Gratianus scripsit.

Hoc in loco mentionem faciendam putavi de Romano Pontificali, ex quo excerptus dicitur canon 8. caus. 35. quæst. 9., quia vulgò traditur, Pontificalem librum opus esse Anastasii Bibliothecarii. Non memoro tamèn, multos esse, qui in eam sententiam ire non potuerunt, & nunquàm Pontificalem librum Bibliothecario adscripserunt. Aliqua jam tradidi in hanc rem ad canonem 2. dist. 56., id est, in parte 2. cap. Can. 8. caus. 35. q. 9.

cap. 34. & 47. Ceterùm qualiscumque habeatur auctor ejusdem libri, certum in primis est, ea, quæ leguntur in laudato can. 8., non universa in Pontificali inveniri. Sunt illa, ut conferenti statim liquet, fragmentum canonis 13. dist. 50., quem superiùs in cap. 22. explicavi. Ut aliqua in præsentia adjiciam, dicam, nihil legi in Pontificali libro de causa Theodosii, qui à Presbyteratu dejectus traditur apùd Gratianum auctoritate Eugenii Junioris, & Signinæ Ecclesiæ, consecratus Antistes à Gregorio IV. Quod subjicitur de Leontio, qui primùm Presbyterali ordine depositus fuit, deindè verò Patriarchali dignitate in Antiochena Ecclesia decoratus, non penitùs consonat cum Pontificali libro, quamvis, ut superiùs in cap. 22. animadvertebam, verum sit, Leontium ab Hæreticis fuisse ad Episcopalem dignitatem evectum. Sunt omnia hac in parte confusa; etenim, ut puto, erratum irrepsit ex eo, quod in Pontificali legitur in vita Agathonis Papæ, qui vixit sæculo Ecclesiæ septimo; nimirùm narratur, Macarium Antiochenum Episcopum damnatum fuisse, tanquàm Hæreticorum Monothelitarum facile principem, & quidèm unà cum sociis *Stephano*, *Anastasio Expresbyteris*, *& Leontio Exdiacono &c.* At Leontius iste non idem est cum Leontio Ariano, quem diximus in locum Eustathii Antiocheni substitutum ab Arianis. Imò neque alter iste Leontius unquam legitur ad Antiochenam Sedem evectus in locum dejecti Macarii, cui potiùs in eodem Pontificali libro dicitur successisse *Stephanus Abbas Monasterii, quod appellatur Bajas in insula Siciliensi.* Porrò in Pontificali libro nihil legitur de Leontio illo, quem ferunt ab Arianis hæreticis ad Antiochenam Sedem evectum. Deniquè quod spectat ad causam Miseni, adest monumentum quoddam in libro Pontificali. Nimirùm in vita Felicis III., qui vixit propè finem quinti Ecclesiæ sæculi, ità legitur: *Sub hujus Episcopatu iterùm venit relatio de Gracia, Petrum Alexandrinum revocatum ab Acacio Constantinopolitano. Tunc venerabilis Felix Archiepiscopus Sedis Apostolicæ urbis Romæ, mittens defensorem cum Concilio sedis suæ, facto Concilio damnavit Acacium cum Petro. Pòst annos tres iterum venit relatio ab Imperatore Zenone, ut pœnitens rediret Acacius. Tunc Papa Felix misit duos Episcopos, Misenum, & Vitalem, ut si invenirent, complicem Petri Acacium, iterùm damnarent eos; si non, offerrent libellum pœnitentiæ. Qui dum introissent in Civitatem Heraclean, corrupti sunt pecuniâ datâ suprascripti Episcopi, & non fecerunt secundum præceptum Apostolicæ Sedis. Venientes verò Romam ad Sedem Apostolicam, venerabilis Felix Papa fecit Synodum, & factâ discussione invenit ambos Episcopos, id est, Misenum, & Vitalem, reos, & ejecit eos à communione. Tunc Misenus Episcopus non se tacuit corruptum pecuniâ, cui Concilium concessit tempus pœnitentiæ.* Spectant hæc ad Miseni damnationem; quod verò pertinet ad ejusdem Episcopi restitutionem, referendum est ad id, quod legitur in eodem Pontificali in vita Gelasii, de quo ità scribitur: *Hic sub gesta Synodica, cum fletu, & sub satisfactione libelli purgatum Misenum Episcopum revocavit, quem & Ecclesiæ suæ restituit, qui peccaverat in causa Acacii, & Petri.* Aliæ Pontificalis editiones ità exhibent: *Hic sub gestam Synodicam revocavit Mesenum Episcopum ad communionem, & restituit eum Ecclesiæ suæ sub satisfactione libelli, & purgatus est receptus.*

CA-

CAPUT XXXIX.

De Fulberto.

Unicum extat sub Fulberti nomine monumentum apùd Gratianum.

(*Can.* 18. *caus.* 22. *q.* 5. *paulò varius in diversis codicibus.*

INitio undecimi sæculi floruit Fulbertus primùm Abbas Ferrariensis, deindè Episcopus Carnotensis, qui obiit anno 1028. Willelmo Comiti Pictaviensi, & Roberto Francorum Regi charissimus fuit ob singularem vitæ integritatem, & non mediocrem doctrinam. Habentur ejus opera in tomo 18. Bibliothecæ Patrum, quæ potissimùm constant ex epistolis numero 134. Inter istas est numero 101. sub hac inscriptione : *Glorioso Duci Aquitanorum Guillielmo Fulbertus Episcopus orationis suffragium.* Integra ferè descripta est in can. 18. caus. 22. quæst. 5., etenim & canonis initium priora verba epistolæ exhibet; atque in epistola tantùm hæc subjiciuntur pòst ultima canonis verba : *Scripsissem vobis latiùs, si occupatus non essem cum aliis multis, tum etiam restauratione Civitatis, & Ecclesiæ nostræ, quæ tota nupèr horrendo incendio conflagravit. Quo damno etsi aliquantis per non moveri non possumus, spe tamèn divini, atque vestri solatii respiramus.* Pro illis Gratiani verbis : *Ne sit in damnum Domino suo de corpore suo... justum est. Sed quia non sufficit abstinere à malo, nisi fiat id, quod bonum est, restat, ut in eisdem sex... qui in eorum prævaricatione &c.* legitur in epistola: *Ne sit Domino in damnum de corpore suo... justum est, sed non ideò Sacramentum meretur, non enim sufficit abstinere à malo, nisi fiat, quod bonum est. Restat ergò, ut in eisdem sex... si in eorum prævaricatione &c.* Romani Correctores eadem ferè emendaverunt ex epistola, quam è Gallia acceperunt descriptam ex vetere codice Ecclesiæ Belluacensis. Apùd Ivonem verba leguntur eadem, quæ habet Gratianus; attamèn pro verbis illis Gratiani, *ut fidelis nocumenta caveat &c.* ità habetur : *ut fidelis hæc nocumenta caveat, justum est, sed non ideò cassamentum* (ad marginem Ivonis emendatur *causamentum*) *meretur: non enim sufficit abstinere à malo, nisi fiat quod bonum est. Restat ergò, ut in eisdem sex &c.* In lib. 2. Feudorum tit. 6. eadem verba ex Collectione Gratiani descripta fuerunt sub nomine *Philiberti Episcopi*, depravatâ, uti liquet, inscriptione. Denique adnotandum est, nonnullas editiones Gratiani habere *merito censebitur malesicus*, ubi aliæ editiones aliter habent, sicut in epistola ipsa *merito censebitur malefidus.*

CAPUT XL.

De Ordine Romano.

Ex Libro Romani Ordinis aliquot deprompta sunt monumenta.

{ *Can.* 2. *dist.* 23. *consonat cum canonibus Concilii Carthaginensis vulgò* IV.
{ *Can.* 6. *dist.* 75. *consonat cum Ordine Romano, à Mabillonio edito.*

Can.

Can. 5. caus. 35. q. 6.
Can. 6. caus. 35. q. 6. } *sunt potiùs Reginonis Prumiensis.*

QUid hodiè superest, quod dicatur de Romani Ordinis antiquitate, auctoritate, & rationibus universis, postquàm eruditissimus Mabillonius de eo libro fusè, disertè, elegantèrque plurima tradidit in tomo suo secundo Musæi Italici, multis sollicitè quæsitis ejus nominis codicibus editis, eisdemque egregiis Commentariis illustratis? Paucis ex eo dixero, quod ad rem meam necessarium est: nimirùm, librum Romani Ordinis non alium fuisse, quàm regulam quamdam cæremoniarum Ecclesiasticarum, quæ variis sæculis in Ecclesia Romana in usu fuerunt, sive in sacris Episcoporum, ipsius etiàm Papæ, ordinationibus, sive in celebratione divinorum officiorum. Et quidèm si genuina esset, quæ circumfertur sub nomine Pelagii II. ad Gallos & Germanos epistola, dubitari non posset librum illum jam sexto sæculo editum fuisse, quòd de eo ibidèm expressa mentio habeatur. Verùm in parte 2. cap. 58. pag. 521. & seq. demonstrandum fuit, eam falsò tributam Pelagio fuisse. Primus Romanum Ordinem typis edidit Coloniæ anno 1561. Georgius Cassander, quem deindè pòst paucos annos secutus est Melchior Hittorpius; ex his autèm relatus est in Bibliothecam Patrum tomo 8. editionis Coloniensis. Porrò in eo libro cum commemoretur hymnus Ecclesiasticus, qui cani solet die Palmarum *Gloria, laus, & honor*, cujus auctor est Theodulphus Aurelianensis, noni sæculi scriptor; cum itidèm multa legantur ex libro Pontificali non eodem sæculo antiquiore; facilè colligitur, librum illum adhùc medio nono sæculo incognitum fuisse. Putavit Trithemius, scriptum fuisse à Bertholdo Constantiensi, qui vixit ad annum circiter usquè 1110. Mabillonius ab hoc codice tanquàm vulgatissimo iterùm edendo abstinuit: potiùs alios numero plurimos, & quidèm variis temporibus scriptos, palàm fecit, adnotans, non eos publicâ Romanæ Ecclesiæ auctoritate fuisse confectos, sed studio privatorum hominum, ut plurimùm incerti nominis, qui Romanæ Ecclesiæ ritus in unum volumen colligere sategerunt.

Ex libro Romani Ordinis ait Gratianus, se deprompsisse canonem 2. dist. 23. Habetur in eo, qui editus est à Cassandro, Hittorpio, & Collectoribus Bibliothecæ Patrum, in qua parte agitur de ordinationibus Episcoporum; nimirùm ibi traditur, explorandas in primis esse recens electi Episcopi qualitates omnes, indolem, mores, doctrinam, & his similia. Ità autèm exorditur Romanus Ordo: *Statuta Ecclesiastica dicunt: qui Episcopus ordinandus est &c.* Nomine statutorum Ecclesiasticorum Romani Ordinis auctor intellexit, quod sub nomine Concilii Carthaginensis IV. edebatur, ubi eadem verba leguntur, quemadmodum jam superiùs animadverti in prima parte cap. 15. Alitèr ritum inquisitionis in Episcopum recens electum descripsit auctor Ordinis Romani numero VIII. apùd Mabillonium cap. 2. ibi: *Dum à Civitate & loco Episcopus fuerit defunctus, à populo Civitatis eligitur alius: & fiet à Sacerdotibus, Clero, & Populo Decanus, & veniunt ad Domnum Apostolicum adducentes secum & suggestionem, hoc est, rogatorias literas, ut eis Episcopum consecret, quem secum deportati sunt. Tunc Domnus Apostolicus præcipit Sacellario, vel Numinculatori, ut eum ad Archidiaconum dirigat, & eum inquirat de quatuor capitulis secundum canones, id est, Arsenochita, quod est masculo; pro Ancilla Dei sacrata, quæ à Francis Nonnata dicitur; pro quatuor pedes: & pro muliere viro alio conjuncta, aut si conjugem habuit ex alio viro, quod Græcis dicitur Deuterogamia. Et* Can. 2 dist. 23.

dum

dum nulli horum ipse vir conscius fuerit, Evangeliis ad medium deductis jurat ipse electus Archidiacono. Et post hæc tradito Subdiacono, pergit cum præfato electo apùd aulam B. Petri Apostoli, ibique in ejus Sacratissimum Corpus confirmat, quod non cognovisset superiùs nominata capitula. Alio verò die nunciatur ab Archidiacono, sicut actum est.

Can. 6. dist. 75. Verba canonis 6. dist. 75. habentur in eo Romano Ordine, quem Mabillonius edidit numero IX. ex antiquo codice Sancti Galli depromptum. Initio libelli ità legitur : *Primùm, in quacumque schola reperti fuerint pueri benè psallentes, tolluntur indè, & nutriuntur in schola Cantorum, & posteà fiunt Cubicularii. Si autèm nobilium filii fuerint, statim in cubiculo nutriuntur. Ex hac accipient primam benedictionem ab Archidiacono, ut liceat eis super linteum vellosum sedere, quod mos est ponere super sellam equi. Dein, sicut Sacramentorum codex continet, quando, & ubi libitum fuerit, usque in Subdiaconatus officium ordinantur; Diaconi verò, atque Presbyteri nunquàm, nisi in publica ordinatione.* Postrema hæc verba, quæ in canone suo Gratianus descripsit, auctor Romani Ordinis Mabilloniani professus est, se deprompsisse ex vulgato Codice Sacramentarii, quem nos librum Ritualem appellaremus. Planè majorum Clericorum ultrà Subdiaconos olim fuisse maximè celebrem, ac solemnem ordinationem facilè probari potest ex veterum monumentis. Sic in Ordine Romano, edito in Bibliotheca Patrum ; ità legitur : *In ordinatione Presbyteri vel Diaconi oportet Episcopum missam cantare. Similiter Græci faciunt, quandò Abbatem eligunt, vel Abbatissam.* Simeòn Thessalonicensis Archiepiscopus, qui duodecimo sæculo floruit, in lib. de Sacris Ordinationibus cap. 1. ità scribebat : *Ordinationes autèm eximiæ, & propriè dictæ, quæ intra Sanctuarium fiunt, & in ipsa sanctissima mensa, tres sunt in Trinitatis similitudinem, de quibus loquitur S. Dionysius, Diaconi, Presbyteri, & Episcopi.* Recentioribus sæculis, ubi Subdiaconatus inter majores Ordines recipi cœpit, eadem de Subdiaconis, quæ de Diaconis, & Presbyteris, obtinuit disciplina.

Can. 5. & 5. caus. 35. q. 6. Deniquè ex libro Romani Ordinis laudatur apùd Gratianum canon 5. caus. 35. quæst. 6., cui nectendus videtur subsequens canon 6. Verùm in libris Romani Ordinis, quotquot edita hùc usquè sunt exemplaria, neuter invenitur. Alii Collectores, ut notant Correctores Romani, commemorant Concilium Romanum sub Gregorio III. Verùm, ut video, quod contigit in canone 7. eadem causâ & quæstione, Eutychiano Papæ adscripto, qui erat Reginonis Prumiensis, quemadmodùm tradidi in parte 2. cap. 25., idipsum evenit in canonibus 5. & 6. Reverà Regino ad usum Ecclesiæ Trevirensis varia disciplinæ Ecclesiasticæ capita constituens in lib. 2. de Eccles. discipl. cap. 231. de consanguinitate illorum, qui à conjugiis arcentur, verba faciens proponit, *quomodò inquirendum sit juramentum de parentela.* Cum enim nondùm invectus fuisset usus proclamationum, seu denunciationum matrimonialium, qui primùm ex Concilio Lateranensi obrinuit, de quo in cap. 3. de clandest. desponsat., non rarò eveniebat, ut ii conjungerentur matrimonio, qui consanguinei erant, ad quorum propterea dissociationem deveniebatur, si de illorum consanguinitate constaret. Ubi verò is casus emergeret, à consanguineis, & propinquis postulabatur, ut testimonium ipsi de re perhiberent, præstito jurejurando, cujus formulam in cap. 231. ità describit Regino : *De illa parentela, quam dicunt esse inter illum & istam ejus conjugem, quidquid inde scis, vel audisti computare à tuis vicinis, aut tuis antecessoribus, quod tu per nullum ingenium, nec propter timorem, aut præmium, aut consanguinitatem celabis Episcopo tuo, aut ejus Misso, cui hoc inquirere jusserit, quomodocumque ex hoc interrogaverit*

verit. Sic te Deus adjuvet. Et in cap. 232. *Istud juramentum, quod ille juravit de illa parentela, quæ inter illum, & ejus conjugem computabatur, quod tu illud observabis, in quantum sapis, aut audisti. Sic te Deus adjuvet.* Secundum istud jusjurandum præstabatur à conjuratoribus juxtà morem illius ætatis, quâ cum quis in re gravit jurabat, ad confirmandum testimonium suum, alios quasi jurisjurandi socios, & fidejussores adducebat. Itaquè verosimile est, recentiore & incertâ manu has Reginonis formulas adjectas fuisse, & insertas in aliquo exemplari Romani Ordinis ad majorem utentium eruditionem; undè Gratianus credere potuit, adjectas easdem formulas ad Romanum Ordinem pertinere.

CAPUT ULTIMUM.

De ceteris, qui supersunt, Canonibus; iis potissimùm, quorum apùd Gratianum nemo auctor inscribitur.

Can. 10. *dist.* 16. } *privatorum quorumdam Collectorum*
Can. 11. *dist.* 16. } *studio elucubrati.*
Can. 2. *dist.* 50. *jam explicatus ad can.* 12. *dist.* 50.
Can. 4. *dist.* 87. *referendus ad can.* 5. *caus.* 13. *q.* 2.
Can. 8. *dist.* 93. *referendus ad Concilium Regiaticinum.*
Can. 24. *dist.* 23. }
Can. 17. *dist.* 93. } *sunt Concilii Carthaginensis, vulgò* IV.
Can. 18. *dist.* 93. }
Can. 19. *dist.* 93. *est Concilii Carthaginensis, vulgò* IV.
Can. 13. *dist.* 96. } *cum antiquioribus codicibus conferendi.*
Can. 14. *dist.* 96. }
Can. 76. *caus.* 1. *q.* 1. *referendus ad Malachiam, & ejus Glossographum.*
Can. 2. *caus.* 9. *q.* 1. *est veluti summa canonis sequentis.*
Can. 4. *caus.* 9. *q.* 2. *referendus ad Concilium Nannetense.*
Can. 12. *caus.* 9. *q.* 3. *referendus ad epistolam, falsò adscriptam Athanasio.*
Can. 25. *caus.* 11. *q.* 3. *referendus ad epistolas Gregorii Magni.*
Can. 106. *caus.* 11. *q.* 3. *pertinet ad Reginonem Prumiensem.*
Can. 20. *caus.* 13. *q.* 2. *referendus ad Commentaria Hieronymi.*
Can. 22. *caus.* 13. *q.* 2. *referendus ad sententias Augustini.*
Can. 22. *caus.* 18. *q.* 2. *referendus ad Novellas Justiniani.*
Can. 31. *caus.* 18. *q.* 2. *referendus ad Concilium Lateranense Calisti II.*
Can. 9. *caus.* 22. *q.* 1. *referendus ad Concilium Carthaginense, vulgò* IV.
Can. 11. *caus.* 22. *q.* 1. *referendus ad auctorem operis imperfecti in Matthæum.*
Can. 2. *caus.* 22. *q.* 2. *referendus ad Commentaria Hieronymi in Jeremiam.*
Can. 5. *caus.* 23. *q.* 5. *exhibet quamdam Collectoris interpretationem.*
Can. 20. *caus.* 24. *q.* 3. *referendus ad Concilium Agathense.*
Can. 32. *caus.* 24. *q.* 3. *consonat temporibus Urbani II.*
Can. 11. *caus.* 27. *q.* 2. *idem est cum can.* 15. *ead. caus. & quæst.*
Can. 14. *caus.* 32. *q.* 4. *referendus ad integras Hieronymi sententias.*
Can. 20. *de pœn. dist.* 1. *exhibet verba Gratiani, præcedentia cum sequentibus fragmenta jungentis.*
Can. 22. *de pœn. dist.* 1. *idem est cum can.* 5. *caus.* 2. *q.* 3.

Can. 12. *de pœn. dist.* 4. *exhibet Gratiani doctrinam.*
Can. 9. *caus.* 35. *q.* 6.
Can. 11. *caus.* 35. *q.* 6. } *sunt Reginonis Prumensis.*
Can. 9. *caus.* 35. *q.* 9. *exhibet Gratiani doctrinam.*
Can. 33. *de cons. dist.* 1. *referendus ad Capitularia Francorum.*
Can. 87. *de cons. dist.* 2. *referendus ad epistolas Hieronymi.*

IN vetustis Gratiani codicibus multa recensebantur capita, quæ nemini adscribebantur. Auctoris nomen addiderunt viri studiosissimi, ut ceterorum operam adjuvarent. Hodiè tamen adhùc anonyma aliquot existunt, quorum partem in superioribus jam ego suis auctoribus pro opportunitate vindicavi, partem in hoc postremum caput retuli, ut singula tandèm aliquandò perficerem, opusque meum universum explerem. Aliqua, ingenuè fateor, pauca tamèn, mihi inter innumera propemodùm monumenta involuto ità effugerunt, ut suo singula loco collocare non possem; spero autèm, nihil in præsentia defuturum. In primis hùc refero canones 10. & 11. dist. 16., quos sanè nemo non videt opera esse privatorum Collectorum, qui in elucubrandis Conciliorum codicibus paucis & tempora, & rationes Synodorum adnotare solebant. Et quidèm canonem 10. jam adnotaverunt Correctores Romani repertum à se fuisse in aliquot ejusmodi Collectionibus. Ego canonem 11. integrum reperio ad calcem capitulorum selectorum canonum Hibernensium apùd Dacherium in tom. 1. editionis Parisiensis anni 1723. pag. 707. sub hac inscriptione: *Adnotatio de Synodis*; quæ sanè deprompta dicitur ex antiqua Collectione antè annos 800. exarata in MS. codice Remigiano. Ità incipit: *Adnotatio libelli de Synodis* XXIV. *quæ anteà, vel infrà, seu pòst sex Synodos leguntur esse conscriptæ. Prima adnotatio Ancyranæ, quæ antè Nicænam fertur fuisse, sed propter auctoritatem majorem postponitur &c.* Notandum sanè est, pro illis Gratiani verbis *Vitalis Antiochenus* in codice Thuaneo legi *Vitalis Salaminus*, qui & in subsequente versiculo memoratur, ubi sermo fit de canonibus Neocæsariensibus. Prætereà in vers. *Secunda Neocæsariensis*, ubi Gratianus legit *Patres* XVI., in laudata Collectione Hibernica habetur *Patres* XIII.; quamquàm ad marginem adjiciatur, codicem Thuaneum cum Gratiano consonare. In vers. *Quarta Sardicensis* ità exhibet Collectio Hibernica: *Quarta Sardicensis, in qua Patres* LX. *statuerunt canones* XXI., *quorum auctor maximè Osius Cordubensis Episcopus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatarius extiterunt. Quinta Antiochenæ Synodi, in qua Patres* XXX. *statuerunt &c.* Deindè in subsequenti versiculo: *Sexta Leodicensis, in qua Patres* XXII. *statuerunt canones* LVIII., *quorum auctor &c.* Numerus prætereà canonum Carthaginensium dicitur XXXIII., cum Gratianus scribat XXIII. Numerus Patrum Africanorum, à Gratiano expressus CCXVII., in Collectione Hibernica exprimitur CCXIV., & numerus Patrum Arelatensium in vers. *Nona* exprimitur DC. & vers. *Undecima* legitur *Patres* XVIII., in vers. *Tertiadecima* nominatur *Sapardus* Arelatensis Episcopus, in vers. *Quintadecima* legitur *Patres* XXVII. statuisse *canones* XL., in vers. *Sextadecima* Patres Concilii Agathensis numerantur XXXIV., in vers. *Septimadecima* non *Aurelius* legitur, sed *Aurelianus*, in vers. *Nonadecima* canones Concilii Aurelianensis numerantur XXV., in vers. *Vigesima* monet Dacherius legendum esse *Honoratus Bituricensis Episcopus.* In vers. *Vigesima secunda* Patres Concilii Maticensis numerantur LXIV., & in vers. sequenti Patres XIV. Concilii Lugdunensis. Itaquè adparet, Collectorem Conciliorum præfationis quoddam genus ante Conciliorum Collec-

Can. 10. & 11. dist. 16.

lectionem edere voluisse, in qua specialitèr particularia quædam Concilia designaret; generalium enim vetustissimorum jam Collector alius tempora & rationes tradiderat, uti legitur in canone 10., cujus verba habentur in antiquis Collectionibus Conciliorum, quæ duobus ab hinc sæculis editæ fuerunt. Reverà in ipsis sub hac Epigraphe: *Item de Synodis Principalibus, quibus in locis, quibus pro caussis, quibus auctoribus celebratæ sint*, ità lego: *Prima Synodus in Nicæa* CCCXVIII. *Patrum contrà Arium Alexandrinum Presbyterum, qui tres gradus in Trinitate asserebat, Patrem scilicèt majorem, Filium minorem, Spiritum S. creaturam, temporibus Constantini Principis, Sylvestri Papæ, Macharii Hierosolymitani, Alexandri Constantinopolitani; qui condemnatâ hæresi statuerunt canones viginti, quorum auctor maximè præfatus sanctus Alexander Episcopus fuit. Secunda in Constantinopoli centum quinquaginta Patrum contrà Macedonium Constantinopolitanum Episcopum, qui negabat Spiritum S. Deum esse, temporibus Gratiani, & Theodosii Principum, Damasi Papæ Romani, Cyrilli Hierosolymitani, Nectarii Constantinopolitani; qui condemnatâ hæresi statuerunt canones tres, quorum maximè auctor Nectarius Constantinopolitanus fuit. Tertia in Epheso ducentorum Patrum contrà Nestorium Constantinopolitanum Episcopum, qui dicebat B. Virginem Mariam non Dei, sed hominis tantùm, genitricem, ut aliam personam carnis, aliam faceret divinitatis, temporibus Theodosii Magni Principis, Cœlestini Papæ Romani, Juvenalis Hierosolymitani, Cyrilli Alexandrini; qui duodecim capitula contrà Nestorii blasphæmiarum totidèm capitulâ auctore eodem S. Cyrillo anathematizando conscripserunt. Quarta in Chalcedone sexcentorum triginta Patrum contra Eutychem Constantinopolitanum Abbatem, qui asserebat Christum pòst humanam assumptionem non ex duabus naturis existere, sed solam in eo divinam naturam permanere, temporibus Martiani Principis, Leonis Papæ Romani, Juvenalis Hierosolymitani, Anatolii Constantinopolitani; qui condemnatâ hæresi statuerunt canones 27., quorum auctor maximè idem Anatolius Constantinopolitanus Episcopus fuit. Quinta Constantinopoli contra Theodorum Mopsuestenum, & omnes hæreticos: qui Theodorus dicebat, alium Deum esse Verbum, & alium Christum, & Sacram Virginem Mariam negabat Dei Genitricem fuisse, temporibus Justiniani Principis, Vigilii Papæ, Domni Antiocheni, Eutychii Constantinopolitani; qui quatuordecim capitula anathematizando scripserunt contrà Theodori, & sociorum ejus blasphæmias. Sexta in Constantinopoli CLXX. Patrum contrà Macharium Antiochenum Episcopum, & socios ejus, qui unam voluntatem, & operationem in Christo falsâ suspicione adstruebant, temporibus Constantini Principis, Agathonis Papæ Romani, Georgii Constantinopolitani; qui condemnatâ hæresi præfatâ anathematizando scripserunt octo capitula.* Integram, licèt anonymi auctoris, epitomen describendam volui, non solùm ut cum ipsa Gratianea editio faciliùs conferatur, verùm etiam ut non pereat antiquissimum hoc monumentum, quod sanè in recentioribus plurimis Conciliorum editionibus, licèt aliàs amplissimis, prætermissum est; & aliàs videtur esse ante finem octavi sæculi editum, cum non nisi sex priorum generalium Conciliorum faciat mentionem.

In parte 2. cap. 64. de Martino Pontifice Maximo, si non laudavi canonem 2. dist. 50. ejusdem tamèn verba integra omninò descripsi, integramque Martini sententiam, quæ facilè eruitur, quotiès idem canon 2. cum canone 12. eadem distinctione conferatur. Can. 2. dist. 50.

Cum agerem de epistola Gelasii ad Honorium Episcopum ad interpretationem canonis 5. caus. 13. quæst. 2. omisi canonem 4. dist. 87. eidem Gelasio tributum, quòd deperierit ea Gelasii epistola; unàque etiam observaverim in Ivonis fragmento desiderari. Ceterùm ego repugnare non possum, quin canon ille 4. sit adjectio quædam lau- Can. 4. dist. 87.

dato canoni 5. in postrema parte facienda. Siquidèm, cum Sanctus Pontifex Juris disciplinam relaxandam noluerit favore Ampliati Romanæ Ecclesiæ servi, qui in fraudem Romanæ Ecclesiæ testamentum condiderat, humaniùs tamen agendum constituit cum ejusdem liberis, uti in fine canonis legitur, propterèaque ad postremam illam canonis 5. partem bellè refertur sententia laudati canonis, quâ traditur, ad Episcopale officium pertinere, *egentium commodis piam sollicitudinem non negare.*

Can. 8. dist. 93. Postquàm in parte 1. cap. 31. exegissem canonem 8. dist. 93. Concilio Parisiensi adscriptum ad definitionem Concilii Moguntini, juxtà conjecturas jam à doctis viris exhibitas, ob oculos incidit Synodus Regiaticina anni 850. edita ab Henrico Canisio; tum verò agnovi, eum canonem Gratianeum exhiberi in can. 18. ejusdem Synodi eisdem omninò verbis, ibi : *Nullâ ratione Clerici aut Sacerdotes habendi sunt, qui sub nullius Episcopi disciplina, & providentia gubernantur. Tales enim acephalos, id est, sine capite, prisca Ecclesiæ consuetudo nuncupavit. Docendi sunt igitur sæculares viri, ut si in domibus suis mysteria divina jugiter exerceri debeant, quod valdè laudabile est, ab his tamen tractentur, qui ab Episcopis examinati fuerint, & ab ordinatoribus suis commendatitiis literis comitati probantur, cum ad peregrina fortè migrare est. Siqui ergò contemptores canonum extraordinariè, & illicitè ministrantes, & Divina Sacramentaliter* (fortè legendum *Sacramenta taliter*) *violantes inveniuntur, primùm ab Episcopo uterquè amoveatur, & vagans scilicèt Clericus, vel Sacerdos, & is, qui ejus usurpativo fruitur officio; & si noluerint se ab hac temeritate compescere, excommunicentur.* Præfuit isti Synodo Angilbertus Mediolanensis Archiepiscopus unà cum Theodemano Aquilejensi Patriarcha, & Josepho Episcopo, fortè, ut conjicit Velserus, Ipporediensi. Utile erit ejusdem Velseri adnotationes in idem Concilium considerare, unà cum notis Canisii, quæ habentur in Veneta editione Labbæi tom. 9. pag. 1063., 1074., & sequentibus.

Can. 24. dist. 23. Can. 17. 18 & 19. dist. 93. Exciderunt mihi, dum recenserem canones Concilii Carthaginensis, vulgò quarti, nonnulla Gratiani fragmenta, scilicèt canon 24. dist. 23. & canones 17. 18. & 19. dist. 93. Planè canon 24. dist. 23. eisdem omninò verbis legitur in canone 11. laudati Concilii; ceteri leguntur in canonibus 37. 38. 39. 40. & 41. his verbis : In can. 37. *Diaconus ità se Presbyteri, ut Episcopi ministrum noverit.* In can. 38. *Ut Diaconus, præsente Presbytero, Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.* In can. 39. *Ut Diaconus quolibet loco, jubente Presbytero, sedeat.* In can. 40. *Ut Diaconus in Conventu Presbyterorum interrogatus loquatur.* In can. 41. *Ut Diaconus tempore oblationis tantùm, vel lectionis, albâ utatur.* Erant hæc omnia tunc temporis opportuna, ut coerceretur nonnullorum Diaconorum ambitio, qui, cum temporalium Ecclesiæ rerum administratione gauderent, suprà Presbyteros se efferre non dubitabant.

Can. 13. & 14. dist. 96. Canones 13. & 14. dist. 96. spectant famigeratam donationem Constantini Imperatoris gratiâ S. Sylvestri, & Apostolicæ Sedis. Quid verò de hac re in præsentia dicam, quandò jam ab aliquot sæculis Scriptores paginas impleverunt, & jam tempore suo ajebat Cardinalis Baronius ad annum Christi 324. num. 117., se controversiæ valdè agitatæ parcere, quòd nihil præter illa, quæ ab aliis dicta essent, adferre in medium posset? Tantùm dicam, verba canonis 13. esse Collectoris monumentum donationis indicantis, quemadmodùm priora verba canonis 14., usquè ad versum *utile judicavimus*, demonstrant. Quæ verò sequuntur ab eodem versiculo usquè in finem, habentur in editionibus Conciliorum, præsertim vetustis; item relata ferè omnia sunt à Leone IX.

Pon-

Pontifice Maximo in epist. ad Michaelem Constantinopolitanum Patriarcham cap. 13. & 14., ex quibus valdè commodum erit unicuique leviora quædam menda, quæ apùd Gratianum occurrunt, expurgare, ut ad antiquiora saltèm exemplaria omnia exigantur.

Can. 76. caus. 1. q. 1. Quod, nullo nomine auctoris inscripto, legitur in can. 76. caus. 1. quæst. 1., referendum est ad caput 2. Malachiæ in princ. ibi: *Et nùnc ad vos mandatum hoc, ò Sacerdotes: Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris*, ad quæ postrema verba hæc adjecit auctor Glossæ interlinearis: *His, quæ meis benedictionibus possidetis, vel quidquid à vobis benedicitur, à me erit maledictum.* Ex quibus statim liquet, Gratianum in eo canone in parte verba Prophetæ descripsisse, in alia parte verba Glossographi adjecisse.

Can. 2. caus. 9. q. 1. Rectè observaverunt Romani Correctores ad canonem 2. caus. 9. quæst. 1., in eo nihil aliud exhiberi, quàm paucis perstrictam canonis 3. sequentis sententiam, quam ego jam superiùs expendi in parte 2. cap. 34. Quoniàm verò canon 3. reverà Damasi non est, ut aliàs demonstrabam, nemo erit, qui canonis 2. auctoritate tenebitur, cum ad 3. referatur. Planè, quod ibidèm dicitur, ordinatos ab excommunicatis Episcopis esse iterùm ordinandos, quasi nulla omninò Sacramenti collatio fuerit, alienum est ab Ecclesiæ traditione. Siquidèm illicitæ quidèm illæ, ac perpetuò damnatæ fuerunt, aliquandò etiam irritæ appellatæ, quod ex ingenita vocabuli significatione demonstrat effectu carere, non ab initio non subsistere. Hinc in Cancilio Turonensi anni 461. canone 10. legitur: *Ordinationes verò illicitas in irritum devocamus, nisi satisfactione, quæ ad pacem pertinent, componantur.* Et in Concilio Romano anni 1078. cum de Episcopis pluribus excommunicatis ageretur, atque inter ceteros de Guiberto Ravennate, & Tedaldo Mediolanensi, hæc habentur: *Ordinationes verò illorum, qui ab excommunicatis sunt ordinati, Sanctorum Patrum sequentes vestigia, irritas fieri censemus.* Deindè in alio Concilio Romano anni 1099. canone 8. *Ordinationes, quæ à Guiberto hæresiarcha factæ sunt... quæque à Pseudoepiscopis per eum posteà ordinatis perpetratæ sunt, irritas esse judicamus*, & can. 9. *Similiter autèm & eas, quæ à ceteris hæresiarchis nominatim excommunicatis factæ sunt, & ab eis, qui Catholicorum, & adhùc viventium Episcoporum Sedes invaserunt, nisi probare voluerint, se, cum ordinarentur, eos nescisse damnatos.* Repetendas autèm eas ordinationes fuisse nullibi legimus.

Ad Concilium Nannetense, de quo sermonem habui in parte 1. cap. 58., referendus est canon 4. caus. 9. quæst. 2. Siquidèm in ea Synodo can. 1. hæc leguntur: *Ut Dominicis & festis diebus Presbyteri, antequàm missas celebrent, plebem interrogent, si alterius Parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero ibi missam velit audire; quem si invenerint, statim ab Ecclesia ejiciant, & ad suam Parochiam redire compellant. Similiter interrogent, si aliqui discordantes sint, qui inter se litem implacabilem habeant. Et, si inventi fuerint, statim reconcilientur. Quòd si renuerint pacem suscipere, ab Ecclesia ejiciantur, usquequò ad caritatem redeant. Non enim possumus munus, vel oblationem ad altare offerre, donec priùs fratri reconciliemur. His ità peractis, Sacerdotes missarum solemnia ritè peragant.* Can. 4. caus. 9. q. 2.

Superiùs in hac ipsa parte 3. cap. 6., ubi epistolam Athanasii ad Felicem Papam apocryphum esse, & ab Isidoro Mercatore confictam indicabam, adjiciendus etiam fuerat canon 12. caus. 9. quæst. 3., cujus verba ità describo in præsentia ex codice Isidori Mercatoris: *Antiquis enim regulis sancitum est, ut quidquid, quamvis in remotis, aut longinquis positis provinciis super Episcoporum querelis, aut accussationibus ageretur, non priùs* Can. 12. caus. 9. q. 3.

priùs tractandum, vel accipiendum esset, quàm ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisset deductum, ut hujus auctoritate juxtà quæ fuisset pronunciatio infirmaretur, aut firmaretur; indeque sumerent normam, undè Ecclesiæ sumpsere prædicationis exordium, ne passim ab insidiatoribus columnæ everterentur Ecclesiæ.

Can. 25. caus. 11. q. 3. Quanta exorta fuerit controversia in Illyrico in causa Maximi Salonitani, jam aliàs tradidi in parte 2. cap. 59. tum ad epistolam Gregorii Magni ad eumdem Maximum, tum ad epistolam ad Salonitanos Cives, tum ad epistolam ad Sabinianum Episcopum Jadertinum. Ad eamdem causam etiam pertinet canon 25. caus. 11. quæst. 3., depromptus ex epistola Gregorii 48. lib. 5. missa ad Presbyteros, Diaconos, & Clerum, nobiles, ac populum Jaderæ consistentes, & milites, qui Maximo prævaricatori communicaverant. Conquestus ibidèm Sanctus Pontifex de illis, qui cum Maximo communicare non dubitaverant, ait inter cetera: *Hæc ergò cognoscentes, postquàm vobis nullam de ignorantia excusationem assumere potestis; rogo, hortor, & moneo, ut prohibitæ vos communionis consortio per omnia suspendatis, nec cuiquam Sacerdoti, suprascripto Maximo communicanti, contra animam suam quisquam vestrum communicare præsumat.*

Can. 106. caus. 11. q. 3. Dum expenderem canones 107. & 108. caus. 11. quæst. 3. in cap. 19. primæ partis, unà etiam indicavi monumentum Reginonis, ex quo depromptus fuit canon 106. eadem causâ, & quæstione, qui apùd Gratianum sub nullo auctoris nomine laudatur. In præsentia nihil adjiciendum superest, cum illic verba ipsa Reginonis descripserim.

Can. 20. caus. 13. q. 2. Postquàm Romani Correctores restituerunt, atque integrum descripserunt canonem 20. caus. 13. quæst. 2., nihil est, quod adjici possit. Habetur ille apùd Hieronymum in Commentario epistolæ Pauli Apostoli ad Galatas c. 6.

Canon 22. caus. 13. quæst. 2. ità à Gratiano refertur, ut nomen Auctoris minimè inscribatur. Videtur autèm referendus ad sanctum Augustinum, sive in lib. de cura gerenda pro mortuis ad Paulinum cap. 1. & 2., sive in lib. 1. de Civitate Dei cap. 12. & 13. Priora quidèm canonis verba usquè ad vers. *Curatio* apùd Augustinum desiderantur. Verùm illa habenda sunt tanquàm brevis summa sequentium de more Collectorum adjecta; nemo enim ignorat, in Collectionibus canonum summaria quædam subjectorum monumenta præponi consuevisse: imò videntur ea verba brevis quædam & contracta sententia ex iis deprompta, quæ laudatis in locis Augustinus disputabat. Quæ verò sequuntur in vers. *Curatio*, in vers. *Nec ideo*, & in vers. *Ubi possit*, eadem omninò sunt cum verbis Augustini, cujus scopus is erat, ut demonstraretur, prodesse posse piis defunctis, quotiès illorum cadavera ad reliquias Martyrum tumularentur. Can. 22. caus. 13. q. 2.

Jure optimo observaverunt Romani Correctores, canonem 22. caus. 18. q. 2. quæst. 2. referendum esse ad Novellas Justiniani Imperatoris. Sic enim legitur in vulgata Novellarum editione Nov. 123. cap. 36. *Ubi autèm Monasterium invenitur, omnibus modis jubemus viros à fœminis separari: & fœminas quidèm, in quo sunt, Monasterio remanere; viros autèm aliud Monasterium sibimet facere. Si verò plura sunt Monasteria, ut necesse non sit nova Monasteria ædificare, locorum Sanctissimus Episcopus Monachos cum Monachis, & fœminas cum fœminis separare, & in aliis Monasteriis congregare procuret; quæcumque verò habentur communia, inter eos secundum competens eis jus dividere.* Eadem autèm ipsa verba, quæ leguntur apùd Gratianum, legimus in Novella 115. apùd Julianum Antecessorem cap. 57., ubi tamèn pro Gratianeis illis *Monasterium habitare... ædificare cogat. Si autèm plurima &c.* ista substituenda erunt, *Monasterium habere... ædificare sibi cogat. Si autèm plura &c.* Addiderunt Roma-

Can. 22. caus. 18.

ni

ni Correctores, non nihil simile haberi in epistola 48. lib. 1. & epistola 39. lib. 7. indict. 2. apùd Gregorium Magnum; verùm utraque epistola à propositis sententiis admodùm aliena videtur: Siquidem epistola 48. ad extraordinariam speciem pertinet, ad eam nimirùm, in qua fœminæ ad virorum Monasteria bellicæ perturbationis causâ confugissent, quemadmodùm demonstravi in parte 2. cap. 59. ad canonem 5. caus. 20. quæst. 1. ex eadem epistola decerptum: & in epistola 39. non de Monachis agitur, sed de Episcopis, quorum vita à fœminarum cohabitatione dicitur esse debere secreta.

Can. 31. caus. 18. q. 2. Perperàm sub nomine Urbani II. laudatus est apùd Gratianum canon 31. caus. 18. quæst. 2.; is enim potiùs pertinet ad Concilium Lateranense, sub Callisto II. celebratum anno 1123., cum eadem omninò verba legantur in canone 19. illius Synodi.

Can. 9. caus. 22. q. 1. Ad Concilium Carthaginense, vulgò IV., de cujus auctoritate egi in prima hujus operis parte, referendus est canon 9. caus. 22. quæst. 1.; siquidèm in eo can. 61. ita legimus: *Clericum, per creaturas juranteṁ, accerrimè objurgandum: si perstiterit in vitio, excommunicandum.* Et in can. 62. *Clericum, inter epulas cantantem, supradictæ sententiæ severitate coercendum.*

Can. 11. caus. 22. q. 1. Auctor operis imperfecti sibi vindicare debet canonem 11. caus. 22. q. 1. etenim ipse in homilia 44. ad caput 23. Matthæi ad illa verba: *Væ vobis duces cæci, qui dicitis: quicumque juraverit per templum, nihil est; qui autèm juraverit in auro templi, debet*, Judæos objurgabat, quòd majoris facerent jusjurandum *in auro templi*, quàm *per templum* ipsum conceptum; atque ad eam rem occasionem arripuit improbandi quosdam Christianos, qui majoris faciebant jusjurandum, *per Evangelium*, quàm *per Deum* emissum. Ità enim argumentabatur: Sicut Deus est, qui Evangelium instituit, ità templum illud est, cujus causâ aurum templi sacratur: Ergo sicut major esse debet veneratio in templum, quàm in aurum templi juxta Christi sententiam, ità major debet esse cultus, qui jurejurando exhibetur in Deum ipsum, quàm in Evangelium, cujus Deus est auctor. Verba Gratiani cum homilia penitùs consonant: de auctoritate hujusmodi homiliarum alibi fuit disserendum.

Can. 2. caus. 22. q. 2. Ad Commentaria Hieronymi in caput 4. Jeremiæ ad illa verba Prophetæ: *Et jurabis, vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in justitia, & benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt*, referendus est canon 2. caus. 22. quæst. 2. in lib. 1. ibi: *Et quomodò Evangelium jurare nos prohibet? Sed hic jurabis pro confessione dicitur, & ad condemnationem idolorum, per quæ jurabat Israel. Deniquè auferuntur offendicula, & jurat per Dominum. Quodque dicitur: vivit Dominus, in Testamento veteri jusjurandum est, ad condemnationem mortuorum, per quos jurat omnis Idololatra. Simùlque animadvertendum, quòd jusjurandum hos habeat comites, veritatem, judicium, atque justitiam: si ista defuerint, nequaquàm erit juramentum, sed perjurium &c.*

Can. 5. caus. 23. q. 5. Quicumque considerat verba canonis 5. caus. 23. q. 5., nihil aliud in ipsis invenit, quàm interpretationem à Collectore subjectam præcedenti canoni explicando. Quamobrèm non erat, cur in recentioribus Gratiani editionibus, quasi Ecclesiastica regula exhiberetur. Videantur ad hanc rem, quæ superiùs tradidi ad epistolam Augustini ad Macedonium.

Can. 20. caus. 24. q. 3. In multis Gratianei codicis exemplaribus, nullo adjecto auctoris nomine, laudatur canon 20. caus. 24. q. 3.; erat autèm inscribendum nomen Concilii Agathensis, ut in aliquibus codicibus Gratianeis exhibetur, cum eadem ipsa canonis verba integra legantur in can. 37. illius Concilii.

Can. 32. caus. 24. q. 3. In secunda parte cap. 15. cum mentionem fecissem canonis 32. caus. 24. quæst. 3., animadverti Urbano I. Ponti-

tifici eum tribui nullo modo posse, & potiùs Urbano II. adscribendum. Verùm nec inter Urbani II. monumenta hùc usquè edita reperiri potuit; quod quidèm ego mirari non debui, cum observavissem, Urbani II. monumenta ad nos usquè non pervenisse integra ob injurias illius ætatis, imò & aliqua, quæ ad nos pervenerunt, falsitatis suspicione non esse vacua. Itaquè in præsentia nihil aliud dicere possum, quàm quod adnotavi ad canonem 37. eadem causâ, & quæstione, nimirùm canonem 32. consonare plurimùm adjunctis ætatis Urbani II., quo tempore variis schismatibus, quæ sanè non procùl ab hæresi erant, Ecclesia Occidentalis ferè universa turbabatur. Seditiones turbarum ingentes erant, & planè populares, quâ in specie nihil aptius dicere Urbanus poterat, quàm defensores & hæreseon, & hæreticorum, graviùs, quàm hæreticos ipsos, esse damnandos. Addo, similia quædam reperiri in Concilio Tolosano anni 1056. sub Victore II. Pontifice Maximo celebrato, non diù ante Pontificatum Urbani; siquidèm in can. 13. ità legitur: *Cum hæreticis, & cum excommunicatis ullam participationem, vel societatem habentem præcipuè excommunicamus, nisi correctionis, vel admonitionis causâ, ut ad fidem redeant catholicam. Siqui autèm adjuvantes eos defendere conati sunt, vinculo simùl excommunicationis cum eis subditi permaneant.* Huc quoquè referri commodè potest epistola Urbani II. ad Episcopos Germaniæ, edita à Mansio in tom. 2. Supplementi Labbeani pag. 85. adversùs eos, qui Ravennatensi Episcopo Romanæ Sedis invasori auxilium præstiterant; ibi enim ista leguntur: *Primo siquidèm gradu Ravennatem hæresiarcham Romanæ Ecclesiæ invasorem, cum ejusdem perversitatis capite, ab omnibus Ecclesiæ Catholicæ membris alienum, & excommunicatum esse censemus; secundo, qui armis, pecuniâ, consilio aut obedientiâ Ecclesiasticos maximè ordines, aut honores ab eis, aut eorum fautoribus accipiendo, eorum nequitiæ adminiculum subministrant. Hos igitur principaliter anathematis vinculo adstringentes in tertio gradu communicantes eis, nos quidèm non excommunicamus, sed qui se eorum communione commaculant, nequaquàm in nostram societatem sine pœnitentiæ ultione, & absolutione recipimus. Sanctis quippè canonibus sancitum constat, ut qui excommunicatis communicaverit, excommunicetur.*

Generalis admodùm inscriptio occurrit ad canonem 11. caus. 27. quæst. 2. ità concepta: *Item in canonibus invenitur.* Quos verò canones laudare voluerit Gratianus, jam satis compertum fuit eruditis investigatoribus, eos nimirùm, quos deindè Gratianus idem retulit in can. 15. eadem causâ, & quæst. sub nomine Julii Papæ. Jam ego in parte 2. cap. 31. observavi, verba illa non aliud exhibere, quàm breviarium quoddam canonis 41. Concilii Triburiensis. Can. 11. caus. 27. q. 2.

Longè distat à proposito Gratiani canon 14. caus. 32. quæst. 4., qui Hieronymum habet auctorem. Etenim Gratianus ex eo demonstraturus erat, nemini licere, vivente uxore, alterius conjunctionem appetere; at Hieronymus totus erat, ut suaderet maritos, ne conjugio, seu conjugii usu in uxore ipsa abuterentur. Siquidèm expendens in Commentario suo epistolæ Pauli ad Ephesios verba illa capitis 5. *Viri diligite uxores vestras*, ait: *Liberorum ergò, ut diximus, in matrimonio opera concessa sunt: voluptates autèm, quæ de meretricum capiuntur amplexibus, in uxore damnatæ. Hoc legens omnis vir, & uxor, intelligant, sibi pòst conceptum magis orationi, quàm connubio, serviendum. Et quod in animalibus, & bestiis ipso naturæ jure præscriptum, ut prægnantes ad partum usquè non coeant, hoc in hominibus sciant arbitrio derelictum, ut merces esset ex abstinentia voluptatum.* Can. 14. caus. 32. q. 4.

Qui primus numericis notis canones à canonibus distinguendos voluit apùd Gratianum, non injuriâ omittere debue- Can. 20. de pœn. dist. 1.

buerat canonem 20. de pœn. dist. 1. Quid enim aliud ibidèm continetur, quàm sententia Gratiani ejusdem, præcedentes canones, præsertim 14., cum sequentibus jungentis? Hinc ego in eo non moror, neque enim illud mihi proposui, ut privatam Gratiani doctrinam investigarem.

Can. 22. de pœn. dist. 1. Canon 22. de pœn. dist. 1., cujus est hæc inscriptio: *Hinc etiàm in canonibus*, idem est cum can. 5. caus. 2. q. 3., ut conferenti utrumque monumentum facilè liquet. Quorum propterea ut auctor & sententia dignoscatur, opportunum erit respicere ad ea, quæ tradidi ad laudatum canonem 5. in parte 2. cap. 18.

Can. 12. de pœn. dist. 4. Iterùm in canone 12. de pœn. dist. 4. verba Gratiani exhibentur, quasi regulam Ecclesiasticam contineant, quamquàm meliùs cum præcedente Gratiani doctrina pòst canonem 11. jungenda fuissent, & canon 12. numerandus esset, qui est numero 13. Gregorii Magni. Ut legenti liquet, Gratiani disputatio tota redundat variis Sacrarùm Literarum locis, hinc illinc collectis, adjectis nonnullis Augustini verbis, quæ jam Romani Correctores ex lib. 83. quæstionum quæst. 66. emendaverunt.

Can. 9. & 11. can. 35. q. 6. Ex Codice Reginonis Prumiensis derivati sunt canones 9. & 11. caus. 35. quæst. 6. eodem modo, quo superiùs dixi in præcedente capite 40. de Libro Romani Ordinis derivatos fuisse canones 5. & 6. eadem causâ, & quæstione. Nimirùm Regino ad usum suarum Provinciarum, & sui temporis varias edidit jurisjurandi formulas; atque inter ceteras unam, quæ habetur in lib. 2. de Eccles. discipl. cap. 233. sub hoc nomine: *Sacramentum de incestuoso discidio.* Integra formula subsequens hæc est: *Ab isto die jurabis, quòd tu per nullum ingenium te sociabis huic tuæ consanguineæ nomine illi, quæ contrà legem, & rectam Christianitatem usquè in hunc diem tua uxor fuit, nec in conjugio, nec in adulterio, vel fornicatione, nec cum illa ad unam mensam manducabis, & bibes, aut sub uno tecto manebis, nisi fortè in Ecclesia, aut in aliquo publico loco, ubi nulla mala suspicio possit esse, ut ibi coràm testibus pro certa necessitate paritèr colloquamini. Nec aliam conjugem accipies, nisi fortè pòst actam pœnitentiam tibi licentia data fuerit ab Episcopo tuo, aut ejus Misso. Sic te Deus adjuvet, & istæ Sanctorum Reliquiæ.* Hanc formulam descripsit, nullo adjecto auctoris nomine, Burchardus in lib. 7. cap. 27., & similitèr Ivo in parte 9. Decreti cap. 63., ex ipsis deniquè Gratianus in laudato can. 9. Similes formulas persecutus Regino aliam protulit in eodem lib. 2. cap. 240. sub hac inscriptione: *Juramentum de reconciliatione conjugatorum*, & scripsit: *Ab isto die in anteà juxtà tuam conjugem, nomine illam, quam injustè dimiseras, ità tenebis, sicut per rectum maritus suam debet habere conjugem in dilectione, & debitâ disciplinâ; nec eam per ullum malum ingenium separabis à te, nec eâ vivente aliam accipies. Sic te Deus adjuvet.* Iterùm ex Reginone eam formulam derivavit Burchardus in lib. 9. cap. 81., & Ivo in parte 8. Decreti cap. 217., & deniquè ex ipsis Gratianus in laudato canone 11.

Quæ leguntur in canone 9. caus 35. quæst. 9. nihil aliud exhibent, quàm sententiam Gratiani, qui ex suprà laudatis canonibus inferre voluit, sententiam per subreptionem pronunciatam revocari posse. Non erat autèm, cur is, qui canones à canonibus numericis notis sejunxit, ea verba pro disciplina sacrorum canonum designaret. Can. 9. caus. 35. q. 9.

Quod legimus in can. 33. de cons. dist. 1. non tam videtur esse depromptum ex Novella Justinianea 58. apùd Julianum antecessorem, quàm ex Capitulari Ludovici Pii, edito anno 824. apùd Ingilenheim; siquidèm in cap. 6. ibidèm ità legitur: *Qui in domo sua oratorium habuerit, orare ibidèm potest; missas tamèn in eo celebrare non audeat, nec agere cuiquam permittat, sine permissu, vel dedicatione Episcopi loci illius. Quòd si* Can. 33. de cons. dist. 1.

fecerit, domus illius fisci viribus addicatur. Comes verò, qui hoc cognovit, & non prohibuit, publicâ pœnitentia mulctetur, vel honore privetur. Hoc ipsum caput à Collectore Capitularium Francorum editum fuit in lib. 5. cap. 383. & in lib. 6. cap. 102. in editione Baluziana. Primus Burchardus, qui à laudandis Francorum Capitularibus abstinebat, canonem illum tribuit Concilio Aurelianensi in cap. 86. lib. 3.: Burchardum verò secutus est Ivo in cap. 76. partis 3. sui Decreti. Gratianei codices varii invicèm sunt; etenim in aliquibus eadem est Concilii Aurelianensis inscriptio, in aliis nomen auctoris penitùs desideratur.

Can. 87. de cons. dist. 2.

Deniquè canon 87. de cons. dist. 2. referendus est ad epistolam Hieronymi ad Hebidiam, piissimam & religiosissimam fœminam; cujus etiàm cum laude meminit sanctus Vir scribens ad hominem quemdam genere Gallum, qui *Rusticus* in vulgatis editionibus appellatur, de pœnitentia. Duodecim quæstiones dissolvendas Hieronymo proposuerat Hebidia, quarum secunda erat, quomodò intelligenda essent ea Christi Domini verba Matthæi cap. 26. *Dico autèm vobis: non bibam amodò de hoc genimine vitis usquè in diem illum, quo bibam illud novum vobiscum in Regno Patris mei.* Ut satisfaceret Hieronymus, primùm inquit, exindè nonnullos hæreticos adstruxisse Regnum Christi mille annorum, qui propterea Millenarii dicti sunt: deindè, improbatâ eâ interpretatione, tradidit, verba Christi referenda esse ad Sacramentum Eucharistiæ, quod pòst Christi resurrectionem, constitutis ubiquè Ecclesiis, tanquàm Regno Dei, ab omnibus sumendum est, ubi & conviva Christus, & convivium est; quò spectant Gratiani verba, quæ cum codicibus Hieronymi omninò consonant. Posttremò ità conclusit sanctus Vir: *Faciamus igitur voluntatem ejus, qui misit me, Patris, & impleamus opus ejus, & Christus nobiscum bibet in Regno Ecclesiæ Sanguinem suum.*

Pòst hæc universa, quibus mihi videor integrum Gratiani opus pro viribus juxtà propositum illustravisse, nemo à me expectet, ut cum Antonio Augustino, suis in Gratianum Dialogis finem imponente, ità concludam: *Habes igitur C., quod tantoperè expetebas, Juris Pontificii emendationem, non ex sordidis rivulis, & lacunis, sed ex ipsis fontibus splendidissimis quasi venerem quamdam è mari exorientem, quæ omnium in se oculos convertat, & mirificos amores, & cupiditates eliciat.* Novi enim apprimè, & novi magis in dies, quanta adjici ad perficiendas hujus generis elucubrationes eruditorum virorum industriâ possint. Habeatur iste, rogo lectorum benignitatem, tanquàm conatus quidam, & adumbratio perdifficilis rei, in qua adgredienda profiteor sanè me hæsisse plurimùm: verebar etiàm vehementèr eruditissimorum judicia, ac nostrorum temporum rationes, quæ palàm prodire non patiuntur, nisi quæ solida sint, & rectâ methodo elegantique stylo elaborata; nec fortè in præsentia adhùc singula confecissem, nisi acres admovissent stimulos sollicita Virorum plurium doctissimorum officia, qui studia hæc mea, qualiacumque sint, æqui boni fecerunt, inter quos silentio præterire non debeo Gravissimum Virum, qui unus vice omnium esse posset, & auctoritate summâ, & mirabili prudentiâ, & insigni sapientiâ præditum, Pontificem Maximum Benedictum XIV., qui meum hoc opus singulari se gratiâ accepisse non semèl significavit. Quod mihi eo majorem jucunditatem peperit, ac securitatem, quo impensiùs sempèr optavi, ut nihil, non dicam scribenti, sed ne cogitanti quidèm excideret, quod ab Ecclesia Dei, à qua demisso animo pendeo, & cui perpetuò obsequar sine calumnia, aliquandò non posse recipi vel levitèr suspicarer.

IN-

INDEX

GRATIANEORUM CANONUM.

Numerus Romanus partem, Arabicus paginam indicat.

DIST. I.

CAN. Omnes leges 1. . . . . III. 446.
Can. Jus generale nomen 2. III. 446.
Can. Lex est 3. . . . . III. 446.
Can. Mos est 4. . . II. T. I. 69. III. 446.
Can. Consuetudo autem 5. . . . . III. 446.
Can. Jus autem 6. . . . . III. 446.
Can. Jus naturale 7. . . . . III. 446.
Can. Jus civile 8. . . . . III. 446.
Can. Jus gentium 9. . . . . III. 446.
Can. Jus militare 10. . . . . III. 446.
Can. Jus publicum 11. . . . . III. 446.
Can. Jus Quiritum 12. . . . . III. 446.

DIST. II.

Can. Lex est 1. . . . . III. 446.
Can. Plebiscita sunt 2. . . . . III. 446.
Can. Senatusconsultum 3. . . . . III. 446.
Can. Constitutio 4. . . . . III. 446.
Can. Responsa 5. . . . . III. 446.
Can. Quædam etiàm 6. . . . . III. 446.
Can. Satyra vero 7. . . . . III. 446.
Can. Rhodiæ leges 8. . . . . III. 446.

DIST. III.

Can. Canon 1. . . . . III. 449.
Can. Regula 2. . . . . III. 449.
Can. Privilegia 3. . . . . III. 447.
Can. Omnis autèm 4. . . . . III. 447.

DIST. IV.

Can. Factæ sunt 1. . . . . III. 447.
Can. Erit autèm 2. . . . . III. 447.
Can. In Istis temporalibus 3. . . . III. 294.
Can. Statuimus 4. . . . . II. T. I. 64.
Can. Quadragesima 5. . . . . III. 112.
Can. Deniquè Sacerdotes 6. II. T. II. 106.

DIST. V.

Can. Cum enixa 1. . . . . II. T. II. 105.
Can. Si mulier 2. . . . . II. T. II. 105.
Can. Baptizari 3. . . . . II. T. II. 105.
Can. Ad ejus verò concubitum 4. II. T. II. . . . . 105.

DIST. VI.

Can. Testamentum 1. . . . II. T. II. 105.
Can. Sed pensandum 2. . . . II. T. II. 105.
Can. Non est peccatum 3. . . . . III. 444.

DIST. VII.

Can. Moyses 1. . . . . III. 447.
Can. Fuerunt autèm 2. . . . . III. 447.

DIST. VIII.

Can. Quo jure 1. . . . . III. 258.
Can. Quæ contrà 2. . . . . III. 391.
Can. Mala consuetudo 3. . . II. T. II. 266.
Can. De veritate manifestata 4. . III. 309.
Can. Si consuetudinem 5. . II. T. II. 369.
Can. Qui contempta 6. . . . . III. 309.
Can. Frustrà inquit 7. . . . . III. 309.
Can. Consuetudo 8. . . . . III. 29.
Can. Si solus 9. . . . . III. 24.

DIST. IX.

Can. Imperatores 1. . . . . III. 362.
Can. Iustum est. 2. . . . . III. 444.
Can. Noli meis literis 3. . . . . III. 302.
Can. Negare non possum 4. . . . III. 325.
Can. Ego solis 5. . . . . III. 376.
Can. Ut veterum 6. . . . III. 178. & 392.
Can. Si adscriptus 7. . . . . III. 376.
Can. Quis nesciat 8. . . . . III. 309.
Can. Noli frater 9. . . . . III. 389.
Can. Neque quorumlibet 10. . . III. 372.
Can. Sana quippè 11. . . . . III. 296.

DIST. X.

Can. Lege Imperatorum 1. II. T. II. 265.
Can. Non licet 2. . . . . II. T. I. 425.
Can. Certum est 3. . . . . II. T. I. 345.
Can. Constitutiones 4. . . . . II. T. I. 345.
Can. Imperium 5. . . . . II. T. II. 278.
Can. Suscipitisne 6. . . . . III. 55.
Can. Si in adjutorium 7. . . . . III. 326.
Can. Quoniàm 8. . . . . II. T. II. 279.
Can. De Capitulis 9. . . . . II. T. II. 238.
Can. Vides 10. . . . . II. T. II. 314.

Can. Quis autèm 11. . . . . II. T. I. 397.
Can. Certum est 12. . . . . II. T. I. 407.
Can. Vestram 13. . . . . II. T. II. 239.

DIST. XI.

Can. Usus 1. . . . . III. 454.
Can. Consequens est 2. . . II. T. II. 279.
Can. Nolite errare 3. . . . . II. T. I. 163.
Can. Consuetudinis 4. . . . . III. 418.
Can. Ecclesiasticarum 5. . . . . III. 44.
Can. Consuetudinem 6. . . . II. T. I. 76.
Can. In his rebus 7. . . . . III. 368.
Can. Catholica Ecclesia 8. . . . . III. 293.
Can. Palàm est 9. . . . . III. 304.
Can. Hoc vestræ 10. . . . . II. T. I. 321.
Can. Quis nesciat 11. . . . . II. T. I. 221.

DIST. XII.

Can. Non decet 1. . . . . II. T. I. 96.
Can. Præceptis 2. . . . . II. T. II. 229.
Can. Scit Sancta 3. II. T. II. 279. & 332.
Can. Istud brevitèr 4. . . . . III. 178.
Can. Ridiculum est. 5. . . II. T. II. 266.
Can. Diuturni mores 6. . . . . III. 418.
Can. Consuetudo 7. . . . . III. 418.
Can. Nos consuetudinem 8. II. T. II. 109.
Can. Quemadmodùm 9. . . II. T. II. 42.
Can. Novit fraternitas 10. . II. T. II. 103.
Can. Illa autèm 11. . . . . III. 374.
Can. Omnia talia 12. . . . . III. 375.
Can. De iis 13. . . . . I. 230.
Can. Placuit omnibus 14. . . . . I. 331.

DIST. XIII.

Can. Duo mala 1. . . . . I. 225.
Can. Nervi testiculorum 2. II. T. II. 128.

DIST XIV.

Can. Quod ait 1. . . . . III. 241.
Can. Sicùt quædam 2. . . . . II. T. I. 300.

DIST. XV.

Can. Canones generalium 1. . . III. 449.
Can. Sicùt S. Evangelii 2. . II. T. II. 112.
Can. Sancta Romana 3. . . . II. T. I. 351.

DIST. XVI.

Can. Canones, qui dicuntur 1. . III. 456.
Can. Sexaginta 2. . . . . II. T. I. 93.
Can. Clementis librum 3. . II. T. II. 333.
Can. Placuit 4. . . . . I. 373. & III. 456.
Can. Sextam Synodum 5. . II. T. II. 211.
Can. Habeo librum 6. . . . . III. 485.
Can. Quoniàm 7. . . . . I. 374.
Can. Sancta octo 8. . . . . III. 465.
Can. Sexta Synodus 9. . . . . III. 484.
Can. Prima autèm Synodus 10. . III. 506.
Can. Prima adnotatio 11. . . . . III. 506.
Can. Septuaginta 12. . . . . III. 37.
Can. Viginti 13. . II. T. II. 199. & 318.
Can. Quod dictis 14. . . . . II. T. II. 276.

DIST. XVII.

Can. Synodum Episcoporum 1. II. T. I. 150.
Can. Regula vestra 2. . . . . II. T. I. 165.
Can. Huic soli 3. . . . . II. T. I. 192.
Can. Nec licuit 4. II. T. I. 447. & T. II. 143.
Can. Multis denuò 5. II. T. I. 475. & 476.
Can. Concilia Sacer. 6. . . . . II. T. I. 423.
Can. Episcopos 7. . . . . II. T. II. 92.

DIST. XVIII.

Can. Placuit 1. . . . . I. 426.
Can. Conciliis 2. . . . . II. T. I. 311.
Can. Habeatur semèl 3. . . . . I. 76.
Can. Propter Ecclesiasticas causas. 4. I. 115.
Can. Non oportet 5. . . . . I. 139.
Can. Pervenit 6. . . . . I. 265.
Can. Quoniàm 7. . . . . I. 391.
Can. De Eulogiis 8. . . . . II. T. II. 234.
Can. Episcopus 9. . . . . I. 177.
Can. Placuit 10. . . . . I. 186.
Can. Episcopus 11. . . . . I. 429.
Can. Si quis autèm 12. . . . . I. 46.
Can. Si Episcopus 13. . . . . I. 280.
Can. Si quis Episcoporum 14. . . I. 295.
Can. Propter Ecclesiasticas causas 15. I. 337.
Can. Annis singulis 16. . . . . I. 153.
Can. Decernimus 17. . . . . I. 236.

DIST. XIX.

Can. Si Romanorum 1. . . II. T. II. 268.
Can. Sic omnes 2. . . . . II. T. II. 169.
Can. In memoriam 3. . . . . I. 410.
Can. Enim verò 4. . . . . II. T. I. 132.
Can. Nulli fas est 5. . . . . II. T. II. 230.
Can. In Canonicis 6. . . . . III. 288.
Can. Ità Dominus 7. . . . . II. T. I. 317.
Can. Secundum 8. . . . . II. T. I. 417.
Can. Anastasius 9. . . . . II. T. I. 416.
Can. Proptèr 10. . . . . I. 147.

DIST. XX.

Can. De libellis 1. . . . . II. T. II. 234.
Can. Si decreta 2. . . . . II. T. II. 276.
Can. De quibus 3. . . . . II. T. I. 253.

DIST. XXI.

Can. Cleros 1. . . . . III. 450.
Can. In novo 2. . . . . II. T. I. 32.
Can. Quamvis 3. . . . . II. T. I. 351.

Can. Inferior 4. . . . . II. T. II. 279.
Can. Nolite 5. . . . . II. T. II. 279.
Can. Deniquè 6. . . . . II. T. II. 279.
Can. Nùnc autèm 7. . . . . II. T. II. 279.
Can. Submittitur 8. . . . . II. T. II. 279.
Can. In tantum 9. . . . . II. T. II. 279.

DIST. XXII.

Can. Omnes 1. . . . . II. T. II. 293.
Can. Sacrosancta 2. . . . . II. T. I. 39.
Can. Constantinopolitanæ 3. . . . . I. 147.
Can. De Constantinopolitana 4. II. T. II. . . . . 57.
Can. Quâ traditione 5. . . . II. T. I. 356.
Can. Renovantes 6. . . . . I. 375.
Can. Diffinimus 7. . . . . I. 461.

DIST. XXIII.

Can. In nomine 1. . . . . II. T. II. 336.
Can. Qui Episcopus 2. . I. 177. III. 503.
Can. His igitùr 3. . . . . III. 437.
Can. Tales 4. . . . . II. T. I. 17.
Can. Illud statuendum 5. . . . . I. 165.
Can. Quamquàm 6. . . . . I. 231.
Can. Episcopus 7. . . . . I. 177.
Can. Presbyter 8. . . . . I. 177.
Can. Ecclesiastica 9. . . . . I. 334.
Can. Communis 10. . . . . II. T. II. 87.
Can. Diaconus 11. . . . . I. 177.
Can. Prætereà 12. . . . . II. T. II. 273.
Can. Ex epistola 13. . . . . II. T. I. 343.
Can. Quorumdam 14. . . . . I. 237.
Can. Subdiaconus 15. . . . . I. 177.
Can. Acolytus 16. . . . . I. 177.
Can. Exorcista 17. . . . . I. 177.
Can. Lector 18. . . . . I. 177.
Can. Ostiarius 19. . . . . I. 177.
Can. Psalmista 20. . . . . I. 177.
Can. Prohibete 21. . . . . II. T. I. 82.
Can. Clerici 22. . . . . I. 280.
Can. Si quis 23. . . . . II. T. II. 174.
Can. Sanctimonialis 24. . . . . III. 508.
Can. Sacratas 25. . . . . II. T. I. 84.
Can. Non oportet 26. . . . . I. 139.
Can. Ministrum 27. . . . . I. 140.
Can. Non oportet 28. . . . . I. 140.
Can. Mulier 29. . . . . I. 178.
Can. Non oportet 30. . . . . I. 280.
Can. Non liceat 31. . . . . I. 331.
Can. Non liceat 32. . . . . I. 337.
Can. Sponsus 33. . . . . I. 178.

DIST. XXIV.

Can. Nullus 1. . . . . I. 61.
Can. Nullus 2. . . . . I. 166.
Can. Presbyteri 3. . . . . II. T. I. 374.
Can. Episcopi 4. . . . . I. 140.
Can. Quandò 5. . . . . I. 468.
Can. Episcopus 6. . . . . I. 178.
Can. Si quis 7. . . . . I. 338.

DIST. XXV.

Can. Perlectis 1. . . . . III. 439.
Can. Audire 2. . . . . II. T. I. 21.
Can. Unum orarium 3. . . . . I. 215.
Can. Qualis hinc 4. . . . . II. T. II. 142.
Can. Qui in aliud 5. . . . . III. 354.
Can. Primum 6. . . . . III. 157.

DIST. XXVI.

Can. Unius 1. . . . . III. 181.
Can. Acutius 2. . . . . III. 266.
Can. Deindè 3. . . . . II. T. I. 245.
Can. Una tantum 4. . . . . III. 93.
Can. Qui sine 5. . . . . III. 115.

DIST. XXVII.

Can. Diaconus 1. . . . . I. 339.
Can. Quidam 2. . . . . III. 342.
Can. Si vir 3. . . . . III. 470.
Can. Voventibus 4. . . . . III. 193.
Can. Si nupserit 5. . . . . III. 163.
Can. Quod interrogasti 6. . II. T. II. 254.
Can. Nàm si 7. . . . . II. T. II. 254.
Can. Presbyteris 8. . . . . I. 505.
Can. Virgines 9. . . . . III. 163.

DIST. XXVIII.

Can. Nullum 1. . . . . II. T. II. 63.
Can. Decernimus 2. . . . II. T. II. 419.
Can. Quandò 3. . . . . I. 215.
Can. Priusquàm 4. . . . . II. T. II. 35.
Can. De iis 5. . . . . I. 211.
Can. Assumi 6. . . . . I. 43.
Can. Prætereà 7. . . . . I. 45.
Can. Diaconi 8. . . . . I. 32.
Can. Presbyter 9. . . . . I. 50.
Can. Qui sunt 10. . . . . II. T. II. 56.
Can. Si se cuiquam 11. . . . . I. 310.
Can. Si quæ vidua 12. . . . . I. 339.
Can. De Siracusanæ 13. . . II. T. I. 461.
Can. Si quis 14. . . . . I. 13.
Can. Si quis discernit 15. . . . . I. 107.
Can. Presbyterum 16. . . . . I. 376.
Can. Consulendum 17. . . II. T. II. 284.

DIST.

DIST. XXIX.
Can. Sciendum 1. . . . . III. 457.
Can. Regulæ 2. . . . . II. T. II. 143.
Can. Necesse est 3. . . . . III. 155.
DIST. XXX.
Can. Siqui 1. . . . . I. 107.
Can. Quæcumque 2. . . . . I. 107.
Can. Si qua mulier 3. . . . . I. 108.
Can. Si quis 4. . . . . I. 108.
Can. Si quis 5. . . . . I. 108.
Can. Si qua 6. . . . . I. 108.
Can. Si quis 7. . . . . I. 108.
Can. Si quis 8. . . . . I. 109.
Can. Si quis 9. . . . . I. 109.
Can. Si quis docet 10. . . . . I. 109.
Can. Si quis 11. . . . . I. 109.
Can. Si quis nuptias 12. . . . . I. 109.
Can. Si quis carnem 13. . . . . I. 110.
Can. Si quis dereliquerit 14. . . . I. 110.
Can. Si quis virorum 15. . . . . I. 110.
Can. Hæc autèm 16. . . . . I. 111.
Can. Si quis Presbyter 17. . . . . I. 339.
DIST. XXXI.
Can. Antè triennium 1. . . . II. T. II. 63.
Can. Sacerdotibus 2. . . . . III. 481.
Can. Episcopos 3. . . . . I. 163.
Can. Tenere debet 4. . . . . II. T. I. 230.
Can. Nàm, sicùt 5. . . . . II. T. I. 230.
Can. Eos 6. . . . . II. T. I. 233.
Can. Si Laicus 7. . . . . III. 163.
Can. Si quis vituperat 8. . . . . I. 109.
Can. Quicumque 9. . . . . I. 108.
Can. Lex continentiæ 10. . . II. T. I. 302.
Can. Omninò 11. . . . . II. T. II. 334.
Can. Nicæna 12. . . . . III. 414.
Can. Quoniàm 13. . . . . I. 377.
Can. Alitèr 14. . . . . II. T. II. 199.
DIST. XXXII.
Can. Omnium 1. . . . . II. T. I. 311.
Can. Multorum 2. . . . . II. T. II. 60.
Can. Si qui verò 3. . . . . II. T. II. 102.
Can. De illo 4. . . . . II. T. II. 253.
Can. Nullus Missam 5. . . . II. T. II. 337.
Can. Præter hoc 6. . . . . II. T. II. 354.
Can. Siquis eorum 7. . . . . I. 377.
Can. Lectores 8. . . . . I. 166.
Can. Subdiaconis 9. . . . . II. T. II. 46.
Can. Eos, qui 10. . . . . I. 498.
Can. Erubescant 11. . . . . II. T. II. 387.
Can. Nemo 12. . . . . I. 499.
Can. Placuit 13. . . . . I. 186.
Can. Seriatim 14. . . . . II. T. II. 334.
Can. Quoniam 15. . . . . I. 265.
Can. Interdixit 16. . . . . I. 78.
Can. Hospitiolum 17. . . . . III. 180.
Can. Presbyter 18. . . . . II. T. II. 142.
Can. Mulieres 19. . . . . I. 140.
DIST. XXXIII.
Can. Si quis 1. . . . . I. 14.
Can. Maritum 2. . . . . II. T. II. 144.
Can. Communitèr 3. . . . . II. T. I. 77.
Can. Clerici 4. . . . . II. T. II. 298.
Can. Usquè adeò 5. . . . . II. T. I. 361.
Can. Laici 6. . . . . II. T. I. 238.
Can. Habuisse 7. . . . . II. T. II. 45.
DIST. XXXIV.
Can. Quorumdam 1. . . . . II. T. II. 255.
Can. Episcopum 2. . . . . I. 316.
Can. Omnibus 3. . . . . I. 316.
Can. Is, qui 4. . . . . I. 209.
Can. Christiano 5. . . . . III. 436.
Can. Audite 6. . . . . III. 270.
Can. Fraternitatis 7. . . . . II. T. I. 478.
Can. Si quis 8. . . . . I. 316.
Can. Curandum 9. . . . . II. T. I. 340.
Can. Præcipimus 10. . . . . II. T. II. 50.
Can. Si cujus 11. . . . . I. 51.
Can. Si laici 12. . . . . I. 340.
Can. Si quis viduam 13. . . . II. T. I. 229.
Can. Cognoscamus 14. . . . . III. 115.
Can. Siquis viduam 15. . . . . I. 14.
Can. Vidua est 16. . . . . III. 192.
Can. Si Subdiaconus 17. . . . . I. 340.
Can. Lector 18. . . . . I. 340.
Can. Presbyteri 19. . . . . I. 280.
Can. Valentino 20. . . . . II. T. I. 460.
DIST. XXXV.
Can. Episcopus 1. . . . . I. 15.
Can Ab exordio 2. . . . . III. 163.
Can. Luxuriosa 3. . . . . III. 163.
Can. Ecclesiæ 4. . . . . III. 143.
Can. Venter 5. . . . . III. 182.
Can. Vinolentum 6. . . . . III. 180.
Can. Luxuriam 7. . . . . III. 403.
Can. Sexto die 8. . . . . III. 82.
Can. Ante omnia 9. . . . . I. 280.
DIST. XXXVI.
Can. Illiteratos 1. . . . . II. T. I. 361.
Can. Qui Ecclesiasticis 2. . . II. T. I. 260.
Can. Si quis vult 3. . . . . III. 133.

DIST. XXXVII.
Can. Episcopus 1. . . . . I. 178.
Can. Sacerdotes 2. . . . . III. 169.
Can. Nonne vobis 3. . . . . III. 155.
Can. Vino inebriantur 4. . . . . III. 136.
Can. Legant 5. . . . . III. 155.
Can. Omnem vim 6. . . . II. T. II. 210.
Can. Legimus 7. . . . . III. 491.
Can. Turbat. 8. . . . . III. 480.
Can. Legimus 9. . . . . III. 68.
Can. Siquis artem 10. . . . . III. 157.
Can. Qui de mensa 11. . . . . III. 138.
Can. De Quibusdam 12. . . . . I. 449.
Can. Si quid 13. . . . . III. 305.
Can. Relatum est 14. . . . . II. T. I. 24.
Can. Ideò prohibetur 15. . . . . III. 444.
Can. Non omnis 16. . . . . III. 267.
DIST. XXXVIII.
Can. Ignorantia 1. . . . . I. 215.
Can. Quandò 2. . . . . I. 215.
Can. Si in laicis 3. . . . . II. T. I. 323.
Can. Nulli sacerdotum 4. . . II. T. I. 280.
Can. Quæ ipsis 5. . . . . III. 392.
Can. Omnes psallentes 6. . . . . I. 392.
Can. Placuit 7. . . . . I. 166.
Can. Sicut stellas 8. . . . . II. T. I. 92.
Can. Si juxtà 9. . . . . III. 136.
Can. Qui ea 10. . . . . II. T. II. 139.
Can. Quamvis errare 11. . . . . III. 291.
Can. Sedulò monendi 12. . . . . III. 292.
Can. Indignum 13. . . . . II. T. II. 127.
Can. Locutio 14. . . . . III. 294.
Can. Ecclesiastica 15. . . . . III. 182.
Can. Nullus Episcopus 16. . II. T. I. 21.
DIST. XXXIX.
Can. Petrus Diaconus 1. . . II. T. II. 35.
DIST. XL.
Can. Non nos 1. . . . . II. T. I. 423.
Can. Non est 2. . . . . III. 175.
Can. Nos, qui 3. . . . . II. T. II. 144.
Can. Non loca 4. . . . . II. T. II. 117.
Can. Homo 5. . . . . III. 208.
Can. Si Papa 6. . . . . II. T. II. 195.
Can. Antè omnia 7. . . . . III. 388.
Can. Sicùt viri 8. . . . . III. 457.
Can. Illud autem 9. . . . . III. 97.
Can. Quælibet 10. . . . . II. T. II. 110.
Can. Adam 11. . . . . II. T. II. 144.
Can. Multi sacerdotes 12. . . . . III. 209.
DIST. XLI.
Can. Quisquis 1. . . . . III. 288.
Can. Deliciæ 2. . . . . III. 258.
Can. Non cogantur 3. . . . . III. 270.
Can. Quod dicit 4. . . . . III. 253.
Can. Parsimoniam 5. . . . . I. 111.
Can. Sæpè 6. . . . . II. T. II. 112.
Can. Episcopus 7. . . . . I. 179.
Can. Clericus 8. . . . . I. 179.
DIST. XLII.
Can. Si quis 1. . . . . I. 111.
Can. Quiescamus 2. . . . . III. 214.
Can. Non oportet 3. . . . . I. 141.
Can. Non oportet 4. . . . . I. 141.
Can. Nulli Episcopi 5. . . . . I. 166.
Can. Oratorium 6. . . . . III. 415.
Can. In Oratorio 7. . . . . III. 357.
DIST. XLIII.
Can. Sit rector 1. . . . . II. T. II. 139.
Can. In mandatis 2. . . . . II. T. I. 22.
Can. Scimus 3. . . . . II. T. I. 28.
Can. Ephesiis 4. . . . . II. T. II. 67.
Can. Dispensatio 5. . . . . II. T. II. 280.
DIST. XLIV.
Can. Comessationes 1. . . . . III. 360.
Can. Non oportet 2. . . . . I. 141.
Can. Nulli Clerico 3. . . . . I. 379.
Can. Clerici 4. . . . . I. 167.
Can. Multis ab urbe 5. . . . II. T. II. 43.
Can. Convivia 6. . . . . II. T. II. 43.
Can. Nullus Presbyterorum 7. . . I. 468.
Can. Quandò 8. . . . . I. 468.
Can. Quandò Presbyteri 9. . . . . I. 468.
Can. Non oportet 10. . . . . I. 141.
Can. Pro reverentia 11. . . . . I. 213.
Can. Non liceat 12. . . . . I. 341.
DIST. XLV.
Can. Quid autèm 1. . . . . II. T. II. 111.
Can. Neminem 2. . . . . I. 62.
Can. Qui sincera 3. . . . . II. T. II. 36.
Can. Licet 4. . . . . II. T. II. 229.
Can. De Judæis 5. . . . . I. 215.
Can. Licet nonnumquàm 6. . II. T. I. 309.
Can. Episcopum 7. . . . . I. 15.
Can. Cum beatus 8. . . . . I. 334.
Can. Disciplina 9. . . . . II. T. II. 128.
Can. Omnis 10. . . . . III. 444.
Can. Et qui 11. . . . . III. 291.
Can. Tria sunt 12. . . . . III. 486.
Can. Duæ sunt 13. . . . . III. 271.

Can. Sunt namquè 14. . . . II. T. II. 128.
Can. Vera justitia 15. . . . . II. T. II. 136.
Can. Recedite 16. . . . . III. 137.
Can. Sed illud 17. . . . . III. 18.
Can. Sanè percussor 18. . . . II. T. I. 33.

DIST. XLVI.

Can. Hoc habet 1. . . . . II. T. II. 129.
Can. Sunt nonnulli 2. . . . . II. T. II. 129.
Can. Clericus 3. . . . . I. 179.
Can. Accusatores 4. . . . . I. 179.
Can. Clericus 5. . . . . I. 179.
Can. Clericum 6. . . . . I. 179.
Can. Clericus 7. . . . . I. 179.
Can. Seditionarios 8. . . . . I. 179.
Can. Non licet 9. . . . . I. 142.
Can. Sicùt non suo 10. . . . II. T. I. 308.

DIST. XLVII.

Can. Episcopus 1. . . . . I. 15.
Can. Quoniàm 2. . . . . I. 79.
Can. Omnes 3. . . . . II. T. II. 129.
Can. De Petro 4. . . . . II. T. II. 36.
Can. Si quis 5. . . . . I. 24.
Can. Virum 6. . . . . II. T. I. 326.
Can. Bonorum 7. . . . . II. T. II. 93.
Can. Sicùt ii 8. . . . . III. 45. & 112.
Can. Quantumlibet 9. . . . . III. 368.
Can. Quod ad nos 10. . . . . III. 26.

DIST. XLVIII.

Can. Quoniàm 1. . . . . I. 80.
Can. Sicùt Neophytus 2. II. T. II. 94. & 95.

DIST. XLIX.

Can. Hinc etenim 1. . . . . II. T. II. 139.
Can. Sacerdotes 2. . . . . III. 147.

DIST. L.

Can. Si lapsis 1. . . . . II. T. II. 76.
Can. Qui semèl 2. . . . . III. 507.
Can. Presbyterum 3. . . . . II. T. II. 45.
Can. Miror 4. . . . . II. T. II. 308.
Can. Clericum 5. . . . . II. T. II. 292.
Can. De his 6. . . . . II. T. II. 295.
Can. Si Episcopus 7. . . . . I. 281.
Can. Si quis viduam 8. . . . . I. 343.
Can. Pervenit 9. . . . . II. T. II. 79.
Can. Accedens 10. . . . . II. T. II. 72.
Can. Postquàm 11. . . . . II. T. II. 27.
Can. Si pòst 12. . . . . II. T. II. 166.
Can. Joannes Chrysostomus 13. . III. 407.
Can. Ponderet 14. . . . . II. T. I. 111.
Can. Et purgabit 15. . . . . III. 148.
Can. Quia sanctitas 16. . . II. T. II. 65.
Can. Quid est hoc 17. . . . II. T. II. 134.
Can. Ferrum 18. . . . . II. T. II. 129.
Can. Cum exaudiero 19. . . . . III. 144.
Can. Jesus Filius 20. . . . . III. 163.
Can. Contumaces 21. . . . . I. 281.
Can. Siquis presbyter 22. . . . . I. 342.
Can. Benè valet 23. . . . . III. 362.
Can. Sacerdos 24. II. T. II. 67. & III. 362.
Can. Ut constitueretur 25. . . . . III. 362.
Can. Absit 26. . . . . III. 35.
Can. Siquis præpropera 27. . . . III. 33.
Can. Domino sancto 28. . . . . III. 454.
Can. Siquis Diaconus 29. . . II. T. I. 431.
Can. Quicumque 30. . . . . III. 193.
Can. Qui sub gradu 31. . . . . III. 47.
Can. Presbyteros 32. . . . . I. 33.
Can. Sacerdotes 33. . . . . II. T. II. 257.
Can. De his verò 34. . . . . III. 492.
Can. De eo autèm 35. . . . . III. 23.
Can. De his Clericis 36. . . . . I. 301.
Can. Clerico jaciente 37. . . II. T. II. 389.
Can. Quia te 38. . . . . II. T. II. 320.
Can. Studeat 39. . . . . II. T. II. 295.
Can. Qui vero 40. . . . . I. 509.
Can. Siquis homicidium 41. . . . . I. 509.
Can. Eos verò 42. . . . . I. 34.
Can. Siqua fæmina 43. . . . . I. 24.
Can. Siquis voluntariè 44. . . . . I. 342.
Can. Qui saccum 45. . . . . III. 418.
Can. Eum, qui 46. . . . . III. 418.
Can. Frater vester 47. . . . . III. 418.
Can. Quantum dicit 48. . . . II. T. I. 407.
Can. Hi, qui arbores 49. . . II. T. II. 299.
Can. Sæpè contingit 50. . . . . I. 455.
Can. Si duo fratres 51. . . . . I. 474.
Can. Hi, qui altario 52. . . . . I. 302.
Can. Considerandum 53. . . II. T. II. 136.
Can. Fidelior factus 54. . . . . III. 112.
Can. Ex pœnitentibus 55. . . . . I. 180.
Can. Quicunque 56. . . . . II. T. I. 209.
Can. Si verò 57. . . . . I. 300.
Can. Si ille 58. . . . . II. T. I. 431.
Can. Non confidat 59. . . . . II. T. I. 358.
Can. Canones 60. . . . . II. T. I. 239.
Can. Siquis pòst 61. . . . . II. T. I. 228.
Can. Quamvis cautè 62. . . . . III. 379.
Can. Pœnitentes 63. . . . . I. 281.
Can. In capite 64. . . . . I. 282.
Can. Confirmandum est 65. . . . . I. 187.
Can. Illud quoquè 66. I. 187. II. T. I. 209.

Can.

Can. Alienum est 67. . . . . II. T. I. 301.
Can. Placuit 68. . . . . I. 209.
Can. Hi, qui pòst 69. . . . . I. 43.
DIST. LI.
Can. Aliquantos 1. . . . . II. T. I. 249.
Can. Designata 2. . . . . II. T. I. 237.
Can. Prætereà 3. . . . . II. T. I. 231.
Can. Siquis pòst 4. . . . . I. 210.
Can. Qui in aliquo 5. . . . . I. 215.
DIST. LII.
Can. Sollicitudo 1. . . . . II. T. II. 351.
DIST. LIII.
Can. Legem 1. . . . . II. T. II. 68.
DIST. LIV.
Can. Nullus Episcoporum 1. II. T. I. 308.
Can. Nulli de servili 2. . . . . I. 483.
Can. Magnus Episcopus 3. . . . . I. 161.
Can. Qui ex familiis 4. . . . . I. 227.
Can. Quicumque 5. . . . . I. 216.
Can. De servorum 6. . . . . I. 237.
Can. Siquis obligatus 7. . . . . I. 210. 342.
Can. De rebus 8. . . . . I. 237.
Can. Ex antiquis 9. . . . . II. T. I. 389.
Can. Frequens 10. . . . . II. T. I. 383.
Can. Quis aut leges 11. . . II. T. I. 397.
Can. Generalis 12. . . . . II. T. I. 361.
Can. Mancipia 13. . . . . II. T. II. 59.
Can. Nulla officia 14. . . . . I. 213.
Can. Fraternitatem 15. . . . II. T. II. 33.
Can. Si quilibet 16. . . . . II. T. II. 81.
Can. Et si Judæorum 17. . . . . I. 232.
Can. Præsenti 18. . . . . I. 358.
Can. Si servus 19. . . . . I. 310.
Can. Si servus sciente 20. . . . . III. 418.
Can. Admittuntur 21. . . . II. T. I. 308.
Can. Abbati 22. . . . . I. 461. III. 49.
Can. Multos 23. . . . . II. T. II. 126.
Can. Prohibendum est 24. . . . . I. 25.
DIST. LV.
Can. Priscis 1. . . . . II. T. I. 357.
Can. Nullus 2. . . . . I. 46.
Can. Pœnitentes 3. . . . . II. T. I. 340.
Can. Siquis abscidit 4. . . . . I. 15.
Can. Hi, qui se 5. . . . . I. 44.
Can. Qui partem 6. . . . . II. T. I. 236.
Can. Siquis à Medicis 7. . . . . I. 81.
Can. Eunuchus 8. . . . . I. 15.
Can. Siquis pro 9. . . . . I. 342.
Can. Siquis in 10. . . . . I. 302.
Can. Lator 11. . . . . II. T. II. 321.
Can. Præcepta 12. . . . . II. T. I. 395.
Can. Si Evangelica 13. . . . II. T. I. 398.
DIST. LVI.
Can. Presbyterorum 1. . . II. T. II. 397.
Can. Osius Papa 2. . . . . II. T. I. 202.
Can. Undecumquè 3. . . . . III. 343.
Can. Nunquàm 4. . . . . III. 212.
Can. Nasci 5. . . . . III. 183.
Can. Sponsus 6. . . . . III. 305.
Can. Satis 7. . . . . II. T. II. 108.
Can. Dominus noster 8. . . . . III. 194.
Can. Ismael 9. . . . . III. 310.
Can. Si gens 10. . . . . II. T. II. 194.
Can. Nisi 11. . . . . II. T. II. 397.
Can. Apostolica 12. . . . . II. T. II. 355.
Can. Cenomanensem 13. . . II. T. II. 386.
Can. Quia simpliciter 14. . II. T. II. 392.
DIST. LVII.
Can. Siquis 1. . . . . I. 51.
DIST. LVIII.
Can. Nullus 1. . . . . II. T. II. 23.
Can. Siquis 2. . . . . I. 204.
DIST. LIX.
Can. Qui Ecclesiasticis 1. . . II. T. I. 260.
Can. Si officia 2. . . . . II. T. I. 26.
Can. Hoc ad nos 3. . . . . II. T. II. 94.
Can. Ordinatos 4. . . . . II. T. I. 278.
DIST. LX.
Can. Nullus 1. . . . . I. 503.
Can. Nullus in 2. . . . . I. 506.
Can. Innovamus 3. . . . . II. T. II. 460.
Can. Nullus 4. . . I. 500. & II. T. II. 398.
DIST. LXI.
Can. Sacerdotale 1. . . . . II. T. II. 87.
Can. In Sacerdotibus 2. . . . II. T. I. 429.
Can. Non negamus 3. . . . . II. T. I. 429.
Can. Miserum est 4. . . . . II. T. I. 242.
Can. Miramur. 5. . . . . II. T. I. 295.
Can. Episcopum 6. . . . . I. 140.
Can. Quid proderit 7. . . . II. T. I. 280.
Can. Statuimus 8. . . . . II. T. I. 296.
Can. Neophytus 9. . . . . III. 116.
Can. Osius Episcopus 10. . . . . I. 130.
Can. Episcopus 11. . . . . II. T. II. 32.
Can. Nec emeritis 12. . . . . II. T. I. 279.
Can Nullus invitis 13. . . . . II. T. I. 279.
Can. In ordinatione 14. . . . . III. 415.
Can. Studii vestri 15. . . . . II. T. II. 36.
Can. Obitum 16. . . . . II. T. II. 27.
Can. Catinensis 17. . . . . II. T. I. 477.
Can. Benè novit 18. . . . . II. T. II. 76.
Can. Quoniàm 19. . . . . II. T. II. 34.

DIST. LXII.
Can. Nulla ratio 1. . . . . II. T. I. 300.
Can. Docendus 2. . . . . II. T. I. 280.
Can. Nullus in Episcopum 3. . . . I. 507.
DIST. LXIII.
Can. Nullus Laicorum 1. . . . . I. 461.
Can. Hadrianus 2. . . . . I. 461.
Can. Valentinianus 3. . . III. 122. & 414.
Can. Porrò scias 4. . . . . II. T. II. 259.
Can. Si per ordinationem 5. . . . . I. 326.
Can. Non est 6. . . . . I. 142.
Can. Omnis electio 7. . . . . I. 392.
Can. Non licet 8. . . . . I. 343.
Can. Quia igitùr 9. . . . . II. T. II. 38.
Can. Quanto 10. . . . . II. T. II. 22.
Can. Plebs Diotrensis 11. . II. T. I. 381.
Can. Nosse tuam 12. . . . . II. T. II. 321.
Can. Episcopos 13. . . . . II. T. II. 293.
Can. Literas 14. . . . . II. T. I. 459.
Can. Principali 15. . . . . II. T. I. 451.
Can. Reatina Ecclesia 16. II. T. II. (*) 241.
Can. Nobis Dominus 17. . . II. T. II. 241.
Can. Lectis 18. . . . . II. T. II. 241.
Can. Metropolitano 19. . . . II. T. I. 311.
Can. Si in plebibus 20. . . . . III. 438.
Can. Agatho 21. . . . . II. T. II. 203.
Can. Hadrianus 22. II. T. II. 201. & 204.
Can. In Synodo 23. . . . . II. T. II. 330.
Can. Salonitanæ 24. . . . . II. T. II. 115.
Can. Cum longè 25. . . . . I. 232.
Can. Cleri 26. . . . . II. T. I. 279.
Can. Vota civium 27. . . . . II. T. I. 317.
Can. Quia Sancta 28. . . . II. T. II. 220.
Can. Cum Hadrianus 29. . II. T. II. 144.
Can. Ego Ludovicus 30. . . II. T. II. 205.
Can. Inter nos 31. . . . . II. T. II. 241.
Can. Constitutio 32. . . . . II. T. II. 201.
Can. Tibi Domino 33. . . . II. T. II. 201.
Can. Sacrorum 34. . . . . I. 411.
Can. Obeuntibus 35. . . . . II. T. II. 424.
Can. Si fortè 36. . . . . II. T. I. 311.
DIST. LXIV.
Can. Episcopi 1. . . . . I. 81.
Can. Ordinationes 2. . . . . II. T. I. 33.
Can. De abjectione 3. . . . . I. 247.
Can. Comprovinciales 4. . . . II. T. I. 81.
Can. Extrà conscientiam 5. . II. T. I. 228.
Can. Quia per 6. . . . . II. T. I. 368.
Can. Episcopum 7. . . . . I. 343.
Can. Illud generaliter 8. . . . . I. 83.
DIST. LXV.
Can. Sanè 1. . . . . I. 83.
Can. Non debet 2. . . . . I. 344.
Can. Episcopus 3. . . . . I. 115.
Can. De persona 4. . . . . II. T. I. 311.
Can. Placet omnibus 5. . . . . I. 163.
Can. Mos antiquus 6. . . . . I. 83.
Can. Quoniàm 7. . . . . I. 85.
Can. Si quis 8. . . . . I. 295.
Can. Si fortè 9. . . . . I. 131.
DIST. LXVI.
Can. Archiepiscopus 1. . . . II. T. I. 81.
Can. Porrò 2. . . . . II. T. I. 34.
DIST. LXVII.
Can. Reliqui 1. . . . . II. T. I. 34.
Can. Episcopus 2. . . . . I. 359.
DIST. LXVIII.
Can. Sicùt semèl 1. . . . . II. T. II. 19.
Can. Presbyteri 2. . . . . II. T. II. 182.
Can. Ecclesiis 3. . . . . I. 87.
Can. Quamvis 4. . . . . II. T. I. 332.
Can. Chorepiscopi 5. . . . . II. T. I. 196.
Can. Quorum vices 6. . . . II. T. II. 398.
DIST. LXIX.
Can. Quoniàm 1. . . . . I. 393.
Can. Non oportet 2. . . . . I. 142.
DIST. LXX.
Can. Neminem 1. . . . . I. 265.
Can. Sanctorum 2. . . . . I. 501.
DIST. LXXI.
Can. Illud quoquè 1. . . . . I. 132.
Can. De aliena 2. . . . . II. T. I. 230.
Can. Si quis ausus 3. . . . . I. 91.
Can. Clericos 4. . . . . I. 266.
Can. Fraternitatem 5. . . . II. T. II. 33.
Can. Primatus 6. . . . . I. 161.
Can. Extraneo 7. . . . . I. 267.
Can. Hortamur 8. . . . . III. 271.
Can. Nullum absquè 9. . . . . I. 115.
DIST. LXXII.
Can. Episcopus 1. . I. 449. & II. T. I. 334.
Can. Clericorum 2. . . . . I. 167.
Can. Placuit 3. . . . . I. 200.
DIST. LXXIII.
Can. In nomine 1. . . . . I. 92.
Can. Sanctissimo 2. . . . . III. 221.
DIST. LXXIV.
Can. Episcopus 1. . . . . I. 315.
Can. Gesta 2. . . . . II. T. II. 44.
Can. Si qui Clerici 3. . . . . I. 194.

(*) in corpore legatur ex canonibus 16. & 17. dist. 63.

Can.

Can. Placuit 4. . . . . I. 194.
Can. Episcoporum 5. . . . . I. 282.
Can. Quorundam 6. . . . II. T. II. 58.
Can. Ubi ista 7. . . . . II. T. I. 342.
Can. Honoratus 8. . . . . II. T. II. 37.
Can. Consuluit 9. . . . . II. T. I. 406.

DIST. LXXV.

Can. Ordinationes 1. . . . . II. T. I. 33.
Can. Quoniàm 2. . . . . I. 267.
Can. Ordinationes 3. . . . . II. T. I. 94.
Can. Quod à patribus 4. . . . II. T. I. 318.
Can. Quod die 5. . . . . II. T. I. 318.
Can. Quandò 6. . . . . III. 504.
Can. Ordinationes 7. . . . . II. T. I. 361.

DIST. LXXVI.

Can. Jejunium 1. . . . . II. T. I. 96.
Can. Constituimus 2. . . . . I. 431.
Can. De jejunio 3. . . . . I. 497.
Can. Statuimus 4. . . . . I. 501.
Can. Igitur pòst 5. . . . . II. T. I. 293.
Can. Hujus observantiæ 6. . II. T. I. 293.
Can. Jejunium quarti 7. . . . . III. 147.
Can. Scire debet 8. . . . . III. 112.
Can. Nosse credo 9. . . . . III. 112.
Can. Pòst Pascha 10. . . . . III. 438.
Can. Utinàm 11. . . . . III. 178.
Can. Dilectionis 12. . . . . II. T. I. 459.

DIST. LXXVII.

Can. Illud nos 1. . . . . II. T. I. 146.
Can. In singulis 2. . . . . II. T. I. 261.
Can. Quicumque 3. . . . . II. T. I. 209.
Can. Subdiaconus 4. . . . . I. 379.
Can. Placuit 5. . . . . I. 167.
Can. Episcopus 6. . . . . I. 282.
Can. In veteri lege 7. . . . . I. 216.
Can. Siquis de religioso 8. . II. T. I. 357.
Can. Monachus 9. . . . . II. T. I. 357.

DIST. LXXVIII.

Can. Si quis triginta 1. . . . II. T. I. 272.
Can. Nemo Presbyter 2. . . . . III. 419.
Can. Quid est 3. . . . . II. T. I. 295.
Can. Presbyter 4. . . . . I. 52.
Can. Si triginta 5. . . . . II. T. II. 193.

DIST. LXXIX.

Can. Si quis Apostolicæ 1. . II. T. II. 336.
Can. Si quis Papa 2. . . . . II. T. I. 420.
Can. Oportebat 3. . . . . II. T. II. 197.
Can. Nullus unquàm 4. . . II. T. II. 197.
Can. Si quis ex Episcopis 5. II. T. II. 197.
Can. Si quis ex Sacerdotibus 6. . . I. 449.
Can. Nullus Pontifice 7. . . II. T. II. 158.
Can. Si duo fortè 8. . . . . II. T. I. 267.
Can. Si quis pecunia 9. . . . II. T. II. 336.
Can. Si transitus 10. . . . . II. T. I. 420.
Can. Electionem 11. . . . . II. T. I. 35.

DIST. LXXX.

Can. Urbes 1. . . . . II. T. I. 125.
Can. In illis 2. . . . . II. T. I. 11.
Can. Episcopi 3. . . . . II. T. I. 38.
Can. Illud sanè 4. . . . . II. T. I. 297.
Can. Non debere 5. . . . . I. 142.
Can. Fraternitatem 6. . . . . II. T. II. 114.

DIST. LXXXI.

Can. Apostolus 1. . . . . III. 258.
Can. Nemo rectè 2. . . . . II. T. I. 427.
Can. Tantis. 3. . . . . II. T. I. 278.
Can. Si qui sine 4. . . . . I. 93.
Can. Quicunque 5. . . . . I. 94.
Can. Maximianus 6. . . . . II. T. I. 239.
Can. Sacerdos 7. . . . . I. 450.
Can. Dictum est 8. . . . . I. 422.
Can. Valet 9. . . . . III. 444.
Can. Si quis Clericus 10. . . . . I. 315.
Can. Romanus 11. . . . . II. T. I. 462.
Can. Presbyter 12. . . . . I. 15.
Can. Si quis Episcopus 13. . . . . I. 16.
Can. Si Diaconus 14. . . . . I. 40. & 310.
Can. Si qui sunt 15. . . . . II. T. II. 371.
Can. Si quis amodò 16. . . II. T. II. 345.
Can. Si quis Sacerdotum 17. II. T. II. 341.
Can. Eos etiàm 18. . . . . II. T. II. 341.
Can. Ministri 19. . . . . II. T. I. 126.
Can. Clericus 20. . . . . II. T. I. 126.
Can. Sed si fortè 21. . . . . II. T. I. 126.
Can. Si quispiam 22. . . . . I. 450.
Can. Oportet 23. . . . . II. T. II. 145.
Can. Volumus 24. . . . . II. T. II. 86.
Can. Legitur 25. . . . . II. T. II. 63.
Can. In omnibus 26. . . . . I. 393.
Can. Cum omnibus 27. . . . . I. 168.
Can. Non oportet 28. . . . . I. 142.
Can. Archidiaconum 29. . II. T. II. 78.
Can. Quidam 30. . . . . I. 216.
Can. Fœminas 31. . . . . II. T. I. 210.
Can. Clerici 32. . . . . I. 168.
Can. Ad reatum 33. . . . . I. 180.
Can. Viduæ 34. . . . . I. 180.

DIST. LXXXII.

Can. Episcopus 1. . . . . I. 310.
Can. Proposuisti 2. . . . . II. T. I. 233.

Can. Plurimos 3. . . . . II. T. I. 210.
Can. Quia aliquanti 4. . . . . II. T. I. 210.
Can. Presbyter 5. . . . . I. 255.
DIST. LXXXIII.
Can. Si quis Episcopus 1. . II. T. II. 366.
Can. Nemo 2. . . . . II. T. II. 140.
Can. Error 3. . . . . II. T. I. 256.
Can. Quid enim 4. . . . . II. T. I. 74.
Can. Consentire 5. . . . . II. T. II. 95.
Can. Nihil illo 6. . . . . II. T. I. 28.
DIST. LXXXIV.
Can. Pervenit 1. . . . . II. T. II. 29.
Can. Nunciatum est 2. . . . II. T. II. 29.
Can. Cum in præterito 3. . . . . I. 163.
Can. Cum de quorundam 4. . . . . I. 186.
Can. Quisquis 5. . . . . II. T. I. 211.
Can. Porrò Moysi 6. . . . . II. T. I. 35.
DIST. LXXXV.
Can. Archidiaconum 1. . . II. T. II. 75.
DIST. LXXXVI.
Can. Inferiorum 1. . . . . II. T. I. 313.
Can. Odio habeantur 2. . . . II. T. I. 300.
Can. Facientis 3. . . . . II. T. II. 314.
Can. Quandò 4. . . . . III. 356.
Can. Cum multa 5. . . . . II. T. II. 91.
Can. Fratrem nostrum 6. . . II. T. II. 27.
Can. Donare 7. . . . . III. 258.
Can. Qui venatoribus 8. . . . . III. 251.
Can. Qui venatoribus 9. . . . . III. 251.
Can. Vident homines 10. . . . . III. 251.
Can. Esau venator 11. . . . . III. 135.
Can. Quid prodest 12. . . . . III. 110.
Can. An putatis 13. . . . . III. 110.
Can. Non satis est 14. . . . . III. 94.
Can. Dominus 15. . . . . III. 94.
Can. Est probanda 16. . . . . III. 94.
Can. Consideranda 17. . . . . III. 94.
Can. Pulchra etiàm 18. . . . . III. 94.
Can. In singulis 19. . . . . III. 69.
Can. Ceterum 20. . . . . III. 69.
Can. Pasce 21. . . . . III. 94.
Can. Qui clementiam 22. . . . . III. 153.
Can. Si quid verò 23. . . . . II. T. II. 57.
Can. Tanta nequitia 24. . . II. T. II. 82.
Can. Non licet 25. . . . . I. 283.
Can. Pervenit 26. . . . . I. 267.
DIST. LXXXVII.
Can. Licet omnibus 1. . . . . II. T. I. 382.
Can. Defensionis 2. . . . . II. T. I. 371.
Can. Quisquis 3. . . . . II. T. I. 382.
Can. Divinæ 4. . . . . III. 507.
Can. Irreligiosum 5. . . . . II. T. I. 401.
Can. Eos, qui 6. . . . . I. 247.
Can. Libertos 7. . . . . I. 283.
Can. Liberti, qui 8. . . . . I. 216.
Can. Si expositus 9. . . . . I. 44.
DIST. LXXXVIII.
Can. Decrevit 1. . . . . II. T. I. 159.
Can. Consequens est 2. . . . II. T. I. 361.
Can. Episcopus 3. . . . . I. 17.
Can. Perlatum est 4. . . . . II. T. II. 64.
Can. Episcopus 5. . . . . I. 180.
Can. Episcopus nullam. 6 . . . . . I. 180.
Can. Episcopus gubernationem 7. . I. 180.
Can. Inutile 8. . . . . II. T. II. 18.
Can. Negotiatorum 9. . . . . III. 180.
Can. Fornicari 10. . . . . III. 267.
Can. Ejiciens 11. . . . . III. 209.
Can. Quoniàm 12. . . . . III. 250.
Can. Qui est aliud 13. . . . . III. 413.
Can. Neque apùd 14. . . . . III. 25.
DIST. LXXXIX.
Can. Singula 1. . . . . II. T. II. 121.
Can. Volumus 2. . . . . II. T. II. 30.
Can. Diaconum 3. . . . . II. T. II. 32.
Can. Quia in quibusdam 4. . . . . I. 268.
Can. Indicatum est 5. . . . . II. T. II. 83.
Can. Decentèr 6. . . . . I. 230.
Can. Ad hoc 7. II. T. I. 440. & T. II. 96.
DIST. XC.
Can. Discordantes 1. . . . . I. 180.
Can. Oblationes 2. . . . . I. 180.
Can. Neque ad Cain 3. . . . . III. 30.
Can. Alienus sit 4. . . . . I. 461. III. 50.
Can. Si quis Monachus 5. I. 461. III. 50.
Can. Dissidentes 6. . . . . I. 180.
Can. Studendum 7. . . . . I. 180.
Can. Eorum 8. . . . . I. 180.
Can. Placuit 9. . . . . I. 283.
Can. Si quis contristatus 10. II. T. I. 118.
Can. Præcipimus 11. . . . . II. T. II. 420.
Can. Perlatum est 12. . . . . II. T. I. 91.
DIST. XCI.
Can. Eleutherius 1. . . . . II. T. I. 466.
Can. Presbyter 2. . . . . I. 470.
Can. Clericus victum 3. . . . . I. 180.
Can. Clericus 4. . . . . I. 181.
Can. Clerici verò 5. . . . . I. 310.
DIST. XCII.
Can. Cantantes 1. . . . . III. 156.

Can In Sancta 2. . . . . II. T. II. 124.
Can. Non liceat 3. . . . . I. 344.
Can. Si quis ordinatus 4. . . . . I. 344.
Can. Si quis Episcopus 5. . . . . I. 116.
Can. Si qui Episcopi 6. . . . . I. 35.
Can. Si quis Episcopus 7. . . . . I. 117.
Can. Si quis Episcopus 8. . . . . I. 117.
Can. Si quis Presbyter 9. . . . . I. 345.

DIST. XCIII.

Can. Si inimicus 1. . . . . II. T. I. 12.
Can. Miratus valdè 2. . . . II. T. II. 44.
Can. Qui Cathedram 3. . . . . III. 30.
Can. Juxtà Sanct. 4. II. T. I. 42. T. II. 184.
Can. A Subdiacono 5. . . . . I. 62.
Can. Diaconi 6. . . . . II. T. I. 12.
Can. Sacerdotes 7. . . . . II. T. I. 13.
Can. Nullâ ratione 8 . . . I. 327. III. 508.
Can. Qui suis 9. . . . . II. T. I. 21.
Can. Ille procùl dubio 10. . II. T. I. 28.
Can. Diaconi 11. . . . . II. T. I. 46.
Can. Diaconi septem 12. . . . . I. 53.
Can. Diaconos 13. . . . . III. 439.
Can. Pervenit 14. . . . . I. 94.
Can. Non oportet 15. . . . . I. 142.
Can. Non oportet 16. . . . . I. 143.
Can. Diaconi 17. . . . . III. 508.
Can. Præsente 18. . . . . III. 508.
Can. Diaconus 19. . . . . III. 508.
Can. Nonnulli 20. . . . . I. 216.
Can. Pervenit 21. . . . . II. T. II. 58.
Can. Illud autèm 22. . . . . II. T. II. 20.
Can. Diaconi sunt 23. . . . . III. 185.
Can. Legimus 24. . . . . III. 176.
Can. Dominus noster 25. . . . . III. 27.
Can. Præcipimus 26. . . . . I. 379.

DIST. XCIV.

Can. Valdè necessarium 1. . II. T. II. 70.
Can. Si quis autèm 2. . . . . II. T. I. 57.
Can. Dictum est 3. . . . . I. 422.

DIST. XCV.

Can. Pervenit 1. . . . . II. T. II. 79.
Can. Presbyteros 2. . . . . II. T. I. 360.
Can. Illud superfluum 3. . . II. T. I. 227.
Can. Presbyteri 4. . . . . I. 181.
Can. Olim idem 5. . . . . III. 157.
Can. Ecce ego 6. . . . . III. 186.
Can. Esto subjectus 7. . . . . III. 180.
Can. Oportet 8. . . . . I. 143.
Can. Episcopus in quolibet 9. . . . I. 181.
Can. Episcopus in Ecclesia 10. . . I. 181.
Can. Presbyter 11. . . . . I. 345.
Can. Presbyteri 12. . . . . I. 53.

DIST. XCVI.

Can. Benè quidem 1. . . . . II. T. I. 421.
Can. Nos ad fidem 2. . . . . I. 264.
Can. Quædam 3. . . . . I. 264.
Can. Ubinàm 4. . . . . II. T. II. 278.
Can. Deniquè hi 5. . . . . II. T. II. 281.
Can. Cum ad verum 6. . . II. T. II. 281.
Can. Satis evidenter 7. . . . II. T. II. 281.
Can. In scripturis 8. II. T. II. 263. & 278.
Can. Quis dubitet 9. . . . . II. T. II. 373.
Can. Duo sunt 10. II. T. I. 370. III. 92.
Can. Si Imperator 11. . . . II. T. II. 315.
Can. Nunquam 12. . . . . II. T. I. 369.
Can. Constantinus 13. . . . . III. 508.
Can. Constantinus 14. . . . . III. 508.
Can. Sicut quamvis 15. . . . II. T. I. 367.
Can. Boni Principis 16. . . . II. T. I. 151.

DIST. XCVII.

Can. Ecclesiæ 1. . . . . II. T. I. 267.
Can. Victor Honorius 2. . . II. T. I. 267.
Can. Nobilissimus 3. . . . . II. T. II. 299.

DIST. XCVIII.

Can. Nullus 1. . . . . I. 61.
Can. Transmarinos 2. . . . . II. T. I. 214.
Can. Afros passim 3. . . . . II. T. II. 50.
Can. Omnes 4. . . . . I. 25.

DIST. XCIX.

Can. Provinciæ 1. . . . . II. T. I. 36.
Can. Nulli Archiepiscopi 2. II. T. I. 82.
Can. Primæ Sedis 3. . . . . I. 168.
Can. Nullus Patriarcharum 4. II. T. I. 475.
Can. Ecce 5. . . . . II. T. II. 117.

DIST. C.

Can. Quoniàm 1. . . . . II. T. I. 466.
Can. Prisca consuetudo 2. . II. T. II. 87.
Can. Novit sanctitas 3. . . . II. T. II. 39.
Can. Optatum 4. . . . . II. T. II. 310.
Can. In ea Synodo 5. . . . II. T. II. 87.
Can. Pallium 6. . . . . II. T. II. 95.
Can. Non multum 7. . . . . II. T. II. 20.
Can. Contra morem 8. . . . II. T. II. 20.
Can. Rationis 9. . . . . II. T. II. 93.
Can. Pallium 10. . . . . II. T. II. 38.
Can. Scriptorum 11. . . . . II. T. II. 36.

DIST. CI.

Can. Pervenit 1. . . . . I. 268.

DE-

DECRETI PARS II.

CAUSA I.

Quæst. 1.

CAN. Gratia 1. . . . . II. T. I. 313.
Can. Quicumque 2. . II. T. II. 93.
Can. Presbyter 3. . . . . II. T. II. 119.
Can. Benedictio 4. . . . . II. T. II. 93.
Can. Quisquis 5. . . . . II. T. II. 94.
Can. Quos constiterit 6. . . II. T. I. 362.
Can. Reperiuntur 7. . I. (*) 227. III. 92.
Can. Si quis Episcopus 8. . . . . I. 269.
Can. Qui per pecunias 9. I. 462. III. 51.
Can. Sanctorum Patrum 10. . . . I. 507.
Can. Qui studet 11. . . . . III. 56.
Can. Quicunque sacros 12. II. T. II. 146.
Can. Cum liqueat 13. . . . II. T. II. 93.
Can. Cum ordinaretur 14. . . . . III. 92.
Can. Gratiam 15. . . . . III. 92.
Can. Citò turpem 16. . . . . III. 69.
Can. Qui perfectionem 17. II. T. I. 244.
Can. Ventum est 18. . . . . II. T. I. 245.
Can. Petrus 19. . . . . III. 101.
Can. Cum omnis 20. . . . . II. T. II. 95.
Can. Eos, qui 21. . . . . II. T. II. 214.
Can. Placuit 22. . . . . I. 332.
Can. Judices, inquit 23. . . . . III. 144.
Can. Nunquàm divinatio 24. . . III. 144.
Can. Principatus 25. . . . . II. T. I. 395.
Can. Cum Paulus 26. . . . II. T. II. 117.
Can. Non est putanda 27. . II. T. II. 93.
Can. Fertur Simoniaca 28. II. T. II. 95.
Can. Sicùt Eunuchus 29. . . . . III. 393.
Can. Si justus 30. . . . . III. 258.
Can. Ex Catholica 31. . . . . III. 389.
Can. Sic autèm 32. . . . . III. 310.
Can. Nec foris 33. . . . . III. 310.
Can. Sacramenta 34. . . . . III. 371.
Can. Sicut ficti 35. . . . . III. 310.
Can. Neque in homine 36. . . . . III. 327.
Can. Nonne Sodomitæ 37. . . . . III. 311.
Can. Multo autèm 38. . . . . III. 311.
Can. Remissionem 39. . . . . III. 311.
Can. Si qui Clerici 40. . . . . II. T. I. 300.
Can. Quod pro necessitate 41. II. T. I. 246.
Can. Si quis hæreticæ 42. . II. T. I. 316.
Can. Si qui Episcopi 43. . . II. T. I. 297.
Can. Isti quoscumque 44. . . . . III. 145.
Can. Vilissimus 45. . . . . II. T. II. 425.
Can. Dedit Baptismum 46. . . . III. 259.
Can. Sicut urgeri 47. . . . . III. 311.
Can. Etiàm corde 48. . . . . III. 311.
Can. Corporalia 49. . . . . III. 272.
Can. Non sanat 50. . . . . III. 89.
Can. Hi, qui Baptismum 51. II. T. I. 315.
Can. Si quis confugerit 52. . . . . I. 95.
Can. Paulianistæ 53. . . . . II. T. I. 247.
Can. Detrahe verbum 54. . . . . III. 259.
Can. Firmissimè tene 55. . . . . III. 293.
Can. Tencamus 56. . . . . III. 259.
Can. Hanc regulam 57. . . II. T. I. 315.
Can. Spiritus Sanctus 58. . . . . III. 272.
Can. Si quis per ignorantiam 59. III. 458.
Can. Si presbyter 60. . . . III. 458. & 470.
Can. Sic populus 61. . . . . III. 146.
Can. Odit Deus 62. . . . . III. 140.
Can. Illi offerunt 63. . . . . III. 139.
Can. Marcion 64. . . . . III. 153.
Can. Vide 65. . . . . III. 153.
Can. Non oportet 66. . . . . I. 143.
Can. Non liceat 67. . . . . I. 346.
Can. In Ecclesia 68. . . . . II. T. I. 325.
Can. Manifestum 69. . . . . II. T. I. 330.
Can. Si quis, inquit, 70. . . . . III. 31.
Can. Extrà 71. . . . . III. 337.
Can. Superveniente 72. . . II. T. II. 142.
Can. Arianos 73. . . . . II. T. I. 244.
Can. Manus impositio 74. . . . . III. 312.
Can. Sicut Christus 75. . . . . III. 167.
Can. Maledicam 76. . . . . III. 509.
Can. Intra Catholicam 77. . . . . III. 496.
Can. Omnia Sacramenta 78. . . . III. 323.
Can. Prophetavit 79. . . . . III. 252.
Can. O Propheta 80. . . . . III. 146.
Can. Ità fit 81. . . . . III. 272.
Can. Ut evidentèr 82. . . . . III. 273.
Can. Cum Scriptura 83. . . . . III. 90.
Can. Multi 84. II. T. II. 146. III. 194. & . . . . . 460.
Can. Significastis 85. . . . . II. T. I. 115.
Can. Non quales 86. . . . . II. T. II. 286.
Can. Dominus 87. . . . . III. 327.
Can. Christus 88. . . . . III. 246.
Can. Non nocet 89. . . . . II. T. II. 147.
Can. Sacerdotes 90. . . . . III. 146.

(*) In corpore & margine dicitur caus. 1. quæst. 3. sed legatur caus. 1. quæst. 1.

Can.

Can. Ipsi Sacerdotes 91. . . II. T. I. 57.
Can. Sacrosancta 92. . . . . II. T. I. 379.
Can. Necesse est 93. . . . . II. T. II. 112.
Can. Interrogo 94. . . . . III. 273.
Can. Neque potest 95. . . . . III. 303.
Can. Dictum est 96. . . . . III. 267.
Can. Quod quidam 97. . . . . III. 323.
Can. Per Esaiam 98. . . . . III. 324.
Can. Baptizandis 99. . . . . II. T. I. 360.
Can. Nullus Episcopus 100. . . . . I. 380.
Can. Quicquid 101. . . . . I. 231.
Can. Placuit 102. . . . . I. 332.
Can. Placuit 103. . . . . I. 332.
Can. Emendari 104. . . . . I. 25.
Can. Dictum est 105. . . . . I. 484.
Can. Statuimus 106. . . . . I. 423.
Can. Statuimus decretum 107. II. T. II. 338.
Can. Si qui à Simoniacis 108. . . . I. 501.
Can. De cetero 109. II. T. II. 338. & 354.
Can. Ergà Simoniacos 110. II. T. II. 338. &. . . . . 354.
Can. Constat 111. . . . . II. T. I. 247.
Can. Omnis 112. . . . . II. T. I. 316.
Can. Ordinationes 113. . . . II. T. II. 364.
Can. Sunt nonnulli 114. . . II. T. II. 136.
Can. Si quis neque 115. . . II. T. II. 120.
Can. De ordinationibus 116. II. T. II. (*) 39.
Can. Quibusdam 117. . . . . II. T. II. 38.
Can. Nullus itaquè 118. . . . II. T. I. 427.
Can. Estote ergò 119. . . . . II. T. II. 110.
Can. Pueri 120. . . . . II. T. II. 108.
Can. Latorem 121. . . . . II. T. II. 68.
Can. Filium 122. . . . . II. T. II. 111.
Can. Per principalem 123. . II. T. II. 281.
Can. Nullus Episcopus 124. II. T. II. 366.
Can. Sunt quidam 125. . . II. T. II. 413.
Can. Jubemus 126. . . . . III. 419.
Can. In eum 127. . . . . III. 419.
Can. Concussionis 128. . . . . III. 419.
Can. Lege Julia 129. . . . . III. 419.
Can. Eadem Lege 130. . . . . III. 419.

Quæst. 2.

Can. Placuit 1. . . . . I. 333.
Can. Quam pio 2. . . . . II. T. I. 270.
Can. Nullus Abbas 3. . . . . I. 499.
Can. Sicut Episcopum 4. . . II. T. II. 126.
Can. Viduas 5. . . . . III. 9.
Can. Clericos 6. . . . . III. 169.
Can. Pastor 7. . . . . III. 404.
Can. Si quis propter 8. . . . . III. 404.
Can. Sacerdos 9. . . . . III. 404.
Can. Clerici omnes 10. . . . . I. 283.

Quæst. 3.

Can. Audivimus 1. . . . . II. T. II. 97.
Can. Si quis dator 2. . . . . II. T. II. 96.
Can. Si quis Episcopus 3. . II. T. II. 364.
Can. Quæsitum est 4. . . . . I. 503.
Can. Ea, quæ 5. . . . . I. 501.
Can. Totum 6. . . . . III. 290.
Can. Si quis objecerit 7. . . II. T. II. 221.
Can. Salvator 8. . . . . II. T. II. 384.
Can. Ex multis 9. . . . . II. T. II. 343.
Can. Vendentes 10. . . . . II. T. II. 136.
Can. Non solum 11. . . . . III. 481.
Can. Res Ecclesiæ 12. II. T. I. 105. & T. II. . . . . 384.
Can. Pervenit 13. . . . . II. T. II. 374.
Can. Altare 14. . . . . II. T. II. 413.
Can. Si quis præbendas 15. II. T. II. 418.

Quæst. 4.

Can. Nullus 1. . . . . III. 389.
Can. Quis locus 2. . . . . III. 389.
Can. Placuit 3. . . . . I. 168.
Can. Quid apùd 4. . . . . I. 169.
Can. Quia Præsulatus 5. . . II. T. II. 236.
Can. Crimen 6. . . . . III. 420.
Can. Judæi 7. . . . . I. 216.
Can. Jam itaquè 8. . . . . III. 366.
Can. Homini 9. . . . . II. T. II. 129.
Can. Non imputantur 10. . . . . III. 360.
Can. Ecclesia 11. . . . . II. T. II. 147.
Can. Turbatur 12. . . . . III. 113.
Can. Si quis in tantam 13. . . . III. 420.

Quæst. 5.

Can. Quicumque 1. . . . . I. 502.
Can. Eos, qui Ecclesiam 2. II. T. II. 394.
Can. Præsentium 3. . . . . II. T. II. 390.

Quæst. 6.

Can. Si quis autèm 1. . . . . II. T. I. 427.
Can. Ego autèm 2. . . . . II. T. II. 44.
Can. Sicut is 3. . . . . II. T. II. 93.

Quæst. 7.

Can. Si qui Presbyteri 1. . . . . III. 26.
Can. Si quis omnem 2. . . . . I. 393.
Can. Cavendum 3. . . . . I. 440.
Can. Convenientibus 4. . . . . I. 395.
Can. Requiritis 5. . . . . II. T. II. 231.
Can. Necessaria 6. . . . . II. T. I. 357.
Can. Quod pro remedio 7. . II. T. I. 246.
Can. Si qui voluerint 8. . . . . I. 96.

(*) In margine legatur can. 115. caus. 1. quæst. 1.

Can.

Can. Quotiès 9. . . . . II. T. II. 118.
Can. Qui in qualibet 10. . . II. T. I. 345.
Can. Tanta nequitia 11. . . II. T. II. 82.
Can. Si qui vel temeritate 12. II. T. I. 361.
Can. Quoniàm 13. . . . . II. T. I. 339.
Can. Quotiès à populis 14. . II. T. I. 248.
Can. Didici 15. . . . . III. 412.
Can. Dispensationes 16. . . . . III. 412.
Can. Tali conjugio 17. . . . . I. 440.
Can. Exigunt 18. . . . . II. T. I. 296.
Can. Maximum 19. . . . . II. T. I. 298.
Can. Donatum 20. . II. T. I. 297. & 298.
Can. Saluberrimum 21. . . . II. T. I. 316.
Can. Si quis Episcopus 22. . . . . I. 346.
Can. Etsi illa 23. . . . . II. T. I. 360.
Can. Daibertum 24. . . . . II. T. II. 384.
Can. Per illicitam 25. . . . . II. T. I. 198.
Can. Sancimus 26. . . . . III. 420.
Can. Patet 27. . . . . II. T. II. 222.

CAUSA II.

Quæst. 1.

Can. Nos 1. . . . . III. 274.
Can Judex 2. . . . . III. 420.
Can. Sicut sine 3. . . . . II. T. II. 111.
Can. Nihil 4. . . . . II. T. I. 87.
Can. Primates 5. . . II. T. I. 92. & 138.
Can. Unus ex vobis 6. II. T. I. 94.
& III. . . . . 393.
Can. In primis 7. . . . . II. T. II. 98.
Can. Statutis 8. . . . . III. 421.
Can. Legum 9. . . . . I. 446.
Can. Notum sit 10. . . . . II. T. II. 272.
Can. Nemo Episcopus 11. . . . . III. 421.
Can. Nomen 12. . . . . III. 116. & 469.
Can. Primo 13. . . . . II. T. I. 158.
Can. Prohibentur 14. . . . . III. 421.
Can. Manifesta 15. . . . . III. 120.
Can. Quæ Lotharius 16. . II. T. II. 263.
Can. De manifesta 17. . . . II. T. II. 323.
Can. Multi 18. . . . . III. 274.
Can. Si peccaverit 19. . . . . III. 275.
Can. Deus 20. . . . . II. T. I. 50.
Can. Scelus 21. . . . . II. T. II. 251.

Quæst. 2.

Can. Antiquitùs 1. . . . . II. T. I. 436.
Can. Omnes leges 2. . . . . II. T. II. 300.
Can. Nullus Episcoporum 3. II. T. I. 129.
Can. In Scripturis 4. . . . . II. T. I. 154.
Can. Nullus potest 5. . . . . II. T. I. 166.
Can. Præceptum 6. . . . . II. T. I. 94.

Quæst. 3.

Can. Si quis circa 1. . II. T. I. 145. & 408.
Can. Calumniator 2. . . . . II. T. I. 191.
Can. Qui non 3. . . . . I. 402.
Can. Si quis Episcopum 4. . . . . I. 402.
Can. Si quis iratus 5. . . . . II. T. I. 118.
Can. Paulum 6. . . . . II. T. II. 40.
Can. Euphemium 7. . . . . II. T. II. 40.
Can. Si quem 8. . . . . I. 411.

Quæst. 5.

Can. Sacramentum 1. . . . II. T. I. 122.
Can. Nos Sanctorum 2. . . . II. T. I. 122.
Can. Nos Sacramentum 3. . II. T. I. 122.
Can. Si quis Presbyter 4. . . . . I. 474.
Can. Presbyter 5. . . . . II. T. II. 180.
Can. Habet hoc 6. . . . . II. T. II. 59.
Can. Mennam 7. . . . . II. T. II. 89.
Can. Quanto à nobis 8. . . II. T. II. 19.
Can. Quæ de causa 9. . . . II. T. II. 26.
Can. Mandastis 10. . . . . II. T. I. 287.
Can. Super causa 11. . . . . II. T. II. 352.
Can. Si legitimi 12. . . . . I. 284.
Can. Presbyter si 13. . . . . I. 302.
Can. Accusatum 14. . . . . I. 64.
Can. Nobilis 15. . . . . I. 475.
Can. Si mala 16. . . . . III. 494.
Can. Quotiès frater 17. . . II. T. II. 424.
Can. Auditum est 18. . . . . II. T. II. 216.
Can. Omnibus vobis 19. . . II. T. II. 217.
Can. Consuluisti 20. II. T. II. 199. & 319.
Can. In libro 21. . . . . III. 6.
Can. Monomachiam 22. . . II. T. II. 262.
Can. Sæpè contingit 23. . . . . I. 455.
Can. Interrogatum 24. . . . . I. 497.
Can. Statuit 25. . . . . I. 497.
Can. Si Episcopo 26. . . . . I. 455.

Quæst. 4.

Can. Placuit 1. . . . . I. 333.
Can. Procùl 2. . . . . I. 59.
Can. Nullam 3. . . . . II. T. II. 232.

Quæst. 6.

Can. Liceat 1. . . . . II. T. I. 117.
Can. Appellantem 2. . . . . II. T. I. 117.
Can. Omnis oppressus 3. . . II. T. I. 28.
Can. Si quis vestrum 4. . . . II. T. I. 64.
Can. Omnes Episcopi 5. . . II. T. I. 134.
Can. Ad Romanam 6. . . . . II. T. I. 149.
Can. Si quis putaverit 7. . . II. T. I. 90.

Can. Ad Romanam 8. . . . . II. T. I. 93.
Can. Placuit 9. . . . . II. T. I. 166.
Can. Ideò huic 10. . . . . II. T. I. 166.
Can. Decreto nostro 11. II. T. II. 122. & . . . . . 228.
Can. Qui se scit 12. . . . . II. T. I. 444.
Can. Arguta 13. . . . . II. T. II. 266.
Can. Qui scit 14. . . . . II. T. I. 312.
Can. Si quis putaverit 15. . II. T. I. 134.
Can. Quotiès Episcopi 16. . II. T. I. 183.
Can. Ideò huic 17. . . . . II. T. I. 166.
Can. Non ità 18 . . . . . II. T. I. 140.
Can. Quisquis probatus 19. . . . . I. 200.
Can. Liceat etiam 20. . . . . II. T. I. 117.
Can. Si quis Judicem 21. . . II. T. I. 117.
Can. Propter superfluam 22. . . III. 421.
Can. Habita 23. . . . . III. 421.
Can. Ab eo quo 24. . . . . III. 421.
Can. Quicumque 25. . . . . III. 421.
Can. Quotiès pòst 26. . . . . III. 421.
Can. Omninò puniendus 27. . . III. 421.
Can. Anteriorum 28. . . . . III. 422.
Can. Biduum 29. . . . . III. 422.
Can. Non solent 30. . . . . III. 422.
Can. Pòst appellationem 31. . . III. 422.
Can. Catholicus 32. . . . . I. 181.
Can. A judicibus 33. . . . . I. 200.
Can. Sanè si ex 34. . . . . I. 169.
Can. Placuit 35. . . . . I. 201.
Can. Si quis Episcopus 36. . . . . I. 132.
Can. Hoc etiam 37. . . . . I. 169.
Can. Statutum est 38. . . . . I. 188.
Can. Si autem 39. . . . . I. 196.
Can. Si quando 40. . . . . I. 403.
Can. Ei, qui appellat 41. . . . . III. 422.

Quæst. 7.

Can. Non est 1. . . . . II. T. I. (*) 49.
Can. Nullus Laicus 2. . . . . I. 58.
Can. Laico 3. . . . . II. T. I. 148.
Can. In sancta 4. . . . . II. T. I. 166.
Can. Laicos 5. . . . . II. T. I. 153.
Can. Si Sacerdotes 6. . . . . II. T. I. 115.
Can. Decretum est 7. . . . . I. 434.
Can. Sacerdotes 8. . . . . II. T. I. 13.
Can. Qualis condemnatio 9. II. T. I. 17.
Can. Clericus adversùs 10. . . . . I. 58.
Can. Majorum 11. . . . . II. T. I. 92.
Can. Sententia 12. . . . . II. T. I. 41.
Can. Oves, quæ 13. . . . . II. T. I. 154.
Can. Laici 14. . . . . II. T. I. 43.
Can. Accusatio 15. . . . . II. T. I. 36.
Can. Siquis ergà 16. . . . . II. T. I. 54.
Can. Siqui sunt 17. . . . . II. T. I. 49.
Can. Quærendum est 18. . . II. T. I. 100.
Can. Accusatio 19. . . . . II. T. I. 135.
Can. Si quis ab Episcopo 20. . . . I. 311.
Can. Sunt nonnulli 21. . . . II. T. I. 50.
Can. Præsumunt 22. . . . . III. 390.
Can. Alieni 23. . . . . II. T. I. 136.
Can. Non potest 24. . . . . I. 216.
Can. Pagani 25. . . . . II. T. I. 145.
Can. Si hæreticus 26. . . . . III. 422.
Can. Plerumquè 27. . . . . III. 274.
Can. Paulus dicit 28. . . . II. T. II. 82.
Can. Non omnes 29 . . . . . III. 175.
Can. Non omnis 30. . . . . III. 259.
Can. Secuti sunt 31. . . . . III. 483.
Can. Qui nec regiminis 32. . . . . III. 393.
Can. Paulus Petrum 33. . . . . III. 153.
Can. Quamquàm 34. . . . . III. 376.
Can. Puto, quod sine 35. . . . . III. 312.
Can. Quæritur 36. . . . . III. 259.
Can. Beati Petrus 37. . . . . III. 275.
Can. Ipsi Apostoli 38. . . . . II. T. I. 115.
Can. Testes 39. . . . . II. T. I. 190.
Can. Petrus potestatem 40. II. T. II. 115.
Can. Nos si incompetenter 41. II. T. II. . . . . 242.
Can. Siquis super his 42. II. T. II. 148. & . . . . . 229.
Can. Paullus Dyaclinæ 43. II. T. II. 148.
Can. Lator 44. . . . . II. T. II. 38.
Can. Metropolitanum 45. . II. T. II. 84.
Can. Sicut inquit 46. . . . II. T. II. 117.
Can. Quapropter 47. . . . . II. T. I. 362.
Can. Si quid in Ecclesia 48. II. T. I. 408.
Can. Clericos 49. . . . . I. 270.
Can. Siquis Episcopus 50. . . . . I. 403.
Can. Sacerdotes 51. . . . . II. T. I. 190.
Can. Criminationes 52. . . . II. T. I. 68.
Can. Placuit 53. . . . . I. 404.
Can. Nullus Monachus 54. . II. T. I. 473.
Can. Negligere 55. . . . . II. T. I. 88.
Can. Sancta quippè 56. . . . . III. 130.
Can. Admonendi 57. . . . . II. T. II. 140.
Can. Cum pastoris 58. . . . II. T. II. 125.
Can. Pervenit 59. . . . . II. T. II. 96.
Can. Episcopi 60. . . . . II. T. II. 223.

Quæst. 8.

Can. Accusatorum 1. . . . . II. T. I. 100.

Can. Sciant 2. . . . . III. 423.
Can. Quisquis ille est 3. . . II. T. I. 141.
Can. Qui crimen 4. . . . . II.T.I. 288.
Can. Per scripta 5. . . . . II. T. I. 130.

CAUSA III.

Quæst. 1.

Can. Episcopis 1. . . . . II. T. I. 145.
Can. Episcopi 2. . . . . II. T. I. 116.
Can. Redintegranda 3. . . . . II. T. I. 436.
Can. Redintegranda 4. . . . . II. T. I. 154.
Can. Nulli dubium 5. II. T. I. 57. & 59.
Can. Deus ergò 6. . . . . II. T. I. 116.

Quæst. 2.

Can. Quanto tempore 1. . . II. T. I. 436.
Can. Cum Ecclesiæ 2. . . . II. T. I. 473.
Can. Oportet 3. . . . . II. T. II. 325.
Can. Audivimus 4. . . . . II. T. I. 49.
Can. Tales 5. . . . . II. T. I. 145.
Can. Prius ergò 6. . . . . II. T. I. 154.
Can. Jamdiù 7. . . . . II. T. I. 183.
Can. Si Episcopus 8. . . . . II. T. I. 138.
Can. Quia ea 9. . . . . II. T. I. 461.

Quæst. 3.

Can. Cum accusatus 1. . . II. T. I. 183.
Can. De Induciis 2. . . . . II. T. I. 186.
Can. Induciæ 3. . . . . II. T. I. 87.
Can. Induciæ accusatis 4. . . II. T. I. 191.

Quæst. 4.

Can. Alieni 1. . . . . II. T. I. 68.
Can. Beatus 2. . . . . II. T. I. 30.
Can. Siquis verò 3. . . . . II. T. I. 74.
Can. Consanguineorum 4. . II. T. I. 99.
Can. Conspiratores 5. . . . . II. T. I. 98.
Can. Nullus 6. . . . . II. T. I. 130.
Can. Omnes 7. . . . . II. T. I. 113.
Can. Clericus verò 8. . . . . II. T I. 130.
Can. Hi, qui Episcopos 9. . II. T. I. 53.
Can. Detractores 10. . . . . II. T. I. 92.
Can. Nulli unquàm 11. . . . II. T. I. 141.
Can. Engeltrudam 12. . . . II. T. II. 316.

Quæst. 5.

Can. Consanguinei 1. . . . . II. T. I. 101.
Can. Accusatores 2. . . . . II. T. I. 41.
Can. Accusatoribus 3. . . . II. T. I. 424.
Can. Suspectos 4. . . . . II. T. I. 107.
Can. De accusationibus 5. II. T. I. 153.
Can. Canonica 6. . . . . II. T. I. 473.
Can. Accusationes 7. . . . . I. 404.
Can. Accusatores 8. . . . . II. T. I. 130.
Can. Constituimus 9. . . . . II. T. I. 155.
Can. Similitèr 10. . . . . II. T. I. 166.
Can. Nullus servus 11. . . . II. T. I. 183.
Can. Accusatores 12. . . . . II. T. I. 101.
Can. Omnes 13. . . II. T. I. 409. & 476.
Can. Nulli Episcoporum 14. II. T. II. 224.
Can. Quod suspecti 15. . . II. T. II. 282.

Quæst. 6.

Can. Ibi sempèr 1. . . . . II. T. I. 118.
Can. Siquis Episcoporum 2. II. T. I. 117.
Can. Pulsatus 3. . . . . II. T. I. 118.
Can. Ultrà provinciarum 4. II. T. I. 130.
Can. Accusatus 5. . . . . II. T. I. 134.
Can. Discutere 6. . . . . II. T. I. 190.
Can. Quamvis liceat 7. . . . II. T. I. 87.
Can. Multum stupeo 8. . . . II. T. I. 310.
Can. Dudùm 9. . . . . II. T. I. 163.
Can. Hæc quippè 10. . . . . II. T. I. 436.
Can. Irritum esse 11. . . . . II. T. I. 138.
Can. Peregrina 12. . . . . II. T. I. 288.
Can. Leges Ecclesiæ 13. . . II. T. I. 28.
Can. Non liceat 14. . . . . II. T. I. 228.
Can. Unaquæque 15. . . . . II. T. I. 28.
Can. Neminem exhiberi 16. . . . . I. 404.
Can. Siquis Clericus 17. II. T. I. 62. & 87.
Can. Qui crimen 18. . . . . I. 404.

Quæst. 7.

Can. Infamis persona 1. . . . . I. 404.
Can. Infames 2. . . . . III. 423.
Can. Qui sine peccato 3. . . II. T. II. 129.
Can. Judicet ille 4. . . . . III. 67.
Can. In gravibus 5. . . . . II. T. II. 129.
Can. Postulatus 6. . . . . III. 482.
Can. Sacerdos 7. . . . . III. 386.

Quæst. 8.

Can. Accusatores 1. . . . . II. T. I. 93.
Can. Suggero 2. . . . . III. 205.

Quæst. 9.

Can. Accusatori 1. . . . . II. T. I. 66.
Can. Caveant 2. . . . . II. T. I. 88.
Can. Absente eo 3. . . . . II. T. I. 101.
Can. Omnia 4. . . . . II. T. I. 122.
Can. Non oportet 5. . . . . II. T. I. 151.
Can. Habetur quoquè 6. . . II. T. I. 191.
Can. Nec extrè 7. . . . . II. T. I. 191.
Can. Qui accusare 8. . . . . II. T. I. 199.
Can. Dignum est 9. . . . . I. 222.
Can. Decernimus 10. . . . . II. T. I. 268.
Can. Absente 11. . . . . II. T. I. 139.

Can.

Can. Revera justus 12. . . . II. T. II. 272.
Can. Absens verò 13. . . . II. T. I. 92.
Can. Indicas 14. . . . . II. T. II. 270.
Can. Testes 15. . . . . II. T. I. 101.
Can. Nihilominùs 16. . . . . II. T. I. 335.
Can. Pura, & simplex 17. . . . . III. 97.
Can. Absens 18. . . . . II. T. I. 139.
Can. Chartæ 19. . . . . II. T. I. 454.
Can. Hortamur 20. . . . . II. T. I. 455.
Can. Necesse est 21. . . . . II. T. II. 266.

Quæst. 10.

Can. Placuit 1. . . . . I. 191.
Can. Eos, qui falsa 2. . . . . I. 44.
Can. Si accusatorum 3. . . . II. T. I. 139.

Quæst. 11.

Can. Neganda est 1. . . . . II. T. I. 130.
Can. Neganda est 2. . . . . III. 423.
Can. Non est credendum 3. . . . . I. 405.
Can. Prius est 4. . . . . III. 423.

CAUSA IV.

Quæst. 1.

Can. Diffinimus 1. . . . . I. 191.
Can. Quod autèm 2. . . . II. T. II. 282.

Quæst. 2. & 3.

Can. Testes 1. . . . . I. 192.
Can. Placuit 2. . . . . I. 510.
Can. Si testes 3. . . . . III. 423.

Quæst. 4.

Can. Nullus unquàm 1. . . . II. T. I. 116.
Can. Nullus introducatur 2. II. T. I. 191.
Can. Contra ritum 3. . . . II. T. II. 282.

Quæst. 5.

Can. Quisquis Episcoporum 1. . . I. 170.

Quæst. 6.

Can. Illud verò 1. . . . . I. 170.
Can. Omnibus 2. . . . . I. 191.
Can. Si accusatorum 3. . . . II. T. I. 139.
Can. Quod si accusatorum 4. . . . I. 404.

CAUSA V.

Quæst. 1.

Can. Qui in alterius 1. . . . . I. 405.
Can. Quidam 2. . . . . II. T. II. 26.
Can. Si qui inventi 3. . . . . I. 26.

Quæst. 2.

Can. Vocatio 1. . . . . II. T. I. 190.
Can. Præsenti decreto 2. . . . . I. 64.
Can. Relatum est 3. . . . . II. T. I. 199.
Can. Si Primates 4. . . . . II. T. I. 182.

Quæst. 3.

Can. Si ægrotans 1. . . . . I. 405.
Can. In criminalibus 2. . . . . I. 405.
Can. Quia Episcopus 3. I. 450. II. T. I. . . . . 43.

Quæst. 4.

Can. Nullus Episcopus 1. . II. T. I. 162.
Can. Duodecim 2. . . . . II. T. I. 93.
Can. In loco 3. . . . . I. 231.

Quæst. 5.

Can. Non vos 1. . . . . III. 356.
Can. Non omnis 2. . . . . III. 389.
Can. Non osculatur 3. . . . . III. 113.
Can. Illi, qui 4. . . . . II. T. I. 153.
Can. Qui ambulat 5. . . . . III. 7.

Quæst. 6.

Can. Omnis 1. . . . . I. 405.
Can. Qui calumniam 2. . . II. T. II. 148.
Can. Quia juxtà 3. . . . . II. T. II. 119.
Can. Epiphanium 4. . . . . II. T. II. 80.
Can. Delatori 5. . . . . I. 405.
Can. Delator si quis 6. . . . . I. 26.
Can. Siquis falsum 7. . . I. 462. III. 51.
Can. Siquis verò 8. . . . . I. 286.

CAUSA VI.

Quæst. 1.

Can. Si sacerdos 1. . . . . II. T. I. 35.
Can. Omnes verò 2. . . . . I. 405.
Can. Ille, qui 3. . . . . II. T. I. 116.
Can. Omnes illi 4. . . . . II. T. I. 113.
Can. Beatus Petrus 5. . . . . II. T. I. 13.
Can. Qui crimen 6. . . . . I. 406.
Can. Si omnia 7. . . . . II. T. I. 30.
Can. Sacerdotes 8. . . . . II. T. I. 66.
Can. Oves 9. . . . . II. T. I. 74.
Can. Imitare 10. . . . . III. 69.
Can. Sunt plurimi 11. . . . II. T. II. 115.
Can. Quiescite 12. . . . . II. T. I. 182.
Can. Ex merito 13. . . . . II. T. I. 110.
Can. Sapiens 14. . . . . II. T. I. 124.
Can. Deteriores 15. . . . . II. T. I. 41.
Can. Summa iniquitas 16. . . II. T. I. 58.
Can. Infames 17. . . . . II. T. I. 127.
Can. Quicumque 18. . . . . II. T. I. 118.
Can. Nos sequentes 19. . . . II. T. I 153.
Can. Cum majores 20. . . . II. T. I. 153.

Can. Quæro ergò 21. . . . . III. 313.
Can. Siquis cum militibus 22. . . III. 425.
Can. Nullus omninò 23. . . . . III. 425.

Quæst. 2.

Can. Episcopus 1. . . . . I. 182.
Can. Si tantum 2. . . . . I. 252.
Can. Placuit 3. . . . . I. 192.

Quæst. 3.

Can. Scriptum est 1. . . . . II. T. II. 104.
Can. Scitote 2. . . . . II. T. I. 476.
Can. Deniquè 3. . . . . II. T. II. 300.
Can. Placuit 4. . . . . I. 400.
Can. De illis autèm 5. . . . . I. 441.

Quæst. 4.

Can. Siquis Episcopus 1. . . . . I. 117.
Can. Siquis Episcopus 2. . . . . I. 346.
Can. Si inter Episcopos 3. . II. T. I. 269.
Can. Si Metropolitanus 4. . . II. T. I. 59.
Can. Siquis Episcopus 5. . . . . I. 119.
Can. Quod benè 6. . . . . II. T. II. 262.
Can. Osius Episcopus 7. . . . . I. 132.

Quæst. 5.

Can. Quod autèm 1. . . . . II. T. II. 42.
Can. Accusator 2. . . . . III. 425.

CAUSA VII.

Quæst. 1.

Principium. . . . . I. 306.
Can. Scripsit 1. . . . . II. T. II. 110.
Can. Cum percussio 2. . . . II. T. II. 71.
Can. Præsentium 3. . . . . II. T. II. 61.
Can. Pontifices 4. . . . . II. T. II. 255.
Can. Factus 5. . . . . III. 23.
Can. Novatianus 6. . . . . III. 23.
Can. Scire debes 7. . . . . III. 27.
Can. Quàm periculosum 8. . . . III. 27.
Can. Deniquè 9. . . . . III. 28.
Can. Non furem 10. . . . . II. T. II. 236.
Can. Sicut vir 11. . . . . II. T. I. 48.
Can. Non autèm 12. . . . . III. 401.
Can. Qualitèr 13. . . . . II. T. II. 26.
Can. Quamvis triste 14. . . II. T. II. 92.
Can. Illud divini 15. . . . . I. 232.
Can. Nihil contrà 16. . . . . I. 223.
Can. Petiisti 17. . . . . II. T. II. 190.
Can. Quia frater 18. . . . . II. T. I. 456.
Can. Non oportet 19. . . . . I. 97.
Can. Pervenit 20. . . . . II. T. II. 30.
Can. Placuit 21. . . . . I. 188.
Can. Constitutum est 22. . . . . I. 189.
Can. Siqui verò 23. . . . . I. 91.
Can. Siquis presbyter 24. . . . . I. 121.
Can. Episcopum 25. . . . . I. 121.
Can. Propter eos 26. . . . . I. 270.
Can. Placuit 27. . . . . I. 171.
Can. Episcopus 28. . . . . II. T. I. 44.
Can. Siquis in Clero 29. . . . . I. 286.
Can. Remoto 30. . . . . II. T. I. 339.
Can. Siquis Episcopus 31. . II. T. I. 311.
Can. Siquis de ordine 32. . . . . I. 442.
Can. Sancitum est 33. . . . . I. 367.
Can. Mutationes 34. . . . . II. T. I. 109.
Can. Scias frater 35. . . . . II. T. I. 471.
Can. Omnis 36. . . . . II. T. I. 471.
Can. Episcopus 37. . . . . I. 182.
Can. Episcopi 38. . . . . I. 182.
Can. Sicùt alterius 39. . . . . II. T. I. 99.
Can. Eum, qui 40. . . . . II. T. II. 43.
Can. In apibus 41. . . . . III. 188.
Can. Pastoralis 42. . . . . II. T. II. 50.
Can. Eos Sacerdotes 43. . . II. T. I. 201.
Can. Temporis qualitas 44. II. T. II. 35.
Can. Hoc nequaquàm 45. . . . . I. 466.
Can. Suggestum 46. . . . . II. T. I. 177.
Can. Scitaris 47. . . . . II. T. II. 292.
Can. Adversitas 48. . . . . II. T. II. 100.
Can. Ibi adunati 49. . . . . II. T. II. 142.

Quæst. 2.

Can. In tuis 1. . . . . II. T. II. 350.
Can. Nupèr 2. . . . . II. T. I. 399.

CAUSA VIII.

Quæst. 1.

Can. Si Petrus 1. . . . . II. T. I. 468.
Can. Simon Petrus 2. . . . . II. T. I. 14.
Can. Episcopo 3. . . . . I. 122.
Can. Episcopo non liceat 4. . . . . I. 346.
Can. Plerique 5. . . . . II. T. I. 340.
Can. Moyses 6. . . . . III. 160.
Can. Apostolica 7. . . . . II. T. II. 422.
Can. Olim jussus 8. . . . . III. 305.
Can. In scripturis 9. . . . . II. T. II. 110.
Can. Sciendum 10. . . . . II. T. II. 130.
Can. Qui Episcopatum 11. . . . . III. 296.
Can. Oportet 12. . . . . II. T. I. 14.
Can. Clemens 13. . . . . II. T. I. 14.
Can. Qui vos spernit 14. . . . . III. 160.
Can. Licet ergò 15. . . . . III. 133.

Can. Si ergò 16. . . . . III. 134.
Can. Nec novum 17. . . . II. T. II. 35.
Can. Audactèr 18. . . . . III. 194.
Can. Sunt in Ecclesia 19. . . . . III. 259.
Can. Illud 20. . . . . III. 160.
Can. Qualis enim 21. . . . . III. 160.
Can. Vereor 22. . . . . III. 160.
Can. Qui autèm 23. . . . . III. 114.
Can. Nec sufficere 24. . . . . III. 480.

Quæst. 2.

Can. Illud quidèm 1. . . . . II. T. II. 37.
Can. Dilectissimi 2. . . . . II. T. II. 77.

Quæst. 3.

Can. Talia quidèm 1. . . . . II. T. I. 477.
Can. Artaldus 2. . . . . II. T. II. 397.

Quæst. 4.

Can. Nonne directa 1. . . . II. T. I. 423.

Quæst. 5.

Can. Quilibet 1. . . . . II. T. I. 62.

CAUSA IX.

Quæst. 1.

Can. Nos consecrationem 1. II. T. II. 43.
Can. Excommunicati 2. . . . . III. 509.
Can. Per illicitam 3. . . . . II. T. I. 198.
Can. Ab excommunicatis 4. II. T. II. 379.
Can. Ordinationes 5. . . . . I. 502.
Can. Nos in hominem 6. . . II. T. II. 78.

Quæst. 2.

Can. Nullus alterius 1. . . . II. T. I. 98.
Can. Placuit 2. . . . . II. T. II. 399.
Can. Nullus Primas 3. . . . II. T. I. 98.
Can. In Dominicis 4. . . . . III. 509.
Can. Nullus Presbyter 5. . . . . I. 471.
Can. Nullum Episcoporum 6. . . I. 122.
Can. Episcopum 7. I. 122. & II. T. I. 98.
Can. Episcopi 8. . . . . I. 151.
Can. Non invitati 9. . . . . I. 151.
Can. Lugdunensis 10. . . . . II. T. II. 380.

Quæst. 3.

Can. Per singulas 1. . . . . I. 347.
Can. Per singulas 2. . . . . I. 122.
Can. Cum simus 3. . . . . I. 397.
Can. Salvo 4. . . . . II. T. I. 68.
Can. Archiepiscopus 5. . . . II. T. I. 82.
Can. Si autèm 6. . . . . II. T. I. 82.
Can. Nullus Primas 7. . . . II. T. I. 98.
Can. Conquestus 8. . . . . II. T. II. 273.
Can. Episcopo 9. . . . . III. 482.
Can. Patet 10. . . . . II. T. II. 282.
Can. Fuit sempèr 11. . . . . III. 38.
Can. Antiquis 12. . . . . III. 509.
Can. Nemo judicabit 13. . . II. T. I. 256.
Can. Aliorum 14. . . . . II. T. I. 423.
Can. Facta 15. . . . . II. T. I. 110.
Can. Ipsi sunt 16. . . . . II. T. I. 356.
Can. Cuncta 17. . . . . II. T. I. 366.
Can. Cuncta 18. . . . . II. T. I. 366.
Can. Fratres 19. . . . . II. T. I. 135.
Can. Nùnc verò 20. . . . . II. T. II. 326.
Can. Per principalem 21. . II. T. II. 281.

CAUSA X.

Quæst. 1.

Can. Si ex laicis 1. . . . . I. 303.
Can. Sic quidam 2. . . . . I. 213.
Can. Decretum 3. . . . . I. 423.
Can. Regenda 4. . . . . II. T. II. 233.
Can. Quæcumque 5. . . . . I. 123.
Can. Noverint 6. . . . . I. 217.
Can. De his 7. . . . . I. 311.
Can. Antiquos 8. . . . . I. 311.
Can. Relata est 9. . . . . I. 238.
Can. Decrevimus 10. . . . . I. 295.
Can. Episcopum 11. . . . . I. 217.
Can. Placuit 12. . . . . I. 333.
Can. Quia Sacerdotes 13. . . . . III. 172.
Can. Sanctorum 14. . . . . I. 507.
Can. Hanc consuetudinem 15. II. T. I. . . . . 207.

Quæst. 2.

Can. Casellas 1. . . . . I. 286.
Can. Ea enim 2. . . . . III. 425.
Can. Hujusmodi 3. . . . . III. 425.
Can. Præcariæ 4. . . . . I. 445.
Can. Precariæ 5. . . . . I. 446.
Can. De precariis 6. . . . . I. 195.
Can. Episcopus 7. . . . . I. 347.
Can. Si quis Episcopus 8. . . . . I. 348.

Quæst. 3.

Can. Placuit 1. . . . . I. 333.
Can. Priscis 2. . . . . I. 369.
Can. Unio 3. . . . . I. 236.
Can. Illud se 4. . . . . II. T. I. 480.
Can. Nec numerus 5. . . . . II. T. I. 380.
Can. Quia cognovimus 6. . . . . I. 213.
Can. Cavendum est 7. . . . . I. 423.
Can. Inter cætera 8. . . . . I. 224.

Can.

Can. Relatum est 9. . . . . II. T. II. 70.
Can. Illud magnitudinem 10. II. T. I. 480.

CAUSA XI.

Quæst. 1.

Can. Nemo 1. . . . . II. T. I. 145.
Can. Nullus judicum 2. . . . . I. 326.
Can. Clericum 3. . . . . II. T. I. 148.
Can. Judices 4. . . . . I. 98.
Can. Continua 5. . . . . III. 425.
Can. Nullus Clericus 6. . . . . I. 358.
Can. Quicumque 7. II. T. I. 148. & 269.
Can. Nullus Episcopus 8. . II. T. I. 269.
Can. Testimonium 9. . . . . I. 59.
Can. Si quis Clesicus 10. . . . . I. 60.
Can. Placuit 11. . . . . I. 192.
Can. Christianis 12. . . . . II. T. I. 376.
Can. Silvester 13. . . . . II. T. I. 376.
Can. Relatum 14. . . . . II. T. I. 52.
Can. Experientia 15. . . . . II. T. I. 449.
Can. Si quisquam 16. . . . II. T. I. 449.
Can. Clericum 17. . . . . I. 286.
Can Si quis Sacerdotum 18. .II. T. I. 76.
Can. Petimus 19. . . . . I. 171.
Can. Istud est 20. II. T. I. 447. &
T. II. . . . . 148.
Can. Conjurationum 21. . . . . I. 270.
Can. Conspirationum 22. . . II. T. I. 97.
Can. Si qui Clerici 23. . . . . I. 270.
Can. Si Clerici 24. . . . . I. 239.
Can. Si qui Clericorum 25. . . . . I. 315.
Can. Si quæ causæ 26. . . . II. T. I. 228.
Can. Si tributum 27. . . . . III. 105.
Can. Magnum 28. . . . . III. 70.
Can Te quidem 29. . . . . II. T. I. 15.
Can. Sicut enim 30. . . . . II. T. I. 15.
Can. Statuimus 31. . . . . II. T. I. 116.
Can. Si qui ex fratribus 32. II. T. I. 15.
Can. Nullus Clericus 33. . . . . I. 60.
Can. Aliud quidem 34. . . . II. T. I. 305.
Can. Quicunque 35. . . . . III. 426.
Can. Omnes 36. . . . . III. 426.
Can. Volumus 37. . . . . I. 412.
Can. De persona 38. . . . . II. T. II. 98.
Can. Pervenit 39. . . . . II. T. II. 64.
Can. Fratris 40. . . . . II. T. II. 78.
Can. Sacerdotibus 41. . . . II. T. II. 113.
Can. Inolita 42. . . . . I. 203.
Can. Placuit 43. . . . . I. 171.
Can. De diversis 44. . . . . I. 171.
Can. Si quis cum Clerico 45. . . III. 426.
Can. Si Clericus 46. . . . . I. 270.
Can. Clericum 47. . . . . I. 286.
Can. Clericus 48. . . . . I. 406.
Can. In Clericorum 49. . . . . I. 406.
Can. Quia res 50. . . . . II. T. I. 396.

Quæst. 2.

Quæst. 3.

Can. Sententia 1. . . . . II. T. II. 136.
Can. Si quis à proprio 2. . . . . I. 123.
Can. Præcipuè 3. . . . . II. T. II. 260.
Can. Si Episcopus 4. . . . . I. 134.
Can. Si quis Presbyter 5. . . . . I. 163.
Can. Si quis Episcopus 6. . . . . I. 123.
Can. Si quis Episcopus 7. . . . . I. 348.
Can. Episcopi 8. . . . . I. 287.
Can. Placuit 9. . . . . I. 196.
Can. Teugualdum 10. . . . II. T. II. 252.
Can. Si autèm 11. . . . . II. T. I. 20.
Can. Quicunque 12. . . . . II. T. I. 15.
Can. Si quis verò 13. . . . . III. 94.
Can. Absit 14. . . . . II. T. I. 110.
Can. Si inimicus 15. . . . . II. T. I. 15.
Can. Sicùt Apostoli 16. . . . II. T. I. 113.
Can. Excommunicatos 17. . II. T. I. 98.
Can. Cum Excommunicato 18. . III. 443.
Can. Qui communicaverit 19. . . . I. 182.
Can. Curæ sit 20. . . . . II. T. II. 165.
Can. Audi deniquè 21. . . . . III. 134.
Can. Nolite 22. . . . . III. 195.
Can. Quando ergo 23. . . . . III. 141.
Can. Ad mensam 24. . . . . III. 215.
Can. Rogo 25. . . . . III. 510.
Can. Si quis laicus 26. . . . . I. 211.
Can. Quibus 27. . . . . II. T. I. 106.
Can. Si quis frater 28. . . I. 462. III. 51.
Can. Qui merito 29. . . . . I. 164.
Can. Clericus 30. . . . . I. 182.
Can. Nemo contemnat 31. . . . . III. 215.
Can. Omnis Christianus 32. . . . III. 275.
Can. Nihil sic 33. . . . . III. 259.
Can. Presbyteri 34. . . . . I. 201.
Can. Irritum 35. . . . . I. 182.
Can. Rursùs 36. . . . . I. 189.
Can. Quicunque 37. . . . . II. T. I. 409.
Can. Qui verò 38. . . . . II. T. I. 409.
Can. Qui jubente 39. . . . . I. 303.
Can. Si Episcopus 40. . . . . I. 299.
Can. Nemo 41. . . . . I. 441.

Can. Nullus 42. . . . . I. 307.
Can. Certum est 43. . . . . I. 484.
Can. Quomodò 44. . . . . III. 149.
Can. Ridiculum 45. . . . . III. 254.
Can. Cui est 46. . . . . II. T. I. 369.
Can. Secundum 47. . . . . III. 302.
Can. Cœpisti 48. . . . . III. 275.
Can. Temerarium 49. . . . . III. 255.
Can. Quid obest 50. . . . . III. 469.
Can. Senti 51. . . . . III. 303.
Can. In cunctis 52. . . . . II. T. II. 76.
Can. Et si ad tempus 53. . . . . III. 249.
Can. Custodi 54. . . . . III. 249.
Can. Inter verba 55. . . . . II. T. II. 118.
Can. Non sunt 56. . . . . III. 343.
Can. Si quis dixerit 57. . . . . III. 162.
Can. Si quis hominem 58. . . . . III. 162.
Can. Væ, qui dicitis 59. . . . . III. 7.
Can. Ipse ligandi 60. . . . II. T. II. 136.
Can. Judicare 61. . . . . II. T. II. 136.
Can. Tunc vera 62. . . . . II. T. II. 136.
Can. Privilegium 63. II. T. I. 342. & T. II. . . . . 120.
Can. Non debet 64. . . . . II. T. II. 37.
Can. Episcopus 65 . . . . . I. 435.
Can. Qui rectè 66. . . . . II. T. II. 148.
Can. Illa 67. . . . . II. T. II. 34.
Can. Ira sæpè 68. . . . . III. 81.
Can. Cum apùd 69. . . . . III. 56.
Can. Summoperè 70. . . . . II. T. II. 148.
Can. Non licet 71. . . . . III. 379.
Can. Pauper 72. . . . . III. 444.
Can. Servetur 73. . . . . I. 76.
Can Grave 74. . . . . II. T. II. 77.
Can. Quamvis vera 75. . . . . III. 353.
Can Eorum 76. . . . . II. T. I. 196.
Can. Non solum 77. . . . I. 463. III. 51.
Can. Quatuor 78. . . . . II. T. II. 149.
Can. Quicumque 79. . . . . III. 141.
Can. Quisquis 80. . . . . III. 368.
Can. Nemo peritorum 81. . . . . III. 394.
Can. Unicuique 82. . . . . II. T. I. 471.
Can. Abiit 83. . . . . III. 481.
Can. Existimant 84. . . . . III. 160.
Can. Non solum 85. . . . . III. 259.
Can. Nolite 86. . . . . III. 210.
Can. Illud planè 87. . . . III. 361. & 394.
Can. Plerumquè 88. . . . . II. T. II. 136.
Can. Injustum 89. . . . . II. T. I. 96.
Can. Qui justus 90. . . . . III. 252.
Can. Si quis Episcopus 91. . II. T. I. 141.
Can. Non semper 92. . . . III. 97. & 394.
Can. Si Dominus 93. . . . . III. 161.
Can. Julianus 94. . . . . III. 120.
Can. Qui omnipotentem 95. II. T. I. 117.
Can. Ità corporis 96. . . . II. T. II. 261.
Can. Qui resistit 97. . . . . III. 275.
Can. Imperatores 98. . . . . III. 319.
Can. Quid ergò 99. . . . . II. T. II. 130.
Can. Qui consentit 100. . . . . III. 460.
Can. Si is, qui 101. . . . . III. 461.
Can. Excellentissimus 102. II. T. II. 267.
Can. Quoniàm 103. . . . . II. T. II. 363.
Can. Antecessor 104. . . . II. T. II. 194.
Can. Quod prædecessor 105. II. T. II. 193.
Can. Debent 106. . . . . III. 510.
Can. Canonica 107. . . . . I. 250.
Can. Cum aliquis 108. . . . . I. 250.
Can. De illis 109. . . . . II. T. II. 310.
Can. Sanctis 110. . . . . II. T. II. 379.

CAUSA XII.

Quæst. 1.

Can. Omnis ætas 1. . . . . I. 217.
Can. Dilectissimis 2. . . . . II. T. I. 24.
Can. Necessaria 3. . . . . I. 450.
Can. Nulla 4. . . . . II. T. II. 301.
Can. Clericus 5. . . . . III. 181.
Can. Cui portio 6. . . . . III. 96.
Can. Duo sunt 7. . . . . III. 176.
Can. Quia tua 8. . . . . II. T. II. 102.
Can. Scimus 9. . . . II. T. I. 104. & 107.
Can. Nolo 10. . . . . III. 356.
Can. Non dicatis 11. . . . . III. 356.
Can. Exemptum 12. . . . . III. 260.
Can. Expedit 13. . . . . III. 404.
Can. Quoniàm 14. . . . . II. T. II. 49.
Can. Futuram 15. . . . . II. T. I. 159.
Can. Videntes 16. . . II. T. I. 104. & 106.
Can. Studebat 17. . . . . III. 260.
Can. Certè ego 18. . . . . III. 357.
Can. Episcopi 19. . . . . I. 287.
Can. Manifesta 20. . . . . I. 348.
Can. Sint manifestæ 21. . . . . I. 17.
Can. Ex his 22. . . . . I. 18.
Can. Episcopus 23. . . . . I. 123.
Can. Præcipimus 24. . . . . I. 18.
Can. Illi autèm 25. . . . . III. 404.
Can. Res Ecclesiæ 26. . . . II. T. I. 105.

Can.

Can. Nulli Episcoporum 27. . . . I. 451.
Can. Si privatum 28. . . . . III. 363.

Quæst. 2.

Can. Qui Christi 1. . II. T. I. 28. & 132.
Can. Augustino 2. . . . . II. T. I. 459.
Can. Nulli liceat 3. . . . . II. T. I. 273.
Can. Quicumque 4. . . . . II. T. II. 364.
Can. Prædia 5. . . . . II. T. I. 75.
Can. Qui abstulerit 6. . . . II. T. I. 28.
Can. In antiquis 7. . . . . II. T. I. 436.
Can. Cum devotiss. 8. II. T. II. 90. & 115.
Can. Si sæculi 9. . . . . II. T. II. 90.
Can. In legibus 10. . . . . II. T. I. 154.
Can. Fraternitas 11. . . . . II. T. II. 113.
Can. Res 12. . . . . II. T. II. 76.
Can. Apostolicos 13. . . . . I. 463.
Can. Et Sacrorum 14. . . . II. T. II. 51.
Can. Sacrorum 15. . . . . II. T. II. 75.
Can. Si omninò 16. . . . . II. T. II. 51.
Can. De viro 17. . . . . II. T. II. 292.
Can. Monemus 18. . . . . I. 451.
Can. Quisquis 19. . . . . I. 397.
Can. Non liceat 20. . . . . II. T. I. 422.
Can. Indignè 21. . . . . II. T. I. 424.
Can. De rebus 22. . . . . II. T. II. 254.
Can. Vobis enim 23. . . . . II. T. I. 387.
Can. Qui est divinis 24. . . II. T. I. 390.
Can. Vulterànæ 25. . . . . II. T. I. 387.
Can. Concesso 26. . . . . II. T. I. 373.
Can. Quatuor 27. . . . . II. T. I. 362.
Can. De reditibus 28. . . . II. T. I. 342.
Can. Cognovimus 29. . . . II. T. II. 61.
Can. Mos est 30. . . . . II. T. II. 102.
Can. Sancimus 31. . . . . I. 240.
Can. Statuimus 32. . . . . I. 287.
Can. Si quis de clericis 33. . . . . I. 287.
Can. Episcopus 34. . . . . I. 287.
Can. Diaconi 35. . . . . I. 287.
Can. Quicquid 36. . . . . I. 288.
Can. Alienationes 37. I. 507. II. T. II. 400.
Can. Hæc hujus 38. . . . . I. 303.
Can. Et si illi 39. . . . . I. 217.
Can. Si quis de clericis 40. . . . . I. 317.
Can. Abbatibus 41. . . . . I. 316.
Can. Siqua 42. . . . . I. 35.
Can. Non liceat 43. . . . . I. 272.
Can. Precariæ 44. . . . . I. 445.
Can. Charitatem 45. . . . II. T. II. 61.
Can. De Laicis 46. . . . . I. 504.
Can. Illud, quod 47. . . . II. T. II. 419.
Can. Non licet 48. . . . . I. 380.
Can. Sicùt Ecclesia 49. . . II. T. II. 47.
Can. Non habenti 50. . . . . I. 193.
Can. Placuit 51. . . . . I. 193.
Can. Sine exceptione 52. . . II. T. I. 322.
Can. Terrulas 53. . . . . I. 288.
Can. Fugitivi 54. . . . . I. 288.
Can. Injustum 55. . . . . I. 454.
Can. Si quis qualibet 56. . . . . I. 287.
Can. Si quos 57. . . . . I. 288.
Can. Episcopus 58. . . . . I. 217.
Can. Quæstionem 59. . . . . III. 426.
Can. Insolitum 60. . . . . III. 426.
Can. Liberti 61. . . . . I. 217.
Can. Octava 62. . . . . I. 359.
Can. De libertis 63. . . . . I. 214.
Can. Longinquitate 64. . . . . I. 222.
Can. Liberti 65. . . . . I. 217.
Can. Quicunque 66. . . . . I. 217.
Can. Ecclesiasticis 67. . . . II. T. II. 18.
Can. Cum Redemptor 68. II. T. II. 17.
Can. Ecclesiarum 69. . . . . I. 214.
Can. Aurum 70. . . . . III. 95.
Can. Gloria 71. . . . . III. 181. & 184.
Can. Sæpè fit 72. . . . . I. 222.
Can. Si Episcopus 73. . . . . I. 214.
Can. Bonæ rei 74. . . . . I. 227.
Can. Religiosam 75. . . . . II. T. II. 17.

Quæst. 3.

Can. Placuit 1. . . . . I. 172.
Can. Quicunque 2. . . . . I. 228.
Can. Pontifices 3. . . . . I. 288.
Can. Episcopus 4. . . . . I. 228.

Quæst. 4.

Can. Sacerdotes 1. . . . . I. 228.
Can. Quicumque 2. . . . . I. 235.
Can. Presbyter 3. . . . . I. 289.

Quæst. 5.

Can. Nulli dubium 1. . . . II. T. II. 76.
Can. Obitum 2. . . . . II. T. II. 51.
Can. Quia Joannes 3. . . . II. T. II. 24.
Can. Fixum 4. . . . . I. 359.
Can. Si Episcopus 5. . . . . I. 289.
Can. Sicubi 6. . . . . I. 296.
Can. Quicunque 7. . . . . I. 485.

CAUSA XIII.

Quæst. 1.

Can. Ecclesias 1. . . . . II. T. I. 136.

Quæst. 2.
Can. Facultates 1. . . . . II. T. I. 363.
Can. Ebron 2. . . . . III. 131.
Can. Unaquæque 3. . . . . III. 394.
Can. Ultima 4. . . . . II. T. II. 83.
Can. Illud etiàm 5. . . . . II. T. I. 384.
Can. Ubicunquè 6. . . . . I. 475.
Can. Placuit 7. . . . . II. T. I. 160.
Can. Siquis irascitur 8. . . . . III. 357.
Can. Qui oblationes 9. . . . . I. 182.
Can. Qui oblationes 10. . . . . I. 254.
Can. Clerici 11. . . . . I. 289.
Can. Questa est 12. . . . II. T. II. 83.
Can. Postquàm 13. . . . . III. 131.
Can. In Ecclesiastico 14. . . . . I. 475.
Can. Præcipiendum 15. . I. 254. & 471.
Can. Quibus peccata 16. . . . . III. 395.
Can. Cum gravia 17. . . . II. T. II. 142.
Can. Nullus mortuus 18. . . . . I. 432.
Can. Non æstimemus 19. . . . . III. 358.
Can. In præsenti 20. . . . . III. 510.
Can. Pro obeuntibus 21. . II. T. II. 182.
Can. Animæ 22. . . . . III. 510.
Can. Tempus 23. . . . . III. 291.
Can. Quia alii 24. . . . . III. 106.
Can. Quàm præposterum. 25. . . III. 34.
Can. Ubicunquè 26. . . . . III. 216.
Can. Habent 27. . . . . II. T. I. 215.
Can. Qui divina 28. . . . . I. 214.
Can. Fatendum 29. . . . . III. 358.
Can. Quæsitum 30. . . . . I. 433.
Can. Fures 31. . . . . I. 476.
Can. Si fur 32. . . . . I. 317.

CAUSA XIV.

Quæst. 1.
Can. Episcopus 1. . . . . I. 183.
Can. Quod debetur 2. . . . . III. 306.
Can. Quisquis 3. . . . . III. 164. & 341.
Quæst. 2.
Can. Supèr prudentia 1. . . II. T. II. 408.
Can. Quamquàm 2. . . . . I. 451.
Quæst. 3.
Can. Si fæneraveris 1. . . . . III. 249.
Can. Putant 2. . . . . III. 137.
Can. Plerique 3. . . . . III. 82.
Can. Usura est 4. . . . . I. 289.
Quæst. 4.
Can. Clerici 1. . . . . II. T. I. 361.
Can. Ministri 2. . . . . I. 40. & 289.
Can. Canonum 3. . . . . I. 296.
Can. Si quis oblitus 4. . . . . I. 349.
Can. Si quis Clericus 5. . . . . I. 296.
Can. Nullus Clericorum 6. . . . . I. 172.
Can. Nec hoc 7. . . . . II. T. I. 308.
Can. Quoniàm 8. . . . . I. 98.
Can. Quicunque 9. . . . . II. T. I. 167.
Can. Si quis usuram 10. . . . III. (*) 96.
Can. Quid dicam 11. . . . . III. 379.
Can. Ab illo 12. . . . . III. 82.
Quæst. 5.
Can. Nolite 1. . . . . III. 276.
Can. Immolans 2. . . . . III. 7.
Can. Fortè aliquis 3. . . . . III. 276.
Can. Nemo 4. . . . . III. 195.
Can. Rapinam 5. . . . . III. 120.
Can. Si quid invenisti 6. . . . . III. 276.
Can. Eleemosyna 7. . . . II. T. II. 93.
Can. Multi 8. . . . . III. 133.
Can. Neque enim 9. . . . . III. 343.
Can. Deniquè 10. . . . . III. 95.
Can. Scriptum est 11. . . II. T. II. 100.
Can. Dixit Dominus 12. . . . . III. 242.
Can. Pœnale est 13. . . . . III. 242.
Can. Qui habetis 14. . . . . III. 276.
Can. Non sanè 15. . . . . III. 379.
Quæst. 6.
Can. Si res 1. . . . . III. 379.
Can. Comperimus 2. . . . II. T. II. 52.
Can. Hi, qui 3. . . . . II. T. II. 65.
Can. Fur autèm 4. . . . . III. 161.

CAUSA XV.

Quæst. 1.
Can. Merito 1. . . . . III. 243.
Can. Illud relatum 2. . . . . III. 427.
Can. Firmissimè 3. . . . . III. 293.
Can. Mulier 4. . . . . III. 243.
Can. Aliquos 5. . . . . III. 267.
Can. Illa cavenda 6. . . . . III. 66.
Can. Sane 7. . . . . III. 77.
Can. Si concupiscentia 8. . . . . III. 296.
Can. Inebriaverunt 9. . . . . III. 306.
Can. Non est 10. . . . . III. 80.
Can. Nec is 11. . . . . III. 75. & 98.

(*) Legatur in marg. can. 10. caus. 14. quæst. 4.

Can. Si quis insaniens 12. . . . III. 470.
Can. Si quis non iratus 13. . . . III. 196.
Quæst. 2.
Can. Observandum 1. . . . . I. 296.
Quæst. 3.
Can. De crimine 1. . . . . III. 427.
Can. Ex eo 2. . . . . III. 427.
Can. Certis de causis 3. . . . . III. 427.
Can. Sanè 4. . . . . III. 427.
Can. Nemini 5. . . . . II. T. I. 167.
Quæst. 4.
Can. Nullus Episcoporum 1. . . . I. 297.
Can. Placita 2. . . . . I. 496.
Can. Nullus Episcopus 3. . . . . I. 406.
Quæst. 5.
Can. De crimine 1. . . . . II. T. II. 323.
Can. Presbyter 2. . . . . II. T. II. 297.
Quæst. 6.
Can. Siquandoque 1. II. T. I. 52. & 53.
Can. Auctoritatem 2. . . . II. T. II. 272.
Can. Alius itèm 3. II. T. II. 149. & 373.
Can. Nos Sanctorum 4. . . . II. T. II. 363.
Can. Juratos 5. . . . . II. T. II. 390.
Quæst. 7.
Can. Sexta 1. . . . . I. 359.
Can. Si quid 2. . . . . II. T. II. 57.
Can. Si quis tumidus 3. . . . . I. 162.
Can. Felix 4. . . . . I. 164.
Can. Si autèm 5. . . . . I. 172.
Can. Episcopus 6. . . . . I. 183.
Can. Episcopus 7. . . . . I. 359.
Quæst. 8.
Can. Qui admisit 1. . . . . I. 54.
Can. Hi, qui 2. . . . . I. 302.
Can. Cum multæ 3. . . . . I. 229.
Can. Si quis Presbyter 4. . . . . I. 349.
Can. Sciscitantibus 5. . . . II. T. II. 285.

CAUSA XVI.

Quæst. 1.
Can. Placuit 1. . . . . I. 99.
Can. Nemo 2. . . . . II. T. II. 21.
Can. De Monachis 3. . . . II. T. I. 231.
Can. Monachus 4. . . . . III. 185.
Can. Si cupis 5. . . . . III. 184.
Can. Alia causa 6. . . . . III. 175.
Can. Ecclesia 7. . . . . III. 188.
Can. Placuit 8. . . . . II. T. II. 167.
Can. Pervenit 9. . . . . II. T. II. 412.
Can. Interdicimus 10. . . . . I. 507.
Can. Juxtà 11. . . . . II. T. II. 355.
Can. Qui verè 12. . . . . I. 273.
Can. Agapitus 13. . . . . II. T. II. 71.
Can. Admonere 14. . . . . II. T. II. 82.
Can. Consideratio 15. . . . II. T. I. 410.
Can. Ubicunquè 16. . . . . I. 476.
Can. Quidam 17. . . . . I. 274.
Can. Probinum 18. . . . . II. T. I. 465.
Can. Adjicimus 19. . . . . II. T. I. 329.
Can. De præsentium 20. . . II. T. I. 479.
Can. Doctos 21. . . . . III. 120.
Can. Si Monachus 22. . . . II. T. I. 257.
Can. Moderamine 23. . . . . II. T. II. 149.
Can. Ex auctoritate 24. . . II. T. II. 149.
Can. Sunt nonnulli 25. . . II. T. II. 160.
Can. Sic vive 26. . . . . III. 188.
Can. Si Clericatus 27. . . . . III. 189.
Can. Siquis Monachus 28. II. T. I. 410.
Can. Monachos 29. . . . . II. T. I. 211.
Can. Vos autèm 30. . . . . III. 371.
Can. In parochia 31. . . . . II. T. I. 455.
Can. Siquem 32. . . . . II. T. II. 30.
Can. Monachi 33. . . . . I. 289.
Can. Cum pro utilitate 34. . . . I. 303.
Can. Monachi 35. . . . . I. 297.
Can. Legi 36. . . . . III. 360.
Can. Ne pro cujuslibet 37. II. T. II 24.
Can. Presbytero 38. . . . . II. T. II. 61.
Can. Hic est 39. . . . . II. T. II. 121.
Can. Generaliter 40. . . . . III. 427.
Can. Cunctis 41. . . . . II. T. I. 21.
Can. Siquis Laicus 42. . . . . I. 435.
Can. Ecclesiæ 43. . . . . I. 427.
Can. Quicunque 44. . . . . I. 457.
Can. De decimis 45. . . . II. T. II. 243.
Can. Questi 46. . . . . I. 423.
Can. Decimas 47. . . . . II. T. II. 417.
Can. Et temporis 48. . . II. T. II. 32.
Can. Postquàm 49. . . . II. T. II. (*) 35.
Can. Felix 50. . . . . I. 164.
Can. Multis 51. . . . . I. 173.
Can. Frater 52. . . . . II. T. II. 40.
Can. Præcipimus 53. . . . II. T. II. 181.
Can. Plures 54. . . . . I. 240.
Can Statuimus 55. . . . . II. T. I. 217.
Can. In sacris 56. . I. 453. II. T. I. 217.
Can. In canonibus 57. . . . II. T. I. 425.

Can.

(*) In margine legatur can. 49. caus. 16. quæst. 1.

Can. Similiter 58. . . . . II. T. I. 425.
Can. Quia juxtà 59. . . . . I. 413.
Can. Constitutum 60. . . . . I. 217.
Can. Possessiones 61. . . . . II. T. I. 426.
Can. Nulli Episcoporum 62. . . . I. 451.
Can. Ad hoc 63. . . . . II. T. II. 60.
Can. Prædicator 64. . . . . I. 397.
Can. Revertimini 65. . . . . III. 149.
Can. Decimæ 66. . . . . III. 277.
Can. Apostolicis 67. . . . . III. 161.
Can. Quoniàm 68. . . . . III. 169.

Quæst. 2.

Can. Visis 1. . . . . II. T. I. 438.
Can. Admonemus 2. . . . II. T. II. 401.
Can. Præcipimus 3. . . . . II. T. II. 337.
Can. Nullus decimas 4. . . . II. T. I. 336.
Can. Nam qui 5. . . . . III. (*) 109.
Can. Sanè 6. . . . . I. 504. II. T. II. 401.
Can. Statuendum 7. . . . . I. 502.

Quæst. 5.

Can. Siquis Episcoporum 1. . II. T. I. 301.
Can. Possessio 2. . . . . I. 218.
Can. Lator 3. . . . . II. T. II. 22.

Quæst. 3.

Can. Per singulas 1. I. 274. II. T. I. 411.
Can. Præsulum 2. . . . . II. T. I. 363.
Can. Sicùt 3. . . . . I. 218.
Can. Quicumque 4. . . . . I. 218.
Can. Licet 5. . . . . II. T. I. 393.
Can. Inter memoratos 6. . . II. T. I. 257.
Can. Dilectio 7. . . . . II. T. I. 390.
Can. Placuit 8. . . . . II. T. I. 411.
Can. Pòst quingentos 9. . . . II. T. I. 368.
Can. Si Sacerdotes 10. . . . . I. 229.
Can. Clerici 11. . . . . I. 290.
Can. Si Episcopus 12. . . . . I. 311.
Can. Prima 13. . . . . I. 360.
Can. Porrò 14. . . . . II. T. II. 311.
Can. Placuit 15. . . . . I. 197.
Can. Jubemus 16. . . . . III. 427.
Can. Nemo 17. . . . . II. T. II. 311.

Quæst. 4.

Can. Possessiones 1. . . . . II. T. II. 402.
Can. Volumus 2. . . . . II. T. II. 63.
Can. Neque decennii 3. . . . . III. 427.

Quæst. 6.

Can. Consuetudo 1. . . . . II. T. II. 125.
Can. Placuit 2. . . . . I. 203.
Can. Si Episcopum 3. . . . II. T. II. 98.
Can. Cognovimus 4. . . . . II. T. II. 62.
Can. De lapsis 5. . . . . II. T. II. 62.
Can. Si fortassis 6. . . . . II. T. II. 218.
Can. Episcopo 7. . . . . I. 436.
Can. Illud statuendum 8. . . II. T. I. 412.

Quæst. 7.

Can. Decimas 1. . . . . II. T. II. 365.
Can. Congregato 2. . . . . II. T. II. 403.
Can. Pervenit 3. . . . . II. T. II. 374.
Can. Quicunque 4. . . . . III. 109.
Can. Omnes 5. . . . . I. 368.
Can. Decimas 6. . . . . I. 436.
Can. Decimas, quas 7. . . . . I. 437.
Can. Majores 8. . . . . III. 278.
Can. Et hoc 9. . . . . III. 19.
Can. Omnes basilicæ 10. . . . . I. 311.
Can. Nullus omninò 11. . I. 368. & 508.
Can. Siquis deincèps 12. . II. T. II. 366.
Can. Quoniàm 13. . . . . II. T. II. 364.
Can. Siquis Episcopus 14. . . . . I. 19.
Can. Sanè 15. . . . . III. 498.
Can. Siquis Clericus 16. . . II. T. II. 415.
Can. Constitutiones 17. . . II. T. II. 415.
Can. Nullus laicorum 18. . II. T. II. 415.
Can. Sicut domini 19. . . . II. T. II. 415.
Can. Per laicos 20. . . . . II. T. II. 355.
Can. Quoniàm 21. . . . . I. 268.
Can. In nona 22. . . . . I. 360.
Can. Non placuit 23. . . . II. T. I. 421.
Can. Laicis 24. . . . . II. T. I. 421.
Can. Siquis principum 25. . . . . I. 508.
Can. Piæ mentis 26. . . . . II. T. I. 401.
Can. Frigentius 27. . . . . II. T. I. 401.
Can. Ecclesias 28. . . . . II. T. I. 18.
Can. Contra sanctorum 29. II. T. II. 218.
Can. Quicunque 30. . . . . I. 218.
Can. Filiis 31. . . . . I. 229.
Can. Decernimus 32. . . . . I. 229.
Can. Monasterium 33. . . . . I. 252.
Can. Rationis 34. . . . . II. T. II. 65.
Can. Considerandum 35. . II. T. II. 150.
Can. Si plures 36. . . . . I. 476.
Can. Laici 37. . . . . I. 432.
Can. Inventum 38. . . . . I. 424.
Can. Decimas 39. . . . . II. T. II. 388.
Can. Nemini 40. . . . . I. 62.
Can. Siquis vult 41. II. T. I. 274. III. 471.
Can. Constituit 42. . . . . I. 424.
Can. Congregatio 43. . . . . I. 242.

(*) In margine legatur can. 5. caus. 16. quæst. 2.

CAUSA XVII.

Quæst. 1.

Can. Sunt quædam 1. . . . . III. 395.
Can. Voventibus 2. . . . . III. 193.
Can. Ananias 3. . . . . II. T. II. 67.
Can. Qui bona 4. . . . . II. T. II. 134.

Quæst. 2.

Can. Gonsaldus 1. . . . . II. T. II. 356.
Can. Nos novimus 2. . . . . III. 364.
Can. Siquis incognitus 3. . . II. T. I. 274.

Quæst. 3.

Quæst. 4.

Can. Quicumque 1. . . . . II. T. I. 422.
Can. Ratio 2. . . . . II. T. II. 31.
Can. Sunt, qui opes 3. . . . . III. 101.
Can. Sacrilegium 4. . . . . II. T. II. 50.
Can. Omnes Ecclesiæ 5. . . II. T. I. 125.
Can. Sicùt antiquitus 6. . . II. T. II. 290.
Can. Siquis in atrio 7. . . . . I. 477.
Can. Miror 8. . . . . III. 365.
Can. Reum 9. . . . . I. 413.
Can. Frater 10. . . . . II. T. I. 405.
Can. Ad Episcopos 11. . . . II. T. I. 379.
Can. Sicut qui Ecclesiam 12. II. T. I. 75.
Can. Attendendum 13. . . . II. T. I. 105.
Can. Siquis Ecclesiam 14. . II. T. I. 69.
Can. Si fortè 15. . . . . II. T. I. 18.
Can. Pecunia 16. . . . . III. 471.
Can. Siquis Clericus 17. . . . . III. 478.
Can. Qui rapit 18. . . . . II. T. I. 28.
Can. Nullus Clericorum 19. . . . . I. 304.
Can. Siquis contumax 20. . . . . I. 477.
Can. Quisquis 21. . . . . II. T. II. 304.
Can. Siquis deinceps 22. . . II. T. II. 357.
Can. De presbyterorum 23. II. T. II. 298.
Can. Qui presbyterum 24. . . . . I. 433.
Can. Ut presbyteri 25. . . . . I. 486.
Can. Omnes presbyteri 26. . . . . I. 478.
Can. Qui subdiaconum 27. . . . . I. 414.
Can. Qui occiderit 28. . . . . I. 414.
Can. Siquis suadente 29. . II. T. II. 421.
Can. Nemini 30. . . . . II. T. II. 266.
Can. Constituit 31. . . . . I. 219.
Can. Metuentes 32. . . . . II. T. I. 372.
Can. Uxor 33. . . . . II. T. I. 386.
Can. Judas 34. . . . . II. T. I. 403.
Can. Diffinivit 35. . . . . I. 233.
Can. Id constituimus 36. . . . . I. 311.
Can. Si quis servum 37. . . . . I. 111.
Can. Si quis servum 38. . . . . I. 350.
Can. Nullus res 39. . . . . I. 189.
Can. In venditionibus 40. . . . . I. 290.
Can. Questi 41. . . . . II. T. II. 50.
Can. Hanc ergò 42. . . . . II. T. II. 50.
Can. Quicunque 43. . . . . III. 357.

CAUSA XVIII.

Quæst. 1.

Can. Statutum 1. . . . . I. 495.

Quæst. 2.

Can. Hoc tantùm 1. . . . . I. 219.
Can. Abbas 2. . . . . II. T. II. 72.
Can. Abbatem 3. . . . . II. T. II. 72.
Can. Abbatem in Monasterio 4. II. T. I. . . . . 451.
Can. Quàm sit 5. . . . . II. T. II. 122.
Can. Luminoso 6. . . . . II. T. II. 72.
Can. Pridem 7. . . . . II. T. II. 65.
Can. Abbas 8. . . . . I. 433.
Can. Nullam potestatem 9. II. T. I. 463.
Can. Quidam 10. . . . . I. 273.
Can. Qui religiosis 11. . . . . I. 183.
Can. De Monachis 12. . . . . I. 289.
Can. Cellullas 13. . . . . I. 291.
Can. Nullus Monachus 14. . . . . I. 312.
Can. Si quis Abbas 15. . . . . I. 486.
Can. Abbates 16. . . . . I. 312.
Can. Monasteria 17. . . . . I. 46.
Can. Abbatibus 18. . . . . II. T. II. 416.
Can. Cognovimus 19. . . . II. T. II. 85.
Can. Pervenit 20. . . . . II. T. II. 72.
Can. Deffinimus 21. . . . . I. 398.
Can. In nullo 22. . . . . III. 510.
Can. Monasteria 23. . . . . I. 291.
Can. In decima 24. . . . . I. 360.
Can. Perniciosam 25. . . . . II. T. II. 423.
Can. Pervenit 26. . . . . II. T. II. 21.
Can. Dudùm 27. . . . . II. T. II. 24.
Can. Visitandi 28. . . . . II. T. II. 23.
Can. Non semèl 29. . . . . I. 318. & 368.
Can. Eleutherius 30. . . . . II. T. I. 466.
Can. Servitium 31. . . . . III. 511.

CAUSA XIX.

Quæst. 1.

Can. Clerici 1. . . . . I. 219.

Quæst.

Quæst. 2.
Can. Alienum 1. . . . . II. T. I. 312.
Can. Duæ sunt 2. . . . . II. T. II. 395.
Quæst. 3.
Can. Nullus Abbas 1. . . . . I. 370.
Can. Mandamus 2. . . . . II. T. II. 404.
Can. Statuimus 3. . . . . II. T. II. 385.
Can. Quæ semèl 4. . . . . I. 175.
Can. Quoniàm 5. . . . . I. 398.
Can. Monasteriis 6. . . . II. T. II. (*) 34.
Can. Ingredientibus 7. . . . II. T. II. 84.
Can. Perlatum 8. . . . . II. T. II. 51.
Can. Si qua mulier 9. . . . . III. 428.
Can. Non liceat 10. . . . . III. 428.

CAUSA XX.

Quæst. 1.
Can. Firma 1. . . . . I. 465.
Can. Addidistis 2. . . . . II. T. II. 107.
Can. Monachum 3. . . . . III. 461.
Can. Quicumque 4. . . . . III. 461.
Can. Quia autèm 5. . . . . II. T. II. 31.
Can. Quem primogenitores 6. . . I. 479.
Can. Infans 7. . . . . III. 471.
Can. Puellæ 8. . . . . II. T. I. 306.
Can. Sicut qui 9. . . . . I. 452.
Can. Illud autèm 10. . . . . II. T. I. 151.
Can. Devotis 11. . . . . II. T. I. 361.
Can. Juvenculas 12. . . . . II. T. II. 61.
Can. Sanctimoniales 13. . . . . I. 173.
Can. Placuit 14. . . . . I. 167.
Can. Virgines 15. . . . . II. T. I. 78.
Can. Vidua 16. . . . . I. 230.
Quæst. 2.
Can. Si in qualibet 1. . . . . I. 230.
Can. Puella 2. . . . . I. 479.
Can. Statuimus 3. . . . . II. T. I. 142.
Can. Oportet 4. . . . . I. 465.
Quæst. 3.
Can. Propositum 1. . . . . II. T. I. 306.
Can. Proclivis 2. . . . . I. 223.
Can. Eos, qui semèl 3. . . . . I. 175.
Can. Præsens 4. . . . . II. T. II. 264.
Can. Constituit 5. . . . . I. 424.
Quæst. 4.
Can. Virgines 1. . . . . I. 479.
Can. Monacho 2. . . . . III. 52. & 472.
Can. Monachum 3. . . . . I. 289.

CAUSA XXI.

Quæst. 1.
Can. Clericus 1. . . . . I. 398.
Can. Clericum 2. . . . . I. 275.
Can. Qui plures 3. . . . . II. T. II. 244.
Can. Unum 4. . . . . I. 291.
Can. Relatio 5. . . . . II. T. II. 28.
Can. Illud quoquè 6. . . . II. T. II. 28.
Quæst. 2.
Can. Quoniàm 1. . . . . I. 380.
Can. Placuit 2. . . . . I. 361.
Can. Si quis jam 3. . . . . I. 275.
Can. Sicùt 4. . . . . I. 362.
Can. Præcipimus 5. . . . . II. T. II. 420.
Quæst. 3.
Can. Pervenit 1. . . . . I. 162. & 267.
Can. Credo 2. . . . . I. 162.
Can. Placuit 3. . . . . I. 173.
Can. Cyprianus 4. . . . . III. 25.
Can. Mollitiis 5. . . . . III. 25.
Can. Hi, qui in Ecclesia 6. . . . III. 25.
Can. Sacerdotium 7. . . . . III. 25.
Quæst. 4.
Can. Omnis jactantia 1. . . . . I. 398.
Can. Nullus eorum 2. . . . . I. 381.
Can. Episcopi 3. . . . . II. T. II. 184.
Can. Sine ornatu 4. . . . . I. 452.
Can. Præcipimus 5. . . . . II. T. II. 419.
Quæst. 5.
Can. Placuit 1. . . . . I. 291.
Can. Si quis à proprio 2. . . . . I. 126.
Can. Si quis cujuslibet 3. . . . . I. 189.
Can. Si fortè 4. . . . . I. 47.
Can. Si quis Episcopus 5. . . . . I. 350.
Can. Si Episcoporum 6. . II. T. II. 115.

CAUSA XXII.

Quæst. 1.
Can. Omne 1. . . . . I. 225.
Can. Non est 2. . . . . III. 384.
Can. In novo 3. . . . . III. 384.
Can. Ut noveritis 4. . . . . III. 278.
Can. Ita ergò 5. . . . . III. 384.
Can. Tu malum 6. . . . . III. 384.
Can. Et jurabunt 7. . . . . III. 384.
Can. Considera 8. . . . . III. 384.

Can.

(*) In marg. & corp. legatur can. 6. caus. 19. quæst. 3.

Can. Clericum 9. . . . . III. 511.
Can. Si quis per capillum 10. II. T. I. 78.
Can. Si aliqua 11. . . . . III. 511.
Can. Habemus 12. . . . . III. 196.
Can. Non est 13. . . . . III. 444.
Can. Si peccatum 14. . . . . III. 278.
Can. Quamvis 15. . . . . III. 384.
Can. Movet te 16. . . . . III. 384.
Can. Prædicandum 17. . . . II. T. I. 143.

Quæst. 2.

Can. In dolo 1. . . . . III. 246.
Can. Animadvertendum 2. . . . . III. 511.
Can. Homines 3. . . . . III. 278.
Can. Is autèm 4. . . . . III. 291.
Can. Beatus Paulus 5. . . . II. T. I. 412.
Can. In quibus 6. . . . . III. 291.
Can. In ipsarum 7. . . . . III. 291.
Can. Primum 8. . . . . III. 340.
Can. Cum humilitatis 9. . . . . III. 279.
Can. Incautè 10. . . . . II. T. II. 130.
Can. Non ità 11. . . . . III. 260.
Can. Mihi autèm 12. . . . . III. 291.
Can. Nec artificioso 13. . . . . III. 351.
Can. Ne quis 14. . . . . III. 246.
Can. Faciat 15. . . . . III. 340.
Can. Omne genus 16. . . . . III. 454.
Can. Si quis ad te 17. . . . . III. 341.
Can. Quod autèm 18. . . . . III. 241.
Can. Si quis per vetus 19. II. T. II. 130.
Can. Si quælibet 20. II. T. II. 130.
III. . . . . 77.
Can. Utilem 21. . . . . III. 154.
Can. Quæritur 22. . . . . III. 241.

Quæst. 3.

Quæst. 4.

Can. Si publicis 1. . . . . I. 225.
Can. Est etiàm 2. . . . . III. 95.
Can. Quod David 3. . . . . III. 279.
Can. Juravit 4. . . . . III. 279.
Can. In malis 5. . . . . III. 454.
Can. Si aliquid 6. . . . . III. 484.
Can. Non solùm 7. . . . . III. 484.
Can. Unusquisque 8. . . . . III. 95.
Can. Incommutabilis 9. . . . . I. 225.
Can. Magnæ 10. . . . . III. 395.
Can. Qui Sacramento 11. . . . . I. 304.
Can. Non sempèr 12. . . . . III. 95.
Can. Non est 13. . . . . III. 444.
Can. Necesse est 14. . . . . I. 225.
Can. Non pejerabis 15. I. 225. III. 6.
Can. Si aliquid 16. . . . . II. T. I. 84.
Can. Diffinitio 17. . . . . I. 27.
Can. Actione 18. . . . . I. 398.
Can. Si quis præventus 19. III. 168. & 462.
Can. Si ad peccatum 20. . . . . III. 344.
Can. Mulier 21. . . . . III. 344.
Can. Inter cætera 22. . . . . III. 387.
Can. Innocens 23. . . . . III. 95.

Quæst. 5.

Can. Qui compulsus 1. II. T. I. 79. III. 472.
Can. Qui pejerat 2. II. T. I. 79. III. 472.
Can. Si quis coactus 3. . . . . III. 472.
Can. Si quis pejeraverit 4. II. T. I. 413. III. . . . . 472.
Can. Ille, qui 5. . . . . III. 280.
Can. Qui exigit 6. . . . . III. 280.
Can. Si quis convictus 7. . . . . I. 358.
Can. Hoc videtur 8. . . . . III. 243.
Can. Quacumque 9. . . . . III. 444.
Can. Ecce dico 10. . . . . III. 278.
Can. Humanæ 11. . . . . II. T. II. 131.
Can. Juramenti 12. . . . . III. 220.
Can. Qui pejerare 13. . . . . III. 220.
Can. Parvuli 14. . . . . I. 414.
Can. Pueri 15. . . . . I. 27.
Can. Honestum 16. . . . . II. T. I. 122.
Can. Decrevit 17. . . . . I. 447.
Can. De forma 18. . . . . III. 502.
Can. Si qui laicus 19. . . . . III. 395.
Can. Cavete 20. . . . . III. 114.
Can. Quotiès 21. . . . . III. 156.
Can. Nullus 22. . . . . I. 362.
Can. Nullus Episcopus 23. II. T. II. 404.

CAUSA XXIII.

Quæst. 1.

Can. Nisi bella 1. . . . . II. T. II. 151.
Can. Paratus 2. . . . . III. 280.
Can. Noli 3. . . . . III. 366.
Can. Qui culpatur 4. . . . . III. 304.
Can. Militare 5. . . . . III. 280.
Can. Apùd veros 6. . . . . III. 290.
Can. Summa 7. . . . . II. T. II. 36.

Quæst. 2.

Can. Justum 1. . . . . III. 452.
Can. Dominus 2. . . . . III. 245.
Can. Notandum 3. . . . . III. 243.

Quæst. 3.

Can. Sex 1. . . . . III. 252.

Can. Maximianus 2. . . . . III. 363.
Can. Nostri 3. . . . . III. 371.
Can. Pro membris 4. . . . . III. 328.
Can. Fortitudo 5. . . . . III. 95.
Can. Si quis 6. . . . . III. 146.
Can. Non in inferenda 7. . . . . III. 95.
Can. Qui potest 8. II. T. I. 193. & 218.
Can. Justum est 9. . . . . II. T. I. 98.
Can. Ab Imperatoribus 10. . . . . I. 190.
Can. Ostendit 11. . . . . III. 251.

Quæst. 4.

Can. Tolerandi 1. . . . . III. 281.
Can. Tu bonus 2. . . . . III. 395.
Can. Qui ergò 3. . . . . III. 260.
Can. Ecce 4. . . . . III. 281.
Can. Quisquis 5. . . . . III. 324.
Can. Ità planè 6. . . . . III. 324.
Can. Si quis à Catholica 7. . . . . III. 319.
Can. A malis 8. . . . . III. 281.
Can. Recedite 9. . . . . III. 281.
Can. Quàm magnum 10. . . . . III. 389.
Can. Fortè 11. . . . . III. 281.
Can. Tres 12. . . . . III. 281.
Can. Qui secundum 13. . . . . III. 154.
Can. Quintus 14. . . . . III. 313.
Can. Hæc autèm 15. . . . . II. T. II. 137.
Can. Cum in lege 16. . . . II. T. II. 137.
Can. Infideles 17. . . . . III. 264.
Can. Quidam verò 18. . . . . III. 293.
Can. Cum quisque 19. . . . . III. 324.
Can. Sicùt non est 20. . . . . III. 334.
Can. Obtineri 21. . . . . II. T. II. 143.
Can. Nabucodonosor 22. . . . . III. 332.
Can. Vasis 23. . . . . III. 396.
Can. Ipsa pietas 24. . . . . III. 363.
Can. Quid faciet 25. . . . . III. 372.
Can. Quod Christus 26. . . . . III. 70.
Can. Inter querelas 27. . . II. T. II. 84.
Can. Si is, qui 28. . . . . II. T. II. 137.
Can. Si illic 29. . . . . II. T. I. 383.
Can. Guilisarius 30. . I. 67. II. T. I 442.
Can. Si quis potestatem 31. . . . III. 72.
Can. Non potest 32. . . . . III. 324.
Can. Est injusta 33. . . . . III. 67.
Can. Ne amisso 34. . . . . III. 247.
Can. Duo ista 35. . . . . III. 396.
Can. Ille gladium 36. . . . . III. 306.
Can. Nimium 37. . . . . III. 389.
Can. Displicet 38. . . . . III. 369.
Can. Quandò vult 39. . . . . III. 260.
Can. Qui peccat 40. . . . III. 302. & 328.
Can. Non invenitur 41. . . . . III. 390.
Can. Si Ecclesia 42. . . . . III. 364.
Can. Quis nos 43. . . . . III. 364.
Can. Qui crudele 44. . . . . III. 306.
Can. Quæsitum 45. . . . . II. T. I. 234.
Can. Illud etiàm 46. . . . . II. T. I. 235.
Can. Si quos 47. . . . . II. T. II. 89.
Can. Sicùt excellentiam 48. II. T. II. 109.
Can. Si non ex fidei 49. . . II. T. II. 109.
Can. Si ea 50. . . . . III. 397.
Can. Ea vindicta 51. . . . . III. 256.
Can. Quisquis 52. . . . . III. 320.
Can. Debet homo 53. . . . . III. 381.
Can. Mali sunt 54. . . . . III. 369.

Quæst. 5.

Can. Circumcelliones 1. . . . . III. 381.
Can. Pœna 2. . . . . III. 381.
Can. Unum 3. . . . . III. 369.
Can. Prodest 4. . . . . III. 380.
Can. Hoc tamèn 5. . . . III. 380. & 511.
Can. Quid ergò 6. . . . . III. 145.
Can. Reos 7. . . . . II. T. II. 151.
Can. De occidendis 8. . . . . III. 385.
Can. Si non licet 9. . . . . III. 296.
Can. Tu dixisti 10. . . . . III. 328.
Can. Non est 11. . . . . III. 143.
Can. Placuit 12. . . . . I. 331.
Can. Miles 13. . . . . III. 296.
Can. Cum minister 14. . . . . III. 242.
Can. Lex æterna 15. . . . . III. 306.
Can. Officia 16. . . . . III. 254.
Can. Non est 17. . . . . III. 380.
Can. Non frustrà 18. . . . . III. 380.
Can. Cum homo 19. . . . . III. 380.
Can. Principes 20. . . . . III. 444.
Can. Res autèm 21. . . . . II. T. I. 323.
Can. Incestuosi 22. . . . . I. 429.
Can. Regum officium 23. . . . . III. 137.
Can. Si apùd 24. . . . . III. 162.
Can. Dicat aliquis 25. . . . . III. 77.
Can. Administratores 26. . II. T. II. 317.
Can. Non solum 27. . . . . III. 140.
Can. Non est crudelis 28. . . . . III. 136.
Can. Qui malos 29. . . . . III. 137.
Can. Judex 30. . . . . III. 154.
Can. Homicidas 31. . . . . III. 137.
Can. Si audieris 32. . . . . III. 35.
Can. Ad fidem 33. . . . . III. 329.
Can. Si propterea 34. . . . . III. 329.

Can.

Can. Si vos contrà 35. . . . . III. 302.
Can. Non putes 36. . . . . III. 260.
Can. Non est innocentiæ 37. . . III. 297.
Can. Quis vitiis 38. . . . . III. 378.
Can. Sunt quædam 39. . . . . III. 488.
Can. Rex debet 40. . . . . III. 34.
Can. Si homicidium 41. . . . . III. 329.
Can. Non vos hominum 42. II. T. I. 447.
Can. De liguribus 43. . . . II. T. I. 447.
Can. Qualis nos 44. . . . . II. T. I. 447.
Can. Relegentes 45. . . . . II. T. I. 450.
Can. Omnium vestrum 46. II. T. II. 275.
Can. Excommunicatorum 47. II. T. II. 397.
Can. Quis enim 48. . . . . III. 364.
Can. Remittuntur 49. . . . . III. 75.

Quæst. 6.

Can. Schismatici 1. . . . . III. 364.
Can. Quod erraverat 2. . . . . III. 319.
Can. Vides 3. . . . . III. 389.
Can. Jam verò 4. . . . . II. T. II. 78.

Quæst. 7.

Can. Quicumque 1. . . . . III. 390.
Can. Si de rebus 2. . . . . III. 329.
Can. Quod autèm 3. . . . . III. 363.
Can. Quemadmodùm 4. . . . . III. 364.

Quæst. 8.

Can. Nimiùm 1. . . . . II. T. II. 313.
Can. Cum à Judæis 2. . . . II. T. I. 258.
Can. Non pila 3. . . . . III. 121.
Can. Quicumque 4. . . . . I. 487.
Can. Clerici 5. . . . . I. 219.
Can. Quicumque ex Clero 6. . . . I. 442.
Can. Igitur 7. . . . . II. T. II. 243.
Can. Scire vos 8. . . . . II. T. II. 243.
Can. Omni timore 9. . . . II. T. II. 237.
Can. Hortatu 10. . . . . III. 486.
Can. Dispar 11. . . . . II. T. II. 346.
Can. Prætereà 12. . . . . II. T. II. 313.
Can. Legi 13. . . . . III. 185.
Can. Occidit 14. . . . . III. 213.
Can. Si nulla 15. . . . . II. T. II. 285.
Can. Petrus 16. . . . . II. T. II. 143.
Can. Ut pridèm 17. . . . . II. T. II. 16.
Can. Suppliciter 18. . . . . II. T. II. 16.
Can. Reprehensibile 19. . . II. T. II. 262.
Can. Si in morte 20. . . . . II. T. II. 113.
Can. Convenior 21. . . . III. 105. & 119.
Can. Tributum 22. . . . . II. T. II. 405.
Can. In qualibet 23. . . . . III. 428.
Can. Secundum 24. . . . . I. 327.
Can. Sancitum 25. . . . . I. 458.
Can. Quo ausu 26. . . . . II. T. I. 378.
Can. Si quis Episcopus 27. . . . . I. 126.
Can. Si vobis 28. . . . . I. 135.
Can. Sæpè principes 29. . . . . I. 219.
Can. His, à quibus 30. . . . . I. 232.
Can. Si quis membrorum 31. II. T. I. 143.
Can. Pessimam 32. . . . . II. T. II. 423.
Can. Quicunque 33. . . . . III. 297.
Can. Si quatuor 34. . . . . I. 383.

CAUSA XXIV.

Quæst. 1.

Can. Acatius 1. . . . . II. T. I. 355.
Can. Majores nostri 2. . . . II. T. I. 365.
Can. Acatius 3. . . . II. T. I. 346 & 355.
Can. Audivimus 4. . . . . II. T. II. 352.
Can. Manet ergò 5. . . . . II. T. I. 293.
Can. Quodcunque 6. . . . . III. 260.
Can. Non turbatur 7. . . . . III. 70.
Can. Est aliud 8. . . . . III. 70.
Can. A rectà 9. . . . . II. T. I. 125.
Can. Memor sum 10. . . . II. T. I. 133.
Can. In sede 11. . . . . II. T. I. 156.
Can. Quoties fidei 12. . . . . II. T. I. 252.
Can. Officii nostri 13. . . . II. T. I. 163.
Can. Hæc est fides 14. . . . . III. 172.
Can. Rogamus 15. . . . . II. T. I. 149.
Can. Cum beatissimus 16. . II. T. I. 318.
Can. Si Petrus 17. . . . . III. 70.
Can. Loquitur 18. . . . . III. 30.
Can. Alienus est 19. . . . . III. 31.
Can. Omnibus 20. . . . . III. 313.
Can. Non afferamus 21. . . . . III. 313.
Can. Quia ex sola 22. . . . II. T. II. 131.
Can. Advocavit 23. . . . . III. 108.
Can. Omnis qui recedit 24. . . III. 482.
Can. Quoniàm vetusto 25. . . . . III. 173.
Can. Quæ dignior 26. . . . . III. 70.
Can. Quicumque ab unitate 27. III. 480.
Can. Odi 28. . . . . III. 140.
Can. Ubi sana 29. . . . . III. 256.
Can. Hæretici 30. . . . . II. T. I. 244.
Can. Didicimus 31. . . . . III. 28.
Can. Qui contra 32. . . . . II. T. I. 179.
Can. Pudenda 33. . . . . II. T. I. 450.
Can. Schisma 34. . . . . II. T. I. 449.
Can. Ait Cœlestinus 35. . II. T. II. 282.
Can. Apertè inquit 36. . . II. T. II. 277.

Can. Miramur 37. . . . . II. T. II. 277.
Can. Quisquis 38. . . . . III. 390.
Can. Subdiaconus 39. . . . . III. 371.
Can. Si quem 40. . . . . III. 313.
Can. Si quis dederit 41. . . . II. T. I. 167.
Can. Cœpit 42. . . . . II. T. II. 142.

Quæst. 2.

Can. De communione 1. . . . II. T. I 304.
Can. Legatur 2. . . . . II. T. I. 355.
Can. Sanè 3. . . . . II. T. II. 391.
Can. Nec quisquam 4. . . . . II. T. I. 365.
Can. Damnationis 5. . . . . II. T. I. 323.
Can. Sanè profertur 6. . . . . I. 322.

Quæst. 3.

Can. Si habes 1. . . . . III. 360.
Can. Comperimus 2. . . . II. T. II. 77.
Can. Qui negligunt 3. . . III. 17. & 133.
Can. Siquis non recto 4. . . . . III. 133.
Can. Non in perpetuum 5. . . . . III. 491.
Can. De illicita 6. . . . . I. 328.
Can. Cum aliquis 7. . . . . III. 17.
Can. De illis 8. . . . . III. 282.
Can. Certum est 9. . . . . I. 325.
Can. Si igitur 10. . . . . III. 162.
Can. Cum ergo 11. . . . . III. 134.
Can. Cum sancti 12. . . . . II. T. II. 131.
Can. Apostolicæ 13. . . . . II. T. I. 453.
Can. Tam sacerdotes 14. . . II. T. I. 42.
Can. De excommunicat 15. II. T. II. 44.
Can. Resecandæ 16. . . . . III. 154.
Can. Corripiantur 17. . . . . III. 334.
Can. Ecce autem 18. . . . . III. 405.
Can. An non 19. . . . . II. T. II. 261.
Can. Itaquè censuimus 20. . . . . III. 511.
Can. Siquis de potentibus 21. . . . I. 211.
Can. Quisquis per dolum 22. II. T. II. 151.
Can. Siquis Romipetas 23. . . . . I. 508.
Can. Paternarum 24. . . . . II. T. II. 405.
Can. Illi, qui 25. . . . . II. T. II. 291.
Can. Inter hæresim 26. . . . . III. 162.
Can. Hæresis 27. . . . . III. 154.
Can. Hæreticus 28. . . . . III. 295.
Can. Dixit Apostolus 29. . . . . III. 373.
Can. Quid autem 30. . . . II. T. I. 322.
Can. Qui in Ecclesia 31. . . . . III. 305.
Can. Qui aliorum 32. . . . . III. 511.
Can. Transferunt 33. . . . . III. 139.
Can. Illud sanè 34. . . . . II. T. I. 326.
Can. Clericus 35. . . . . I. 183.
Can. Cum quibus 36. II. T. I. 356. & 367.
Can. Notandum 37. . . . . II. T. II. 406.
Can. Deus 38. . . . . III. 18.
Can. Quidam 39. . . . . III. 450.
Can. Ideò divina 40. . . . . III. 305.

CAUSA XXV.

Quæst. 1.

Can. Confidimus 1. . . . . II. T. I. 366.
Can. Divinis 2. . . . . II. T. I. 320.
Can. Quæ ad perpetuam 3. II. T. I. 326.
Can. Nulli fas 4. . . . . II. T. I. 340.
Can. Violatores 5. . . . . II. T. I. 200.
Can. Sunt quidam 6. II. T. I. (*) 107.
& T. II. . . . . 406.
Can. Contra statuta 7. . . . II. T. I. 261.
Can. Omne 8. . . . . II. T. I. 148.
Can. Prima salus 9. . . . . II. T. I. 429.
Can. Satagendum 10. . . . . II. T. I. 448.
Can. Generali 11. . . . . I. 406.
Can. Omnia 12. . . . . II. T. I. 198.
Can. Hæc consona 13. . . . II. T. II. 40.
Can. A sanctis 14. . . . . I. 176.
Can. Justitiæ 15. . . . . II. T. II. 17.
Can. Ideò permittente 16. II. T. II. 245.

Quæst. 2.

Can. Privilegia 1. . . . . II. T. I. 28.
Can. Privilegia 2. . . . . II. T. I. 327.
Can. In Galliarum 3. . . . II. T. II. 104.
Can. Si ea destruerem 4. . II. T. II. 54.
Can. Igitùr secundum 5. . . II. T. I. 310.
Can. Servatis 6. . . . . II. T. I. 428.
Can. Institutionis 7. . . . . II. T. II. 87.
Can. De Ecclesiasticis 8. . II. T. II. 108.
Can. Cum piæ 9. . . . . II. T. II. 96.
Can. Quod verò 10. . . . . II. T. II. 43.
Can. Amputatio 11. . . . . II. T. I. 163.
Can. Ecclesiasticæ 12. . . . II. T. II. 62.
Can. Imperiali 13. . . . . II. T. II. 84.
Can. Non damnosa 14. . . . . III. 428.
Can. Rescripta 15. . . . . III. 428.
Can. Dicenti 16. . . . . II. T. I. 457.
Can. Privilegia 17. . . . . II. T. I. 327.
Can. Siquis dogmata 18. . . II. T. II. 253.
Can. Decessorum 19. II. T. I. 376.
& T. II. . . . . 410.
Can. Quæcunque 20. . . . . III. 428.
Can. Posteaquàm 21. . . . II. T. I. 454.

*) In corpore legatur can. 6. caus. 25. quæst. 1.

Can. Sic decet 22. . . . . II. T. I. 442.
Can. Denuntiamus 23. . . . II. T. I. 342.
Can. Siqui Episcopi 24. . . II. T. I. 297.
Can. Ità nos 25. . . . . II. T. I. 391.

CAUSA XXVI.

Quæst. 1.

Can. Sortilegi 1. . . . . III. 452. & 491.

Quæst. 2.

Can. Sors 1. . . . . III. 246.
Can. Non statim 2. . . . . III. 143.
Can. Hi, qui 3. . . . . III. 375.
Can. Non exemplo 4. . . . . III. 483.
Can. Intelligi 5. . . . . III. 244.
Can. Illud, quod est 6. . . . . III. 288.
Can. Qui sine 7. . . . . III. 297.
Can. Illos planetarios 8. . . . . III. 391.
Can. Sed & illud 9. . . . . III. 197.
Can. Si de area 10. . . . . III. 384.
Can. Licet aliquid 11. . . . . III. 72.

Quæst. 3. & 4.

Can. Igitùr genus 1. . . . III. 359. & 491.
Can. Sciendum est 2. . . . . III. 359.
Can. Quodam loco 3. . . . . III. 359.

Quæst. 5.

Can. Siquis Ariolos 1. . . . II. T. II. 174.
Can. Qui divinationes 2. . . . . I. 35.
Can. Non liceat 3. . . . . I. 350.
Can. Non oportet 4. . . . . I. 144.
Can. Siquis Episcopus 5. . . . . I. 219.
Can. Aliquanti 6. . . . . I. 291.
Can. Sortes 7. . . . . II. T. II. 234.
Can. Pervenit 8. . . . . II. T. II. 56.
Can. Si quis Clericus 9. . . . . I. 312.
Can. Contrà idolorum 10. II. T. II 82.
Can. Auguriis 11. . . . . I. 184.
Can. Episcopi 12. . . . . I. 36.
Can. Quicunque 13. . . . . I. 234.
Can. Nec mirum 14. . . . . III. 297.

Quæst. 6.

Can. Si jubet 1. . . . . I. 165.
Can. Presbyter 2. . . . . I. 173.
Can. Ministrare 3. . . . . I. 291.
Can. Presbyteri 4. . . . . II. T. I. 50.
Can. Aurelius 5. . . . . I. 165.
Can. Siquis de corpore 6. . . . . I. 352.
Can. Qui recedunt 7. . . . . I. (*) 247.
Can. Is, qui pœnitentiam 8. . . . I. 184.
Can. De his verò 9. . . . . I. 100.
Can. His, qui 10. . . . . II. T. I. 328.
Can. Si aliquis 11. . . . . I. 299.
Can. Si presbyter 12. . . . . II. T. I. 168.
Can. Agnovimus 13. . . . . II. T. I. 278.
Can. Presbyter 14. . . . . I. 174.

Quæst. 7.

Can. Ab infirmis 1. . . . . III. 473.
Can. Tempora 2. . . . . II. T. I. 315.
Can. De his verò 3. . . . . II. T. II. 301.
Can. His, qui 4. . . . . I. 144.
Can. Pœnitentibus 5. . . . . I. 174.
Can. Sacerdos 6. . . . . I. 184.
Can. Pro qualitate 7. . . I. 463. III. 52.
Can. Hoc sit 8. . . . . I. 463. III. 52.
Can. Pœnitentem 9. . . . I. 463. III. 52.
Can. Affectum 10 . . . . I. 463. III. 52.
Can. Erga eum 11. . . . I. 463. III. 52.
Can. Alligant 12. . . . . III. 210.
Can. Non licet 13. . . . . I. 350.
Can. Siquis calendas 14. . II. T. II. 184.
Can. Admoneant 15. . . . . III. 397.
Can. Non observetis 16. . . . . III. 397.
Can. Quis æstimaret 17. III. 266. & 292.
Can. Dæmonium 18. . . . . III. 197.

CAUSA XXVII.

Quæst. 1.

Can. Sicùt bonum 1. . . . . I. 184.
Can. Viduas 2. . . . . II. T. II. 47.
Can. Neque viduas 3. II. T. I. 363. & 427.
Can. Nec aliqua 4. . . . . III. 29.
Can. Quod si 5. . . . . III. 29.
Can. Si quis Episcopus 6. . . . . I. 381.
Can. De Viduis 7. . . . . I. 220. & 327.
Can. Viduas autèm 8. . . . . I. 352.
Can. Hæ verò 9. . . . . II. T. I. 232.
Can. Quæ Christo 10. . . . II. T. I. 231.
Can. Impudicas 11. . . . . I. 480.
Can. Virginem 12. . . . . I. 276. & 480.
Can. Hi ergò 13. . . . . I. 480.
Can. Virginibus 14. I. 480. II. T. I. 362.
Can. Pervenit 15. . . . . II. T. II. 152.
Can. Viduas, quæ 16. . . . . I. 318.
Can. Siquis sacro 17. . . . . I. 318.
Can. Si custos 18. . . . . II. T. II. 46.
Can. Si homo 19. . . . . II. T. II. 46.
Can. Nubendi 20. . . . . III. 351.

Can.

(*) in corp. & marg. legatur can. 5. caus. 20. quæst. 6.

Can. Meliore 21. . . . . III. 344.
Can. Siqua virgo 22. . . . . I. 276.
Can. Diaconissam 23. . . . . I. 276.
Can. Quotquot 24. . . . . I. 35.
Can. Virgines 25. . . . . I. 28.
Can. De filia 26. . . . . I. 353.
Can. Devotam 27. . . . . I. 211.
Can. Siqua 28. . . . . II. T. II. 80.
Can. Eos autèm 29. . . . II. T. II. 80.
Can. Si quis rapuerit 30. . . . . III. 429.
Can. Mulieres 31. . . . . I. 452.
Can. Monacho 32. . . . . I. 312.
Can. Viduæ, quæ 33. . . . . III. 343.
Can. Vidua quidèm 34. . . II. T. II. 257.
Can. Viduitati 35. . . . . I. 248.
Can. Omnes fæminæ 36. . . . . I. 230.
Can. Sciendum 37. . . . . I. 47.
Can. Viduæ si priusquam 38. . . . I. 48.
Can. Et quia 39. . . . . II. T. II. 30.
Can. Ut lex 40. . . . . II. T. II. 419.
Can. Nuptiarum 41. . . . . III. 343.
Can. De viduis 42. . . . . II. T. I. 362.
Can. Siquis votum 43. . . . . III. 470.

Quæst. 2.

Can. Matrimonium 1. . . . . III. 211.
Can. Sufficiat 2. . . . . II. T. II. 285.
Can. Beata Maria 3. . . . . III. 399.
Can. Omnis res 4. . . . . III. 211.
Can. Cum initiatur 5 . . . . . III. 99.
Can. Conjuges 6. . . . . III. 452.
Can. Quod conditio 7. . . . . I. 197.
Can. Quicunque 8. . . . . I. 197.
Can. Conjux 9. . . . . III. 346.
Can. Omne itaquè 10. . . . . III. 346.
Can. Siquis desponsaverit 11. . . III. 512.
Can. Qui desponsatam 12. II. T. II. 114.
Can. Additur 13. . . . . III. 198.
Can. Siquis uxorem 14. . . II. T. II. 152.
Can. Siquis desponsaverit 15. II. T. I. 169.
Can. Non est dubium 16. . . . . III. 399.
Can. Cum societas 17. . . . II. T. I. 302.
Can. Lex 18. . . . . II. T. I. 469.
Can. Sunt, qui dicunt 19. II. T. II. 116.
Can. Multorum 20. . . . . II. T. II. 60.
Can. Agathosa 21. . . . . II. T. II. 56.
Can. Siquis conjugatus 22. I. 464. III. 53.
Can. Si vir & uxor 23. . . . . I. 452.
Can. Si tu abstines 24. . . . . III. 207.
Can. Quia Agatho 25. . . II. T. II. 67.
Can. Scripsit 26. . . . . II. T. II. 262.
Can. Desponsatam 27. II. T. I. 157. III. . . . . 474.
Can. Decreta 28. . . . . II. T. II. 34.
Can. Quod autèm 29. . . II. T. II. 84.
Can. Qui dormierit 30. . . . . I. 320.
Can. Quidam desponsavit 31. . . I. 481.
Can. Siquis sponsam 32. . . . . I. 481.
Can. Raptor 33. . . . . I. 415.
Can. Statutum 34. . . . . I. 243.
Can. Cum initiatur 35. . . . . III. 121.
Can. In omni 36. . . . . III. 77.
Can. Quapropter 37. . . . . III. 141.
Can. Siquis desponsata 38. . . . III. 118.
Can. Institutum 39. . . . . III. 391.
Can. Genuit 40. . . . . III. 150.
Can. Egressus 41. . . . . III. 132.
Can. Priusquàm 42. . . . . III. 213.
Can. Si enim 43. . . . . III. 213.
Can. Inventa est 44. . . . . III. 20.
Can. Sic quippè 45. . . . . II. T. II. 137.
Can. Desponsatus 46. . . . . I. 36.
Can. Atho 47. . . . . II. T. II. 306.
Can. Raptus 48. . . . . III. 449.
Can. Lex illa 49. . . . . II. T. I. 414.
Can. De conjugali 50. . . . II. T. I. 211.
Can. Duobus modis 51. . . . . III. 352.

CAUSA XXVIII.

Quæst. 1.

Can. Nunquid 1. . . . . II. T. I. 245
Can. Siquis gentilis 2. II. T. I. 144. III. . . . . 474.
Can. Simili modo 3. II. T. I. 144. III. . . . . 474.
Can. Uxor 4. . . . . III. 294.
Can. Idololatria 5. . . . . III. 256.
Can. Non solum 6. . . . III. 12. & 348.
Can. Si infidelis 7. . . . . III. 117.
Can. Jam nùnc 8. . . . . III. 348.
Can. Sic enim 9. . . . . III. 348.
Can. Judæi 10. . . . . I. 220.
Can. Judæorum 11. . . . . I. 220.
Can. Sæpè malorum 12. . . . . I. 221.
Can. Nullus eorum 13. . . . . I. 381.
Can. Omnes 14. . . . . I. 292.
Can. Cave 15. . . . . III. 78.
Can. Non oportet 16. . . . . I. 292.
Can. Siquis judaicæ 17. . . . . I. 307.

Quæst. 2.
Can. Siquis habuerit 1. . . . . I. 442.
Can. Si infidelis 2. . . . . II. T. II. 153.
Quæst. 3.
Can. Oportet 1. . . . . III. 157. & 182.
Can. Acutius 2. . . . . III. 266.

CAUSA XXIX.

Quæst. 1.
Quæst. 2.
Can. Omnibus 1. . . . . II. T. I. 169.
Can. Siquis liber 2. . . . . II. T. II. 185.
Can. Siquis ancillam 3. . . . II. T. I. 169.
Can. Siquis ingenuus 4. . . . . I. 384.
Can. Si fœmina 5. . . . . I. 384.
Can. Cujus rei 6. . . . . II. T. II. 34.
Can. Perlatum 7. . . . . I. 489.
Can. Dictum 8. . . . . I. 424.

CAUSA XXX.

Quæst. 1.
Can. Pervenit 1. . . . . II. T. II. 163.
Can. Siquis filiastrum 2. . . . . I. 384.
Can. Nosse 3. . . . . II. T. II. 291.
Can. Dictum est 4. . . . . I. 426.
Can. De eo 5. . . . . I. 437.
Can. De his, qui 6. . . . . II. T. II. 274.
Can. Ad limina 7. . . . . II. T. II. 309.
Can. Omnes 8. . . . . II. T. I. 427.
Can. Siquis sacerdos 9. . . . II. T. I. 284.
Can. Non debet 10. . . . . II. T. I. 284.
Quæst. 2.
Can. Ubi non est 1. . . . . II. T. II. 302.
Quæst. 3.
Can. Ità diligere 1. . . . . II. T. II. 286.
Can. Pitacium 2. . . . . II. T. II. 187.
Can. Non oportet 3. . . . . II. T. II. 187.
Can. Super quibus 4. . . . . II. T. II. 394.
Can. Pòst susceptum 5. . . II. T. II. 411.
Can. Per adoptionem 6. . . . . III. 429.
Can. Illud etiàm 7. . . . . I. 482.
Quæst. 4.
Can. Sciscitatur 1. . . . . II. T. II. 411.
Can. Si pater 2. . . . . I. 277.
Can. Siquis ex uno 3. . . . . II. T. I. 235.
Can. Qui spiritualem 4. . . . . I. 482.
Can. Pòst uxoris 5. . . . . II. T. II. 411.
Can. Quod autèm 6. . . . II. T. II. 394.
Quæst. 5.
Can. Alitèr 1. . . . . II. T. I. 46.
Can. Nullus fidelis 2. . . . . II. T. I. 433.
Can. Nostrates 3. . . . . II. T. II. 285.
Can. Qualis debeat 4. . . . . II. T. I. 336.
Can. Sponsus 5. . . . . I. 184.
Can. Nullum 6. . . . . I. 48.
Can. Fæminæ 7. . . . . III. 438.
Can. Nec illud 8. . . . . III. 78.
Can. Siquis divinis 9. . . . . III. 429.
Can. Nullum ante 10. . . . . II. T. I. 50.
Can. Judicantem 11. . . . . II. T. I. 87.

CAUSA XXXI.

Quæst. 1.
Can. Nullus ducat 1. . . . . II. T. I. 337.
Can. Deniquè 2. . . . . III. 346.
Can. Illud verò 3. . . . . I. 496.
Can. Relatum 4. . . . . I. 482.
Can. Siquis vivente 5. . . . . I. 490.
Can. Siqua mulier 6. . . . . I. 385.
Can. Siqua fuerit 7. . . . . I. 29.
Can. De his 8. . . . . I. 54.
Can. Hac ratione 9. . . . . III. 211.
Can. Quomodò 10. . . . . III. 164.
Can. Aperiant 11. . . . . III. 183.
Can. Deus 12. . . . . III. 307.
Can. Quod si 13. . . . . III. 265.
Quæst. 2.
Can. Si verum 1. . . . . II. T. II. 407.
Can. Tua sanctitas 2. . . . II. T. I. 430.
Can. De neptis 3. . . . . II. T. II. 394.
Can. Lotharius 4. . . . . II. T. II. 274.
Quæst. 3.
Can. Siqui 1. . . . . I. 29.

CAUSA XXXII.

Quæst. 1.
Can. Sicut crudelis 1. . . . . III. 211.
Can. Dixit Dominus 2. . . . . III. 150.
Can. In conjugio 3. . . . . III. 151.
Can. Siquis uxorem 4. . . . . III. 219.
Can. De Benedicto 5. . . . . II. T. I. 451.
Can. Siquis uxorem 6. . . . . III. 474.
Can. Quod autèm 7. . . . . III. 348.
Can. Non erit 8. . . . . III. 348.
Can. Cum renuntiatur 9. . . . . III. 75.
Can. Apùd misericordem 10. II. T. II. 137.

Can.

Can. Non enim 11. . . . . III. 335.
Can. Nuptiæ 12. . . . . III. 121. & 164.
Can. Integritas 13. . . . . III. 98.
Can. Non est culpandus 14. . . . III. 139.
Quæst. 2.
Can. Pudor 1. . . . . III. 70.
Can. Sicùt non omnis 2. . . . . III. 156.
Can. Quidquid 3. . . . . III. 344.
Can. Connubia 4. . . . . III. 150.
Can. Concubinæ 5. . . . . III. 344.
Can. Solet quæri 6. . . . . III. 344.
Can. Aliquandò 7. . . . . III. 347.
Can. Quod vero 8. . . . . III. 242.
Can. Moyses 9. . . . . III. 268.
Can. Sicuti fæmina 10. . . . . III. 189.
Can. Ancillam 11. . . . . II. T. I. 303.
Can. Non omnis 12. . . . . II. T. I. 302.
Can. Honorantur 13. . . . . III. 78.
Can. Mulier 14. . . . . III. 6. & 243.
Can. Merito 15. . . . . III. 243.
Can. Hoc sanctum 16. . . . . I. 214.
Quæst. 3.
Can. Patrem 1. . . . . II. T. I. 464.
Quæst. 4.
Can. Iste 1. . . . . III. 307.
Can. Recurrat 2. . . . . III. 261.
Can. Dixit Sara 3. . . . . III. 78.
Can. Nemo blandiatur 4. . . . . III. 78.
Can. Origo 5. . . . . III. 164.
Can. Quis ignorat 6. . . . . III. 165.
Can. Objiciuntur 7. . . . . III. 307.
Can. Sicut satius 8. . . . . III. 344.
Can. Dicat aliquis 9. . . . . III. 114.
Can. Sic non sunt 10. . . . . III. 335.
Can. Meretrices 11. . . . . III. 244.
Can. In eo fornicator 12. . . . . III. 154.
Can. Salomon 13. . . . . II. T. II. 131.
Can. Liberorum 14. . . . . III. 512.
Can. Liberi dicti 15. . . . . III. 452.
Quæst. 5.
Can. Tolerabilius 1. . . . . III. 99.
Can. Reverà 2. . . . . III. 100.
Can. Ità ne aliquem 3. . . . . III. 300.
Can. Proposito 4. . . . . III. 300.
Can. Non fidelibus 5. . . . . III. 300.
Can. De pudicitia 6. III. 132. 151. 330. &. . . . . 341.
Can. Ad Deum 7. . . . . III. 388.
Can. Non potest 8. . . . . III. 454.
Can. Magis 9. . . . . III. 381.
Can. Sicut enim 10. . . . . III. 212.
Can. Si Paulus 11. . . . . III. 190.
Can. Nec solo 12. . . . . III. 357.
Can. Qui viderit 13. . . . . II. T. II. 131.
Can. Illæ autèm 14. . . . . II. T. I. 298.
Can. Non mæchaberis 15. . . . . III. 437.
Can. Puto 16. . . . . III. 349.
Can. Horrendus 17. . . . . III. 66.
Can. Si uxorem 18. . . . . III. 257.
Can. Præcepit 19. . . . . III. 182.
Can. Apùd nos 20. . . . . III. 182.
Can. Præceptum 21. . . . . I. 233.
Can. Quidquid 22. . . . . II. T. II. 287.
Can. Christiana 23. . . . . II. T. I. 234.
Quæst. 6.
Can. Nihil iniquius 1. . . . . III. 257.
Can. Si ducturi 2. . . . . III. 282.
Can. Iniquum 3. . . . . III. 382.
Can. Indignantur 4. . . . . III. 349.
Can. Non mæchaberis 5. . . . . III. 269.
Quæst. 7.
Can. Interveniente 1. . . . . III. 344.
Can. Licitè 2. . . . . III. 350.
Can. Apostolus 3. . . . . III. 266.
Can. Fieri potest 4. . . . . III. 257.
Can. Placuit 5. . . . . I. 204.
Can. Dominus 6. . . . . III. 257.
Can. Omnes 7. . . . . III. 174.
Can. Fidelis 8. . . . . I. 29.
Can. Siquis fuerit 9. . . . . I. 353.
Can. Quemadmodùm 10. . . . . III. 350.
Can. Adulterii 11. . . . . III. 344. & 350.
Can. Offerebat 12. . . . . III. 80.
Can. Flagitia 13. . . . . III. 391.
Can. Usus 14. . . . . III. 345.
Can. Non solùm 15. . . . . III. 444.
Can. Quid in omnibus 16. . II. T. I. 15.
Can. Uxor à viro 17. . . . . III. 73.
Can. Quod proposuisti 18. II. T. II. 176.
Can. Quædam 19. . . . . I. 400.
Can. Siquis viduam 20. . . . . I. 437.
Can. Qui dormierit 21. . . . . I. 438.
Can. Hi verò 22. . . . . II. T. II. 154.
Can. Concubuisti 23. . . . II. T. II. 186.
Can. Siquis cum noverca 24. . . . I. 491.
Can. Hi, qui matrimonium 25. II. T. II. . . . . 257.
Can. Neque furiosus 26. . . II. T. I. 120.
Can. Tantum 27. . . . . III. 345.
Can. Usque adeò 28. . . . . III. 346.

Quæst. 8.

Can. Non solum 1. . . . . III. 350.

CAUSA XXXIII.

Quæst. 1.

Can. Quod autèm 1. . . . II. T. II. 21.
Can. Requisisti 2. . . . . II. T. II. 21.
Can. Siquis accepit 3. . . . . I. 399.
Can. Si per sortiarias 4. . . . . III. 494.

Quæst. 2.

Can. Sæculares 1. . . . . I. (*) 195.
Can. An quod 2. . . . . III. 71.
Can. Historia 3. . . . . II. T. II. 263.
Can. Sive de conjugii 4. . . II. T. II. 262.
Can. Interfectores 5. . . . II. T. II. 274.
Can. Inter hæc 6. II. T. II. 256. & 257.
Can. Quicunque 7. . . . . II. T. I. 79.
Can. Admonere 8. . . . . II. T. II. 327.
Can. Si quod verius 9. . . . . III. 350.
Can. Placuit 10. . . . . I. 211.
Can. Hoc ipsum 11. . . . . III. 454.
Can. De his verò 12. . . . . II. T. I. 212.
Can. Audivimus 13. . . . . II. T. I. 333.
Can. In adolescentia 14. . . II. T. I. 306.
Can. Latorem 15. . . . . II. T. II. 296.
Can. Siquis cum duabus 16. . . . I. 458.
Can. Siquis cum matre 17. . . . . I. 458.
Can. Quos Deus 18. . . . . III. 462.
Can. Antiqui 19. . . . . I. 223.

Quæst. 3.

De Pœnitentia.

DIST. I.

Can. Petrus 1. . . . . III. 71.
Can. Lacrhymæ 2. . . . . III. 71.
Can. Sacrificium 3. . . . . III. 7.
Can. Dixi 4. . . . . III. 7.
Can. Magna pietas 5. . . . . III. 247.
Can. Siquis non dicam 6. . . . . III. 429.
Can. Nemo 7. . . . . III. 429.
Can. Quicunque 8. . . . . III. 429.
Can. Quisquis 9. . . . . III. 429.
Can. Siquis necandi 10. . . . . III. 429.
Can. Si fortè 11. . . . . III. 429.
Can. Siquis tam fæminam 12. . . III. 430.
Can. Siquis pulsatus 13. . . . . III. 430.
Can. Cogitationis 14. . . . . III. 430.
Can. Sollicitatores 15. . . . . III. 430.
Can. Vulgaris 16. . . . . III. 430.
Can. Hæc autèm 17. . . . . III. 430.
Can. Pœnæ 18. . . . . III. 431.
Can. Aut facta 19. . . . . III. 431.
Can. Cogitatio 20. . . . . III. 512.
Can. Divortium 21. . . . . III. 431.
Can. Siquis iratus 22. . . . . III. 513.
Can. Perniciose 23. . . . III. 261. & 399.
Can. Homicidiorum 24. . . II. T. I. 16.
Can. Omnis 25. . . . . III. 136.
Can. Nunquid 26. . . . . III. 34.
Can. Noli putare 27. . . . . III. 261.
Can. Homicidium 28. . . . . III. 307.
Can. Si propterea 29. . . . . III. 283.
Can. Si cui etiàm 30. . . . . III. 330.
Can. Porrò illi 31. . . . . III. 405.
Can. Facilius 32. . . . . III. 405.
Can. Scindite 33. . . . . III. 8.
Can. Convertimini 34. . . . . III. 8.
Can. Resuscitatus 35. . . . . III. 250.
Can. Qui natus 36. . . . . III. 10.
Can. Omnis 37. . . . . III. 10.
Can. Non potest 38. . . . . III. 98.
Can. Ecce nùnc 39. . . . . III. 109.
Can. Perfecta 40. . . . . III. 217.
Can. Non potest 41. . . III. 219. & 220.
Can. Nullus debitæ 42. . . . . III. 341.
Can. Neminem 43. . . . . III. 390.
Can. Agite 44. . . . . III. 283.
Can. Et venit 45. . . . . III. 132.
Can. Sed continuò 46. . . . . III. 101.
Can. Serpens 47. . . . . III. 98. & 101.
Can. Libenter 48. . . . . III. 102.
Can. Multiplex 49. . . . . II. T. I. 328.
Can. Nemo potest 50. . . . . III. 102.
Can. Verbum 51. . . . . III. 75. & 102.
Can. Potest fieri 52. . . . . III. 102.
Can. Quantuslibet 53. . . . . III. 103.
Can. Jus potestatis 54. . . . . III. 103.
Can. Nonnulli 55. . . . . III. 103.
Can. Sunt, qui 56. . . . . III. 103.
Can. Miror 57. . . . . III. 24.
Can. Importuna 58. . . . . III. 174.
Can. Si sacerdos 59. . . . III. 104. & 175.
Can. Voluissent 60. . . . . II. T. II. 143.
Can. Sufficit 61. . . . . II. T. I. 308.
Can. Pœnitentia 62. . . . . II. T. I. 305.
Can. Non sufficit 63. . . . . III. 283.

Can.

(*) In corp. & marg. legatur can. 1. caus. 33. quæst. 2.

Can. Novit 64. . . . . III. 71.
Can. Aliud quidèm 65. . . II. T. I. 305.
Can. Qui sanctus 66. . . . . III. 140.
Can. Si agamus 67. . . . . III. 141.
Can. Quamobrèm 68. . . . . III. 138.
Can. Vide 69. . . . . III. 200.
Can. Ecclesia 70. . . . . III. 156.
Can. Supèr tribus 71. . . . . III. 141.
Can. Secunda 72. . . . . III. 184.
Can. Quia divinitatis 73. . . . . III. 201.
Can. Ne fortè 74. . . . . III. 140.
Can. Prædixerat 75. . . . . III. 138.
Can. Medicina 76. . . . . III. 84. & 114.
Can. Medicamentum 77. . . . . III. 216.
Can. Deus 78. . . . . III. 104.
Can. Fleat 79. . . . . III. 104.
Can. Adam 80. . . . . III. 104.
Can. Tres sunt 81. . . . . III. 283.
Can. Si peccatum 82. . . . . II. T. II. 131.
Can. Sicut primi 83. . . . . III. 320.
Can. In actione 84. . . . . III. 283. & 374.
Can. Judicet 85. . . . . III. 274.
Can. Mensuram 86. . . . . III. 201.
Can. Quis aliquandò 87. . . . . III. 212.
Can. Quem pœnitet 88. . . . . III. 354.
Can. Quamvis 89. . . . . II. T. I. 308.
Can. Quidam Deo 90. . . . . III. 475.

DIST. II.

Can. Siquis semèl 1. . . I. 464. III. 53.
Can. Charitas 2. . . . . III. 378.
Can. Radicata 3. . . . . III. 261.
Can. Valida est 4. . . . . II. T. II. 131.
Can. Charitas est 5. . . . . III. 406.
Can. Quærendum 6. . . . . III. 482.
Can. Charitas 7. . . . . III. 9.
Can. Unctio 8. . . . . III. 261.
Can. Pennata 9. . . . . II. T. II. 134.
Can. Non revertebantur 10. II. T. II. 134.
Can. Potest discursus 11. . II. T. II. 134.
Can. Ficta charitas 12. . . . . III. 73.
Can. Quia radix 13. . . . . III. 283.
Can. Charitas est 14. . . . . III. 399.
Can. Cum sanctam 15. . . II. T. II. 134.
Can. Qui vult 16. . . . . III. 261. & 332.
Can. Sicùt seta 17. . . . . III. 261.
Can. Fortè nata 18. . . . . III. 261.
Can. Charitas in quibusdam 19. III. 376.
Can. Si sermo 20. . . . . III. 284.
Can. Sicut tribus 21. . . . . III. 257.
Can. Sciendum 22. . . . . II. T. II. 132.
Can. Inter hoc 23. . . . . II. T. II. 132.
Can. Super tribus 24. . . . . III. 141.
Can. Firmum Dei 25. . . . . III. 334.
Can. Nullus eorum 26. . . . . III. 334.
Can. Talibus 27. . . . . III. 334.
Can. Circumcisio 28. . . . . III. 9.
Can. Non est 29. . . . . III. 9.
Can. Tolle 30. . . . . III. 399.
Can. Quomodò 31. . . . . III. 240.
Can. Princeps 32. . . . . III. 284.
Can. Quandò 33. . . . . III. 119.
Can. Primus 34. . . . . III. 118.
Can. Illa anima 35. . . . . III. 67.
Can. Similem 36. . . . . III. 96.
Can. Sapiens 37. . . . . III. 81.
Can. Sed nec Adam 38. . . . . III. 80.
Can. Ut cognoverunt 39. . III. 80. & 98.
Can. Si enim 40. . . . . III. 165.
Can. Apostolus 41. . . . . III. 334.
Can. Mirandum 42. . . . . III. 335.
Can. Multi benè 43. . . . . II. T. II. 132.
Can. Citius ad hoc 44. . . II. T. II. 132.
Can. Principium 45. . . . II. T. II. 132.

DIST. III.

Can. Pœnitentia 1. . . . . III. 109.
Can. Reperiuntur 2. . . . . III. 104.
Can. Satisfactio 3. . . . . III. 289.
Can. Pœnitentia 4. . . . . III. 355.
Can. Si Apostolus 5. . . . . III. 355.
Can. Pœnitentiam 6. II. T. II. 116. & 137.
Can. Productior 7. . . . . III. 262.
Can. Perfecta 8. . . . . III. 217.
Can. Ille pœnitentiam 9. . . . . III. 445.
Can. Pœnitentes 10. . . . . III. 284.
Can. Irrisor 11. . . . . III. 445.
Can. Inanis 12. . . . . III. 453.
Can. Qui admissa 13. . . . . II. T. II. 140.
Can. Qui admissa 14. . . . II. T. II. 140.
Can. Lavamini 15. . . . . II. T. II. 140.
Can. Baptizatur 16. . . . . II. T. II. 140.
Can. Incassum 17. . . . . II. T. II. 132.
Can. Sanè 18. . . . . III. 292.
Can. Qui vult 19. . . . . III. 292.
Can. De quotidianis 20. . . . . III. 292.
Can. Nihil prodest 21. . . . . II. T. I. 74.
Can. Quamvis cautè 22. . . . . III. 379.
Can. Septies 23. . . . . III. 189.
Can. Totam 24. . . . . III. 189.
Can. Ille Rex 25. . . . . III. 84.
Can. Illud verò 26. . . . . III. 85.

Can. Achab 27. . . . . III. 189.
Can. Talis 28. . . . . III. 206.
Can. Sicùt Achab 29. . . . II. T. II. 135.
Can. Sicùt ait 30. . . . . III. 143.
Can. Naum 31. . . . . III. 145.
Can. Adhùc instant 32. . . . . III. 355.
Can. In tantum 33. . . . . III. 380.
Can. Inter hæc 34. . . . . III. 18. & 431.
Can. Inter hæc 35. . . . . III. 431.
Can. Judas 36. . . . . III. 216.
Can. In salicibus 37. . . . . III. 105.
Can. Nihil Judæ 38. . . . . III. 150.
Can. Sceleratior 39. . . . . II. T. I. 294.
Can. Pluit 40. . . . . II. T. II. 135.
Can. Prima 41. . . . . III. 67.
Can. Sunt plures 42. . . . . III. 355.
Can. Ignis 43. . . . . III. 245.
Can. Quærat 44. . . . . III. 145.
Can. Pium est 45. . . . . III. 355.
Can. Si quandò 46. . . . . III. 146.
Can. Cavendum 47. . . . . II. T. II. 138.
Can. Quid ergò 48. . . . . III. 218.
Can. Siquis autèm 49. . . III. 105. & 352.

DIST. IV.

Can. Si Judas 1. . . . . III. 253. & 493.
Can. Constat 2. . . . . II. T. II. 143.
Can. Dixit Dominus 3. . . . . III. 285.
Can. Qui divini 4. . . . . III. 285.
Can. Revertar 5. . . . . III. 481.
Can. Quæcunque 6. . . . . III. 481.
Can. Peccatum 7. . . . . III. 245.
Can. Si ex bono 8. . . . . III. 335.
Can. Benedictus 9. . . . . III. 10.
Can. Novit 10. . . . . III. 399.
Can. In domo 11. . . . . III. 262.
Can. Hanc societatem 12. . . . . III. 513.
Can. Quid est 13. . . . . II. T. II. 132.
Can. Qui recedit 14. . . . . III. 402.
Can. Si averterit 15. . . . . III. 7.
Can. Hoc nobis 16. . . . . II. T. II. 135.
Can. De pertuso 17. . . . . II. T. II. 135.
Can. Si refugientes 18. . . . . III. 10.
Can. Intermittentes 19. . . . . III. 9.
Can. Væ iis 20. . . . . III. 8.
Can. Ne fortè 21. . . . . III. 8.
Can. Cum ità 22. . . . . III. 140.
Can. Hæretici 23. . . . . III. 140.
Can. Divina 24. . . . . II. T. I. 383.

DIST. V.

Can. Consideret 1. . . . . III. 355.
Can. Qualitas 2. . . . . II. T. I. 305.
Can. Contrarium 3. . . . . II. T. I. 305.
Can. Siqui verò 4. . . . . I. 102.
Can. De his 5. . . . . I. 312.
Can. Falsas 6. . . . . II. T. II. 365.
Can. Negotium 7. . . . . II. T. II. 138.
Can. Fratres 8. . . . . II. T. II. 423.

DIST. VI.

Can. Qui vult 1. . . . . III. 354.
Can. Sacerdos 2. . . . . II. T. II. 155.
Can. Placuit 3. . . . . II. T. II. 399.

DIST. VII.

Can. Nemo 1. . . . . II. T. I. 304.
Can. Siquis positus 2. . . . . III. 285.
Can. Qui egerit 3. . . . . III. 285.
Can. Siquis autèm 4. . . . . III. 285.
Can. Idcircò 5. . . . . III. 24.
Can. Nullus expectet 6. . . . . III. 355.

Quæst. 4.

Can. Sciatis 1. . . . . III. 202.
Can. Quotiescumquè 2. . . . . III. 286.
Can. Fratres 3. . . . . III. 114.
Can. Si causa 4. . . . . III. 73.
Can. Christiano 5. . . . . III. 267.
Can. Qui in castigatione 6. . . . . III. 219.
Can. Vir cum propria 7. . II. T. II. 105.
Can. Non oportet 8. . . . . I. 144.
Can. Non licet 9. . . . . I. 354.
Can. Non oportet 10. . . . . I. 304.
Can. Nec uxorem 11. . . . II. T. II. 287.
Can. Apostolus 12. . . . . III. 351.
Can. Pœnitentiam 13. . . . . I. 45.

Quæst. 5.

Can. Si dicat 1. . . . . III. 253.
Can. Notificasti 2. . . . . II. T. II. 352.
Can. Mulier 3. . . . . I. 400.
Can. Quod Deo 4. . . . . III. 370.
Can. Secundum 5. . . . . III. 370.
Can. Una sola 6. . . . . III. 360.
Can. Tunc salvabitur 7. . . . . III. 166.
Can. Hoc solum 8. . . . . III. 166.
Can. Qui sitit 9. . . . . III. 166.
Can. Qui uxorem 10. . . . . I. 364.
Can. Manifestum 11. . . . . III. 244.
Can. Est ordo 12. . . . . III. 242.
Can. Hæc imago 13. . . . . III. 268.
Can. Satis hinc 14. . . . . III. 245.
Can. Cum caput 15. . . . . III. 162.
Can. Noluit 16. . . . . III. 244.
Can. Mulierem 17. . . . . III. 268.

Can.

Can. Adam 18. . . . . III. 66.
Can. Mulier debet 19. . . . . III. 74.
Can. Nec illud 20. . . . . III. 98.

CAUSA XXXIV.

Quæst. 1. & 2.

Can. Cum per bellicam 1. II. T. I. 314.
Can. Cum in captivitate 2. . II. T. I. 241.
Can. Non satis 3. . . . . III. 174.
Can. Siquis necessitate 4. . . . . I. 385.
Can. Si virgo 5. . . . . III. 294.
Can. In lectum 6. . . . . I. 492.
Can. Ego dixi 7. . . . . III. 12.
Can. Siquis cum duabus 8. . . . . I. 493.
Can. Si quis 9. . . . . I. 493.
Can. Quidam 10. . . . . I. 492.

CAUSA XXXV.

Quæst. 1.

Can. Cum igitur 1. . . . . III. 301.

Quæst. 2. & 3.

Can. De affinitate 1. I. 444. & II. T. II. . . . . 126.
Can. Conjunctiones 2. . . . . II. T. I. 99.
Can. De propinquis 3. II. T. I. 119. III. . . . . 476.
Can. Qui propinquam 4. . . II. T. I. 119.
Can. Siquis cum matre 5. . . . . I. 385.
Can. Si homo 6. . . . . I. 386.
Can. Nullum 7. . . . . II. T. I. 170.
Can. De incestis 8. . . . . I. 292.
Can. De his 9. . . . . I. 305.
Can. Nec eam 10. . . . . II. T. II. 54.
Can. Extraordinaria 11. . . II. T. II. 388.
Can. Et hoc 12. . . . . II. T. I. 171.
Can. Æqualitèr 13. II. T. I. 171. III. 476.
Can. Sanè 14. . . . . III. 462.
Can. Si vir & uxor 15. . . . . III. 307.
Can. Progeniem 16. . . . . II. T. II. 97.
Can. De consanguinit. 17. II. T. II. 339. & . . . . . 355.
Can. In copulatione 18. . . . . I. 458.
Can. Nulli 19. . . . . I. 416.
Can. Quædam 20. . . . . II. T. II. 113.
Can. Contradicimus 21. . . . . I. 427.
Can. Porrò 22. . . . . II. T. II. 411.

Quæst. 4.

Can. Consanguitas 1. . . . . III. 452.

Quæst. 5.

Can. Series 1. . . . . III. 463.
Can. Ad sedem 2. . . . . II. T. II. 347.
Can. Porrò 3. . . . . II. T. II. 155.
Can. Parentelæ 4. . . . . II. T. II. (*) 186.
Can. Quod autèm 5. . . . II. T. II. 357.
Can. Primo gradu 6. . . . . III. 463.

Quæst. 6.

Can. Consanguineos 1. . . . II. T. I. 119.
Can. Videtur 2. . . . . II. T. I. 280.
Can. Notificamus 3. . . . . II. T. II. 393.
Can. Si duo 4. . . . . I. 500.
Can. De parentela 5. . . . . III. 504.
Can. Illud 6. . . . . III. 504.
Can. Episcopus 7. . . . . II. T. I. 144.
Can. De parentela 8. . . . II. T. II. 425.
Can. Ab isto die 9. . . . . III. 513.
Can. Multorum 10. . . . . II. T. II. 351.
Can. Ab isto die 11. . . . . III. 513.

Quæst. 7.

Can. Quid est 1. . . . . III. 243.

Quæst. 8.

Can. De gradibus 1. . . . . II. T. II. 121.
Can. Hæc salubritèr 2. . . II. T. II. 54.
Can. Incestuosi 3. . . . . I. 320.

Quæst. 9.

Can. Omnibus 1. . . . . II. T. II. 156.
Can. Loci nostri 2. . . . . II. T. II. 328.
Can. Quod quis 3. . . . . II. T. I. 340.
Can. Apostolicæ 4. . . . . II. T. II. 156.
Can. Veniam 5. . . . . II. T. I. 248.
Can. Sententiam 6. . . . . II. T. II. 282.
Can. Grave 7. . . . . II. T. I. 240.
Can. Gregorius 8. II. T. II. 230. III. 500.
Can. Sicùt ergò 9. . . . . III. 513.

Quæst. 10.

Can. Fraternitatis 1. . . . . II. T. II. 85.
Can. Si cujus 2. . . . . II. T. I. 259.
Can. Siqua mulier 3. . . . . I. 510.
Can. Siqua mulier 4. . . . . II. T. I. 69.
Can. Siqua mulier 5. . . . . II. T. I. 259.

CAUSA XXXVI.

Quæst. 1.

Can. Raptus 1. . . . . III. 449.
Can. Lex illa 2. . . . . II. T. I. 414.

(*) In marg. & corp. legat. 1 can. 4. caus. 35. quæst. 5.

Can. De raptoribus 3. . . . . I. 312.
Quæst. 2.
Can. Eos, qui 1. . . . . I. 277.
Can. Raptores 2. . . . . II. T. I. 427.
Can. Si quis non dicam 3. . . . . III. 429.
Can. Puellis 4. . . . . I. 428.
Can. Si quis virginem 5. . II. T. II. 175.
Can. Nullus 6. . . . . I. 326.
Can. Apud 7. . . . . II. T. II. 138.
Can. Tria 8. . . . . III. 198.
Can. Deniquè 9. . . . . III. 85.
Can. Si autèm 10. . . . . I. 442.
Can. Placuit 11. . . . . I. 418.

DECRETI PARS III.

DE CONSECRATIONE.

DIST. I.

CAN. Consecrationem 1. II. T. I. 439.
Can. Tabernaculum 2. II. T. I. 439.
Can. Omnes basilicæ 3. . . II. T. I. 69.
Can. De locorum 4. . . . . II. T. I. 358.
Can. Præcepta 5. . . . . II. T. I. 415.
Can. Basilicas 6. . . II. T. I. 358. & 360.
Can. Certum est 7. . . . . II. T. I. 385.
Can. Ecclesia 8. . . . . II. T. II. 294.
Can. Nemo 9. . . . . I. 320.
Can. Si quis basilicam 10. . . . . I. 333.
Can. Sicùt non alii 11. . . . II. T. I. 439.
Can. Missarum 12. . . . . I. 494.
Can. Ecclesias 13. . . . . II. T. I. 18.
Can. Hic ergò 14. . . . . II. T. I. 22.
Can. Nullus 15. . . . . I. 61.
Can. Solemnitates 16. . . . II. T. I. 439.
Can. Solemnitates 17. . . . II. T. II. 157.
Can. Ecclesiæ 18. . . . . I. 443.
Can. Si motum 19. . . . . II. T. I. 70.
Can. Ecclesiis 20. . . . . I. 87.
Can. Ecclesias 21. . . . . II. T. I. 435.
Can. Arianorum 22. . . . II. T. II. 143.
Can. Agapitus 23. . . . . II. T. II. 158.
Can. De fabrica 24. . . . . II. T. I. 444.
Can. Nullus 25. . . . . II. T. I. 433.
Can. Placuit 26. . . . . I. 190.
Can. Ecclesiam 27. . . . I. 321. III. 477.
Can. Ecclesiam 28. . . . I. 467. III. 477.
Can. Non oportet 29. . . . . I. 354.
Can. Concedimus 30. . . . . I. 494.
Can. Altaria 31. . . . . I. 299.
Can. Altaria 32. . . . . I. 292.
Can. Unicuique 33. . . . . III. 513.
Can. Clericos 34. . . . . I. 381.
Can. Si quis etiàm 35. . . . . I. 293.
Can. Tribus 36. . . . . III. 399.
Can. Corpora 37. . . . . I. 432.
Can. Ligna 38. . . . . II. T. I. 71.
Can. Altaris 39. . . . . II. T. I. 18.
Can. Nemo 40. . . . . II. T. I. 18.
Can. In sancta 41. . . . . II. T. I. 61.
Can. Vestimenta 42. . . . . II. T. I. 128.
Can. Ad nuptiarum 43. . . I. 306. & 321.
Can. Vasa 44. . . . . I. 482.
Can. Ut calix 45. . . . . I. 366.
Can. Consulto 46. . . I. 61. II. T. I. 157.
Can. Jacobus 47. . . . . I. 381.
Can. Nocte 48. . . . . II. T. I. 65.
Can. Sacramenta 49. . . . . I. 174.
Can. Solent 50. . . . . I. 428.
Can. Necesse est 51. . . . . II. T. I. 319.
Can. Et hoc 52. . . . . III. 400.
Can. Sufficit 53. . . . . II. T. II. 357.
Can. De hymnis 54. . . . . I. 221.
Can. Hi duo 55. . . . . II. T. II. 334.
Can. Porrò 56. . . . . II. T. II. 274.
Can. Nullus Episcopus 57. II. T. II. 185.
Can. Ut illud 58. . . . . II. T. I. 85.
Can. Episcopus 59. . . . . II. T. I. 39.
Can. Jubemus 60. . . . . II. T. I. 124.
Can. Hoc quoquè 61. . . . II. T. I. 85.
Can. Omnes 62. . . . . I. 20.
Can. Sacerdote 63. . . . . I. 184.
Can. Missas 64. . . . . I. 293.
Can. Cùm ad celebrandas 65. . . . I. 314.
Can. Qui die 66. . . . . I. 184.
Can. Episcopus 67. . . . . I. 184.
Can. Apostolica 68. . . . . II. T. I. 214.
Can. Omnis 69. . . . . II. T. II. 366.
Can. Quandò autèm 70. . . . . III. 35.
Can. Invenimus 71. . . . . II. T. I. 477.

Can. Visum 72. . . . . I. 426.
Can. De nominibus 73. . . II. T. I. 225.
DIS T. II.
Can. In Sacramentorum 1. . II. T. I. 55.
Can. Sic in sanctificando 2. . . . III. 24.
Can. Scriptura dicit 3. . . . . III. 24.
Can. Non oportet 4. . . . . I. 355.
Can. In sacramento 5. . . . . I. 178.
Can. Didicimus 6. . . . . I. 381.
Can. Cum omne 7. . . . . II. T. I. 175.
Can. Nihil 8. . . . . II. T. I. 55.
Can. Pacem 9. . . . . II. T. I. 222.
Can. Peracta 10. . . . . II. T. I. (*) 31.
Can. Relatum 11. . . . . I. 233.
Can. Comperimus 12. . . . II. T. I. 391.
Can. Quotidiè 13. . . . . III. 289. & 374.
Can. Si quotiescumquè 14. . . . III. 86.
Can. Si non sunt 15. . . . . III. 41.
Can. Etsi 16. . . . . II. T. I. 120.
Can. In cœna 17. . . . . II. T. I. 85.
Can. Si quis intrat 18. . . . . I. 355.
Can. Sæculares 19. . . . . I. 293.
Can. Hi, qui 20. . . . . I. 211.
Can. Omnis homo 21. . . . . I. 31.
Can. Triforme 22. . . . . II. T. II. 169.
Can. Tribus gradibus 23. . . II. T. I. 19.
Can. Qui sceleratè 24. . . . . III. 445.
Can. Timorem 25. . . . I. 465. III. 54.
Can. Et dixit 26. . . . . III. 244.
Can. Si per negligentiam 27. II. T. I. 79.
Can. Si per ebrietatem 28. . . . . III. 484.
Can. Pervenit 29. . . . . I. 366.
Can. Sacerdotum 30. I. 453. II. T. I. 25.
Can. Institutio 31. . . . . I. 300.
Can. Sacrificium 32. . . . . III. 301.
Can. Signum 33. . . . . III. 288.
Can. Species 34. . . . . II. T. II. 138.
Can. Quia corpus 35. . . . . III. 39.
Can. Quia passus 36. . . . . III. 400.
Can. Cum frangitur 37. . . . . III. 337.
Can. In quibus 38. II. T. I. 324. & III. . . . . 71.
Can. Panis 39. . . . . III. 91.
Can. Antè benedictionem 40. III. 86. & 91.
Can. Nos autèm 41. . . . . III. 338.
Can. Ego Berengarius 42. . II. T. II. 375.
Can. Fortè dicas 43. . . . . III. 86. & 96.
Can. Prima 44. . . . . III. 249.
Can. Non hoc 45. . . . . III. 377.
Can. Quid est 46. . . . . III. 286.
Can. Ut quid 47. . . . . III. 262. & 400.
Can. Hoc est 48. . . . . III. 338.
Can. Dupliciter 49. . . . . III. 156.
Can. Quia morte 50. . . . . III. 74.
Can. Semèl 51. . . . . III. 246.
Can. Semèl immolatus 52. . . . III. 338.
Can. In Christo 53. . . . . III. 74.
Can. Liquido 54. . . . . III. 374.
Can. Panis est 55. . . . . III. 87.
Can. Non iste 56. . . . . III. 87.
Can. Christus 57. . . . . III. 377.
Can. Qui manducant 58. . . . . III. 287.
Can. Credere 59. . . . . III. 262.
Can. Corpus 60. . . . . III. 303.
Can. Non omnis 61. . . . . III. 400.
Can. Commendavit 62. . . . . III. 400.
Can. Hoc Sacramentum 63. . . . III. 262.
Can. Panem 64. . . . . III. 262.
Can. Qui discordat 65. . . . . III. 339.
Can. Et sancta 66. . . . . III. 263.
Can. Non prohibeat 67. . III. 249. & 400.
Can. Sicùt Judas 68. . . . . III. 314.
Can. Reverà 69. . . . . III. 91.
Can. Invitat 70. . . . . III. 287.
Can. Iteratur 71. . . . . III. 496.
Can. Utrùm 72. . . . . III. 400. & 496.
Can. Quid sit 73. II. T. II. 138. & 143.
Can. Omnia 74. . . . . III. 121.
Can. Qui manducat 75. . . . . III. 287.
Can. De hac 76. . . . . III. 134.
Can. Singuli 77. . . . . III. 168.
Can. Ubi pars 78. . . . . III. 42.
Can. Corpus 79. . . . . III. 42.
Can. Necessario 80. . . . . I. 245.
Can. Inquit 81. . . . . III. 263.
Can. In Christo 82. . . . . III. 40.
Can. In Calicem 83. . . . . III. 87.
Can. Sicùt verus 84. . . . . III. 86.
Can. In illo 85. . . . . III. 91.
Can. Si credas 86. . . . . III. 76.
Can. Nec Moyses 87. . . . . III. 514.
Can. Accipite 88. . . . . III. 150.
Can. Sacerdos 89. . . . . III. 167.
Can. Tùnc eis 90. . . . . III. 287.
Can. Corporeum 91. . . . . III. 117.
Can. Accesserunt 92. . . . . III. 247.
Can. Presbyter 93. . . . . I. 458.
Can. Qui benè 94. . . . . I. 49. III. 477.

(*) In margine legatur can. 10. dist. 1.

Can. Pro dilectione 95. . . . . III. 27.
Can. Scenicis 96. . . . . I. 175.
Can. In altari 97. . . . . I. 357.

DIST. III.

Can. Pronuntiandum 1. . . . . I. 417.
Can. Irreligiosa 2. . . . . I. 214.
Can. Rogationes 3. . . . . I. 314.
Can. Episcopus 4. . . . . I. 314.
Can. Nulli civium 5. . . . . I. 314.
Can. Sacerdotibus 6. . . . . I. 315.
Can. Non licet 7. . . . . I. 355.
Can. Non oportet 8. . . . . I. 144.
Can. Placuit 9. . . . . I. 293.
Can. Quoniàm 10. . . . . I. 103.
Can. De esu 11. . . . . II. T. II. 246.
Can. Pervenit 12. . . . . II. T. II. 18.
Can. Sabbatho 13. . . . . II. T. I. 226.
Can. Jejunium 14. . . . . II. T. I. 158.
Can. Nequis jejunet 15. . . . . I. 152.
Can. Jejunia 16. . . . . III. 13.
Can. De pœnitentibus 17. . II. T. I. 227.
Can. Literis 18. . . . . II. T. I. 114.
Can. Crucis 19. . . . . II. T. I. 156.
Can. Aquam 20. . . . . II. T. I. 55.
Can. Nosse 21. . . . . II. T. I. 73.
Can. Celebritatem 22. . . . II. T. I. 90.
Can. Paschæ 23. . . . . I. 184.
Can. Placuit 24. . . . . I. 190.
Can. Placuit 25. . . . . I. 333.
Can. De observatione 26. . . . . I. 41.
Can. Perlatum 27. . . . . II. T. II. 92.
Can. Venerabiles 28. . . . . I. 399.
Can. Sextam 29. . . . . II. T. II. 211.
Can. Omnes 30. . . . . III. 303.

DIST. IV.

Can. Necessarium 1. . . . . III. 263.
Can. Per Baptismum 2. . . . . III. 320.
Can. Firmissimè 3. . . . . III. 382.
Can. Non potest 4. . . . III. 219. & 220.
Can. Quod autèm 5. . . . II. T. II. 133.
Can. Ex quo 6. . . . . III. 347.
Can. Illud perscrutari 7. . . . . III. 332.
Can. Filius Dei 8. . . . . III. 320.
Can. Aquam 9. . . . . III. 87.
Can. Nunquàm 10. . . . . III. 221.
Can. Non ratione 11. . . . . II. T. I. 213.
Can. Duo tempora 12. . . . II. T. I. 320.
Can. Propriè 13. . . . . II. T. I. 320.
Can. Si quis autèm 14. . . . II. T. I. 321.
Can. De Catechumenis 15. . . . . I. 300.
Can. Siquis necessitate 16. II. T. I. 321.
Can. Venerabilis 17. . . . . II. T. I. 373.
Can. Baptizandi 18. . . . . II. T. I. 360.
Can. Constat 19. . . . . III. 439.
Can. Mulier 20. . . . . I. 184.
Can. In necessitate 21. . . . . III. 373.
Can. Quicunque 22. . . . II. T. II. 167.
Can. Romanus 23. . . . . III. 458.
Can. A quodam 24. . . . . II. T. II. 287.
Can. Si intèr 25. . . . . III. 320.
Can. Baptismus 26. . . . . III. 263.
Can. Cum baptizat 27. . . . . III. 264.
Can. Si qui apùd 28. . . . . III. 290.
Can. Quamvis 29. . . . . III. 339.
Can. Si reverà 30. . . . . II. T. I. 457.
Can. Solet etiàm 31. . . . . III. 314.
Can. Ostenditur 32. . . . . III. 314.
Can. Non illud 33. . . . . III. 366.
Can. Baptismi 34. . . . . III. 315.
Can. Sic quicquid 35. . . . . III. 336.
Can. Sanctum est 36. . . . . III. 373.
Can. Cathecumenum 37. . . . . III. 373.
Can. Hi, de quibus 38. . . II. T. I. 307.
Can. Aliud est 39. . . . . III. 264.
Can. Nullus autèm 40. . . . . III. 315.
Can. Quomodò 41. . . . . III. 316.
Can. Tunc valere 42. . . . . III. 317.
Can. Non in vobis 43. . . . . III. 319.
Can. Ab antiqua 44. . . . . II. T. II. 112.
Can. Ecclesia 45. . . . . III. 317.
Can. Nunc autèm 46. . . . . III. 317.
Can. Cum tantum 47. . . . . III. 317.
Can. Satis ostendimus 48. . . . . III. 317.
Can. Est unitas 49. . . . . III. 319.
Can. Non est aqua 50. . . . . III. 317.
Can. Sive hæreticus 51. . . . . III. 482.
Can. Quos à paganis 52. . II. T. II. 181.
Can. Sive parvuli 53. . . . II. T. I. 277.
Can. Antè baptismum 54. . . . . III. 489.
Can. Antè viginti 55. . . . . I. 334.
Can. Symbolum 56. . . . . I. 294.
Can. Catechismus 57. . . . II. T. II. 302.
Can. Baptizandos 58. . . . . I. 145.
Can. Non liceat 59. . . . . I. (*) 355.
Can. Baptizandi 60. . . . . I. 184.
Can. Postquàm 61. . . . . III. 490.
Can. Sicùt nostis 62. . . . . III. 295.
Can. Posteà signatur 63. . . . . III. 490.

Can.

*) In corpore & marg. legatur can. 59. de cons. dist. 4.

Can. Ex hinc 64. . . . . III. 490.
Can. Sal cœlestis 65. . . . . III. 480.
Can. Dehinc 66. . . . . III. 490.
Can. Sacerdotes 67. . . . . II. T. II. 137.
Can. Posteà tanguntur 68. . . . . III. 490.
Can. Propter gloriam 69. . . . . III. 87.
Can. Deindè 70. . . . . III. 490.
Can. Venit 71. . . . . III. 87.
Can. Si non sanctificatur 72. . . . III. 317.
Can. Prima igitùr 73. . . . . III. 295.
Can. Parvuli 74. . . . . III. 439.
Can. Ægrotantes 75. . . . . I. 175.
Can. Nihil est aliud 76. . . . . III. 366.
Can. Cum pro parvulis 77. . . . III. 315.
Can. Postquàm 78. . . . . III. 287.
Can. Si quis Presbyter 79. . . . . I. 20.
Can. De trina 80. . . . . II. T. II. 99.
Can. Eodem modo 81. . . . . III. 157.
Can. Multi sunt 82. . . . . II. T. I. 457.
Can. In Synodo 83. . . . . II. T. II. 192.
Can. Hi verò 84. . . . . II. T. II. 112.
Can. Propter vitandum 85. . . . . I. 221.
Can. Retulerunt 86. . . . . II. T. II. 191.
Can. Venisti 87. . . . . III. 88.
Can. Postquàm 88. . . . . III. 490.
Can. Emersisti 89. . . . . III. 88.
Can. Accepistis 90. . . . . III. 88.
Can. Post baptismum 91. . . . . III. 490.
Can. Accepisti 92. . . . . III. 91.
Can. Judæi 93. . . . . I. 294.
Can. Plerique 94. . . . . I. 222.
Can. Primum 95. . . . . III. 490.
Can. Omnis, qui 96. . . . . III. 353.
Can. Agunt 97. . . . . III. 386.
Can. Ne quod absit 98. . . II. T. II. 52.
Can. Sine pœnitentia 99. . . . . III. 74.
Can. In Catechismo 100. . II. T. I. 72. III. &. . . . . 477.
Can. Non plures 101. . . . . II. T. I. 337.
Can. In baptismate 102. . . I. 438. III. &. . . . . 477.
Can. Non licet 103. . . . . I. 356.
Can. Monachi 104. . . . . I. 415.
Can. Vos antè 105. . . . . III. 287.
Can. Omnis Presbyter 106. . . . . I. 305.
Can. Non licet 107. . . . . I. 171.
Can. Rebaptizare 108. . . . . III. 381.
Can. De Arianis 109. . . . . I. 42.
Can. Parvulos 110. . . . . II. T. II. 180.
Can. Placuit 111. . . . . I. 191.
Can. Cum itaquè 112. . . . II. T. I. 330.
Can. Si nulla 113. . . . . II. T. I. 307.
Can. Si ad matris 114. . . . . III. 336.
Can. Qui in maternis 115. . . . III. 445.
Can. Si qua mulier 116. . . . . I. 355.
Can. Qui bis 117. . . . . III. 477.
Can. Eos, quos 118. . . . II. T. I. 344.
Can. Presbyteris 119. . . . . II. T. I. 225.
Can. Presbyteri 120. . . . . II. T. II. 81.
Can. Siquis voluerit 121. . I. 446. III. . . . . 478.
Can. Siquis de alio 122. . . . . I. 417.
Can. Presbyteri 123. . . . . I. 199.
Can. Omni tempore 124. . . . . I. 345.
Can. Nullus ministrorum 125. . . I. 248.
Can. In Sabbato 126. . . . . I. 416.
Can. Nec quenquam 127. . . . . III. 28.
Can. Quandò quis 128. . . . . III. 217.
Can. Quæris à me 129. . . . . III. 366.
Can. In Ecclesia 130. . . . . III. 333.
Can. Nulli est 131. . . . . III. 400.
Can. Si baptizata 132. . . . . III. 321.
Can. Ut ostenderet 133. . . . . III. 292.
Can. A parvulo 134. . . . . III. 292.
Can. Non regenerabantur 135. . III. 292.
Can. Regenerante 136. . . . . III. 321.
Can. Quisquis 137. . . . . III. 321.
Can. Parvuli 138. . . . . III. 321.
Can. Mater 139. . . . . III. 321.
Can. Ecclesiæ 140. . . . . III. 264.
Can. Nemo tollit 141. . . . . III. 322.
Can. Nulla prætèr 142. . . . . III. 322.
Can. Ad hoc 143. . . . . III. 322.
Can. Quis autèm 144. . . . . III. 322.
Can. Gratia 145. . . . . III. 332.
Can. Non ex quo 146. . . . . III. 322.
Can. Quandò 147. . . . . III. 386.
Can. Si eos 148. . . . . III. 325.
Can. Non dubito 149. . . . . III. 318.
Can. Verus 150. . . . . III. 339.
Can. Sicùt in Sacramentis 151. . III. 318.
Can. Placuit 152. . . . . I. 204.
Can. Placuit 153. . . . . I. 204.
Can. Placuit 154. . . . . I. 204.
Can. Quisquis 155. . . . . I. 204.
Can. Placuit 156. . . . . I. 204.


DIST. V.


Can. Omnes fideles 1. . . . . II. T. I. 107.
Can. Spiritus 2. . . . . II. T. I. 158.
Can. De his verò 3. . . . . II. T. I. 158.

Can.

Can. Manus 4. . . . . II. T. I. 156.
Can. Novissimè 5. . . . . III. 491.
Can. Ut jejuni 6. . . . . I. 321.
Can. Ut Episcopi 7. . . . . I. 443.
Can. Dictum est 8. . . . . I. 297.
Can. De homine 9. . . . . II. T. II. 180.
Can. Numquid 10. . . . . II. T. II. 328.
Can. Omni die 11. . . . . I. 185.
Can. Neophyti 12. . . . . I. 185.
Can. Convenit 13. . . . . I. 294.
Can. Id sempèr 14. . . . . I. 301.
Can. In die 15. . . . . II. T. II. 366.
Can. Quadragesima 16. . . II. T. II. 138.
Can. Jejunia 17. . . . . II. T. I. 157.
Can. Non dico 18. . . . . III. 202.
Can. Sint tibi 19. . . . . III. 190.
Can. Sint tibi 20. . . . . III. 190.
Can. Contraria 21. . . . . III. 68.
Can. Quinque 22. . . . . II. T. II. 133.
Can. Nihil enim 23. . . . . II. T. I. 74.
Can. Non mediocritèr 24. . . . . III. 203.
Can. Jejunium 25. . . . . III. 264.
Can. Discipulos 26. . . . . III. 15.
Can. Quidquid 27. . . . . III. 140.
Can. Nihil enim 28. . . . . III. 217.
Can. Ne tales 29. . . . . III. 166.
Can. Legimus 30. . . . . III. 166.
Can. Quia dies 31. . . . . II. T. II. 366.
Can. Carnem 32. . . . . III. 464.
Can. Nunquàm 33. . . . . III. 189.
Can. In omnibus 34. . . . . I. 416.
Can. Nullus 35. . . . . I. 468.
Can. Non oportet 36. . . . . I. 145.
Can. Non oportet 37. . . . . I. 145.
Can. Fucare 38. . . . . III. 383.
Can. De Spiritu 39. . . . . I. 245
Can. Salvator 40. . . . . III. 204.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA





Sign.ª Top.ª
Est. 87
Tab. 1
Núm. 17

BERARDI
GRATIANI
CANONES

IIII.

3292